nius Bartoccinus de Marsciano, Perusinae dioecesis, Benedicti S. Agathae Pamphilii; Gregorius Moscatellus, clericus Viterbiensis, Lucas Antonius Masinus, laicus Florentinus, Dominici Mariae S. Eustachii Cursii; abbas Andreas Picrius, presbyter Lucensis, Franciscus Ioseph Giamaglius, laicus Anconitanus, Ioannis Francisci S. Caesarei Nigroni; frater Scipio Cigala, Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani, Messanensis, Camillus Longhus e Sambuco, Tiburtinae dioecesis, Fulvii S. Mariae in Cosmedin Astallis; Dominicus de Zaulis, clericus Faventinus, Nicolaus de Pretis, presbyter de Britulo, nullius dioecesis, Ioannes Thomas Lorenzellus, laicus Romanus, Gasparis S. Georgii de Cavaleriis; marchio Alexander Capponius, Florentinus, Petrus Andreas Forzonius, laicus Florentinus, Ioseph Bonellus, clericus Camerinensis, Francisci Mariae S. Mariae in Domnica Medices; comes Ranutius de Marsciano Romanus, canonicus basilicae Principis Apostolorum de Urbe, Ioseph Bussettus, laicus Regiensis, Ioannes Baptista Ferrarius Mutinensis, Raynaldi S. Mariae de Scala Estensis, diaconorum S. R. E. cardinalium nuncupatorum: frater Paulinus de Bernardinis, Ordinis Praedicatorum Lucensis, confessarius; frater Baccalareus Felicianus Corellus de Fulgineo, Ordinis Eremitarum S. Augustini, subsacrista; Ioseph Michaël de Rubeis, clericus Senensis, cum praedicto reverendissimo episcopo Porphyriensi sacrista; Petrus Orlandus, clericus Romanus, cum dicto secretario sacri collegii; abbas Ludovicus Piccinus, clericus Æsinus, custos fontis et aquarum conclavis; Ioannes Baptista Fossobrunus Aretinus, Ioannes Trullius Romanus, medici physici; Ioannes Gambara Patavinus, chirurgus; Petrus Corsus de Spetia, Sarzanensis dioecesis, aromatarius; Antonius Asprinus de Colle Scipionis, Interamnensis dioecesis, Gregorius Moriconus Lucensis, eius auxiliatores; Ioannes Dominicus Gentilis e Castro S. Angeli dioecesis Civitatis Ducalis, Ioannes Baptista Tarozzius Andiensis dioecesis, barbitonsores; Gerardus Wolff Coloniensis, Bernardinus de Marchis, Ianuensis dioecesis, eorum auxiliatores; Stephanus Baldus, faber lignarius; Gaspar Rinaldus, faber caementarius; Balthassar Vannicola de Offida Asculanae dioecesis, famulus; Ambrosius Rosatus, Andreas Campus, Antonius Baroldus, Antonius Crovellonus, Antonius Felicettus, Antonius Palettus, Bartholomaeus Butius, Bartholomaeus Onginus, Bernardinus Cambronus, Didacus Santillus, Felix Caroli, Franciscus Catenaccius, Franciscus Codricchius, Franciscus Coppus, Gaspar Baldus, Iacobus Bricca, Iacobus Ceaschettus, Ioannes Cardus, Ioannes Panesius, Ioannes Antonius Bianchinus, Ioannes Baptista Baronius, Ioannes Baptista Blondus, Ioannes Maria Bergottus, Ioannes Maria Re, Ioseph Trovarellus, Paschalis Honorantes, scopatores conclavis.

---

## III.

### *Conceduntur dapiferis privilegia, exemptiones et indulta* [1]

**Alexander Papa VIII.**

URBIS.

Motu proprio, etc. (*quae sequuntur vide locis laudatis in notâ ad rubr.*).

*Fiat* P.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, octavo idus decembris, anno I.

N[2]. I. De Laurentiis.

Dat. die 6[3] decembris 1689, pontif. anno I.

*Nomina eminentissimorum dominorum cardinalium et dapiferorum sunt haec quae sequuntur.*

Petrus Ottobonus, nunc Alexander VIII, Venetus; Ioseph Tempestinus, dum cardinalatus honore fungebamur.

EPISCOPI VI.

Alderanus episcopus Ostiensis, sacri collegii decanus, cardinalis Cybo, Ianuensis; Ioannes Lutius, Tudertinus.

1 Idem factum fuit ab Innocentio XI constit. editâ MDCLXXVII, die 4 ianuarii, pontif. I; et ab Innocentio XII constit. editâ MDCXCI, die 15 iulii, pontif. I.

2 Ed. Main. legit *Nihil* quod non intelligo (R. T).

3 Male edit. Main. ad marg. legit 3 (R. T.).

Flavius episcopus Albanensis S. R. E. cardinalis Chisius, bibliothecarius et signaturae iustitiae praefectus, Senensis; frater Ioannes Giorgius de Castellis, eques Hierosolymitanus, Interamnensis.

Antonius episcopus Praenestinus S. R. E. cardinalis Bichius, Senensis; Ioseph Maradius, Faventinus.

Iacobus episcopus Tusculanus S. R. E. cardinalis Fransonus, episcopus Camerinensis, Ianuensis; Iulius Perlus, clericus Romanus.

Palutius episcopus Sabinensis, S. R. E. cardinalis de Alteriis, eiusdem S. R. E. camerarius, Romanus; Prosper Buccapadulius, Romanus.

PRESBYTERI XXXIV.

Carolus tituli S. Laurentii in Lucina S.R.E. presbyter cardinalis Barberinus, Romanus; Franciscus Fonseca, Romanus.

Gregorius tituli S. Marci S. R. E. presbyter cardinalis Barbadicus, episcopus Patavinus, Venetus; eques Enricus Letus, Scotus.

Ioannes Nicolaus tituli S. Mariae Transpontinae S. R. E. presbyter cardinalis de Comitibus, episcopus Anconitanus, Romanus; Carolus de Philippis, Caesenatensis

Iulius tituli S. Mariae Transtyberim S.R.E. presbyter cardinalis Spinola, episcopus Lucensis, Ianuensis; abbas Iacobus Maria Cenni de Serralenga.

Ioannes tituli Ss. Viti et Modesti S.R.E. presbyter cardinalis Delphinus, patriarcha Aquileiensis, Venetus; ....

Emmanuel Theodosius tituli S. Petri in Vincula S. R. E. cardinalis Bullionius, Gallus; ....

Carolus tituli S. Adriani S. R. E. presbyter cardinalis Cerrus, episcopus Ferrariensis, Romanus; Leonardus Severolus, Romanus.

Gaspar tituli S. Silvestri in Capite S. R. E. cardinalis de Carpineo, sanctissimi domini nostri vicarius generalis, Romanus; Ioannes Baptista Gottifredus, clericus coniugatus, Romanus.

Caesar tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio S. R. E. presbyter cardinalis Destreus, Gallus; marchio Nicolaus de Penna, Perusinus.

Petrus tituli S. Honuphrii S. R. E. presbyter cardinalis Bosius, archiepiscopus Narbonensis, Florentinus; frater Felix Sfortia Maidalchinus, Viterbiensis.

Frater Vincentius Maria Ursinus, Ordinis S. Dominici, tituli S. Sixti S. R. E. presbyter cardinalis S. Sixti nuncupatus, archiepiscopus Beneventanus, Neapolitanus; Paulus Petrus Lamparinus de Terra S. Gemini, Narniensis dioecesis, iuris utriusque doctor collegii patronorum, sacri palatii apostolici clericus.

Federicus tituli S. Anastasiae S. R. E. presbyter cardinalis Columna, Perusinus; Flavius Cherubinus de Monte Bodio.

Franciscus tituli S. Matthaei in Merulana S. R. E. presbyter cardinalis Nerlius, Florentinus; Marcus Antonius Aloysius, Assisiensis

Hieronymus tituli Ss. Nerei et Achillei S. R. E. presbyter cardinalis Casanate, Neapolitanus; abbas Aurelius Gazzinellus F. sacrae teologiae doctor, Comensis.

Galeatius tituli Ss.Quirici et Iulittae S.R.E. presbyter cardinalis Marescottus, Romanus; Nicolaus Ralenus, Æsinus.

Fabritius tituli S. Chrysogoni S. R. E. presbyter cardinalis Spada, Romanus; eques Bernardinus Castellinus, Foroliviensis.

Frater Philippus Thomas Huvard, Ordinis Praedicatorum, tituli S. Mariae super Minervam S. R. E. presbyter cardinalis de Norfolcia, Anglus; Ludovicus Oddo, Romanus.

Ioannes Baptista tituli S. Caeciliae S. R. E. presbyter cardinalis Spinula, Ianuensis; Stephanus Castaldus, clericus coniugatus, Romanus.

Antonius tituli S. Pancratii S. R. E. presbyter cardinalis Pignattellus, archiepiscopus Neapoli, Neapolitanus; Ferdinandus Patronus, Interamnensis.

Sanus tituli S. Mariae de Populo S.R.E. presbyter cardinalis Millinus, episcopus Urbevetanus, Romanus; frater Amerigus Capponus, eques Hierosolymitanus, Romanus.

Fridericus tituli S. Alexii S. R. E. presbyter cardinalis Vicecomes, archiepiscopus Mediolani, Mediolanensis; Franciscus Maria Alemannus, clericus Mediolanensis.

Frater Raymundus tituli S. Mariae Angelorum S. R. E. presbyter cardinalis Capi-

succus, Ordinis S. Dominici, Romanus; Antonius Gabriellius, clericus Romanus.

Frater Laurentius Brancatus tituli Ss. Duodecim Apostolorum S. R. E. presbyter cardinalis de Laurea, Ordinis S. Francisci; abbas Petrus Antonius Bazzantus, Senensis.

Iacobus tituli S. Mariae in Aracaeli S. R. E. presbyter cardinalis de Angelis, Pisanus; abbas Thomas Mancinellus, Narniensis.

Opitius S. R. E. presbyter cardinalis Pallavicinus, Ianuensis; Hieronymus Pallavicinus, Ianuensis.

Marcus Antonius tituli S. Susannae S. R. E. cardinalis Barbadicus, Venetus; abbas Petrus Palazzius, presbyter Brixianus.

Carolus tituli S. Augustini S. R. E. presbyter cardinalis Cicerus, episcopus Comi, Comensis; Aurelius Rozzonius, Comensis.

Leopoldus S. R. E. presbyter cardinalis Kollonitz, Germanus; Franciscus Medicina, clericus Civitatis.

Petrus Matthaeus tituli S. Marcelli S. R. E. presbyter cardinalis Petruccius, episcopus Æsinus; Mutius Sinibaldus, Auximanus.

Guillelmus S. R. E. presbyter cardinalis de Furstenberg, Germanus; eques Thesier, Gallus.

Ioannes Casimirus tituli S. Ioannis ante Portam Latinam S. R. E. presbyter cardinalis Denhoff, Polonus; Christophorus Stavinscki, Polonus, ex provinciâ Prussiae, dioecesis vero Varmiensis.

Ioseph tituli S. Balbinae S R. E. presbyter cardinalis de Aguirre, Hispanus; Iosephus Ochoa de Aperrigui y Ameiugo, Calaguritanus et Calceatensis dioecesis.

Leander tituli S. Petri in Monte Aureo S. R. E. presbyter cardinalis Colloredus, Venetus, sanctissimi domini nostri poenitentiarius maior; comes Caietanus Turellus, Parmensis.

Fortunatus tituli Ss. Ioannis et Pauli S. R. E. cardinalis Caraffa, Neapolitanus, archiepiscopus Aversae; frater Laurentius de Castellis, eques Hierosolymitanus, Interamnensis.

DIACONI XI.

Franciscus S. Mariae in Vialata primus diaconus S. R. E. cardinalis Maidalchinus, Viterbiensis; Ioannes Philippus Rozzolus, clericus coniugatus, Romanus.

Nicolaus Ss. Cosmae et Damiani S. R. E. diaconus cardinalis Acciaiolus, Florentinus; eques Carolus Henricus de S. Martino, Pedemontanus.

Urbanus S. Nicolai in Carcere Tulliano S. R. E. diaconus cardinalis Sacchettus, episcopus Viterbiensis, Florentinus; Ioannes Iacobus Chircher, Germanus.

Ioannes Franciscus S. Angeli in Foro Piscium S. R. E. cardinalis Ginnettus Romanus, archiepiscopus Firmanus; abbas Ioseph Crucius, iuris utriusque doctor, clericus Tiburtinus.

Benedictus S. Agathae S. R. E. diaconus cardinalis Pamphylius, Romanus; abbas Æneas Tassius, Bergomensis.

Dominicus Maria S. Eustachii S. R. E. diaconus cardinalis Cursius, Florentinus; abbas Ioannes Philippus Salviatus, Florentinus.

Ioannes Franciscus S. Caesarei S. R. E. diaconus cardinalis Nigronus, episcopus Faventinus, Ianuensis; abbas Felix Nigronus, Ianuensis.

Fulvius S. Mariae in Cosmedin S. R. E. diaconus cardinalis Astallius, Romanus; Ioseph Buccapadulius, clericus coniugatus, Romanus.

Gaspar S. Georgii S. R. E. diaconus cardinalis de Cavaleriis; marchio Fabritius Narus, clericus coniugatus, Romanus.

Franciscus Maria S. R. E. diaconus cardinalis Medices, Florentinus; frater Rutilius Sansedonius, eques Hierosolymitanus, Senensis.

Raymundus S. Mariae de Scala S. R. E. diaconus cardinalis Estensis, Mutinensis; marchio Nicolaus Tassonus, Ferrariensis.

---

## IV.

*Indicitur iubilaeum universale initio pontificatus pro salubri Ecclesiae regimine* [1].

1 Simile iubilaeum indictum fuit ab Innocentio XI const. editâ MDCLXXXIII, die 11 augusti,

**Alexander Papa VIII,**

**Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Procemium. Caelestis Paterfamilias, cuius voluntas potentia, et cuius opus misericordia est, quique olim dispensatione mirabili elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium, ut pasceret Israel haereditatem suam, novissime diebus istis se neminem sane suorum spernere demonstravit, cum, immensam in nos bonitatem suam derivare dignatus, in humilitate nostrâ memor fuit nostri, ac inscrutabili sapientiae suae arcano constituens nos in caput gentium, vicariam sui in terris potestatem solâ supernae largitatis suae dignatione, ac nullo meritorum suffragio, nobis commisit. Idcirco quia non verecundae, sed ingratae mentis indicium est beneficia tacere divina, et satis dignum est a sacrificio dominicae laudis obsequium consecrati Pontificis inchoare, hoc ipso assumptae a nobis apostolicae servitutis initio libenter cum Propheta clamamus: *Laudationem Domini loquatur os meum, et benedicat omnis caro nomen sanctum eius, qui suscitat de pulvere egenum, ut sedeat cum principibus, et solium gloriae teneat.* Ceterum non tam de honore hilares, quam solliciti de periculo, in tantâ ac tam difficili, quam iam deliberare[1] incepimus, catholicae Ecclesiae procuratione, dum non minus virium nostrarum infirmitatem, cuius nobis probe conscii sumus, quam multiplices mentis nostrae oculis obversantes christianae reipublicae calamitates serio consideramus, sentimus profecto in dies suscepti oneris magnitudinem, ac, quantum ad illud fortiter constanterque ferendum caelestibus indigeamus auxiliis, agnoscimus. Quamvis autem privatis nostris sacrificiis et precibus opem de sancto supplices invocare non desistamus, ut de Sion tueatur nos, omnem spem nostram collocamus[1] in eo qui dedit velle, ut det etiam perficere pro bonâ voluntate; attamen, memoriâ recolentes tum maxime Apostolorum Principi, cuius locum immeriti tenemus, caeleste praesidium adfuisse, cum oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesiâ ad Deum pro eo, pastorali iure fidenter exigimus, et paterno insuper postulamus affectu, ut ad assiduas nostras publicae christifidelium ubique populorum, quibus nos vicissim apostolicam sollicitudinem impendere debemus, supplicationes addantur. Potens est enim oratio Ecclesiae deprecantis ad Dominum, qui benignus et misericors est, et propitiatur invocantibus eum in veritate. Iunctis igitur et concordibus precibus misericordiarum Patrem et Deum totius consolationis exoremus, ut in mandatorum suorum viam unâ cum commissis ovibus gratiâ suâ duce nos dirigat, praesentibus christiani populi necessitatibus propitius adsit, flagella suae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, clementer avertat, nec nos, quos eligere dignatus est ad dandam scientiam salutis plebi eius, deserat in tempore malo, sed det nobis virtutem et fortitudinem in magnitudine brachii sui, ac illuminet corda nostra ad cognoscendum faciendumque quod bonum est in oculis suis. Adeamus mente contriti ad thronum gratiae; dolentes per veram poenitentiam, veniam petamus; instemus obsecrationibus nocte ac die; sanctificemus ieiunia; eleemosynas in sinu pauperum abscondamus; aliisque pietatis operibus divinam nobis misericordiam conciliemus, ac Domino

pontif. VII; et ab Innocentio XII constit. editâ MDCXCI, die 12 novembris, pontif. I.

1 Forsan *delibare* (R. T.).

1 Forsan *collocantes* (R. T.).

corda nostra praeparemus. Haec autem ut ferventiori studio uberiorique fructu fiant, antiquum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum morem secuti, Ecclesiae thesauros, quorum dispensationem nobis credidit Altissimus, aperire et liberali manu erogare decrevimus.

Concessio indulgentiae plenariae.

§ 1. Itaque de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus licet indignis contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in almâ Urbe nostrâ degentibus, qui solemni processioni, quam unâ ex feriis proximae hebdomadae, quae erit secunda Adventus, ab ecclesiâ S. Mariae Angelorum in Termis ad basilicam eiusdem S. Mariae Maioris nuncupatam de eâdem Urbe, unâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis et episcopis, quos in Romanâ Curiâ adesse contigerit, ac christianorum regum et principum oratoribus apud nos existentibus, praelatis quoque et officialibus eiusdem Curiae, universoque clero et populo, benedicente Domino, agemus, devote interfuerint, vel S. Ioannis in Laterano, Principis Apostolorum, et S. Mariae Maioris ecclesias, seu basilicas, vel earum aliquam, intra spatium eiusdem vel proxime subsequentis hebdomadae saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint, ac quartâ et sextâ feriâ ac sabbato alterius ex praefatis hebdomadis ieiunaverint, et, peccata sua confessi, sanctissimum Eucharistiae sacramentum in dominicâ die immediate sequenti, vel aliâ die intra eamdem hebdomadam, reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint; ceteris vero extra Urbem praedictam ubique degentibus, qui ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum vicariis seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae pervenerint, designandas, vel ecclesiarum huiusmodi aliquam, spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis, vel per Ordinarios vel eorum vicarios seu officiales, vel alios, ut praefertur, faciendae, decursurarum, saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, ac quartâ et sextâ feriâ ac sabbato alterius ex hebdomadis huiusmodi ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die dominicâ immediate sequenti, vel aliâ die intra eamdem hebdomadam, sanctissimâ communione refecti fuerint, et pauperibus aliquam eleemosynam, ut praemittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem praedictam concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur.

De navigantibus et iter agentibus et aliis impeditis.

§ 2. Navigantes vero et iter agentes, ut, cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, et visitatâ ecclesiâ cathedrali, vel maiori, aut parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant; regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam ecclesiasticis, saecularibus vel regularibus, etiam in carcere aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius ex iam ap-

probatis a locorum Ordinariis ante praesentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

De confessario eligendo eiusque facultate.

§ 3. Insuper omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, cuiusvis Ordinis et congregationis et instituti, tam in Urbe praefatâ quam extra eam ubique locorum, ut praefertur, degentibus, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium tam saecularem quam cuiusvis Ordinis et instituti regularem ex approbatis, ut praemittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae et hac vice tantum absolvere et liberare valeant, et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliaque[1] eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Praecipitur publicatio.

§ 4. Quapropter tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae, districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, et quibuscumque Ordinariis locorum, ubicumque existentibus, eorumque vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent.

De casibus reservatis.

§ 5. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate, publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoque modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam easdem praesentes iis, qui a[1] nobis et Apostolicâ Sede, vel ab aliquo praelato seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi, in certis tunc expressis casibus, ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ

1 Aptius lege *aliisque* (R. T.).

1 Praeposit. *a* nos addimus (R. T.).

de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et congregationum, sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus et institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse ad effectum praemissorum derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 7. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI decembris MDCLXXXIX, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 decembris 1689, pontif. anno I.

---

V.

*Confirmatur constitutio Clementis IX de non eligendo in abbatem Ordinis Cisterciensis aliquem non expresse professum* [1].

**Alexander Papa VIII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium. Debitum pastoralis officii, quo Ecclesiae Catholicae regimini divinâ dispositione praesidemus, nos admonet, ut illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pro salubri religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub suavi vitae monasticae iugo mancipatorum directione et gubernio provide constituta esse dignoscuntur, quo solidius perennent, cum id a nobis petitur, apostolici muniminis nostri praesidio constabiliamus.

Constitutio Clementis IX. § 1. Aliàs siquidem emanarunt a felicis recordationis Clemente PP. IX praedecessore nostro litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur, videlicet:

*Clemens Papa IX,*
*ad perpetuam rei memoriam.*

In sublimi Sedis Apostolicae solio meritis licet imparibus divinâ dispositione constituti, prospero felicique Ordinum monasticorum, qui Dei Ecclesiam laudabilis conversationis aliisque multiplicibus meritis exornant, statui atque conservationi libenter consulimus, sicut in Domino salubriter expedire arbitramur. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Ordinis Cisterciensis, quod, cum felicis recordationis Alexander Papa VII praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis *Decet* die XIX aprilis MDCLXVI super reformatione generali dicti Ordinis emanatas litteras inter alia prohibuerit, ne ullus in posterum in abbatem generalem Ordinis praedicti

1 Laudata constitutio Clementis IX hic refertur, in qua fit mentio constitut. Alexandri VII super Ordinis reformatione, quae edita fuit MDCLXVI, die 19 aprilis, pontif. XII.

eligeretur, qui eumdem Ordinem non esset expresse professus, et taliter facta electio esset pro iure nulla, et sic eligentes poenam privationis vocis activae et passivae in perpetuum eo ipso absque aliâ declaratione incurrerent: dilecti filii abbates dicti Ordinis, in ultimo eorum capitulo generali Cistercii IX maii MDCLXVII et aliis diebus sequentibus celebrato congregati, publico eiusdem Ordinis bono profuturam existimarunt prohibitionis et poenarum huiusmodi extensionem ad alios quoscumque Ordinis praedicti religiosos, qui personas eumdem Ordinem non professas in abbates aliorum monasteriorum ipsius Ordinis elegerint. Nobis propterea dictus procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsius procuratoris generalis desiderio hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, ne ullus in posterum, qui Ordinem supradictum non sit expresse professus, in abbatem cuiuscumque monasterii eiusdem Ordinis eligatur, alioquin taliter facta electio sit ipso iure nulla, et sic eligentes poenam privationis vocis activae et passivae in perpetuum eo ipso absque aliâ declaratione incurrant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, prohibemus pariter et interdicimus. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII decembris MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

I. G. Slusius ».

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius modernus procurator generalis dicti Ordinis Cisterciensis nobis nuper exponi *Confirmatio relatae constitutionis Clementis IX.*

fecit, ipse praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius procuratoris generalis votis, quantum cum Domino possumus, hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas supradicti Clementis praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae. § 3. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae memoratus Clemens praedecessor in suis litteris praefatis concessit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici scriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris MDCLXXXIX, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 decembris 1689, pontif. anno I.

---

## VI.

*Revocantur immunitates et exemptiones a vectigalibus aliisque oneribus publicis*[1].

**Alexander Papa VIII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Romanum decet Pontificem, tamquam fidelem servum et prudentem quem constituit Dominus super familiam suam, non modo spiritualium providentiam Catholicae Ecclesiae, quantum divina bonitas largitur, iugi vigilantiâ exhibere, sed et temporalium circumspectione, suorum et Apostolicae Sedis etiam quoad temporalia subditorum commodis indesinenter consulere, eâque de causâ ad aequitatis et iustitiae fines illa, quae publicam inopiam praegravant, opportunae provisionis ministerio revocare, ac desuper pastoralis officii sui partes sollicitis studiis interponere, prout communis utilitatis rationi ac reipublicae saluti consentaneum esse in Domino arbitramur. Prooemium.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, per quasdam immunitates et exemptiones a Causae dictae revocationis.

1 Reductae fuerunt immunitates a gabellis in dohanâ Urbis ad antiquam formam ab Innocentio XI, constitutione ed. MDCLXXVII, die 14 augusti, pontif. I.

vectigalium aliorumque onerum publicorum solutione et supportatione, quae a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et Sede prafatâ, illiusque forsan de latere legatis, ac aliis eiusdem Sedis et Camerae nostrae Apostolicae officialibus et ministris, ad importunas supplicantium preces seu aliàs quomodolibet concessae reperiuntur, Camera praedicta, ac communitates et universitates civitatum, oppidorum, terrarum et locorum temporalis S. R. E. ditionis in gravisssimis, quibus propter tot sumptus antehac in causam publicam factos, multaque onera propterea imposita, premuntur angustiis, maximam reddituum et proventuum suorum diminutionem patiuntur, et plurimi subditi nostri, ac praecipue pauperiores, in quos eius, quod ceteris, iisque ut plurimum locupletioribus, per immunitates et exemptiones huiusmodi remittitur, onus derivari necesse est, ingenti damno afficiantur: hinc est quod nos, quibus agri dominici cura divinitus commissa fuit, ut, iuxta Prophetam, noxia evellamus, et utilia plantemus, quique, statim ac Salvatoris et Domini nostri vices in terris gerendas divinâ dignatione suscepimus, eisdem subditis nostris quacumque opportuniore et aequiore ratione sublevandis omnem operam atque industriam nostram adhibere proposuimus, iamque ab ipsis pontificatus nostri primordiis proposito huiusmodi aliquâ ex parte satisfacere studuimus, Camerae, ac communitatum et universitatum, subditorumque nostrorum praedictorum indemnitati et levamento, quantum cum Domino possumus, aeque principaliter consulere cupientes, ac felicis recordationis Sixti V, Pauli V, Urbani VIII, Innocentii X, Alexandri VII, Clementis IX, Clementis X et Innocentii XI, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, qui constitutiones similium exemptionum et immunitatum revocatorias ediderunt, vestigiis inhaerentes, necnon quarumcumque concessionum, immunitatum et exemptionum huiusmodi, litterarum apostolicarum sub plumbo, ac in simili formâ Brevis, cedularum motusproprii et chirographorum cuiusvis Romani Pontificis praedecessoris nostri manu subscriptorum, et aliarum litterarum et scripturarum desuper quomodolibet emanatarum, pluriesque etiam confirmatarum, tenores etiam veriores, et datas, ac occasiones, et alia, etiam speciali ac individuâ expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et verbatim insertis respective habentes, motu proprio, non ad cuiusquam nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione omnes et quascumque exemptiones et immunitates a solutione subsidii triennalis, necnon quarti illi adiuncti, taxarum equorum, tallearum, censuum, archivii, fogliettae, triremium, utensilium, dohanarum, gabellarum quarumcumque, taxae portus Anconae, quatrinorum, tractarum, pedagiorum, vectigalium, collectarum, et quorumlibet aliorum onerum et munerum, personalium, realium et mixtorum, ordinariorum et extraordinariorum, solitorum et insolitorum, cameralium quorumcumque, ac etiam eorum, quae per communitates et universitates, directe vel indirecte, pro eorumdem onerum cameralium solutione, publicorumque munerum supportatione, ac pro viis et pontibus construendis, instaurandis, muniendis, aliisque indigentiis et usibus quibuscumque tam Camerae quam communitatum et universitatum praedictarum, seu aliàs, indicta et imposita ac

exigi solita sunt, necnon ab obligatione recipiendi et hospitandi milites et Sedis praedictae officiales, barigellos, executores, aliosque iustitiae ministros, eisque utensilia et alia necessaria subministrandi, per Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac eamdem Apostolicam Sedem, et quosvis Sedis et Camerae praedictarum officiales et ministros quacumque auctoritate et potestate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, etiam camerarios, ceterosque etiam speciali notâ et expressione dignos, ac specialem ad id facultatem habentes, quibusvis communitatibus, universitatibus, civitatibus, terris, oppidis et locis ditionis temporalis S. R. E. praedictae, ac etiam quibuscumque feudatariis, censuariis, dominis locorum, familiis nobilibus, baronibus, comitibus, marchionibus, ducibus, principibus, et aliis cuiusvis status, gradus, conditionis et praeeminentiae existentibus, ac quavis dignitate etiam ecclesiasticâ et auctoritate praeditis, etiam cardinalatus honore fulgentibus, qui castra et iurisdictiones intra limites dictae ditionis temporalis S. R. E. possident, etiam qui nihil ratione castrorum et iurisdictionum huiusmodi Sedi praedictae annuatim seu aliàs persolvent, et tam incolis quam extraneis et forensibus bona stabilia seu mobilia vel semoventia habentibus et tenentibus seu possidentibus, omniumque supradictorum colonis et laboratoribus, etiam in recompensam laborum, damnorum passorum, expensarum, vel meritorum, seu illorum intuitu et contemplatione, ac ex aliâ quacumque quantumvis favorabili ac urgentissimâ et de necessitate specialiter exprimendâ causâ, sub quibuscumque verborum formis et expressionibus, etiamsi in appaltuum, locationum cameralium instrumentis quantumvis auctoritate apostolicâ confirmatis provisum et cautum sit eas observari debere, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, et aliàs quomodocumque et qualitercumque, in genere vel specie, ad vitam vel ad tempus sive in perpetuum concessas et datas, ac pluries et iteratis vicibus confirmatas, approbatas, revalidatas et innovatas, et etiam iudicis auctoritate secuta quaecumque, necnon quasvis litteras etiam apostolicas sub plumbo vel in simili formâ Brevis, motusproprii cedulas, chirographa, et scripturas huiusmodi, ex nunc perpetuo revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus, abolemus, viribusque et effectu penitus ac omnino evacuamus, ac revocata, cassata, sublata et abrogata, irrita, abolita et annullata, viribusque et effectu penitus et omnino vacua esse, nec ulli prorsus in petitorio aut possessorio, etiam summariissimo, contra praesentium litterarum tenorem et dispositionem suffragari posse, sed praedictos omnes et singulos exemptos ad omnium et singulorum onerum praedictorum solutionem et supportationem pro ratâ eos tangente in posterum realiter et cum effectu teneri, in omnibus et per omnia, perinde ac si dictae exemptiones et immunitates eis nullatenus concessae fuissent, nec litterae ac cedulae motusproprii, chirograha et scripturae huiusmodi unquam emanassent, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine praedictis, decernimus.

*Ecclesiasticorum exemptiones ad limites iuris communis reducuntur.*

§ 2. Praeterea omnia et quaecumque privilegia et indulta, personis ecclesiasticis, tam saecularibus quam cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, ac Societatis etiam Iesu regularibus, super similibus immunitatibus et exemptioni-

bus per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros concessa, ad limites iuris communis, motu, scientiâ, deliberatione, potestatis plenitudine et tenore praedictis, reducimus.

Excipiuntur illae collegiorum quoad victum et vestitum.

§ 3. Illa vero, quae nonnullis collegiis in almâ Urbe nostrâ existentibus, per dilectos filios clericos regulares dictae Societatis Iesu sive alios quoscumque administrari consuetis, similiter a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa fuerunt, quoad victum et vestitum dumtaxat, non autem, ut vulgo dicitur, a *fondaco* et *magazzeno*, prout antehac observatum fuit, suffragari volumus et decernimus.

Abolentur concessae Pontificum nepotibus et consanguineis.

§ 4. Ac demum similia privilegia et indulta, nepotibus et aliis consanguineis vel affinibus quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum pro tempore viventium ab illis respective concessa, itidem revocamus et abolemus, ac revocata et abolita esse ac censeri debere volumus et statuimus; declarantes illa nemini eorumdem nepotum sive consanguineorum vel affinium a die nostrae ad summi apostolatus apicem assumptionis suffragari posse et debere, seu potuisse et debuisse.

Exemptiones ex iure vel causâ onerosâ datae serventur.

§ 5. Per praemissa autem non intendimus revocare exemptiones et immunitates quibuscumque personis ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus de iure competentes, neque thesaurariis, appaltatoribus et conductoribus bonorum, introituum et iurium dictae Camerae nostrae ab ipsâ Camerâ seu aliis illius nomine in appaltuum et locationum instrumentis et illorum ratione ex contractu tituloque vero oneroso concessas.

Et etiam datae ratione congruae et effectualis pecuniarum solutionis.

§ 6. Ac insuper a revocationibus et aliis supradictis excipimus et exceptas esse volumus et declaramus immunitates et exemptiones quibusvis universitatibus et personis datas et concessas in vim contractus ex causâ vere onerosâ, videlicet congruae et effectualis pecuniarum solutionis, et non aliàs, eidem Camerae Apostolicae vel ipsis communitatibus legitimae factae, vel ex aliis rationabilibus causis per nos cognoscendis et approbandis, ut infra, ac etiam declarandis, quas omnes causas onerosas non nisi legitimas, ac licitas et honestas, prout de iure, intendimus.

Causae onerosae verificari et tamquam legitimae approbari debent in Camera.

§ 7. Et propterea, quicumque illas obtinent, eas in dictâ Camerâ, citato dilecto filio ipsius Camerae commissario generali, verificare, et in ipsâ Camerâ examinari et admitti facere teneantur, etiamsi concessiones earumdem immunitatum et exemptionum, ac litterae, cedulae motusproprii, chirographa et aliae scripturae desuper emanata aliàs in Camerâ praedictâ admissae et admissa, ac in illâ eiusque libris registratae et registrata fuerint et sint: quatenus tamen causae onerosae huiusmodi pro vere onerosis et legitimis, ut supra, aliàs in eâdem Camerâ verificatae et approbatae, ac praeviâ iudiciali discussione non sint legitimae habitae; quo casu ad indicationem tantum, non autem ad aliam verificationem, eosdem obtinentes teneri volumus; interim vero, quamdiu non fuerint verificatae, minime suffragari, et praesentis revocationis effectum retardare non posse declaramus.

Praeservantur exemptiones cardinalibus, clericis camerae, aliisque.

§ 8. Praeterea nostrae intentionis non est sub revocationibus et aliis supradictis comprehendere immunitates et exemptiones eisdem S. R. E. cardinalibus ratione dignitatis cardinalatus, necnon Camerae praedictae clericis praesidentibus, aliisque cameralibus, qui in eâdem Camerâ sederunt et sedent, concedi seu admitti solitas, nec illas, quibus praelati et officiales Romanae Curiae, ac praelati domestici, cubicularii secreti, ac secretarii et alii familiares et continui com-

mensales nostri et Romani Pontificis pro tempore viventis in rotulo descripti, gaudent et gaudere consueverunt, neque illas ob numerum duodecim filiorum a praedecessoribus nostris et aliis supra expressis concessas; quas tamen ad terminos constitutionis recolendae memoriae Pii IV praedecessoris pariter nostri, quae incipit *Licet felicis recordationis Paulus,* etc. (cuius tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi, illamque exacte et adamussim iuxta illius seriem, tenorem et dispositionem in omnibus et per omnia servari debere volumus) et aliarum constitutionum apostolicarum super similium exemptionum declaratione editarum, et ad illas tantum et pro tempore et personis[1], ac eo modo et formâ prout de iure communi illis competunt, ac aliàs iuxta ipsius iuris communis ac supradictarum et aliarum constitutionum apostolicarum dispositionem, reducimus, neque aliter quam ut praefertur sive in possessorio sive in petitorio suffragari volumus et decernimus.

Iniungitur ministris executio praesentium.

§ 9. Ceterum appaltatoribus, thesaurariis, depositariis, camerariis, executoribus, et ceteris agentibus et ministris dictae Camerae et communitatum et universitatum praedictarum, earumdem serie praesentium, districtius inhibemus, ne, contra ipsarum praesentium dispositionem, immunitates et exemptiones, nisi ut supra exceptas, ac eas quas ex causâ vere onerosâ concessas in Camerâ praedictâ, ut praefertur, admitti contigerit, ullatenus admittant; et si secus fecerint, id nemini eorum in suis computis seu rationibus per eamdem Cameram admitti volumus, sed eorum damno cessurum esse declaramus.

Lites super praemissis extinguuntur.

§ 10. Postremo lites quaslibet occasione privilegiorum ac indultorum necnon immunitatum et exemptionum huiusmodi quomodolibet suscitatas, et in quibusvis tribunalibus pendentes (illarum omnium et singulorum statutum[1] et merita, nominaque et cognomina iudicum et colligitantium quorumvis, etiam speciali mentione dignorum, et alia etiam de necessitate specialiter exprimenda, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes) a quibuscumque tribunalibus huiusmodi ad nos earumdem serie praesentium avocamus, illasque penitus et omnino perpetuo supprimimus et extinguimus, et pro suppressis et extinctis haberi volumus et declaramus, ac partibus perpetuum desuper silentium imponimus.

Clausulae.

§ 11. Decernentes praesentes litteras, ac omnia et singula in illis contenta, etiam ex eo quod quicumque in praemissis sive eorum aliquo interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, ac adeo vocati et auditi, seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae, verificatae, seu aliàs sufficienter aut etiam ullatenus iustificatae non fuerint, aut ex aliâ quavis quantumlibet legitimâ, piâ, iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu, occasione et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae vel quorumvis interesse habentium consensus, aut alio quovis quantumvis magno et substantiali et inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari in ius vel controversiam revocari, suspendi, limitari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum,

1 Aptius *et ad illas tantum pro tempore personas* (R. T.).

1 Potius lege *statum* (R. T.).

aut aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato, seu etiam motu simili concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium constitutionum ac revocationum et ordinationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, et aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis, comprehendi aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori datâ, quatenus opus sit, denuo concessas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis Sedis et Camerae praedictarum officiales et ministros, et alios quoscumque quavis auctoritate et potestate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis nostro ac S. R. E. praedictae camerario seu procamerario, necnon vice-camerario, thesaurario ac clericis praesidentibus, commissario et aliis Camerae praedictae officialibus, ad quos spectat, praecipimus et mandamus, ut praesentem nostram constitutionem et in eâ contenta quaecumque in omnibus et singulis firmiter et inviolabiliter observent et faciant ab aliis observari.

Derogatio contrariorum.

§ 12. Non obstantibus supradictarum litium pendentiâ, aliisque omnibus et singulis praemissis, necnon nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, ac, quatenus opus sit, praedicti Pii praedecessoris de gratiis qualecumque interesse dictae Camerae concernentibus in eâdem Camerâ praesentandis et registrandis, itaut praesentes in eâ praesentari aut registrari nunquam necesse sit, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, seu quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et concessionibus, immunitatibus, exemptionibus, chirographis, cedulis motuumpropriorum et aliis scripturis et litteris etiam apostolicis praedictis, et quibusvis aliis etiam ut praefertur qualificatis, ac speciali notâ et mentione dignis, etiamsi nominatim essent exprimendi, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis etiam inexcogitabilibus et necessario exprimendis, etiam contractus iurati cum Camerâ nostrâ Apostolicâ initi et camerali obligatione vallati, et quovis alio robore et cautelâ firmatis, editis seu factis, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis ac pluries innovatis; quibus omnibus et singulis (etiamsi in eis caveatur expresse quod ullo unquam tempore sub similium vel dissimilium exemptionum et immunitatum, revocationibus, abrogationibus, annullationibus, aut aliis

quibuslibet contrariis dispositionibus et constitutionibus pro tempore edendis comprehendantur, sed semper ab illis excepta, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum eumque validissimum statum restituta, reposita et reintegrata, ac etiam sub posteriori datâ per quascumque personas eligendâ de novo concessa sint et esse censeantur. necnon pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret), illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressac insertis ac servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio. § 13. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, et auctoritate apostolicâ decernimus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum et Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, quae, ita publicatae, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatae et intimatae fuissent; utque earumdem praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV decembris MDCLXXXIX, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 decembris 1689, pontif. anno I.

---

## VII.

*Confirmantur litterae magistri generalis Ordinis Praedicatorum, quibus tolluntur nonnulli abusus in provinciâ Portugalliae*[1].

**Alexander Papa VIII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium. Commissi nobis divinitus pastoralis officii ratio exigit, ut, paternam christifidelium, qui e fluctibus saeculi in religiosae vitae portum confugerunt, curam gerentes, illa, quae abusibus felici eorum directioni noxiis evellendis provide sapienterque constituta et ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistant, apostolici muniminis praesidio constabiliamus, et aliàs desuper disponamus, sicut, omnibus mature perpensis, in Domino conspicimus salubriter expedire.

Species facti sequentibus litteris descripti. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Montero, frater expresse professus ac procurator provinciae Portugalliae Ordinis Praedicatorum, quod, cum aliàs, de supplici quodam libello pro parte nonnullorum tunc existentium fratrum provinciae praefatae felicis recordationis Innocentio Papae XI praedecessori nostro porrecto, ipsi Innocentio praedecessori innotuisset, quod aliquibus dictae provinciae fratribus concessum fuerat, ut privilegiis praesentatorum, licet eo gradu iuxta statuta et

1 De huiusmodi abusibus vide Innocentii XI constit. edit. MDCLXXVII, die 20 novembris, pontificatus II; item constit. edit. MDCLXXVII, die 5 ianuarii, pontif. II, et Innocentii XII constit. edit. MDCXCV, die 22 septembris, pontif. V.

consuetudines dicti Ordinis minime insigniti reperirentur, frui et potiri deberent; necnon pariter aliqui fratres laici seu conversi provinciae praefatae obtinuerant, ut, retento statu et conditione laicali, habitu per fratres clericos provinciae et Ordinis huiusmodi gestari solito induerentur, eoque induti incederent; ac praeterea plures in eâdem provinciâ fratres aderant, qui, obtentâ assignatione seu collocatione in aliquo conventu a superioribus dicti Ordinis, eam auctoritate extra Ordinem praefatum, sive etiam aliquando a tunc existentibus magistris generalibus eiusdem Ordinis confirmari obtinuerant, atque exinde ab eisdem conventibus per superiores provinciales pro tempore existentes provinciae huiusmodi amoveri minime posse praesumebant: idem Innocentius praedecessor, abusibus in regularis observantiae provinciae praefatae detrimentum vergentibus occurrere studens, dilecto filio Antonino Cloche magistro generali dicti Ordinis mandavit, ut concessiones et facultates huiusmodi rescinderet ac circumscriberet, eaque omnia, cuiuscumque tandem auctoritate facta essent, nisi immediate ab Apostolicâ Sede concessa fuissent, ad terminos constitutionum et decretorum capitulorum generalium dicti Ordinis reduceret. Porro ipse Antoninus magister generalis quasdam patentes litteras desuper edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Litterae magistri Ordinis in quibus agitur de praesentatorum privilegiis, habitu et amotione religiosorum.

« In Deo filiis sibi dilectis reverendissimo admodum patri provinciali, in sacrâ theologiâ magistris, prioribus, praesentatis, praedicatoribus generalibus, aliisque fratribus provinciae nostrae Portugalliae Ordinis fratrum Praedicatorum, frater Antoninus Cloche, sacrae theologiae professor, ac eiusdem Ordinis humilis magister generalis et servus, salutem, et legum nostrarum zelum, Ordinisque nostri honorem, charismataque meliora. In his, quae religionis nostrae sunt, pastorali sollicitudine pro suâ in nos Ordinemque nostrum benignitate, clementiâ et zelo invigilat sanctissimus dominus Innocentius Papa XI, quippe qui ob incrementum regularis observantiae plura sancivit, iussit et mandavit. Quae omnia filiali obedientiâ exequi debentes, cum ad suas aures pervenerit nomine gravium patrum provinciae nostrae Portugalliae humili libello supplici Suae Sanctitati porrecto, quod in[1] eâ provinciâ aliquibus ex fratribus nostris concessum fuerit, ut privilegiis praesentatorum, licet eo gradu iuxta normam et praxim Ordinis insigniti non sint, potiantur et gaudeant; aliique sint fratres laici, qui obtinuerunt, ut, retento statu laicali, habitu clericorum Ordinis nostri induerentur, eoque vestiti incederent; imo plures sint eâ in provinciâ, qui, obtentâ assignatione pro aliquo conventu a superioribus Ordinis, eam auctoritate extra Ordinem, vel aliquando a magistris Ordinis, etiam a nobis, obtinuerunt; qua obtentâ, ab eisdem conventibus per provinciales amoveri non posse praesumant et glorientur: quibus malis et constitutionum nostrarum relaxationi ut mederi possimus, iussit nobis sanctissimus, et in mandatis dedit, ut has concessiones, facultates, abusus rescinderemus et circumscriberemus, eaque omnia, cuiuscumque sint auctoritate facta, nisi immediate a Suâ Sanctitate concessa fuerint, ad terminos constitutionum nostrarum et capitulorum generalium sanctiones reduceremus. Quare, harum serie, et auctoritate apostolicâ nobis hac in parte specialiter commissâ, et iussu speciali sanctissimi domini nostri, declaramus, quoscumque fratres

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

provinciae nostrae Portugalliae, quibus a quocumque concessum est, etiam a magistris Ordinis et aliis cuiuscumque sint dignitatis et auctoritatis, ut privilegiis et iuribus, praeeminentiis, aliisque, quibus praesentati eâ in provinciâ et Ordine nostro potiuntur et gaudent, frui, potiri et gaudere, etiamsi eo gradu praesentaturae secundum normam et praxim Ordinis nostri insigniti non sunt[1], eosque omnes et singulos reducimus et redigimus ad eumdem statum et ad eadem iura et privilegia, quae ante talem concessionem habebant, sive statum sacerdotum simplicium, nisi aliàs iuxta normam Ordinis aliquo gradu insigniti sint. Insuper eâdem auctoritate apostolicâ, et eodem sacro mandato sanctissimi, quoscumque fratres laicos[2], qui, quacumque auctoritate, etiam magistri Ordinis, vel aliâ quacumque, retento statu laicali, habitum clericorum deferunt, intra vigintiquatuor horas a presentium notitiâ habitum clericorum dimittere teneantur, et habitum fratrum conversorum publice et ubique deferant, sub poenis apostatis debitis, et privationis suffragiorum Ordinis. Ceterum eâdem auctoritate et eiusdem Sanctissimi iussibus declaramus quascumque assignationes fratrum in conventibus per quoscumque superiores datas, et a quocumque alio quacumque auctoritate pollente, aliam vim aut robur habere non posse, quam simplicis assignationis, posseque superiores provinciae pro tempore, non obstantibus huiusmodi assignationibus, fratres a suis conventibus amovere et in aliis assignare; et, si qui sint renitentes, eos gradibus, officiis, voce activâ et passivâ privatos esse dicimus, et poenis arbitrio superiorum infligendis rebelles illos fratres subiicimus, sicque omnes illas assignationes, ut praefertur, seu confirmationes, ad terminos constitutionum nostrarum et ordinum capitulorum generalium reducimus. Ut igitur fratres nostri provinciae nostrae Portugalliae mandatis et iussibus sanctissimi domini nostri, ut par est, subsint et pareant, mandamus in virtute Spiritus Sancti et sanctae obedientiae, sub formali praecepto, reverendo admodum patri ministro provinciali moderno praenominatae provinciae, ut haec mandata et iussa Sanctissimi, immediate a praesentium receptione, in conventu Ulyssiponensi, aut in conventu in quo has receperit, coram omnibus patribus ac fratribus in communi capitulo significare vel legere publice faciat, et successive in omnibus conventibus curae nostrae subiectis; praecipientes omnibus et singulis tam capitibus quam membris conventuum, sub eisdem virtute et praecepto, et sub poenis privationis vocis activae et passivae, graduum et officiorum, et inhabilitatis ad ipsa, aliisque poenis positivis, ut, post praesentium intimationem et significationem, haec omnia respective iuxta sanctissimi domini nostri mandata exequi fideliter et inviolabiliter faciant; iniungentes superioribus conventuum sub eisdem virtute et praecepto, ut, intra vigigintiquatuor horas post praesentium receptionem, publice coram totâ communitate legere faciant, teneaturque[1] modernus reverendus admodum pater provincialis de praesentium receptione, sub eisdem virtute et praecepto et poenis nobis arbitrariis, debito tempore nos certiores facere, ut gestorum rationem reddere valeamus. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus

1 Aptius lege *sint* pro *sunt;* heic autem aliquid excidisse puto, ex. g. *huiusmodi privilegiis minime gaudere* (R. T.).

2 Ex seq. syntaxi potius lege *quicumque fratres laici* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *teneanturque* (R. T.).

Sancti, Amen. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. In quorum fidem his officii nostri sigillo munitis manu propriâ subscripsimus. Datum Romae, in conventu nostro S. Mariae super Minervam, die XIX octobris MDCLXXXVII. ANTONINUS CLOCHE magister Ordinis. Frater IGNATIUS DE QUASSADA magister provincialis Praedicatorum servus ».

Confirmatio relatarum litterarum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus procurator litteras huiusmodi, quippe ad conservandum et solidandum in provinciâ praefatâ regularis disciplinae vigorem eximie conducibiles, pro firmiori illarum subsistentiâ, et ne unquam earum observantia sub quovis praetextu, titulo et capite, etiam validitatem et iustitiam ipsarum litterarum concernente, in controversiam vocari possit, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Petri procuratoris votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac venerabili fratri nostro Palutio episcopo Sabinensi S. R. E. cardinali de Alteriis nuncupato Ordinis praedicti apud nos et Sedem Apostolicam protectore audito, praeinsertas memorati Antonini magistri generalis litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, etiam substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri vel praetendi possent, supplemus et sanamus.

§ 3. Decernentes ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Clausulae.

Commissio publicationis.

§ 4. Quocirca venerabili fratri Francisco archiepiscopo Rhodiensi, in Portugalliae et Algarbiorum regnis nostro et Apostolicae Sedis nuntio, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel per alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte praefati Petri prioris seu aliorum interesse in praemissis habentium, seu alicuius eorum, desuper fuerit requisitus, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, solemniter publicans, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ illos omnes et singulos praesentium litterarum et in eis contentorum eorumdem commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittens illos desuper a quoquam quavis aucto-

ritate quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis, servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris pariter nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, praefatorum Ordinis et provinciae, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII ianuarii MDCXC, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 7 ianuarii 1690, pontif. anno I.

---

## VIII.

### *Conceduntur privilegia nonnullis familiaribus* [1].

**Alexander Papa VIII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

**Venerabilibus fratribus Bernardino Panciatico, patriarchae Hierosolymitano, datario, Herculi Vicecomiti, archiepiscopo Darniatensi, palatii nostri apostolici, ac Iosepho Eusanio, Porphyriensi, sacrarii nostri respective praefectis, ac Ioanni Baptistae Rubino, Vicentium episcopo, secretario Status, ac dilectis filiis magistris Mario Spinulae Ianuensi litterarum nostrarum in formâ Brevis quae ad principes scribuntur, Ioanni Francisco Albano Urbinatensi Brevium nostrorum secretorum respective secretariis, et Marcello de Aste in utrâque signaturâ nostrâ referendario, auditori nostro, praelatis domesticis nostris, ac Petro Draphi Bartoli Veneto, cubiculi nostri praefecto, Mariano Gabrielli Aquileiensi, pincernae, Iosepho Tempestino Romano, archbitriclino, Francisco Maggi Aretinensi, vestiario, Iosepho Felici Reatinensi, eleemosynario secreto, Bernardino Sarti Ariminensi, Romulo Specioli Firmano, medico secreto, et Raphaëli Fabretto Urbinatensi, libellorum supplicum nobis porrectorum secretario, cubiculariis intimis, seu secretis, necnon Urbano Roccio Romano, forerio maiori, et Theodoro Cellesio Pistoriensi, fratri militi magnae crucis hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ac comiti Alexandro Capisucchio Romano, itidem cubiculariis secretis, et Iosepho Sacripanti Narniensi, aulae nostrae consistorialis advocato subdatario, et Bartholomaeo Clementi Came-**

[1] Haec constitutio diversa est ab illis praedecessorum, ut videre est Clementis X constit. editam MDCLXX, die 26 augusti, pontif. I; constit. editam MDCLXXI, die 11 decembris, pontif. II; et constit. editam MDCLXXII, die 6 iulii, pontif. III. Extat etiam similis constit. Innocentii XII edita MDCXCI, die 27 novembris, pontif. I.

**rinensi, caudatario, Ioanni Paulo Romaldi Æsinensi, crucifero, Ioanni Bissaiga Vercellensi et Bernardino Porti Bononiensi, cappellanis secretis, necnon Æneae Brusioni Caesenatensi, Antonio Scipioni Gabellotti Faventinensi, Alexandro Ferri Laudensi, Bernardino Ceci Alatrinensi, et Ludovico del Nero Romano respective civitatum et dioecesum clericis seu presbyteris vel laicis, cubiculi nostri adiutoribus, familiaribus continuis commensalibus nostris, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

§ 1. Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensationis providentia devotos et fideles suos, illos praesertim, qui grata familiaritatis obsequia iugiter ei impendunt, ac quos ad id aliàs propria virtutum merita commendant, honoris et famae amplioribus praeconiis ac praeclaris dignitatum titulis decorare et ornare necnon specialis benevolentiae favoribus amplecti solet, prout personarum qualitatibus conspicit convenire.

Commendantur praedicti et absolvuntur a censuris.

§ 2. Hinc est quod nos, ad grata familiaritatis obsequia, quae vos, qui etiam continui commensales nostri existitis, et quilibet vestrum nobis hactenus impendistis, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistitis, necnon ad vitae ac morum honestatem, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, [1] quibus personas vestras etiam familiari experientiâ iuvari percepimus, condignam rationem habentes; ac propterea easdem personas vestras peculiaris favore gratiae, ac specialis honoris et excellentiae dignitatis titulo sublimare volentes, vosque et quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad vestram vel alterius pro vobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de merâ liberalitate et certâ scientiâ nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, vos et quemlibet vestrum respective in nostros et Sedis Apostolicae notarios (sine tamen praeiudicio dilectorum filiorum notariorum de numero participantium), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, recipimus; et sacri palatii et aulae Lateranensis comites necnon auratae militiae equites, ac nobiles Romanos, et Urbis Romae, ac civitatum Avenionensis, Bononiensis, Ferrariensis, Beneventanae, omniumque et singularum aliarum civitatum, terrarum et locorum, Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectorum, cives, cum omnibus iuribus, iurisdictionibus, praerogativis, et insignibus debitis et consuetis, creamus ac constituimus, ac in numerum et consortium aliorum nostrorum et eiusdem Sedis notariorum, necnon palatii et aulae huiusmodi comitum, equitum et nobilium Romanorum, aliorumque civium civitatum et terrarum praedictarum, referimus et conscribimus.

Creantur notarii, etc.

Gaudeant notariorum, etc. privilegiis cum quadam restrictione.

§ 3. Vobisque, etiamsi habitum et rocchettum notariorum dictae Sedis iuxta decreta Lateranensis concilii novissime celebrati non deferatis, aut civitates huiusmodi non incolueritis, nec unquam in eisdem civitatibus domicilium habueritis, ut omnibus et quibuscumque privilegiis et facultatibus, exemptionibus et immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus ceteri omnes notarii nostri, etiam de numero participantium, ac comites, equites et nobiles (citra tamen exemptiones a sacro Concilio Tridentino sublatas, itaut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subiaceatis Ordinariis, ac citra facultates legitimandi, ad gradus promovendi,

1 Particulam *et* hinc abiicimus (R. T.).

notarios seu tabelliones creandi, aliaque huiusmodi privilegia a notariis et comitibus praefatis praetensa, itaut illis nullibi uti valeatis, ac irritum et inane existat, quicquid secus per vos aut quemlibet vestrum respective attentari contigerit), necnon cives originarii, etiam in dignitatum, beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum et saecularium, etiam ex personis Romanorum civium originariorum[1] vacantium, assecutione et exercitio, tam in Urbe quam in omnibus et singulis civitatibus praedictis, et aliàs ubique locorum et gentium, necnon sessionum et conventuum, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiae et indulta huiusmodi pro vobis emanassent, uti, potiri et gaudere, ac in omnibus et singulis apostolicis, aliisque litteris, instrumentis et scripturis publicis et privatis, deinceps nomine vestro conficiendis, notarios, comites, equites et nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon Romanos[2] et aliarum civitatum et terrarum cives, prout libuerit, vos inscribere et illis subscribere valeatis; ac pro veris et non fictis notariis, comitibus, equitibus et nobilibus, ac civibus habeamini; nihilque, qualecumque illud fuerit, cum iis subscriptionibus subreptitium vel obreptitium aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus censeatur; necnon honoris causà insignia gentis nostrae, sive integre, sive cum vestris respective composita, gestare possitis, prout vobis placuerit, concedimus.

Eximuntur a decimis, aliisque impositionibus, ea excepta pro auxilio contra infideles.

§ 4. Et insuper vos, vestraque beneficia et officia ecclesiastica, quaecumque, quotcumque et qualiacumque, illorum fructus, res et iura, ubicumque locorum, regnorum et provinciarum, necnon in Urbe, civitatibus, terris et locis eidem Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis consistentia praedia, domos, possessiones et bona patrimonialia, aliaque temporalia, mobilia et immobilia ac semoventia, necnon actiones et iura praesentia et futura, cuiuscumque qualitatis, quantitatis et naturae, ac cuiusvis etiam annui valoris fructus, redditus et proventus huiusmodi sint vel fuerint, ac etiam quaecumque a vobis vendenda, ac pro vestris ac familiarum vestrarum usibus emenda, ab omnibus et quibuscumque decimis, quartis et dimidiis partibus, subsidiis, etiam charitativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis et quocumque alio nomine nuncupatis angariis, perangariis, ceterisque oneribus et contributionibus, tam urbanis quam rusticis, ordinariis et extraordinariis, realibus, personalibus et mixtis, etiam ratione munitionum moenium et pontium, portarum et moliturarum, et mercium cuiuscumque generis transitus, seu passus, et vecturae, etiam in aliud territorium, seu provinciam[1], terrâ, mari et flumine, necnon equorum mortuorum, stabulationum militum, institutionis seminarii ecclesiastici, aut quacumque[2] aliâ quantumvis gravi et gravissimâ causâ (pro subventione contra infideles exceptâ) nunc et pro tempore impositis, ita quod vos et quilibet vestrum nihil omnino horum aut aliorum similium subire teneamini, nec per Camerae Apostolicae, aut alios commissarios, seu vectigalium et tributorum huiusmodi redemptores, conductores et exactores, quocumque privilegio, exemptione et

1 Edit. Main. legit *originarium* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *Romani* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *provinciarum* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *quaecumque* (R. T.).

facultate suffultos, aliàs quam ut praefertur, valeatis coarctari, quamdiu servitiis nostris institeritis dumtaxat, eximimus et liberamus.

Permittitur ipsis pluralitas beneficiorum.

§ 5. Ad haec vobiscum et cum quolibet vestrum respective, ut[1] quaecumque duo dissimilia vel simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium cathedralium, etiam metropolitanarum, aut aliarum etiam collegiatarum ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis omnibus cum curà, aut dignitas, etiam maior et principalis, canonicatus et praebenda, personatus, administratio vel officium fuerit, et ad dignitatem, personatum, administrationem vel officium huiusmodi consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, si alicui vestrum aliàs canonice conferantur, aut quisque vestrum eligatur, praesentetur aut aliàs assumatur ad illa, et instituatur in eis, recipere, et, dummodo illa omnia (uno excepto) personalem residentiam non requirant, insimul, quoad vixeritis, retinere;

Eximuntur a residentia, durante familiaritate.

§ 6. Necnon etiam, quamdiu nobis inservieritis tantum, in beneficiis ecclesiasticis, etiam curatis (non tamen parochialibus, nec curatis curà animarum parochianorum), per vos pro tempore respective obtentis, etiam de iure, statuto, fundatione vel privilegio personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in ecclesiis cathedralibus, etiam metropolitanis, post pontificalem maiores, et collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneamini, nec per locorum Ordinarios, aut ecclesiarum earumdem capitula, seu quosvis alios, ad residendum interim in illis invite compelli possitis, omnesque et singulos nihilominus vestrorum beneficiorum obtentorum fructus, redditus et proventus, durante servitio praedicto, cum eà integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperetis, si in eisdem ecclesiis sive locis personaliter resideretis, percipere, exigere et levare;

Facultas recipiendi ordines extra tempora et sine licentia.

§ 7. Ac interim, vel postmodum, si volueritis, in Romanà Curià vel extra eam, a quocumque, quem malueritis, catholico antistite gratiam et communionem eiusdem sedis habente, quem duxeritis eligendum, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines aliquibus tribus dominicis vel aliis festivis diebus etiam extra tempora a iure statuta, proprii Ordinarii aut cuiusvis alterius licentià desuper minime requisità, si aliàs ad id idonei reperti fueritis, super quo antistitis conscientiam oneramus, promoveri et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare;

Item audiendi et docendi leges causasque tuendi.

§ 8. Nec non, etiamsi presbyteri fueritis, ac dignitates et officia obtinueritis, leges et iura civilia, etiam publice, in scholis et universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo trigesimum aetatis annum non excesseritis, audire, et si habiles et sufficientes reperti fueritis, etiam ad doctoratus gradum in huiusmodi facultate vos promoveri facere, iura etiam publice docere, atque iudicis, advocati et procuratoris officium, in causis ecclesiasticis et civilibus tantum, exercere libere et licite possitis et valeatis, auctoritate et tenore praedictis, de specialis dono gratiae dispensamus.

Necnon eligendi confessarium cum ampla facultate.

§ 9. Liceat quoque vobis, et cuilibet vestrum, aliquem idoneum et approbatum ab Ordinario saecularem, vel cuiusvis Ordinis regularem, in vestrum eligere confessorem, qui, vità cuiuslibet vestrum comite, vos et quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis

1 Male ed. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, et per vos incursis, et quibus vos etiam apostolicâ auctoritate illaqueari contigerit, etiamsi absolutio nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter vel generaliter reservata existat, et quorumcumque votorum et Ecclesiae praeceptorum transgressionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas etiam ecclesiasticas (non tamen episcopos vel alios superiores praelatos) de praeterito iniectionibus, seu consilii vel favoris ad id praestationibus, ieiuniorum omissionibus (non tamen recitationis horarum canonicarum, aliorumque divinorum officiorum), et denique ab omnibus et quibuscumque aliis vestris peccatis, criminibus et excessibus, ac delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam talibus propter quae Sedes praedicta merito consulenda foret, videlicet a contentis in litteris die Coenae Domini publicari consuetis, semel tantum in vitâ et mortis articulo, in reliquis vero dictae Sedi quomodocumque reservatis, aliisque quibusvis casibus, semel in anno, confessionibus[1] vestris diligenter auditis, sine tamen alicuius praeiudicio, auctoritate apostolicâ absolvere, et vobis pro commissis poenitentiam iniungere salutarem, nec non vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum beatorum Petri et Pauli apostolorum, castitatisque et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat.

Facultas transferendi pensiones usque ad ducatos trescentum.

§ 10. Vobisque ulterius, et cuicumque vestrum respective, ut quicumque loci Ordinarii vel canonici metropolitanarum seu aliarum cathedralium ecclesiarum, aut personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, tam in dictâ curiâ quam extra eam, ad id per vos respective coram notario et testibus fide dignis eligendi seu eligendae, quascumque pensiones annuas, vobis super mensarum abbatialium seu capitularium ac episcopalium et archiepiscopalium ac quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, saecularium et quorumvis Ordinum et militiarum regularium, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, quomodocumque et qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et distributionibus, etiam quotidianis, seu, illarum loco, fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, distributiones et emolumenta, vobis nunc et pro tempore assignata et reservata ac reservanda, pro summâ videlicet trecentorum ducatorum auri de Camerâ quoad singulos vestrum, quandocumque alicui vestrum respective placuerit, simul vel successive, in toto vel in parte, etiam in cuiuslibet vestrum mortis articulo, cassare et extinguere, ac, postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas super eisdem fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis, seu, illarum loco, fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, distributiones et emolumenta huiusmodi, usque ad summam et quantitatem praedictam, uni vel pluribus aliis personis etiam per vos nominandis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, clericis, seu clericali charactere insigniri volentibus, etiam eis, quoad vixerint, seu eorum procuratoribus, ad id speciale ab eis mandatum habentibus, iisdem modo et formâ quibus vobis assi-

1 Verba *semel in anno*, *confessionibus* nos addimus (R. T.).

gnatae et reservatae, seu assignata et concessa fuerint respective, etiam absque consensu easdem pensiones solvere debentium, etiamsi illas vel illa aliàs cassari et reservari de novo faciendi facultatem non habueritis, ac pensiones et fructus, redditus, proventus, iura, obventiones ac distributiones et emolumenta huiusmodi etiam pluries cassata et de novo assignata fuerint, usque ad summam et quantitatem praedictam, etiam litteris apostolicis super reservationibus et assignationibus huiusmodi [1] non confectis, ac aliàs cum omnibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus et cautelis, ac etiam censuris et poenis, in prioribus reservationibus huiusmodi concessis et contentis, necnon cum subrogatione in quibusvis vestris iuribus, etiam quoad quasi possessionem exigendi, in qua tunc eritis, integre persolvendas, servatâ tamen formâ constitutionis felicis recordationis Innocentii Papae XI praedecessoris nostri super translationibus pensionum editae, reservare, constituere et assignare valeant, auctoritate et tenore praedictis, de speciali gratiâ indulgemus.

Facultas testandi usque ad sexcentum ducatos et sine solemnitatibus.

§ 11. Nec non etiam vobis, ut de omnibus et singulis domibus, praediis, possessionibus et locis, ac iurisdictionibus, ceterisque bonis mobilibus et immobilibus, quae tamen non sint altaris seu altarium ecclesiarum vobis commissarum ministerio seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui seu usui deputata, seque moventibus, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii et conditionis existentibus, ac iuribus et actionibus ad vos ratione ecclesiarum, etiam cathedralium et metropolitanarum, quibus vos forsan praeesse contigerit, nec non monasteriorum, prioratuum, praepositurarum, dignitatum et aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, quae etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac aliàs quomodolibet obtinueritis, obtinetis et obtinebitis, et fructuum, reddituum et proventuum ecclesiasticorum, loco pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus, proventibus vobis reservatorum et assignatarum, ac reservandorum et assignandarum, quos et quas perceperitis, percipitis et percipietis in futurum, nec non emolumentorum quorumcumque Romanae Curiae officiorum et aliàs quomodolibet spectantibus et pertinentibus, ac etiam de dictis proventibus, fructibus, redditibus et pensionibus annuis, nec non undecumque, licite tamen, acquisitis et acquirendis, ac aliàs etiam de muneribus et officiis quae exercueritis et vos exercere contigerit, et aliàs quavis occasione vel causâ seu contemplatione ad vos perventis et perventuris, etiamsi in pecuniâ numeratâ et iocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dictâ curiâ quam extra eam ubique locorum etiam penes beneficia ipsa existentibus (quorum omnium qualitates etiam [1] annuos valores, etiamsi talia forent, quae generali appellatione bonorum et supellectilium [2] non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, praesentibus, ac si specifice et sigillatim exprimerentur et denominarentur, pro sufficienter expressis ac declaratis haberi volumus) usque ad summam sex millium ducatorum auri de Camerâ pro unoquoque vestrum, ac etiam ipsis fructibus, redditibus et proventibus et pensioni-

1 Particulam *si* delemus (R. T.).

1 Potius lege *et* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *seppellectilium* (R. T.).

bus debitis et debendis (servatâ tamen formâ constitutionum apostolicarum iam editarum, et si quas deinceps edi contigerit) super fructibus inexactis, etiam[1] cumulative, cum quibusvis aliis similibus vel dissimilibus facultatibus habitis et habendis, tam pro decentibus et honestis impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum qui vobis viventibus serviverint, etiam ultra servitii meritum, ac in vestrorum consanguineorum et affinium et[2] quorumcumque locorum piorum favorem et usum, ac aliàs pro arbitrio et voluntate vestris et cuiuslibet vestrum absolutis, testari, et testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus tam inter vivos quam causâ mortis, et aliis quibuscumque modis et titulis, scripturâ etiam minus solemni, coram duobus vel tribus testibus, aut etiam cedulâ solâ manu vestrâ scriptâ vel subscriptâ, et aliàs in omnibus et per omnia, prout quomodolibet vobis videbitur, etiam in ipsâ curiâ et in mortis articulo, etiam nullâ factâ mentione praesentis vel aliarum vobis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari seu disponere velitis et intendatis, semel iterum aut pluries disponere, statuere et ordinare, itaut quicquid testatum, gestum aut ordinatum, seu aliàs dispositum a vobis fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac aliàs, omni alio meliori modo valeat, servari debeat, ipsaque testamenta, codicilla et dispositiones, ordinationes, legata et statuta pluries, ac toties quoties vobis videbitur, moderari, limitare ac etiam in totum revocare, et alia de novo condere libere et licite valeatis, auctoritate apostolicâ, earumdem tenore praesentium, plenam et liberam concedimus facultatem.

1 Edit. Main. legit *iam* pro *etiam* (R. T.).
2 Vocem *et* nos addimus (R. T.).

Indultum in casu intestatae successionis aut minus validae dispositionis.

§ 12. Et insuper statuimus et ordinamus, vobisque indulgemus, quod, si vos ab intestato, et sine ullâ, vel cum minus validâ bonorum et rerum, ac fructuum, reddituum et proventuum praedictorum dispositione, in dictâ curiâ vel extra eam, tam continuâ quam interpolatâ inibi cuiuslibet vestrum respective mansione, ac etiam extra beneficia vestra, vel alia loca debitae a vobis residentiae personalis, ac etiam nullâ subsistenti causâ, ab humanis decedatis, omnia et singula bona, res et iura, etiam ut praefertur qualificata, necnon spolia cuiuscumque quantitatis et valoris existentia, etiam ex praedictis et aliàs undecumque provenientia[1], ad Cameram Apostolicam seu in dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad haeredes vestri sanguinis integre deveniant, et, illis deficientibus, inter familiares vestros, arbitrio personae seu personarum quas ad id scripto nominaveritis, distribuantur, nisi de aliâ dispositione vel intentione vestrâ scriptâ[2] etiam minus solemni secus appareret, quam tunc velut efficacem ipsae personae, vel alii iudices, seu executores, omnino exequi et adimplere, illique se conformare in omnibus et per omnia debeant. Et nihilominus quaecumque huiusmodi testamenta, legata, donationes, dispositiones et alia forsan a vobis, etiam nullâ vel minus sufficienti facultate suffultis, de huiusmodi bonis, iuribus et actionibus, fructibus, pecuniis, iocalibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum et affinium praedictorum, et aliàs quomodolibet facta, cum omnibus inde secutis, ac etiam ea, quae per vos in futurum fient, ex nunc, prout ex tunc, et e contra, pro dictâ summâ sex millium ducatorum approbamus et con-

1 Edit. Main. legit *pervenientia* (R. T.).
2 Forsan *scripto* legendum (R. T.).

firmamus, omnesque et singulos iuris et facti, ac solemnitatum omissarum et omittendarum, necnon substantiales aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint aut intervenerunt in eisdem, etiamsi tales sint vel fuerint, quod specialis, specifica et expressa de illis mentio praesentibus habenda esset, supplemus.

Inhibitio contra perturbatores.

§ 13. Districtius inhibentes quibuscumque archiepiscopis, episcopis, aut aliis ecclesiarum praelatis, necnon Camerae praedictae praesidentibus et clericis, ac eorum, necnon fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe, ac cruciatae sanctae, et aliis collectoribus et subcollectoribus, ceterisque cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existentibus, etiam quavis auctoritate et potestate fungentibus, sub excommunicationis maioris, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, ne universitates, collegia ac loca, et legatarios haeredes et personas, necnon testamentorum, voluntatum et ordinationum huiusmodi executores praedictos, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, molestare audeant quoquo modo vel perturbare.

Firmitas addita.

§ 14. Ac decernentes praedicta omnia et singula, praesentesque litteras, et testamenta, donationes, legata, ordinationes, derogationes, dispositiones, et alia quaecumque, necnon quae in praemissis facta sunt aut fieri contigerit tam vigore praesentis quam etiam aliarum concessionum vobis factarum et deinceps in genere et in specie faciendarum, cum inde secutis et secuturis, etiamsi vos intra curiam, aut in quacumque aliâ mundi parte extra ecclesias et beneficia personalem residentiam requirentia qualitercumque qualificata per vos nunc et pro tempore obtenta, etiam pro vestrâ solâ voluntate et nullâ subsistente causâ non residendi, ab humanis recedere contigerit, sub litteris recolendae memoriae Pii Papae IV praedecessoris nostri contra quoscumque episcopos, archiepiscopos et alios praelatos, necnon parochialium ecclesiarum rectores, ceterosque residentiae personali praedictae adstrictos, extra illam quomodocumque decedentes, VII kalendas decembris, pontificatus sui anno V, aut alio veriori tempore, emanatis, et sub quibuscumque aliis constitutionibus, aut revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, declarationibus apostolicis, cancellariae apostolicae regulis, ex quibuscumque causis, quantumcumque maximis, urgentibus et inexcogitabilibus, etiam in favorem fidei et divini cultus augmentum, ac consistorialiter, etiam a nobis et Sede praedictâ hactenus vel nunc et pro tempore factis et editis, minime comprehendi, sed semper ab illis excepta, et quoties emanata fuerint, toties in pristinum et validissimum statum, et etiam sub posteriori datâ etiam cum derogationibus et clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis irritantibusque et aliis decretis per vos eligendâ apponendis et latissime specificandis, reposita, restituta et plenarie reintegrata et de novo concessa validaque et efficacia fore, necnon perpetuâ firmitate subsistere, suosque plenarios et omnes effectus, quos de iure, stylo, consuetudine, aut aliàs quomodocumque sortiri poterunt, ac vim veri, legitimi, iurati, stipulati, validi et efficacis contractus inter vos ex unâ ac nos et Cameram praedictam ex alterâ partibus habere, ac etiam per promotionem ad ecclesiam cathedralem, etiam metropolitanam, aut translationem, vel aliam status et personae vestrae mutationem [1] cessare, nec per similes vel dissimiles gratias vobis concessas et concedendas

[1] Videtur deesse *non* (R. T.).

confundi, sed ipsis cumulative in omnibus et per omnia uti, et[1], si quid in unâ ex facultatibus huiusmodi defecerit, per aliam suppleri debere[2], nec haeredes, legatarios, ac loca, ad quos, seu quae, bona, iura et actiones huiusmodi devenerint, vel quibus relinquentur, aut executores praedictos, ad tertiam seu aliam eorum partem, quam etiam ex nunc vobis, ac locis, haeredibus, legatariis ac donatariis praedictis, liberaliter concedimus et donamus, Camerae vel fabricae aut beneficiis praedictis, etiam pro expeditione contra infideles, et quibusvis aliis quantumlibet piis usibus, solvendum, ac cum iis desuper componendum, vel vos ad aliam particularem licentiam sive indultum aut confirmationem praesentium a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus petendum aut impetrandum, vel etiam in aliâ simili gratiâ seu confirmatione illius, vobis quomodocumque concedendâ, de praesenti mentionem aliquam faciendam ullatenus teneri, nec ad id ullâ unquam necessitate cogi posse.

*Clausulâ sublata.*

§ 15. Et sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et eiusdem S. R. E. cardinales, necnon pro tempore existentes dictae Camerae camerarium, praesidentes et clericos, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

*Committitur executio.*

§ 16. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi et Portuensi cardinalibus episcopis, et dilecto filio curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, per apostolica scripta mandamus motu simili, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte vestrâ desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras, et in eis contenta huiusmodi, firmiter observari, ac vos illis omnibus pacifice frui et gaudere, non permittentes vos per quoscumque quavis auctoritate fungentes contra earumdem praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari, inquietari vel perturbari, contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super[1] habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

*Contrariorum derogatio.*

§ 17. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris pariter nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, necnon Lateranensis Concili' novissime celebrati de certo notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui pro hoc aliàs derogare non intendimus, ac de consensu praestando in pensionibus, et quibusvis aliis etiam per nos et Sedem praedictam editis et in posterum edendis cancellariae apostolicae regulis, ac stylo in similibus hactenus observato, ac recolendae memoriae Alexandri Papae VII

1 Particula *et* nos addimus (R. T.).
2 Edit. Main. legit *debuerit* (R. T.).

1 Deest vox *his* de more solito (R. T.).

etiam praedecessoris nostri tertiam partem bonorum ecclesiasticorum Camerae praedictae deberi inter alia disponente, necnon eiusdem Bonifacii Papae VIII, per quam concessiones fructus in absentiâ percipiendi sine praefinitione temporis fieri prohibentur, ac Pii Papae IV praedecessoris pariter nostri de gratiis qualecumque interesse Camerae Apostolicae concernentibus in dictâ Camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, ita quod praesentes in eâdem Camerâ nullo unquam tempore registrari facere teneamini, ac similis recolendae memoriae Urbani Papae VIII etiam praedecesoris nostri de pensionibus aliàs translatis iterum non transferendis, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et quibusvis aliis apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon legibus, etiam imperialibus et municipalibus, tam Urbis quam aliarum civitatum et locorum, in quibusvis[1] cives originarii creati existitis, et quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum et hospitalis praedictorum, necnon quorumvis collegiorum et officiorum dictae curiae, et regnorum, provinciarum et Urbis, ac aliarum civitatum et locorum ac Camerae praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, etiamsi, de illis servandis, et non impetrandis litteris apostolicis contra ea, nec etiam ab alio vel aliis impetratis, aut aliàs quomodolibet concessis, utendo, vos per vos vel procuratores vestros praestiteritis forsan hactenus, vel vos in posterum praestare contigerit iuramentum, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictis ecclesiis, monasteriis, Ordinibus et hospitalibus[1], illorumque praesulibus, seu administratoribus et superioribus, ac magistris, praeceptoribus, prioribus, militibus, etiam antianis, capitulis, conventibus, civitatibus et locis, aliisque praedictis, ac illorum communitatibus, civitatibus et locis, aliisque personis, etiam particularibus, necnon archiepiscopis, episcopis, et aliis Ordinariis, etiam eisdem cardinalibus, ac dictae Curiae officialibus, illorumque collegiis, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum, et onerum exactoribus et appaltatoribus, et aliorum onerum redemptoribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos et Sedem praedictam, etiam consistorialiter, ac de eorumdem cardinalium consilio, etiam per modum statuti et constitutionis perpetuorum, ac motu et scientiâ similibus, deque apostolicae potestatis plenitudine, vel ad imperatoris, regum, reginarum, ducum, marchionum et aliorum principum instantiam, seu illorum contemplatione, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, etiamsi in eis ac statutis et stabilimentis praedictis caveatur expresse vel tacite, quod Urbis, nisi originariis civibus Romanis ac civium eorumdem filiis conferantur, quodque nonnullarum ecclesiarum beneficia, nisi per personas illustres, vel nobiles, ac etiam originarios cives, aut aliàs certo modo in illis expresso qualificatos, obtineri non possint et nulli in cives Urbis, ac civitatum, oppidorum, terrarum et

1 Potius lege *in quibus vos* (R. T.).

1 Potius lege *hospitali* (R. T.).

locorum huiusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possint, nisi prius in dictis civitatibus, oppidis, terris et locis per certum tempus habitaverint, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possederint, quodque praeceptoriae et alia beneficia quaecumque dicti hospitalis, tam ex eius institutione quam ex stabilimentorum praedictorum dispositione[1], pensionibus, clericis saecularibus et aliis personis etiam apostolicâ auctoritate reservandis, gravari non possint, quodque stabilimentis et privilegiis praedictis, etiam vigore implicitae derogationis latissime extendendae, etiam per quascumque litteras apostolicas, et quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas clausulas, derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio huiusmodi de consilio cardinalium eorumdem fiat, et tum demum magistri et conventus praedictorum ad id accedat assensus, sintque litterae derogationis huiusmodi etiam per dictum magistrum subscriptae, ac illi et praefato conventui per diversas in formâ Brevis aut alias litteras diversis temporibus cum certis intervallis praesentatas intimatae, et non aliàs, nec alio modo, et semper in omnibus, quae sic fient etiam de simili consilio, derogationibus sit apposita clausula, quod illarum effectum sortiantur de consensu magistri et conventus praedictorum, et non aliàs nec alio modo, quodque ipsi exactores et appaltatores decimas, pedagia et onera huiusmodi etiam ab exemptis exigere, et illos ad solutionem seu contributionem cogere et compellere possint seu debeant; quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, in genere et in specie, ad effectum praesentium, sufficienter et expresse derogamus, ac derogatum esse decernimus; quodque vos primam non feceritis in ecclesiâ huiusmodi personalem residentiam consuetam; ceterisque contrariis quibuscumque.

Adimplenda ante usum notariatus.

§ 18. Volumus autem, quod, antequam gratiâ creationis in nostros et Sedis Apostolicae notarios vobis ut supra factâ perfrui valeatis, in manibus alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae professionem Fidei iuxta articulos pridem a Sede praedictâ propositos expresse emittere, et solitum fidelitatis iuramentum praestare omnino teneamini.

Fides transumptorum.

§ 19. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur in iudicio et extra, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Praesentes litterae non suffragantur praedecessorum familiaribus.

§ 20. Ceterum volumus pariter atque decernimus, ut illis ex vobis, quibus similes testandi de bonis ac pensiones transferendi facultates a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, quorum respective etiam familiares continui commensales erant, concessae fuerunt, praesentes litterae, quoad facultates testandi de bonis et transferendi pensiones huiusmodi, minime suffragentur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII ianuarii MDCXC, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 ianuarii 1690, pontif. anno I.

---

## IX.

*Conceditur ut indulgentia plenaria perpetua in ecclesiis Minorum Conven-*

1 Male edit. Main. legit *dispositiones* (R. T.).

*tualium die* II *augusti applicari possit animabus defunctorum* [1].

**Alexander Papa VIII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Praedicta indulgentia concessa fuit a Clemente X.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Clemens Papa X praedecessor noster omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, tam tunc erectis, quam imposterum quandocumque erigendis, et ubique locorum existentibus, die II mensis augusti a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi annis singulis devote visitassent, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haereticorum [2] extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessit, et aliàs, prout in ipsius Clementis praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die III octobris MDCLXX expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberius continetur.

Concessio applicationis dictae indulgentiae.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Antonius Fabozzi, procurator generalis dicti Ordinis, nobis nuper exponi fecit, indulgentiam plenariam et peccatorum remissionem, ut praefertur concessam, etiam animabus christifidelium defunctorum per modum suffragii applicari posse summopere desiderent [1]: nos, piis eiusdem Antonii procuratoris generalis, votis, hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, auctoritate nobis a Domino traditâ plurimum in Domino confisi, indulgentiam plenariam et peccatorum remissionem, christifidelibus praefatis supradictas ecclesias fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Conventualium die II mensis augusti ut supra visitantibus et praemissa peragentibus concessam, etiam christifidelium animabus, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse etiam perpetuo concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Clausulae.

§ 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX ianuarii MDCXC, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 ianuarii 1690, pontif. anno I.

1 Similis concessio facta fuit ab Innocentio XI Minoribus de Observantiâ et Reformatis constit. ed. MDCLXXXVII, die 22 ianuarii, pontif. XI; necnon Cappuccinis constit. ed. MDCLXXXIX, die 10 maii, pontif. XIII. Aliae indulgentiae Conventualibus concessae extant in Innocentii XI constit. ed. MDCLXXX, die 26 augusti, pontific. IV, et Innocentii XII constit. ed. MDCXCV, die 18 augusti, pontif. V.

2 De more solito legendum *haeresum* pro *haereticorum* (R. T.).

1 Forsan legendum *desideret* (R. T.).

## X.

*Extenditur senarius numerus magistrorum ad duodenarium pro provinciâ Baeticâ eremitarum sancti Augustini* [2].

1 Similis extensio pro provinciâ Peruanâ extat in Innocentii XI constit. ed. MDCLXXXVIII, die 22 ianuarii, pontif. XII; et pro provinciâ Quitensi in huius Pontificis constit. ed. MDCXC, die 30 aprilis, pontif. I.

**Alexander Papa VIII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium

Ex iniuncto nobis divinitus pastoralis sollicitudinis munere, sacrarum bonarumque litterarum studia, praesertim inter christifideles divinis obsequiis sub suavi religionis iugo addictos, opportunis rationibus fovemus et promovemus, ac, ut debitus virtuti honor rependatur, libenter providemus, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, rationi consentaneum esse in Domino arbitramur.

Species facti et causa extensionis de qua in rubricâ.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioseph Guerrero de Torres, frater expresse professus et assistens Hispaniarum Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini, quod aliàs[1] capitulum generale dicti Ordinis novissime in almâ Urbe nostrâ celebratum, inhaerens decreto dudum a Congregatione tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum die XIX novembris MDCLXXXII pro provinciâ Peruanâ eiusdem Ordinis edito, in quo, attento quod numerus fratrum dictae provinciae notabiliter excreverat, demandatum fuerat ut in capitulo generali Ordinis praefati, nunc proxime celebrando, de numero magistrorum dictae provinciae augendo ageretur, prout subinde decreti huiusmodi vigore dictum capitulum generale senarium eiusdem provinciae magistrorum numerum ad duodenarium extendendum esse sancivit, praefataque extensio a felicis recordationis Innocentio Papa XI praedecessore nostro per quasdam suas in simili formâ Brevis expeditas litteras, approbata et confirmata fuit; probeque considerans capitulum generale praefatum, easdem plenarie rationes etiam in provinciâ Baeticâ Ordinis supradicti, quae copioso pariter fratrum numero referta existit, sibi locum vindicare, de consensu venerabilis fratris nostri Palutii, episcopi Sabinensis, eiusdem S. R. E. cardinalis de Alteriis nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, duodecim imposterum esse magistros de numero dictae provinciae Baeticae illius amplitudini et aequitati maxime consentaneum censuit, si noster et huius sanctae Sedis desuper consensus accederet. Nobis propterea dictus Ioseph humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Extensio praedicta.

§ 2. Nos igitur, eiusdem Iosephi votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut de cetero senarius dictae provinciae Baeticae magistrorum numerus ad duodenarium, servatâ tamen in reliquis quoad praedicti Ordinis constitutiones nec non consuetudines et usus praefatae provinciae Baeticae praescriptâ formâ, augeatur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit, inviolabiliter in futurum in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causa-

[1] Sequens syntaxis inabsoluta manet (R. T.).

rum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus recolendae memoriae Sixti V et Clementis VIII Romanorum Pontificum, etiam praedecessorum nostrorum, de senario magistrorum numero, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et provinciae Baeticae praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXI ianuarii MDCXC, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 21 ianuarii 1690, pontif. anno I.

---

## XI.

*Praecipitur continuatio visitationis ecclesiarum et locorum piorum Urbis*[1].

**Alexander Papa VIII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Ab Alexandro VII instituta fuit congregatio visitationis et incoepta visitatio.

§ 1. Cum felicis recordationis Alexander Papa VII, praedecessor noster, circa pontificatus sui primordia pastoralem cleri Romani, omniumque almae huius Urbis ecclesiarum, piorumque locorum et operum visitationem instituerit, eamque ipsemet in patriarchalibus eiusdem Urbis ecclesiis inchoaverit, ac sibi in eo munere adiutores nonnullos ex sacro venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S. R. E. cardinalium collegio delegerit et assumpserit, eisque quosdam Romanae Curiae praelatos et alios subinde cardinales adiunxerit, qui visitationem ipsam peragerent, et negotia illa[1] concernentia expedirent, ac secretarium, iudicem, cancellarium, seu actuarium, commissarium et fiscalem, aliosque forsan officiales et ministros sacrae visitationis huiusmodi deputaverit, variasque eisdem cardinalibus, ac eorum et dictorum praelatorum congregationi, necnon officialibus et ministris praefatis facultates, praeeminentias, et indulta concesserit et impertitus fuerit, et aliàs, prout in diversis ipsius Alexandri praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis expeditas, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur; et (sicut accepimus) memorati quidem cardinales, unâ cum praelatis coadiutoribus suis, etiam recolendae memoriae Clementis IX, et Clementis X, ac Innocentii XI Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum iussu, visitationem huiusmodi, tam in eisdem patriarchalibus, quam in aliis collegiatis, et fere omnibus parochiali-

1 Indicta fuit postea nova visitatio apostolica ab Innocentio XII constit. ed. MDCXCIII, die 11 ianuarii, pontif. II.

1 Forsan *illam* (R. T.).

libus ecclesiis, ac in multis monasteriis regularium, tam virorum quam mulierum, necnon collegiis, hospitalibus, confraternitatibus et aliis locis piis dictae Urbis, postea prosecuti fuerint, salutaribusque monitis et decretis, ubi opus fuerit, providerint; visitatio tamen ipsa in omnibus ecclesiis ac locis et operibus piis praedictis nondum sit peracta, sed multa negotia eam concernentia adhuc pendeant indecisa:

Motu proprio praecipitur illius continuatio.

§ 2. Hinc est quod nos, pastorali studio considerantes quantopere visitatio huiusmodi utilis et necessaria sit, non modo ad tollendos abusus, sed etiam ad praecavendum ne deinceps introducantur, quantumque boni eis ex illâ hactenus provenerit, et, benedicente Domino, proventurum sit, si visitatio ipsa continuetur, ac in eâ, quae ad Dei cultum et gloriam animarumque salutem opportuna et conducibilia sunt, sicut hactenus factum est, in posterum quoque pie prudenterque statuantur, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, memoratam visitationem continuari, causasque indecisas in congregatione praedictâ pendentes, prout aequitatis atque iustitiae ratio suaserit, terminari; visitationes particularium ecclesiarum ac locorum et operum piorum iam inchoatas[1] absolvi, necnon ecclesias, ac loca et opera pia, tam hucusque visitata, quae iteratam visitationem exposcere videbuntur, quam nondum visitata, visitari, ceteraque omnia et singula, visitationem huiusmodi quomodolibet concernentia, fieri, geri, statui, et ordinari et exequutioni demandari debere, tenore praesentium decernimus et mandamus. Ac omnes et singulas facultates, privilegia, gratias, praeeminentias, praerogativas et indulta quaecumque praefatis cardinalibus et praelatis, eorumque congregationi, necnon omnibus et singulis officialibus et ministris supradictis, a memoratis Alexandro et Clemente IX, et Clemente X, ac Innocentio XI praedecessoribus, per suas respective litteras desuper emanatas, quovis modo concessa et attributa, per obitum eorumdem praedecessorum minime cessasse nec cessare, sed in suis robore et firmitate permanere, omnibusque et singulis praefatis respective adhuc competere et suffragari debere, decernimus pariter et declaramus. Et, quatenus opus sit, facultates, privilegia, gratias, praeeminentias, praerogativas et indulta eiusmodi eisdem cardinalibus et praelatis, eorumque congregationi, ac officialibus et ministris praedictis, in omnibus et per omnia prout eis respective a memoratis Alexandro, ac Clemente IX et Clemente X, ac Innocentio XI praedecessoribus concessa et attributa fuerunt, motu, scientiâ, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, denuo concedimus, tribuimus et impertimur.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, etiam cardinalatus honore fulgentes, aut aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae vel iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subre-

1 Edit. Main. legit *inchoata* (R. T.).

ptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, ad terminos iuris reduci, seu in controversiam revocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, necnon eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet, quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eius et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; non obstantibus praemissis, ac omnibus et singulis illis, quae memoratus Alexander praedecessor in suis litteris supradictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX februarii MDCXC, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 februarii 1690, pontif. anno I.

---

## XII.

*Statuitur ut clerici Congregationis Scholarum Piarum utantur calceis et tibialibus* [1].

**Alexander Papa VIII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Iuxta eorum constitutiones Scolopii incedere debebant denudatis pedibus: quod confirmatum fuit ab Alexandro VII et Clemente IX.

§ 1. Cum, sicut accepimus, per constitutiones Congregationis clericorum regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum apostolicâ auctoritate confirmatas expresse disponatur, quod clerici Congregationis praefatae pedibus discalceatis incedere debeant; ac felicis recordationis Alexander VII praedecessor noster per quasdam in simili formâ Brevis die XXVIII aprilis MDCLX expeditas litteras, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, institutum huiusmodi inviolate servari praeceperit; subinde vero recolendae memoriae Clemens Papa IX, etiam praedecessor noster, per suas pariter in formâ Brevis die XXIII octobris MDCLXIX expeditas litteras, quarum tenorem praesentibus itidem haberi volumus pro expresso, supradictas Alexandri praedecessoris litteras inconcusse observari mandaverit; verum experientiâ compertum fuerit

1 Oppositum praecipiebatur in ipsorum constitutionibus, quod confirmatum fuerat ab Alexandro VII constit. ed. MDCLX, die 23 aprilis, pontif. VI. De aliis privilegiis huius Congregationis vide Innocentii XI constit. ed. MDCLXXXVI, die 3 septembris, pontif. X, et Alexandri VIII constitut. ed MDCXCI, die 23 ianuarii, pontif II.

morem huiusmodi pedibus denudatis incedendi plurimum eorumdem clericorum valetudini obesse, aliaque exinde incommoda in laudabilium praefatae Congregationis institutorum perniciem resultare, adeout dictae Congregationis superiores calceorum usum plerisque ipsius Congregationis clericis pro conservatione eorum sanitatis, sive ob alias rationabiles causas, frequenter permittere cogantur, atque inde aliud ulterius in Congregatione supradictâ omnimodae in usu vestium conformitati tantopere in familiis regularibus commendatae praeiudicium inferatur:

Statutum praedictum de certis calceis et tibialibus.

§ 2. Hinc est quod nos, auditâ super praemissis dilecti filii nostri Gasparis S. R. E. presbyteri cardinalis Carpinei nuncupati in almâ Urbe vicarii in spiritualibus generalis et dictae Congregationis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris relatione, in eisdem praemissis opportune providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut de cetero omnes et singuli memoratae Congregationis clerici ubique locorum calceati incedant, ita tamen ut calcei sint nigri coloris, humilitatem et simplicitatem praeseferentes, ac proni sine ocullis, et clausi, non alio quam coreaceo eiusdem nigri coloris ligamine adstringendi, ac prominentiori calcaneo carentes, tibialia vero nonnisi ex lanâ nigri pariter coloris permittantur, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praefati Alexandri et Clementis praedecessorum litteris, aliisque ordinationibus et constitutionibus apostolicis, necnon dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII februarii MDCXC, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 februarii 1690, pontif. anno I.

---

## XIII.

*Confirmantur votum Congregationis particularis et chirographum super restitutione fructuum vicecancellario et summatori*[1].

1 Ab Innocentio XI constit. ed. MDCLXXIX, die 14 decembris, pontif. IV, segregata fuere officia vacabilia ab officio vicecancellarii; et ab

**Alexander episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Creditae nobis divinitus dispensationis ratio postulat ut iis, qui in sublimioribus ecclesiarum, praesertim Romanae Curiae, dignitatum gradibus constituti aliis praesidere noscuntur, pro munerum, quae sustinent, dignitate, necessaria competentium reddit0uum deesse non sinamus subsidia.

Ab Innocentio XI iterum concessa fuere Camerae Apostolicae dicta officia vacabilia.

§ 1. Dudum siquidem, cum aliàs felicis recordationis Innocentius Papa XI praedecessor noster, occasione vacationis officii vicecancellariatus S. R. E., quod bonae memoriae Franciscus episcopus Ostiensis eiusdem S. R. E. cardinalis Barberinus nuncupatus, dum viveret, obtinebat, per obitum dicti Francisci cardinalis, tunc non ita pridem sequutum, omnia et singula officia vacabilia, quae antea ad Sedis et Camerae Apostolicae dispositionem, tunc vero, ex[2] recolendae memoriae Sixti IV, Leonis X, Pauli III, ac Sixti V, et forsan aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum concessione, ad dictum vicecancellariatus officium, seu ad liberam illud pro tempore obtinentis dispositionem pertinebant, ab ipso vicecancellariatus officio dismembrasset et separasset, illaque omnia et singula sic a dicto officio dismembrata et separata, dum ipsa deinceps vacarent, Sedis praedictae, suaeque et suorum successorum Romanorum Pontificum dispositioni omnimode in perpetuum restituisset, prout in cedulâ motus eius proprii desuper sub datum XIX kalendas ianuarii, anno pontificatus IV, expediti plenius continetur; et subinde idem Innocentius praedecessor montem vacabilem Religionis nuncupatum duorum millium locorum erexisset et instituisset, et septies mille quadringenta septuagintaduo scuta monetae annuae, ex fructibus dicti officii vicecancellariatus, et officii summatoris litterarum apostolicarum, quod per eiusdem Francisci cardinalis obitum tunc etiam vacabat, fructibus accipienda, in partem dotis dicti montis vacabilis assignasset, prout in eius chirographo desuper die XII februarii MDCLXXXVI confecto etiam plenius continetur, atque ex his antiqui scriptorum vicecancellarii et summatoris officiorum redditus et proventus ita diminuti remansissent, ut non modo ipsorum vicecancellarii et summatoris officiorum praestantiae, sed et necessariis tantorum munerum oneribus plane impares reperirentur: nos in consistorio nostro secreto die XIV novembris MDCLXXXIX habito, in quo officia vicecancellarii et summatoris praedicta, adhuc tunc, ut praefertur, vacantia, dilecto filio nostro Petro eiusdem S.R.E. cardinali Ottobono nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre germano pronepoti, de venerabilium fratrum nostrorum dictae S. R. E. cardinalium consilio et assensu, concessimus, cum diminutioni redditu um et proventuum officiorum huiusmodi providere cuperemus, id nos nonnisi de consilio particularis congregationis virorum doctrinâ, pietate ac prudentiâ praestantium ex dictis fratribus nostris pro re huiusmodi examinandâ per nos deputandorum agere velle declaravimus, illud profecto dumtaxat, quod aequitati et honestati consonum esse visum fuisset, eâ in re decreturi. Quamobrem postea pro huiusmodi negotio discutiendo, scilicet an et quo pacto praenarratae fructuum et redditum incongruentiae consulendum esset, venerabiles fratres nostros Alderanum

Innocentio XII quamplures camerarii redditus aliis adscribuntur constit. ed. MDCC, die 13 augusti, pontif. IX.

2 Male edit. Main. legit *et* (R. T.).

episcopum Ostiensem Cybum, Flavium episcopum Portuensem Chisium, et Palutium episcopum Sabinensem de Alteriis, necnon dilectos pariter filios nostros Gasparem de Carpineo et Flavium Astalium dictae S. R. E. cardinales deputavimus. Quae sane particularis congregatio, negotio mature et attente examinato, cum fuisset in voto tenoris sequentis, videlicet: «Fuit in unanimi voto, quod, firmâ interim remanente dismembratione et separatione a praedicto cancellariatus officio, necnon assignatione et incorporatione Sedi Apostolicae officiorum vacabilium singillatim expressorum in motuproprio praedicti Innocentii XI, sub datum apud S. Petrum, XIX kalendas ianuarii, anno IV, restituantur praedictis officiis cancellariatus et summistatus litterarum apostolicarum, si Sanctitati Suae placuerit, omnes et quicumque fructus, proventus, obventiones et redditus, vigore chirographi per eumdem sanctae memoriae Innocentium XI signati sub die XII februarii MDCLXXXIV, a praedictis officiis dismembrati et in partem dotis montis vacabilis Religionis nuncupati assignati, constitutâ tamen eidem monti aliâ dote usque ad illius extinctionem iuxta modum et formam a Sanctitate Suâ praescribendum. Romae, die VIII decembris, MDCLXXXIX. — B. electus Hierosolymitanus, datarius »: hoc cum[1] supradictae Congregationis votum nobis placuisset: nos iuxta id fieri mandavimus, modumque et formam, quibus exequendum demandaretur praescripsimus, prout pariter continetur in nostro desuper confecto chirographo ten..is qui sequitur, videlicet:

Chirografo del Pontefice conforme al detto sin qui.

§ 2. «Monsignor Giuseppe Renato Imperiali, nostro tesoriere generale. Essendo sino dall'anno MDCLXXIX per la morte della bona memoria del cardinal Francesco vacati gl'offizi di vicecancelliere della santa Romana Chiesa e di sommatore delle lettere apostoliche, la santa memoria d'Innocenzio XI con suo moto proprio delli XIX gennaro MDCLXXX, o altro più vero tempo, dismembrò dal vicecancellariato la facoltà di potere liberamente disponere di molti offizi vacabili, che da diversi Pontefici gli erano stati assegnati, e da Sisto V confermati, ed anco di nuovo concessi; e gli uni ed assegnò alla Sede e Camera Apostolica ed a sè, ed alli Romani Pontefici suoi successori, alli quali volse che per l'avvenire spettassero ed appartenessero pienamente, stimando che in detto offizio di vicecancelliere resterebbe sufficientemente e congruamente provvisto con gli altri emolumenti soliti godersi da chi l'esercita, secondo il modo da prescriversi da lui nella collazione del detto offizio; quale però non ha mai conferito, nè dato alcuno provvedimento, ma insieme coll'offizio di sommista è restato vacante sino alla sua morte; bensì con suo chirografo delli 10 gennaro MDCLXXX deputò il dottor Antonino di Fiore, che sopraintendesse che li frutti, emolumenti, regalie ed utili delli detti offizi di vicecancelliere e sommista venissero fedelmente depositati nel Monte di Pietà di Roma a sua disposizione. E successivamente con altro chirografo delli XII febbraro MDCLXXXIV avendo eretto il Monte della Religione vacabile di frutto di scudi cinque per luogo, con condizione che in caso di vacanza non dovessero più vendersi, ma per la rata vacante restasse soppresso ed estinto, fra li assegnamenti, che diede al detto Monte per pagare i frutti, ordinò che le[1] rendite e proventi, che si cavano dalli detti offizi di vicecancelliere e sommista, si pagassero al detto

1 Aptius lege *hocce* pro *hoc cum* (R. T.).

1 Forsan *delle* (R. T.).

Monte Religione ed al suo depositario scudi sette mila quattrocento settantadue annui ogni bimestre la rata, quali però andassero diminuendo di mano in mano, sinchè succedeva la vacanza e respettivamente suppressione di qualche partita di detti monti ed a proporzione con gli altri assegnamenti di detto Monte. Ed avendo noi, dopo assunti al pontificato, considerato non essere conveniente, che questi offizî così importanti della Sede Apostolica restassero più lungo tempo vacanti, gli abbiamo[1] conferiti all'eminentissimo cardinale Ottobuono nostro pronepote; ed acciò abbia una congrua e sufficiente provvisione, giacchè il nostro antecessore non gli ha prescritto alcuna forma, come intenzionò in detto motoproprio, abbiamo deputato una Congregazione di più reverendissimi cardinali per sentire il loro parere, se convenga che restino gli offizî vacabili sopraddetti in quella forma dismembrati, o pure se debbano riunirsi al detto offizio di vicecancelliere, e così si debbano riunire agli offizî di vicecancelliere e sommista tutte l'altre entrate, e con quali modi e forma possa ciò praticarsi. Qual Congregazione avendo esaminato accuratamente il negozio sotto li x decembre passato unanimamente risolvè di rifferirci esser suo sentimento, che, restando ferma la dismembrazione dal predetto offizio di vicecancelliere e l'assegnamento ed incorporazione alla Sede e Camera Apostolica degli offizî vacabili contenuti nel motoproprio sopra espresso d'Innocenzio XI, se così a noi parerà, si restituiscano alli detti offizî di vicecancelliere e sommista intieramente tutti li frutti, proventi, rendite ed emolumenti, che in vigore del chirografo di detto Innocenzio XI delli XII febraro MDCLXXXIV furono da quelli dismembrati ed assegnati al Monte Religione vacabile in parte della sua dote ed assegnamento per il pagamento de'frutti sino alla sua estinzione, in quel modo e forma che a noi parerà di prescrivere; come più amplamente nel decreto, che attorno a ciò ne ha fatto. Ed essendo a noi piaciuto questo sentimento della Congregazione, vogliamo che gli si dia esecuzione nel modo infrascritto. Perciò di nostro motoproprio, certa scienza e pienezza della nostra potestà apostolica, avendo qui per espresso a sufficienza il motoproprio d'Innocenzio XI della dismembrazione del vicecancellariato dagli offizî vacabili, e l'assegnazione ed unione alla Sede e Camera Apostolica, l'assegnamento al Monte Religione delli scudi settemila quattrocento settantadue moneta annui dell'entrate del vicecancelliere e sommista, la somma che al presente si paga al detto Monte per le vacanze seguite, la vera somma delle altre entrate, proventi ed emolumenti delli medesimi offizî, ed ogni altra cosa necessaria da esprimersi, restando ferma la dismembrazione degli offizî vacabili dal vicecancellariato, e respettivamente l'assignazione alla Sede e Camera Apostolica, come si dispone nel detto motoproprio, sgraviamo, liberiamo ed assolviamo li detti offizî di vicecancelliere e sommista, e le loro entrate, emolumenti e proventi, dal giorno che da noi furono conferiti li detti offizî al detto reverendissimo cardinale Ottobuono, dal peso ed obbligo di pagare al Monte Religione vacabile li scudi sette milla quattrocento settantadue annui assegnatigli da principio, o quella somma che gli paga al presente o che gli sarebbe dovuta in avvenire a proporzione della diminuizione causata dalle vacanze e soppressioni di detto Monte,

[1] Edit. Main. legit *abbiano* (R. T.).

in maniera che li detti offizî e le loro entrate e proventi ed emolumenti ne restino affatto sgravati, liberati ed assoluti, e non siano più obbligati a pagare per questo conto cosa alcuna, nè a detto Monte e suoi montisti, nè al suo depositario *pro tempore*, ma tutte le dette entrate, proventi ed emolumenti, dismembrati in detto chirografo, siano e restino liberi e franchi del detto reverendissimo cardinale Ottobuono moderno vicecancelliere e sommista, e dei suoi successori in detti offizî, come erano avanti l'assegnazione fatta per detta somma di scudi settemila quattrocentosettantadue al detto Monte, e come se la detta assegnazione non fosse stata mai fatta; e per l'assegnamento che manca al detto Monte di detti scudi settemila quattrocento settantadue, o della somma che se gli paga adesso, o pure se gli dovrà pagare in avvenire, diminuita a proporzione della vacanza, vogliamo che gli sia pagato dalla nostra Camera, alla quale addossiamo ed imponiamo il peso di pagare la somma che di mano in mano gli sarà dovuta, finchè durerà il detto Monte, senza speranza di esserne rimborsata dalli detti offizî di cancelliere e sommista o dalle sue entrate, proventi ed emolumenti, o da possessori di detti offizî; qual pagamento vogliamo che si faccia con altre entrate della nostra Camera non assegnate ad altri Monti, che voi stimate più opportuno[1]. E per l'esecuzione delle cose suddette commettiamo a voi, che diate tutti quelli ordini, spediate mandati, e facciate tutte quelle spedizioni che saranno necessarie ed opportune, chè noi col presente ve ne diamo piena e libera facoltà in ampia forma; e così eseguirete: chè tale è mente e volontà nostra espressa. Volendo e decretando

1 Forsan *stimerete* (R. T.).

che il presente nostro chirografo, da ammettersi e registrarsi in Camera alla forma delle costituzioni apostoliche, vaglia ed abbia il suo pieno effetto, esecuzione e vigore, e non possa mai opporsegli d'obrezione, subrezione o difetto della nostra volontà ed intenzione, nè di qualsivoglia altro vizio o difetto sostanziale e formale, o di nullità per qualsivoglia capo, nè possa mai essere rivocato o ridotto *ad viam iuris*, ma debba sempre irrevocabilmente osservarsi dalla nostra Camera e suoi ministri, e così debba sempre giudicarsi da qualsivoglia giudice e tribunale, nessuno escluso, togliendo noi a tutti ed ad ogn'uno di essi la facoltà ed autorità di risolvere, decidere e giudicare in contrario, irritando ed annullando tutto ciò che in qualsivoglia modo si risolvesse, decidesse o giudicasse in contrario, ancorchè non siano stati sentiti il commissario della nostra Camera, i ministri del Monte Religione vacabile e suo depositario, ed ogn'altro che in qualunque modo ne avesse o potesse avere interesse; non ostante l'erezione del Monte Religione vacabile, l'assegnamento di detti scudi sette[1] mila quattrocento settantadue dell'entrate suddette per il pagamento de'suoi frutti, le Costituzioni di Simmaco, Gregorio IX, Alexandro VI, Paolo II e Paolo IV, ed altri Pontefici nostri predecessori *De rebus Camerae non alienandis*, la regola *De iure quaesito non tollendo*, e qualsivoglia altra costituzione ed ordinazione apostolica, nostra e de'nostri antecessori, qualunque decreto, statuto, uso, stile e consuetudine, e qualsivoglia altra cosa che in qualunque modo facesse in contrario: alle quali tutte e singole cose, avendo il loro tenore qui per espresso, per questa sola volta, ed a quest'effetto, de-

1 Male edit. Main. legit *settanta* (R. T.).

roghiamo. Dato nel nostro palazzo apostolico di Monte Cavallo, questo di XXVIII gennaro MDCXC. – ALEXANDER Papa VIII.

Confirmatio relati voti cardinalium et chirographi Pontificis.

§ 3. Hinc est quod nos, firmiori praemissorum robori et efficaciae per[1] nostras litteras, quas sub plumbo expeditum iri in nostris concessionis[2] praedicti vicecancellariatus officii, dicto Petro cardinali, ut praefertur, factae, litteris innuimus seu significavimus, providere volentes, ac motusproprii et chirographi praedictorum eiusdem Innocentii praedecessoris tenores et datas, etiam veriores, aliaque quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis ac exactissime specificatis habentes, motu simili, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione merâque liberalitate nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertum votum dictae Congregationis et chirographum nostrum subinde in plenâ Camerâ die XIII ianuarii currentis anni exhibitum et die X februarii eiusdem anni admissum et registratum, cum omnibus et singulis in eis contentis et inde secutis quibuscumque, tenore praesentium confirmamus et approbamus, ac nos rata grataque habere declaramus, illique inviolabilis et apostolicae firmitatis vim, robur et efficaciam adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti et solemnitatum quarumcumque, tam ex iuris communis et constitutionum apostolicarum, necnon decretorum etiam cameralium et consistorialium et Camerae et Cancellariae et summistatus officiorum huiusmodi, aliorumque quorumvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratorum, statutorum et consuetudinum praescripto, ac de stylo et usu, seu aliàs quomodolibet, in similibus et de necessitate observandarum, et alios quoscumque, etiam quantumvis magnos et formales, ac substantiales et inexcogitatos, quam inexcogitabiles defectus, etiamsi tales sint, ut nonnisi factâ eorum specificâ mentione sanari possint, si qui in eisdem praemissis vel eorum aliquo principaliter vel accessorie, antecedenter, concomitanter vel subsequenter, seu aliàs quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censeri vel praetendi posset, plenissime et amplissime supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus, perimimus et abolemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras, ac in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque ministri et officiales dictae Camerae nostrae Apostolicae, et alii, cuiuscumque gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specifica et individua expressione digni, in eisdem praemissis interesse habentes seu habere praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea citati, vocati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanaverint, adductae, specificatae et iustificatae fuerint, et ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, piâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, alioque quomodolibet et quantumvis magno et substantiali, ac inexcogitato et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, modificari, limitari, infringi, retractari, in ius vel controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti, gratiae

1 Praeposit. *per* nos addimus (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *concessionibus* (R. T.).

vel iustitiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac eisdem Petro cardinali, eiusque in vicecancellarii et summatoris officiis successoribus, in omnibus et per omnia plenissime et validissime suffragari, sicque et non aliter in omnibus et singulis praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam eiusdem S.R.E. cardinales, etiam de latere legatos ac nuncios, necnon causarum palatii apostolici auditores, ac dictae S. R. E. camerarium, necnon praedictae Camerae Apostolicae clericos, praesidentes, thesaurarium generalem, commissarium et alios officiales, ceterosque quoscumque, etiam quavis auctoritate, potestate et praeeminentiâ fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 5. Non obstantibus praedicto dicti Innocentii praedecessoris chirographo, necnon, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, aliisque iuris et dictae Cancellariae regulis, et piae memoriae Simmachi, Gregorii IX, Alexandri VI, Pauli II et Pauli IV et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae, Camerae et Sedis huiusmodi non alienandis et alienatis recuperandis, et sanctae memoriae Pii PP. etiam IV similiter praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse dictae Camerae concernentibus in eâdem Camerâ infra certum tunc expressum tempus exhibendis et registrandis, itaut praesentes litteras ibidem exhiberi et registrari nunquam necesse sit, aliisque quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in synodalibus, provincialibus, universalibus et generalibus conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus, ac Cancellariae et Camerae praedictarum, aliisque quibuscumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, et decretis cameralibus et consistorialibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam Camerae et Cancellariae praedictis, eiusque collegiis, eorumque ministris et officialibus, aliisque personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, et aliâs quomodolibet in contrarium eorumdem praemissorum concessis, confirmatis et pluries approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice duntaxat, specialiter et expresse, motu, scientiâ et potestatis

plenitudine paribus, derogamus et derogatum esse volumus, eaque omnia, quae eisdem praemissis obesse aut eorum executionem et effectum retardare possent, omnino tollimus et abrogamus, et pro sublatis et abrogatis haberi volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXC, idibus martii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 martii 1690, pontif. anno I.

---

## XIV.

*Conceduntur indulgentiae christifidelibus in Indiis existentibus, et presbyteris Societatis Iesu facultates plurimae impertiuntur*[1].

**Alexander Papa VIII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Preces praepositi generalis Societatis Iesu.

Animarum saluti[2] paternâ charitate intenti, supplicationibus dilecti filii Thyrsi Gonzales Societatis Iesu praepositi generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac multorum praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi:

Indulgentia plenaria conceditur pro christifidelibus omnibus.

§ 1. Omnibus christifidelibus in quibuscumque Oceani Indiis aut Sinarum regione vel Brasiliâ constitutis, praesentibus et futuris, vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, quoties aliquem ex infidelitate et idololatriâ ad veri Dei cognitionem reduxerint, plenariam; nec non eisdem, etiam vere poenitentibus et confessis, die[1] S. Thomae apostoli in Indiis praedictis, vel aliquam ex certis dilectorum filiorum presbyterorum Societatis Iesu ecclesiis illarum partium Deo vel in honorem Sanctorum erectis, necnon omnes et singulas huiusmodi ecclesias collegiorum, domorum et residentiarum eiusdem Societatis regionum praefatarum saltem inter se per centum milliaria distantes, ut supra erectas, singulis annis quatuor diebus festis Domini nostri, B. Mariae Virginis, aut Sanctorum, per dictae Societatis praepositum generalem designandis, visitantibus, et inibi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumentibus, ac pro gentilium et haereticorum conversione pias ad Deum preces fundentibus, etiam plenariam; omnibus etiam et singulis tam[2] presbyteris quam aliis de dictâ Societate existentibus, quos in qualibet utriusque Indiae regione vel Oceani insulâ aut navigatione pro Fidei negotio eundo vel redeundo mori contigerit, in cuiuslibet eorum mortis articulo, saltem contritis et confessis, si communicare nequiverint, plenariam pariter;

Item pro presbyteris aliisque Societatis Iesu.

Necnon pro scholaribus adscriptis confraternitati B. M. V., et pro aliis confraternitatibus.

§ 2. Scholaribus vero in utrâque Indiâ existentibus ac confraternitati B. M. V. ibi canonice institutae adscriptis, qui in Annunciationis et Assumptionis ipsius B. M. V. festis dictum sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, et coronam vel tertiam partem Rosarii recitaverint, necnon utriusque sexus christifidelibus aliquam[3] ex confraternitati-

1 Aliae indulgentiae Societati Iesu concessae extant in Alexandri VII constit. editâ MDCLXIII, die 18 iulii, pontif. IX, et Innocentii XII const. ed. MDCXCV, die 3 iulii, pontif. V. Alias vero facultates habes in Innocentii X constit. editâ MDCXLVII, die 14 maii, pontif. IV; item in Alexandri VII constit. editâ MDCLIX, die 22 februarii, pontif. IV, et Innocentii XII constit. editâ MDCXCIII, die 1 septembris, pontif. III.

2 Confer similem Clementis IX constitut. in tom. XVII pag. 750 (R. T.).

1 Vox *die* aptius deest in loc. parall. (R. T.).

2 Voce *tam* addimus ex loc. parall. (R. T.).

3 Male edit. Main. legit *aliarum* pro *aliquam* (R. T.)

bus, canonice erigendis ingressis, qui in festivitate SS. Corporis Christi et illius octavâ, poenitentes similiter et confessi, idem Eucharistiae sacramentum sumpserint, et in cuiuslibet eorum utriusque sexus christifidelium mortis articulo, etiam poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, vel saltem contritis, si confiteri et communicari non potuerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

*Indulgentia decem annorum et alia trium pro dictis scholaribus.*

§ 3. Insuper dictis scolaribus huiusmodi confraternitati adscriptis, qui in singulis eiusdem B. Mariae Virginis, ac Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis Domini nostri Iesu Christi festivitatibus, confessi et contriti, praemissa peregerint, decem annorum de iniunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis; eis quoque, qui in singulis diebus veneris cuiuslibet Quadragesimae devote processionibus publicis in partibus et locis transmarinis ad orandum pro conversione gentilium et haereticorum praefatorum iuxta ritum Ecclesiae Romanae institutis interfuerint, trium annorum; reliquis vero omnibus eisdem processionibus praesentibus, contritis et confessis, unius anni indulgentiam elargimur.

*Indulgentia unius anni pro omnibus.*

*Indulgentia plenaria pro defunctis.*

§ 4. Quodque [1] pro animabus eorum christifidelium, qui in praefatis utriusque Indiae navigationibus pro negotio Fidei instituendis ab humanis in charitate Christo coniuncti decesserint, confessi ac sacrâ communione refecti, tertiam partem Rosarii aut unam coronam recitaverint, quoties id agent, toties per modum suffragii unam ex dictorum animabus a poenis Purgatorii liberare valeant;

*Privilegium scholarium tempore interdicti.*

§ 5. Quodque scholares utriusque Indiae huiusmodi, qui in scholis presbyterorum dictae Societatis dant operam litteris, in presbyterorum eorumdem ecclesiis missas vel alia divina officia tempore interdicti et cessationis a divinis, ipsique presbyteri iisdem scholaribus praesentibus, ianuis clausis et non pulsatis campanis, et dummodo ipsi causam huiusmodi interdicto non dederint, et interdictis ac excommunicatis exclusis, audire et celebrare respective possint, concedimus et indulgemus.

*Indulgentia quadraginta dierum, et alia septem annorum ac totidem quadragenarum pro omnibus.*

§ 6. Insuper praefatis omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus in Indiis et regionibus praedictis existentibus, qui contriti et confessi quamlibet ecclesiam et cappellam in eisdem partibus dictorum presbyterorum Societatis Iesu curâ et operâ ut supra erectam, aut in futurum erigendam, devote visitaverint, et ut supra oraverint, quadraginta dies, et semel quolibet anno, aliquo die festo Domini nostri Iesu Christi, B. Virginis Mariae, aut Sanctorum, quam provincialis dictae Societatis constituerit, septem annos et totidem quadragenas;

*Indulgentiae stationum Urbis pro omnibus.*

§ 7. Eisdem, qui aliquam ex praedictis ecclesiis dictorum presbyterorum Societatis Iesu, Quadragesimae et aliis temporibus stationum Urbis, dominicis et feriâ sextâ diebus visitaverint, easdem omnes et singulas indulgentias concedimus, quas consequerentur si ecclesias et basilicas Urbis in diebus stationum huiusmodi devote visitarent; illisque, qui singulis diebus feriae sextae primae hebdomadae cuiuscumque mensis easdem ecclesias devote visitaverint, et ibi quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro exaltatione fidei catholicae recitaverint, septem annos; in festis vero Domini nostri Iesu Christi, ac Beatae Virginis, Apostolorum, sub cuius titulo ecclesia consistet, decem annos; his autem, qui aliquam ex di-

*Indulgentia septem, decem, et viginti annorum pro omnibus.*

1 Potius lege *Quod qui* (R. T.).

ctis ecclesiis, postquam confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, visitaverint, toties viginti annos;

*Indulgentia septem annorum ac totidem quadragenarum et aliae viginti quinque, quinquaginta ac centum dierum, pro omnibus.*

§ 8. Ac eisdem christifidelibus utriusque Indiae et transmarinorum limitum, qui processionibus et precibus iuxta ritum S. R. E. a praedictis presbyteris de Ordinariorum licentiâ instituendis et agendis Indorum et Æthiopum seu quorumvis aliorum neephytorum et aliorum christianorum interfuerint, et eas associaverint, christianam doctrinam cum eisdem presbyteris vel ab eis deputatis recitaverint vel privatim docuerint, quoties id fecerint, septem annos et totidem quadragenas; invisentibus autem infirmos, et praesertim Indorum hospitalia, xenodochia et alia similia loca pia, ipsis etiam infirmis per se vel alium ministrando, singulis diebus quibus id fecerint, viginti quinque; qui vero, ad infirmos accedentes, ibi pernoctaverint, quinquaginta; eis etiam qui coram B. Mariae imagine, ab almâ Urbe ad collegium civitatis Limae in Perù (ut asseritur) delatâ, tertiam Rosarii partem vel coronam recitaverint, centum similiter dies de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus, ac respective concedimus et indulgemus.

*Facultas pro presbyteris Societatis Iesu permittendi matrimonia inter consanguineos*

§ 9. Praeterea eiusdem Societatis Iesu provincialibus, vel ab eis deputandis presbyteris, cum neophytis provinciarum utriusque Indiae aliarumque[1] maris Oceani regionum, in quibus inter infideles fideles existunt, et non adsunt Ordinarii similem facultatem habentes, vel ultra duas dietas, iuxta constitutionem felicis recordationis Pauli III editam, existunt, in quocumque, seu quibusvis, non tamen in primo consanguinitatis vel affinitatis, gradibus vel aliàs coniunctis seu se attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant, in foro conscientiae tantum, gratis tamen, dispensandi[1]; et insuper ibidem locorum Ordinariis, ut de presbyterorum eorumdem tamquam adiutorum et assessorum suorum in locis praedictis, et ubi eorum commode potuerit haberi copia, consilio, et cum illis, etiam in iudiciali foro; in reliquis autem provinciis praefatis Ordinariorum praesentiâ destitutis, vel ab eis ultra duas dietas praedictas non minus ducentis millibus passuum remotis, provincialibus et deputatis presbyteris praedictis, cum eisdem neophytis, non tamen in primo gradu, in utroque foro gratis dispensandi, et eos, qui in gradibus prohibitis huiusmodi etiam scienter contraxerint, ab excessibus et excommunicationis[2], aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, in utroque foro gratis pariter absolvendi, ac prolem inde susceptam legitimam decernendi;

*Sumendi fragmenta eucharistiae post sacrificium.*

§ 10. Necnon ipsis presbyteris in iisdem Indiis et locis praedictis constitutis, quibus aliqua Eucharistiae fragmenta seu minutia pro tempore intercideerint, etiam post peractum sacrificium, absque ullo conscientiae scrupulo, iuxta rubricas missalis romani reverenter sumendi;

*Absolvendi a peccatis et censuris.*

§ 11. Insuper presbyteris eiusdem Societatis Iesu, quos in Saracenorum et aliorum infidelium terras et alias utriusque Indiae et transmarinas regiones maris Oceani, ad quas Hispani et Lusitani penetrant, ac provincias remotissimas, ubi non est Inquisitio et fideles inter infideles degunt, neque Ordinarii saltem intra duas dietas existunt huiusmodi facultatem habentes, praepositus generalis miserit, christianos in eisdem provinciis,

1 Male edit. Main. habet *aliorumqne* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *dispensandis* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *ab accessibus et communicationibus* (R. T.).

Indiis et regionibus commorantes, ab omnibus peccatis, sententiis et censuris, etiam in Bullâ Coenae Domini contentis et reservatis, etiam gratiose absolvendi facultatem;

Concionandi, confessiones audiendi et missas celebrandi.

§ 12. Eisdemque, ut, semel ab aliquo illarum partium episcopo approbati ad praedicandum, confessiones audiendas et missas celebrandum in ecclesiis et oratoriis Societatis Iesu praedictae, pro ministeriorum huiusmodi exercitio ulterius licentiam et approbationem ab aliis episcopis, quatenus distent ultra duas dietas, petere seu habere minime teneantur, sed absque illis praemissa facere possint[1]; si vero episcopus ab ecclesiâ, vel loco ubi praedicatur vel confessiones audiuntur, non distet ultra praedictas duas dietas, tunc licentia etiam alterius Ordinarii ita vicini prius obtineri debeat, quae tamen per epistolam etiam impetrari possit;

Celebrandi in altari portatili extra locum et tempus, necnon utendi oleis sanctis antiquis.

§ 13. Possint etiam extra ecclesias consecratas super altaribus portatilibus, in loco tamen decenti, ubi non est commoditas ecclesiarum, et in casu necessitatis tantum, etiam per horam ante lucem vel etiam post meridiem, in eisdem regionibus, cum opus fuerit, celebrare, et in Maluco, Giappone et aliis insularum, terrarum, provinciarum, et locorum praedictorum partibus et locis, a quibus valde remoti sunt episcopi, oleis sanctis, per duos, vel tres, aut quatuor annos ante consecratis, libere uti possint;

Applicandi missas defunctorum per modum suffragii.

§ 14. Necnon ut quicumque ex praedictis presbyteris Societatis praefatae tantum sacrosanctum missae sacrificium defunctorum pro animabus christifidelium, qui ex hac vitâ in charitate Christo coniuncti decesserunt, in singulis ecclesiis Societatis Iesu, ad unum, illorum superiorum arbitrio semel deputandum, altare celebraverint, per modum suffragii iisdem animabus prosint.

Solvendi a voto castitatis.

§ 15. Postremo iisdem presbyteris a praeposito generali ex dictâ Societate deputandis, ut in praedictis regionibus, provinciis et locis, in quibus similiter fideles cum infidelibus vivunt, et non adsunt Ordinarii qui huiusmodi facultatem habeant, qui[1] distant ultra duas dietas, cum neophytis, aliisque ad fidem reductis, ex rationabili causâ et legitimâ, super voto castitatis, non tamen solemni quomodolibet etiam per ordinis sacri susceptionem vel professionis regularis in religione per Sedem Apostolicam approbatâ emissionem facto, et super matrimonio de facto et in facie Ecclesiae sive scienter sive ignoranter contracto, et quovis occulto impedimento, praeter primi gradus, propter quod tale matrimonium in conscientiâ esset invalidum, et contrahentes sine scandalo separari non possent, dispensandi, gratis tamen et in foro conscientiae tantum; ac super bonis male acquisitis, ad quae restituenda ipsi neophyti et alii praefati incertis[2] personis obligati extiterint, cum eis ad opera pia componendi, vel, si ipsi indigerent, in toto vel in parte remittendi; necnon cum Indis, in foro conscientiae tantum, et cum neophytis in utroque foro, super ieiuniis, gratis tamen, dispensandi; necnon ob onere petitionis debiti matrimonialis, quando non esset licitum illud ratione voti castitatis vel aliâ rationabili causâ petere, in foro conscientiae tantum et gratis liberandi, licentiamque legendi libros infidelium de licentiâ sui provincialis personis dignis concedendi, licentiam et facultatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, respective concedimus et impartimur.

(Marginal notes to § 15: Dispensandi supra impedimentis matrimonii. — Permittendi bona male acquisita. — Liberandi a ieiuniis et super petitione debiti matrimonialis. — Dandi licentiam legendi libros infidelium.)

1 Edit. Main. legit *possit* (R. T.).

1 Forsan *quia* aut *vel* legendum (R. T.).

2 Ed. Main. legit *in certis*, et ita etiam nos edidimus ex Main. tom. XVII, pag. 753 *b* (R. T.).

Celebrandi missas et suscipiendi ordines sacros ante tempus.

Missas quoque per horam ante auroram ipsi patres Societatis celebrare possint, ac cum suis regularibus, ut ad sacros etiam presbyteratus ordines per annum ante legitimam aetatem promoveri possint, dispensare valeant, similiter concedimus.

Qui veniant neophytorum nomine quorum gratia datae sunt dictae facultates

§ 16. Et insuper, quia a nonnullis dubitatum seu haesitatum fuit an omnes indigenae illarum regionum oriundi et naturales, et christianorum indigenarum etiam baptizatorum filii etiam in eorum infantiâ baptizati, iure neophyti appellari possint; idcirco tenore earumdem praesentium decernimus et declaramus, omnes oriundos seu naturales supradictorum omnium tam orientalium quam occidentalium partium, imo etiamsi Æthiopes, Angulani vel quarumvis aliarum transmarinarum regionum, etiamsi christianorum filii et in infantiâ baptizati, vel etiam inter se vel cum Europaeis mixtim progeniti sint, ad concessionis huiusmodi effectum, esse et intelligi debere neophytos, dictosque presbyteros cum huiusmodi, vel ut matrimonio coniungi, vel in iam contracto remanere possint, sive eorum alter tantum, sive etiam uterque inde oriundus ac proprie indigena sit in locis, aliàs ut supra, in quibuscumque consanguinitatis vel affinitatis gradibus iure divino ut supra non prohibitis, primo excepto, et aliàs ut praefertur, gratis tamen, dispensare posse concedimus et indulgemus; quin etiam, quia de mixtim progenitis, quos *mixtos*[1] vocant, maius dubium accepimus, cum eisdem mixtis, quos similiter ad hunc effectum neophytos censendos esse decernimus, in gradibus et matrimoniis contractis et contrahendis praedictis, gratis tamen, dummodo non ita facile id fiat, dispensare; eisdemque presbyteris facultatem desuper concedimus opportunam.

1 In loc. parall. legitur *mestisos* (R. T.).

Clausulae.

§ 17. Decernentes, presbyteros dictae Societatis super praemissis et aliis, iuxta facultates praedictas et illarum vigore, servatâ tamen illarum formâ, exequendis, ex quovis alio praetextu vel quovis colore per quoscumque loci Ordinarios, seu alios superiores et iudices ecclesiasticos et saeculares quavis auctoritate fungentes, molestari, perturbari vel inquietari nullatenus posse; sicque in praemissis per quoscumque iudices, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium remotio.

§ 18. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, nostrâ[1] de non concedendis indulgentiis ad instar, statutis et consuetudinibus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium duratio.

§ 19. Praesentibus ad viginti annos, a fine aliorum viginti annorum, ad quos similes gratiae a felicis recordationis Clemente Papa IX praedecessore nostro concessae fuerunt, inchoandos, tantum valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX martii MDCXC, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 martii 1690, pontif. anno I.

---

## XV.

*Confirmantur quaedam decreta capituli generalis Minorum Conventualium.*

**Alexander Papa VIII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

In supremo militantis Ecclesiae solio per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam nullo licet meritorum nostro-

1 Edit. Main. legit *nostrae* (R. T.).

rum suffragio constituti, ea, quae pro salubri eorum qui Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipati sunt directione ac felici gubernio provide prudenterque constituta sunt, ut firma semper atque inviolata persistant, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter roboramus.

Expositio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioseph Maria Bottari minister generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, quod in capitulo generali dicti Ordinis mense maio proxime praeterito in almâ Urbe nostrâ celebrato edita et facta fuerunt nonnulla decreta tenoris qui sequitur, videlicet:

*Decreta noviter edita a definitorio generali fratrum Minorum Conventualium S. Francisci Romae celebrato sub die* XXIX *maii* MDCLXXXIX *in conventu Ss. XII Apostolorum.*

De residentiâ regentium, lectorum, collegialium et studentium.

« Decernitur et statuitur, quod tam regentes, quam lectores, collegiales et studentes semper in propriis gymnasiis residere teneantur, nec unquam quacumque occasione seu praetextu ab ipsis studiis et lectionibus discedere et deficere eis liceat absque evidenti necessitate seu legitimâ causâ a solo ministro generali cognoscendâ, cui soli liceat concedere etiam per modicum tempus, donec tantum urgeat necessitas, extra propriam residentiam morari, et non alteri cuiuscumque gradus et superioritatis fuerint, excepto tamen tempore Quadragesimae et illarum tantum feriarum, quae a sacris constitutionibus Ordinis conceduntur. Qui secus fecerint, in privationem suorum officiorum et studiorum ipso facto incurrant absque aliâ declaratione; nec possint, sub eisdem poenis, provinciales ministri et superiores conventuum praedictos regentes, lectores et studentes quavis causâ a residentiâ et exercitiis scholasticis distrahere aut dispensare; imo suo muneri deficientes severe corripere et punire teneantur, ac etiam, si correctionibus non paruerint, a studiis reiicere, ministro tamen generali consulto.

De titulo patris provinciae.

» Quod non promoveantur nec acceptentur ad paternitatem provinciae, sive ex munere regentiae sive praedicationis, qui cursum non compleverint a sacris Ordinis constitutionibus et aliis pontificiis sanctionibus praescriptum, et respective a decretis aliàs emanatis a generali definitorio, ita quod ad eamdem paternitatem provinciae obtinendam valeant suffragare solum illae regentiae et lectura, et sic pariter illa exercitia concionum quadragesimalium laudabiliter completa in illis tantum civitatibus et locis et per integrum tempus annorum, prout ab ipsis constitutionibus, decretis pontificiis, seu aliis generalis definitorii praescribitur, nec aliter liceat ministro generali pro tempore, seu per litteras patentales, seu quocumque alio modo, patres provinciae instituere aut declarare, et quaecumque institutio, contra praedictas sanctiones quomodolibet facta, in posterum invalida et nulla sit et illegitime instituta; etiamsi a definitorio provinciae acceptarentur, totum sit irritum et inane; nec ullo paternitatis, provinciae titulo, aut privilegio gaudeat[1].

De receptione ad habitum.

» Ministri provinciales quarumcumque provinciarum, necnon custos sacri conventus Assisiensis, nullo modo ad habitum religionis quemlibet alterius provinciae admittere audeant, nisi prius accedat consensus in scriptis et beneplacitum procuratoris provincialis nativae provinciae; aliàs acceptatio nulla sit et invalida, et transgredientes privationem suorum officiorum incurrant.

1 Aptius lege *gaudeant* (R. T.).

De laureâ magistrali et gradu collegialis.

» Ad lauream magistralem nemo possit admitti, nisi iuxta formam constitutionum Ordinis, praevio collegio, ubi laudabiliter in omnibus scholasticis exercitiis profecerit, publicas theologicas theses egregie sustinendo, et privatis conferentiis in scholis et lectionibus assidue per totum triennium se exercendo; de quibus omnibus iuratam fidem in scriptis superiorum localium et suorum regentum obtinere teneantur, sine qua nequeant a ministro generali lauream obtinere. Qui superiores et regentes caute et secundum conscientiam procedant, et tales fides negligentibus, qui in studiis non profecerint, denegare teneantur, sub poenis ministri generalis arbitrio reservatis, etiam privationis officiorum. Ita pariter nemo valeat ad collegia vocari, nec admitti, nisi prius publice theologiae theses laudabiliter sustinuerint, fidemque iuratam superiorum et regentum illorum studiorum, ubi fuerint morati, exhibeant a ministro generali diligenter examinandam, sine qua nequeat generalis minister ullum ad collegium admittere; sicut pariter neminem possit collegialis gradu condecorare, nisi prius a pluribus examinatoribus coram eminentissimo et reverendissimo protectore Ordinis et ipso generali ministro fuerit in totâ philosophiâ et saltem duobus tractatibus theologiae diligenter examinatus et tali gradu dignus iudicatus, ipso Ordinis protectore consulto; sicut etiam nemo ex ultramontanis et ultramarinis provinciis ad lauream magistralem possit admitti, nisi servatâ formâ privilegiorum Summorum Pontificum, praevio rigoroso examine, et propriae provinciae definitorio annuente ».

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioseph Maria minister generalis decreta huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, specialem ipsi Iosepho Mariae gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac auditâ super praemissis venerabilis fratris nostri Flavii episcopi Albanensis S. R. E. cardinalis Chisii nuncupati, memorati Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, relatione, decreta praeinserta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque[1] inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes praeinserta decreta ac easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Edit. Main. legit *illique* (R. T.).

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, eiusque provinciarum et conventuum quorumvis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 10. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v aprilis MDCXC, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 aprilis 1690, pontif. anno I.

---

## XVI.

*Erigitur oppidum de Nankim, Machaonensis dioecesis, in civitatem, eiusque ecclesia in cathedralem, et regi Portugalliae ius patronatus et praesentandi conceditur*[1].

1 Similis erectio extat in Innocentii XI constitutione edit. MDCLXXVII die 29 septembris, (vel *augusti*) pontificatus I (male ed. Main. legit II); et in huius Pontificis constitutione sequenti.

**Alexander Papa VIII,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Romanus Pontifex[1], beati Petri caelestis regni clavigeri successor Christique vicarius, cuncta mundi climata omniumque nationum in illis degentium qualitates considerat, ac ratione discutit et examinat diligenter. Propterea, ex officii sui debito salutem omnium quaerens et appetens, ea, suadentibus moribus et causis, perpetuâ deliberatione disponit et ordinat, quae divinae maiestati grata fore considerat, et quibus oves suae curae divinitus creditae ad dominicum ovile conducantur, eisdem scilicet aeternae salutis pollicito praemio. Nihil igitur certius et acceptius divinae maiestati esse censetur, quam ut catholicae fidei veritas ad laudem et gloriam divini nominis in omnibus terrae partibus suscipiat incrementa.

Causae dictae erectionis.

§ 1. Sane, cum carissimus in Christo filius noster Petrus Portugalliae et Algarbiorum rex illustris accepisset, in parte australi regni Sinarum, operâ et ministerio variorum religiosorum et aliorum doctrinâ insignium et vitae approbatorum[2] virorum praecipuâ sollicitudine et industriâ laborantium, infinitas propemodum gentes, abiectis inde Satanae tenebris ac idololatriae et gentilitatis haeresumque erroribus, ad catholicam Christi fidem et sanctae matris Ecclesiae gremium amabilissimum conversas reperiri, eisque rationibus religio christiana in illis partibus et dioecesi[3] ecclesiae Machaonensis (quae de iurepatronatus regum Portugalliae ex fundatione, vel dotatione, seu privi-

1 Confer tom. XIX, pag. 5, 7, 12, 57 (R. T.).
2 Potius lege *vitae probatae*, prout in locis parall. tom. XIX, pag. 5 *b*, 8 *b*, et 13 *a* (R. T.).
3 Formulam *etc.* importune iniectam delemus (R. T.).

legio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, fore[1] dignoscitur) sic longe lateque propagata sit, ut episcopus Machaonensis pro tempore existens ad illam eiusque fines ob locorum distantiam transmeare, et singulorum vultus[2], ut episcopum decet, inspicere, aliasque partes boni pastoris in universum exercere nequeat; quodque illius incolae et habitatores proprio noscebantur pastore indigere, qui praesentiâ suâ ac divino cooperante Spiritu pontificalia omnia in illis partibus exercere posset et deberet; cumque in eâ parte adsit inter cetera unum oppidum de Nankim nuncupatum, amplitudine, fertilitate et commerciorum frequentiâ celebre, et[3] in dicto oppido de Nankim una ecclesia Beatae Virgini dicata, alterâ inibi existente, maior et principalis, cui eiusdem regis Lusitani missionarii inserviunt, et in qua missae et alia divina officia celebrantur et ecclesiastica sacramenta administrantur, iampridem erecta et fundata existat, cum sacrario ad divinum cultum sufficienter instructo; proptereaque dictum oppidum de Nankim a dioecesi Machaonensi dismembrari, et in civitatem, dictamque ecclesiam Beatae Virginis in cathedralem erigi, et in eâ catholicum antistitem et pastorem proprium institui, qui illos adhuc debiles in ipsâ fide confirmare, et maiora seminaria plantare, dominicique ovilis septa aedificare, ceteraque pontificalia omnia in illis partibus exercere poterit[4] et debeat, omnino expediret; et[5] devotionis suae zelo ductus, populis in illis partibus degentibus consulere plurimum exoptasset, ac nobis super hoc per eius litteras humiliter supplicasset:

Dismembratio dicti oppidi a dioecesi Machaonensi.

§ 2. Idcirco nos, maturâ super his cum nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus congregationis particularis de Propagandâ Fide super rebus Indiarum Orientalium specialiter deputatae, cui negotium dismembrationis et erectionis huiusmodi discutiendum a nobis remissum fuerat, habitâ deliberatione, oppidum praedictum de Nankim episcopali et civili titulo dignum indicantes, piisque dicti Petri regis votis libenter annuentes, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S.R.E. cardinalium consilio et assensu, deque apostolicae potestatis plenitudine, oppidum de Nankim praedictum ab ordinariâ iurisdictione episcopi Machaonensis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo segregamus, dividimus, separamus et dismembramus, illudque, ac eius clerum et populum, quoad legem dioecesanam ab episcopi Machaonensis superioritate, iurisdictione potestate, subiectione, visitatione et correctione prorsus eximimus et liberamus, ac oppidum de Nankim praedictum civitatis, illiusque incolas civium nomine, titulo et honore decoramus, illudque in civitatem, quae de Nankim denominetur, et in eo dictam ecclesiam Beatae Virgini dicatam in cathedralem ecclesiam sub invocatione eiusdem Beatae Virginis, pro uno episcopo de Nankim nuncupando, qui illi praesit, ac ecclesiam ipsam ad formam cathedralis ecclesiae redigi faciat, necnon in eâ et dictae civitatis ac eiusdem ecclesiae dioecesi tot dignitates, canonicatus et praebendas, aliaque beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, quot inibi divino cultui et dictae ecclesiae servitio ac ecclesiastici cleri decori sibi videbuntur convenire, de praedicti Petri

1 In locis parall. legitur *esse* (R. T.).
2 Pessime ed. Main. l. *cultus* pro *vultus* (R. T.).
3 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).
4 Aptius lege *possit* (R. T.).
5 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

et pro tempore existentis Portugalliae et Algarbiorum regis consilio et assensu, ac praeviâ eorum congruâ dotatione, quamprimum fieri poterit, erigat et instituat, necnon episcopalem iurisdictionem, auctoritatem et potestatem exercere, omniaque et singula, quae ordinis, quaeque iurisdictionis, et cuiuslibet alterius muneris episcopalis sunt, et quae alii tam in Portugalliae et Algarbiorum regnis et dominiis quam alibi ubicumque constituti episcopi in suis ecclesiis, civitatibus et dioecesibus, de iure et consuetudine, vel aliàs quomodolibet ex privilegiis, gratiis et indultis ac dispensationibus apostolicis, quaecumque fuerint etiam per alias [1] apostolicas eis desuper nominatim et in specie concessa [2], auctoritate et facultate suffulti facere, et quibus uti solent et possunt, pariformiter, aeque principaliter, et absque ullâ prorsus differentiâ, perinde ac si sibi quoque nominatim et in specie concessa et expressa fuissent, etiamsi talia sint quae specialem notam et mentionem requirant et sub generali concessione non veniant, in suâ dioecesi de Nankim facere, gerere et exercere libere et licite possit et debeat, ac pro tempore existenti archiepiscopo Goanensi iure metropolitico, prout ante separationem et dismembrationem huiusmodi existebat, subsit, cum sede et mensâ, aliisque insigniis episcopalibus, necnon praeeminentiis et honoribus, privilegiis, immunitatibus, et gratiis, spiritualibus et temporalibus, personalibus, realibus et mixtis, quibus ceterae cathedrales ecclesiae regnorum et dominiorum praedictorum similiter de iure vel consuetudine aut speciali privilegio seu indulto apostolico, vel aliàs quomodolibet, utuntur,

1 Aptius lege *litteras* pro *alias* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *concessas* (R. T.).

potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, de similibus consilio et potestatis plenitudine, apostolicâ auctoritate praedictâ, earumdem tenore praesentium, etiam perpetuo erigimus et instituimus.

Termini dioecesis dicti episcopatus.

§ 3. Ac eidem sic erectae ecclesiae oppidum de Nankim sic in civitatem erectum pro civitate, et alia oppida, castra, villas, territoria et districtus dictae dioecesis Machaonensis, iuxta divisionem per eumdem regem, vel Machaonensem, ac de Nankim, et de Pekim, similiter in civitatem erigendi, episcopos de eiusdem regis commissione inter se faciendam [1], pro dioecesi, necnon ecclesiasticas pro clero, et saeculares personas in civitate et dioecesi huiusmodi pro tempore degentes pro populo, de consilio, potestate et auctoritate similibus, etiam perpetuo concedimus et assignamus; civitatemque, clerum et populum huiusmodi episcopo de Nankim quoad episcopalem, et archiepiscopo Goanensi pro tempore existenti quoad metropoliticam ordinariam iurisdictionem et superioritatem, de dictorum fratrum consilio et potestatis plenitudine paribus, etiam perpetuo subiicimus.

Mensae

§ 4. Necnon mensae episcopali de Nankim huiusmodi, pro eius dote, redditus annuos quingentorum cruciatorum monetae Portugalliae, quadringentos ducatos auri de Camerâ constituentium, per ipsum Petrum regem assignandos, quam quidem summam idem Petrus rex de suis et pro tempore existentium Portugalliae et Algarbiorum regum huiusmodi bonis gratiose et irrevocabiliter ad hunc effectum donavit et obtuiit, ac solvere quotannis promisit seu promittit, ex tunc, prout ex eâ die et ex nunc [2] postquam assignati fuerint, ut praefer-

1 Male edit. Main. legit *faciendi* (R. T.).
2 Legerem *prout ex nunc et ex eâ die* (R. T.).

tur, similiter perpetuo applicamus et approbamus.

Regibus Portugalliae servatur iuspatronatus et praesentandi ad episcopatum et ad alias dignitates et beneficia.

§ 5. Et insuper Petro regi, et pro tempore existentibus Portugalliae et Algarbiorum regibus praedictis, ius patronatus et praesentandi[1], ad dictam ecclesiam Nankim videlicet nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici infra annum ob locorum distantiam tam hac primâ vice, quam quoties illa deinceps quovis modo etiam apud Sedem Apostolicam vacare contigerit, per nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem huiusmodi in eiusdem ecclesiae de Nankim episcopum et pastorem ad praesentationem huiusmodi et non aliàs praeficiendum[2]; ad maiorem vero post pontificalem, ac principales, ac alias dignitates, canonicatus et praebendas, necnon beneficia erigenda, cum de Petri regis et pro tempore existentium regum huiusmodi pariter bonis dotata fuerint, tam ab eorum primaevâ erectione, quam ex tunc deinceps quoties illa quibusvis modis et ex quorumcumque personis etiam apud Sedem eamdem vacare contigerit, episcopo de Nankim pro tempore existenti praedicto, infra terminum a iure praescriptum, similiter per eum ad praesentationem praedicti Petri regis et pro tempore existentium Portugalliae et Algarbiorum regum in ipsis dignitatibus, canonicatibus et praebendis, ac beneficiis instituendos[3], etiam eâdem auctoritate pariter reservamus et concedimus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes ius patronatus et praesentandi huiusmodi Petro et pro tempore existentibus regibus praedictis ex meris fundationibus et dotationibus competere, illique etiam per Sedem eamdem, etiam consistorialiter, quacumque ratione derogari non posse, nec derogatum censeri, nisi ipsius Petri et pro tempore existentium regum praedictorum ad id expressus accedat assensus; et, si aliter quovis modo derogetur, derogationes huiusmodi, cum inde secutis, nullius roboris, efficaciae et momenti fore ;

Clausula sublata.

§ 7. Sicque per quoscumque iudices etiam commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, Sedisque praedictae nuncios, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus Lateranensis Concilii novissime celebrati ab ecclesiis membra distingui et dividi prohibentis, ac regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito et unionibus committendis ac valore exprimendo, quatenus opus sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae segregationis, divisionis, separationis, dismem-

1 Forsan deest *personas idoneas* (R. T.).

2 Vel *praeficiendam*, si intelligas *personam*; male ed. Main. legit *praeficiendo* (R. T.).

3 Vel *instituendas* si praeintelligas *personas*; male ed. Main. legit *instituendis* (R. T.).

brationis, exemptionis, liberationis, decorationis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, subiectionis, applicationis, appropriationis, reservationis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXC, IV idus aprilis, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 aprilis 1690, pontif. anno I.

---

## XVII.

*Erigitur oppidum de Pekim, Machaonensis dioecesis, in civitatem, eiusque ecclesia in cathedralem, et regi Portugalliae iuspatronatus et praesentandi conceditur*[1].

**Alexander Episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium. Romani Pontificis pastoralis sollicitudo, in supremo apostolicae potestatis solio ex omnipotentis Dei providentiâ constituta, ad ea potissimum dirigitur, per quae Salvatoris nostri Iesu Christi aeterni Patris Unigeniti fides et gloria in dies magis magisque augetur et multiplicatur, qui, ubi messem multam esse comperit, operariorum penuriam attendens, et ministrorum suorum curas variis diei horis ad opera mittere non destitit[2]; cum et ipse, ut homines salutaris vitae et caelestis patriae cultores efficeret, de summis caelorum ad huius mundi infima, et in sacrosanctae crucis arâ pro nostrâ salute in pretium immolari dignatus sit. Cuius cum licet immeriti vices geramus in terris, inter multiplices curas, quae ex apostolico munere nobis incumbere dignoscimus, illa praesertim cordi nostro est, ut, multiplicatâ messe, et agri dominici cultores multiplicentur, quorum assiduis operibus et fructuosis ministeriis fructus spiritualis ad centesimum usque augeatur, et populus christianus eisdem rectoribus gubernetur, quos Pater aeternus sui operis ministros esse disposuit. Propterea piissimi patrisfamilias partes favorabiliter implere curamus.

§ 1. Sane, cum carissimus in Christo filius noster Petrus Portugalliae et Algarbiorum rex illustris (pio praeponderans affectu quod in toto vastissimo imperio Sinarum, in quo infinitae propemodum gentes ad cognitionem veri luminis et sanctae matris Ecclesiae gremium accesserunt, unica tantum ecclesia cathedralis Machaonensis, quae de iurepatronatus dicti regis ex fundatione, vel dotatione, seu privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, fore[1] dignoscitur, reperiatur, cuius episcopus ob locorum distantiam singulorum vultus inspicere aliasque partes boni pastoris in universum exercere nequiret; attendens quod in eodem imperio etiam reperiretur[2] inter cetera unum oppidum de Pekim nuncupatum, incolarum multitudine, praesertim christifidelium, ac militum ac magistratuum numero copiose refertum, et ad quod ex omni parte regni Sinarum pars maxima et fere totius imperii divitiae con- Causae dictae erectionis.

1 Similem erectionem habes constitutione praecedenti, et circa dismembrationem quarumdam provinciarum in eodem regno Galliarum vide Innocentii XII constit. edit. MDCXCIV, die 16 (*vel* 12) maii, pontif. III, et in regno Sinarum vide Innocentii XII constit. ed. MDCXCVI, die 15 octobris, pontif. VI.

2 Aptius lege *desistit* (R. T.).

1 Nescio cur hic et supra pag. 654 *a fore* pro *esse* legitur (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *reperirentur* (R. T.).

fluunt et merces undequaque advehuntur, et in dicto oppido una ecclesia, Beatae Virgini dicata, aliis inibi existentibus, maior et principalis, cui missionarii eiusdem Lusitani regis inserviunt, et in qua missae et alia divina officia celebrantur et ecclesiastica sacramenta administrantur, iam pridem erecta et fundata existeret, cum sacrario ad divinum cultum sufficienter instructo, propterea que dictum oppidum de Pekim a dioecesi Machaonensi dismembrari, et in civitatem, dictamque ecclesiam Beatae Virginis in cathedralem erigi, et in eâ catholicum antistitem et pastorem proprium institui, qui illos adhuc debiles in ipsâ fide confirmare, et maiora seminaria plantare, dominicique ovilis septa aedificare, ceteraque pontificalia ómnia in illis partibus exercere possit et debeat, omnino expediret), devotionis suae zelo ductus, populis in illis partibus degentibus consulere plurimum exoptasset, ac nobis super hoc per eius litteras humiliter supplicasset:

Dismembratio dicti oppidi a dioecesi Machaonensi.

§ 2. Idcirco nos, maturâ super his cum nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus Congregationis particularis de Propagandâ Fide super rebus Indiarum Orientalium specialiter deputatae, cui negotium dismembrationis et erectionis huiusmodi discutiendum a nobis remissum fuerat, habitâ deliberatione, oppidum praedictum de Pekim episcopali et civili titulo dignum iudicantes, piis dicti Petri regis votis libenter annuentes, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium consilio et assensu, deque apostolicae potestatis plenitudine, oppidum de Pekim praedictum ab ordinariâ iurisdictione episcopi Machaonensis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo segregamus, dividimus, separamus et dismembramus, illudque, ac eius clerum et populum, quoad legem dioecesanam, ab episcopi Machaonensis superioritate, iurisdictione, potestate, subiectione, visitatione et correctione prorsus eximimus et liberamus, ac oppidum de Pekim praedictum civitatis, illiusque incolas civium nomine et titulo ac honore decoramus, illudque in civitatem, quae de Pekim denominetur, et in eo dictam ecclesiam, B. Virgini dicatam, in cathedralem ecclesiam sub invocatione eiusdem B. Virginis pro uno episcopo de Pekim nuncupando, qui illi praesit, ac ecclesiam ipsam ad formam cathedralis ecclesiae redigi faciat, necnon in eâ et dictae civitatis ac eiusdem ecclesiae dioecesi tot dignitates canonicatus et praebendas, aliaque beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, quot[1] inibi divino cultui et dictae ecclesiae servitio ac ecclesiastici cleri decori sibi videbitur convenire, de praedicti Petri et pro tempore existentis Portugalliae et Algarbiorum regis consilio et assensu, ac praeviâ eorum congruâ dotatione, quamprimum fieri poterit, erigat et instituat;

Institutio episcopatus ad instar aliorum cum subiectione archiepiscopo Goanensi.

§ 3. Necnon episcopalem iurisdictionem, auctoritatem et potestatem exercere, omniaque et singula, quae ordinis, quaecque iurisdictionis et cuiuslibet alterius muneris episcopalis sunt, et quae alii[2], tam in Portugalliae et Algarbiorum regnis et dominiis, quam alibicumque constituti, episcopi in suis ecclesiis, civitatibus et dioecesibus, de iure vel consuetudine, vel aliàs quomodolibet ex privilegiis, gratiis et indultis, et dispensationibus apostolicis, quaecumque fuerint etiam per litteras apostolicas eis desuper nominatim et in specie concessa[3], auctoritate et facultate suffulti facere, et quibus uti solent et possunt,

1 Male ed. Main. legit *quod* pro *quot* (R. T.).
2 Male ed. Main. legit *aliis* pro *alii* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *concessas* (R. T.).

parifôrmiter, aeque principaliter, et absque ullâ prorsus differentiâ, perinde ac si sibi quoque nominatim et in specie concessa et expressa fuissent, etiamsi talia sint quae specialem notitiam et mentionem requirant et sub generali concessione non veniant, in suâ dioecesi de Pekim facere, gerere et exercere libere et licite possit, et pro tempore existenti archiepiscopo Goanensi iure metropolitico, prout ante separationem et dismembrationem huiusmodi existebat, subsit, cum sede et mensâ, aliisque insigniis episcopalibus, necnon praeeminentiis et honoribus, privilegiis, immunitatibus et gratiis spiritualibus et temporalibus, personalibus, realibus et mixtis, quibus ceterae cathedrales ecclesiae regnorum et dominiorum praedictorum similiter de iure, vel consuetudine, aut speciali privilegio seu indulto apostolico, vel aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, de similibus consilio et potestatis plenitudine, apostolicâ auctoritate praedictâ, earumdem tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Termini dioecesis dicti episcopatus.

§ 4. Ac eidem sic erectae ecclesiae oppidum de Pekim sic in civitatem erectum pro civitate, et alia oppida, castra, villas, territoria et districtus dictae dioecesis Machaonensis, iuxta divisionem per eumdem regem, vel per Machaonensem ac de Pekim et de Nankim, similiter in civitatem erigendi [1], episcopos de eiusdem regis commissione inter se faciendam, pro dioecesi, necnon ecclesias pro clero, et saeculares personas, in civitate et dioecesi huiusmodi pro tempore degentes, pro populo, de consilio, potestate et auctoritate similibus, etiam perpetuo concedimus et assignamus; civitatemque, clerum et populum huiusmodi episcopo de Pekim quoad episcopalem, et archiepiscopo Goanensi pro tempore existenti quoad metropoliticam ordinariam iurisdictionem et superioritatem, de dictorum fratrum consilio et potestatis plenitudine paribus, etiam perpetuo subiicimus.

Mensae dos.

§ 5. Necnon mensae [1] episcopali de Pekim huiusmodi, pro eius dote, [2] redditus annuos quingentorum cruciatorum monetae Portugalliae, quadringentos ducatos auri de camerâ constituentium, per ipsum Petrum regem assignandos, quam quidem summam idem Petrus rex de suis et pro tempore existentium Portugalliae et Algarbiorum regum huiusmodi bonis gratiose et irrevocabiliter ad hunc effectum donavit et obtulit, et solvere quotannis promisit seu promittit, ex tunc prout ex eâ die et ex nunc postquam assignati fuerint, ut praefertur, similiter perpetuo applicamus et appropriamus.

Regibus Portugalliae servatur iuspatronatus et praesentandi ad episcopatum, aliasdignitates et beneficia.

§ 6. Et insuper Petro regi et pro tempore existentibus Portugalliae et Algarbiorum regibus praedictis ius patronatus et praesentandi [3], ad dictam ecclesiam de Pekim videlicet nobis et pro tempore existenti Romani Pontifici, infra annum, ob locorum distantiam, tam hac primâ vice, quam quoties illam [4] deinceps quovis modo etiam apud Sedem Apostolicam vacare contigerit, per nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem huiusmodi in eiusdem ecclesiae de Pekim episcopum et pastorem, ad praesentationem huiusmodi et non aliàs, praeficiendam; ad maiorem vero post pontificalem ac principales et alias dignitates ac canonicatus et praebendas, necnon beneficia erigenda, cum de Petri regis et pro tempore existentium regum

1 Male edit. Main. legit *erigendam* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *mensa* (R. T.).
2 Coniunct. *et* delemus (R. T.).
3 Subintellige *personas idoneas* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *illa* (R. T.).

huiusmodi pariter bonis dotata fuerint, tam ab eorum primaevâ erectione, quam ex tunc deinceps quoties illa quibusvis modis et ex quorumcumque personis etiam apud Sedem eamdem vacare contigerit, episcopo de Pekim pro tempore existenti praedicto, infra triennium[1] a iure praefixum, similiter per eum, ad praesentationem Petri regis et pro tempore existentium Portugalliae et Algarbiorum regum, in ipsis dignitatibus, canonicatibus et praebendis ac beneficiis instituendas[2], eâdem auctoritate pariter perpetuo reservamus et concedimus.

Clausulae. § 7. Decernentes ius patronatus et praesentandi huiusmodi Petro et pro tempore existentibus regibus praedictis ex meris fundationibus et dotationibus competere, illique etiam consistorialiter quacumque ratione derogari non posse, nec derogatum censeri, nisi ipsius Petri et pro tempore existentium regum praedictorum ad id expressus accedat assensus, et, si aliter quovis modo derogetur, derogationes huiusmodi, cum inde secutis, nullius roboris, efficaciae et momenti fore;

Clausula sublatâ. § 8. Sicque per quoscumque iudices, etiam commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, Sedisque praedictae nuncios, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 9. Non obstantibus Lateranensis concilii novissime celebrati ab ecclesiis membra distingui et dividi prohibentis,

1 Legend. de more solito *terminum* (R. T).
2 Male ed. Main. legit *instituendis* (R. T.).

ac regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito et unionibus committendis ac valore exprimendo, quatenus opus sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servande foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse harum serie derogamus, contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis. § 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae segregationis, divisionis, separationis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, decorationis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, subiectionis, applicationis, approbationis, reservationis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXC, IV idus aprilis, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 aprilis 1690, pontif. anno I.

---

## XVIII.

*Extenditur in perpetuum indulgentia stationum Urbis ab Innocentio XI confraternitatibus B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum ad decennium concessae*[1].

1 Aliae indulgentiae harum confraternitatum extant in Innocentii XI constit. edit. MDCLXXVIII, die 25 decembris, pontif. III, et Clementis XI constit. edit. MDCCIII, die 23 ianuarii, pontif. III.

**Alexander Papa VIII,**
**Ad perpetuam rei memoriam.**

Inter plures indulgentias ab Innocentio XI concessas extat illa stationum.

§ 1. Aliàs (per felicis recordationis Innocentium Papam XI praedecessorem nostrum accepto, quod nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri, tunc sui, confraternitatibus seu congregationibus Ordinis fratrum B. Mariae Virginis de Mercede redemptionis captivorum, seu alicui ex domibus regularibus eiusdem Ordinis aggregatis, illarumque confratribus et consororibus, christifidelium sub duro barbarorum iugo languentium libertati sedulo incumbentibus, quamplures indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, non tamen infrascriptas, misericorditer in Domino concesserant) idem Innocentius praedecessor, eosdem confratres et consorores ad pietatis et christianae charitatis, erga illos qui durâ immanium christiani nominis hostium servitute opprimuntur, exercenda opera uberiorum eisque hactenus non concessarum spiritualium gratiarum elargitione incitare cupiens, de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisus, supplicationibus quoque dilecti filii Bartholomaei de Ribero, Ordinis praefati vicarii et procuratoris generalis, sibi super hoc humiliter porrectis, inclinatus, omnibus et singulis dictarum confraternitatum canonice eo usque erectarum et in futurum erigendarum personis utriusque sexus, quae aliquam ex ecclesiis dicti Ordinis, aut suarum respective confraternitatum ecclesias, seu oratoria, in diebus stationum ecclesiarum almae Urbis nostrae, tunc suae, prout in missali romano exprimuntur, devote visitassent, et ibidem pro christianorum principum concordiâ haeresum extirpatione, et sanctae matris Ecclesiae exaltatione, necnon captivorum praefatorum liberatione, eorumque perpetuâ perseverantiâ in christianae religionis catholicaeque fidei professione pias ad Deum preces effudissent, ut omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequerentur, quas consecutae fuissent si easdem ecclesias Urbis ad id deputatas in diebus stationum huiusmodi personaliter et devote visitassent, concessit et indulsit, et aliàs, prout in eiusdem Innocentii praedecessoris desuper in simili formâ Brevis die XII februarii MDCLXXXVIII expeditis litteris, quas ad decennium tantum valere voluit, et quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, plenius continetur.

Illius extensio.

§ 2. Nunc autem nos, ad peramplius augendam eorumdem confratrum et consororum religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, ac aliquod paternae nostrae erga Ordinem praefatum, cuius nos, dum cardinalatus honore fungebamur, protectores apostolicâ auctoritate deputati eramus, benevolentiae monumentum extare cupientes, supplicationibus eiusdem Bartholomaei vicarii et procuratoris generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, concessionem indulgentiarum et peccatorum remissionem, ac poenitentiarum relaxationem confratribus et consororibus supradictis praemissa peragentibus, a memorato Innocentio praedecessore ad decennium factam ut praefertur, in perpetuum, servatâ ceteroqui earumdem Innocentii praedecessoris litterarum formâ et dispositione, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus et ampliamus.

Obstantium remotio.

§ 3. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus et singulis illis quae

idem Innocentius praedecessor in suis litteris supradictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides transumptorum. § 4. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv aprilis MDCXC, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 aprilis 1690, pontif. an. I.

---

## XIX.

*Communicantur privilegia et indulgentiae ceterorum regularium Ordini B. M. de Mercede redemptionis captivorum*[1].

**Alexander Papa VIII,**
**Ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Inscrutabili aeternae Sapientiae arcano speculatores domus Israël, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, constituti, religiosos Ordines in Ecclesiâ Dei pie sancteque plantatos, ac uberes bonorum operum fructus proferre ingiter satagentes, favoribus et gratiis, quibus possumus amplissimis, libenter prosequimur, prout rerum, et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa dictae communicationis. § 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Bartholomaeus de Ribera, vicarius et procurator generalis Ordinis fratrum B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum, nobis nuper exponi fecit, fratres et religiosi eiusdem Ordinis, in captivorum redemptione gravissima quaeque discrimina et pericula ad id subeundo[1], indefesse occupantur[2], et, ut tam pium opus eo alacrius continuent ac utilius exequantur, plurimum cupiant aliarum religionum et Ordinum gratias et privilegia, hactenus a Sede Apostolicâ concessa, dicto eorum Ordini illiusque fratribus et locis per nos et Sedem eamdem concedi et communicari; nobis propterea idem Bartholomaeus vicarius et procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Communicatio dictorum privilegiorum et indulgentiarum. § 2. Nos igitur, memoratum Ordinem beatae Mariae de Mercede, cuius nos, dum cardinalatus honore fungebamur, protectores apostolicâ auctoritate deputati eramus, propenso apostolicae charitatis studio complectentes, ipsumque Bartholomaeum vicarium et procuratorem generalem, et singulares Ordinis huiusmodi personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, eidem Ordini fratrum B. Mariae

1 Aliud privilegium vid. in Clementis X const. edit. MDCLXXV, die 19 iulii, pontif VI; indulgentias vero in Clementis X const. edit. MDCLXXIII, die 29 decembris, pontif. IV, et in Clementis XI constit. ed. MDCCXVII, die 4 augusti, pontif. XVII.

1 Edit. Main. legit *subeunda* (R. T.).

2 Aptius lege *occupentur* (R. T.).

de Mercede redemptionis captivorum, illiusque domibus et regularibus locis sub illo comprehensis, necnon magistro generali pro tempore existenti, definitoribus et procuratoribus generalibus, visitatori, consultoribus, assessori, superioribusque provincialibus et conventualibus, aliisque cuiuscumque nominis officialibus, superioribus, ac religiosis omnibus et singulis in eo professis fratribus pro tempore ad captivos redimendos transmissis, et capitulis generalibus, personis regularibus, novitiis, conversis, donatis, oblatis, ministris, famulis, cunctisque tam officiariis quam domesticis et eorum domibus inservientibus, et ceteris dicti Ordinis ac illius domorum et regularium locorum personis quibuscumque pro tempore existentibus, necnon quibusvis aliis personis ac christifidelibus illorum ecclesias seu cappellas pro tempore visitantibus, ut omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, indulgentiis, aliisque praerogativis et gratiis universis et singulis, tam spiritualibus quam temporalibus, singulis domibus, conventibus et aliis regularibus locis ac personis, tam[1] canonicorum quam clericorum regularium ubivis existentium institutis, et non solum Ordinibus monasticis, sed etiam regularibus, Mendicantium et non Mendicantium, tam pro redimendis captivis, quam aliàs quomodolibet Ordini SS. Trinitatis redemptionis captivorum, illiusque domibus, conventibus et fratribus, necnon omnibus et quibuscumque Congregationibus regularibus, et praecipue clericorum regularium Infirmis Ministrantium, et canonicorum Congregationis Lateranensis, SS. Salvatoris de Bononia, ac etiam S. Ruffi Valentiae, et S. Crucis Colimbriae, clericorum regularium de Somasca, et Pauperum Matris Dei ac Scholarum Piarum, ipsisque monasticis Congregationibus, etiam Cassinensi, aliisque monachis et monasteriis S. Benedicti, S. Hieronymi, Carmelitis Discalceatis, conventui B. Mariae de Guadalupa, necnon Societatis Iesu, ipsisque Carthusiensium, Praemonstratentium, et Reformatorum Cisterciensium, Servitarum, Olivetanorum Ordinibus, aliisque familiis et societatibus regularibus, militiis, hospitalibus quibuscumque, et piis locis regularibus, ac quibuscumque personis, nunc et pro tempore existentibus, praedictorum et quorumlibet Ordinum, societatum et congregationum regularium, per nos et Sedem praedictam ac alios quoscumque praedecessores nostros Romanos Pontifices, necnon eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis Sedis praedictae nuncios, vel etiam tam apostolicâ praedictâ quam ordinariâ et regiâ vel imperiali auctoritatibus respective, aut aliàs quomodolibet, quibuscumque verborum expressionibus et tenoribus, in genere vel in specie, ac particulariter, tam per modum communicationis et ampliationis, quam simplicis et individuae ac particularis et specialis concessionis, ac etiam motu proprio et ex certâ scientiâ et de apostolicae potestatis plenitudine, etiam iteratis vicibus, concessis hactenus vel confirmatis aut approbatis, et quibus illi tam in vitâ quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones, et iniunctarum poenitentiarum relaxationes, aut aliàs quomodolibet, de iure, usu aut privilegio vel consuetudine quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt

1 Forsan in isto commate quid deest (R. T.).

quomodolibet in futurum, quamvis illa sint speciali notâ digna, difficilisque concessionis, et quae in generali concessione non veniant, non solum per participationem, communicationem, illorum extensionem, et ad illorum instar, sed speciatim et nominatim, pariformiter et aeque principaliter, in omnibus ac per omnia, absque ullâ prorsus differentiâ, perinde ac si illa dicto Ordini B. Mariae de Mercede, illiusque capitulis generalibus, magistro generali pro tempore existenti, illiusque superioribus et personis praedictis, specialiter, expresse et nominatim, etiam per viam et modum simplicis et individuae ac particularis et specialis concessionis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut communicationis et ampliationis concessa fuissent, quatenus tamen sint in usu et non revocata nec sub aliquâ revocatione comprehensa, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant: ita quod omnes et singuli dicti Ordinis B. Mariae de Mercede, et illius domorum, locorumque regularium superiores et ministri quocumque nomine appellati, eosque[1] favores, gratias apostolicas et privilegia, quae aliarum religionum, Ordinum, congregationum, societatum, etiam Societatis Iesu, monasteriorum, conventuum, domorum aut locorum regularium et familiarum generales, superiores, praepositi, provinciales, rectores, priores conventuales aut claustrales, visitatores, guardiani, custodes, aut alio quocumque nomine, titulo aut dignitate insigniti, habent, similiter ut supra habeant: fratresque[2] et personae regulares dicti Ordinis B. Mariae de Mercede magistri generales, superiores, ministri et ceteri alii cuiuscumque appellationis praepositi et praefecti in dicto Ordine B. Mariae de Mercede expresse professi, et in eius gremio et observantiâ viventes fratres et personas regulares dicti Ordinis B. Mariae de Mercede, cum privilegiis, gratiis et favoribus apostolicis Ordinum et congregationum huiusmodi, perpetuo secundum observantiam regularem et canonicum institutum dicti eorum Ordinis B. Mariae de Mercede regere et gubernare et respective visitare valeant, neque dictus Ordo B. Mariae de Mercede super praedictis omnibus et singulis a quoquam, quavis auctoritate vel nomine, molestari, perturbari, inquietari, aut aliàs quomodolibet in iudicio et extra impediri possit, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper et perpetuo, tamquam ad divini cultus et bonorum operum augmentum et religionis propagationem tendentes, validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis firmiter atque inviolabiliter observari et adimpleri debere, nec ab illis ullo unquam tempore, quovis praetextu, occasione vel causâ recedi aut resiliri, easdemque praesentes sub quibusvis similium aut dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus, et etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes Sedemque praedictam, sub quibusvis tenoribus et formis, et cum quibusvis clausulis et decretis pro tempore factis, minime comprehendi vel confundi, sed semper et perpetuo ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum atque validissimum statum resti- Clausulae.

1 Potius lege *eos* vel *eos quoque* (R. T.).

2 Syntaxis exinde mendosa sentitur (R. T.).

tutas, repositas et plenarie reintegratas, et de novo etiam sub quacumque posteriori datâ quandocumque eligendâ concessas esse et fore, ipsique Ordini B. Mariae de Mercede suffragari; sicque, et non aliàs, per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, ac Sedis Apostolicae praedictae nuncios, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis, et in synodalibus provincialibusque et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon regularium domorum, locorum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illiusque superioribus et personis, in genere vel in specie, ac aliis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam iteratis vicibus quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem quod ipsarum praesentium exemplis, seu transumptis, etiam impressis, alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo et notarii publici manu obsignatis, stetur, eademque prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI iulii MDCXC, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 21 iulii 1690, pontif. anno I.

---

## XX.

*Extenditur senarius numerus magistrorum ad duodenarium in Quitensi provinciâ eremitarum S. Augustini* [1]

**Alexander Papa VIII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Id decretum fuerat in capitulo generali anno MDCLXXXV.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Philippus de Zamora, frater expresse professus et procurator provinciae Quitensis Ordinis eremitarum S. Augustini in sacrâ teologiâ praesentatus, quod (cum in proximo praeterito capitulo generali dicti Ordinis, anno MDCLXXXV celebrato, pro eâdem provinciâ sancitum fuerit, ut ad illam omnia decreta, quae pro ceteris Indiarum Occidentalium provinciis dicti Ordinis edita fuerant, extendenda essent; in eodem vero capitulo generali inter cetera pro Mexicanâ provinciâ eiusdem Ordinis decretum fuerit, quod senarius magistrorum numerus usque ad duodenarium extenderetur, si tamen desuper huius Sanctae Sedis facultas accederet) ipse Philippus procurator plurimum expedire existimat, ut, non obstantibus quibusdam felicis recordationis Clementis PP. VIII praede-

1 Similis extensio pro provinciâ Betica extat in const. edit. MDCXC, die 21 ianuarii, pontif. I, et pro provinciâ Mexicanâ, in Innocentii XII constit. ed. MDCXCII, die 28 septembris, pontif. III.

cessoris nostri in simili formâ Brevis litteris super senario in omnibus fere Indiarum provinciis praefatis magistrorum numero non excedendo emanatis, quae incipiunt *Admonet nos*, etc., duodenarius magistrorum huiusmodi numerus pro dictâ provinciâ Quitensi a nobis statuatur, ita tamen, ut, quoad promovendos ad magisterii gradum huiusmodi, postulatio a definitorio facienda indispensabiliter requiratur, ac quaedam constitutio recolendae memoriae Innocentii PP. XI praedecessoris pariter nostri, quae incipit *In supremâ*, etc., pro eâdem provinciâ die XVII martii MDCLXXIX edita sub numeris XXVII et XXVIII, omnino servetur. Nobis propterea dictus Philippus procurator, etiam nomine dictae provinciae, humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Extensio decreti iuxta Innocentii XI constitutionem facienda.

§ 2. Nos igitur, ipsum Philippum procuratorem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, ut de cetero senarius dictae provinciae Quitensis magistrorum numerus ad duodenarium augeatur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus; ita tamen ut in reliquis ea omnia, quae in supradictâ Innocentii praedecessoris constitutione praescripta sunt, religiose et exacte serventur; salvâ semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praefatis, aliisque quibusvis litteris, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praefatorum Ordinis et provinciae Quitensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdemdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI iulii MDCXC, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 31 iulii 1690, pontif. anno I.

## XXI.

*Conceduntur privilegia capellanis communibus Sanctitatis Suae* [1].

**Alexander Papa VIII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Grata familiaritatis obsequia, quae dilecti filii Ioachinus Tenacciolus, presbyter Civitatis Castelli, canonicus collegiatae ecclesiae S. Nicolai in Carcere Tulliano de Urbe, ac Carolus Emidius Ridolphus Asculanensis, Hieronymus Novariensis respective civitatum vel dioecesum, Ioannes Dominicus Cozzardus Romanus, et Bernardinus Brusetti Venetus, presbyteri, moderni capellae nostrae pontificiae capellani, familiares nostri, nobis et Apostolicae Sedi hactenus impenderunt, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistunt, necnon vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus eorum personas tam familiari experientiâ quam etiam fide dignorum testimoniis iuvari percipimus, nos inducunt ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Hinc est (*quae sequuntur vide in laudatis constitutionibus citatis infra in notâ ad rubricam*).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II augusti MDCXC, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 2 augusti 1690, pontif. anno I.

1 Huic similes sunt const. Innocentii XI, edit. MDCLXXX, die 13 martii, pontif. IV, et Innocentii XII ed.t. MDCXCIII, die 4 decembris, pont'if. II.

## XXII.

*Declarantur nulla extensio regaliae, quatuor propositiones, et reliqua peracta a Clero Gallicano in et extra comitia an. MDCLXXXII* [1].

**Alexander Papa VIII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Inter multiplices pastoralis officii nostri curas, quibus iugiter premimur, in illam peculiari studio incumbimus, ut Apostolicae Sedis ac universalis[2] Ecclesiae necnon etiam singularum ecclesiarum iura ubique sarta tecta ac illibata tueri et conservare, eaque adversus quaecumque, per quae illis aliquid detrimenti inferri potest, traditâ nobis divinitus potestate vindicare[3] satagamus, sicut, omnibus mature ac debite pensatis, iustitiae ac rationi consentaneum esse in Domino arbitramur.

Peracta in comitiis et extra.

§ 1. Cum itaque, ex quo primum humilitatem nostram inscrutabili divinae suae providentiae arcano in supremâ militantis Ecclesiae speculâ collocavit Altissimus, prae ceteris, quae pontificiae nostrae sollicitudini sese obtulere, negotiis, illa in primis gravissima ac nobis, qui carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum et florentissimum illius regnum in visceribus gerimus charitatis, permolesta et plane acerba acciderint, quae sive adversus dicti regni ecclesiarum iura, sive adversus Romani Pontificis et Ecclesiae universae auctoritatem nonnulli venerabiles fratres archiepiscopi, episcopi et alii eiusdem regni ecclesiastici viri in comitiis cleri gallicani

1 Declarata fuere nulla acta consilii regii Castellae ab Innocentii XI const. edit. MDCLXXVIII, die 28 novembris, pontif. III, et nullum edictum praetoris Cremonensis ab Innocentii XII constit. edit. MDCXCIII, die 1 septembris, pontif. II.

2 Edit. Main. legit *universali* (R. T.).

3 Male e lit. Main. legit *vindicata* (R. T.).

Parisiis anno MDCLXXXII[1] congregati, tum praestito inibi per eos extensioni illius iuri, quod vocant *regaliae*, ad omnes dicti regni ecclesias assensu, tum editâ subinde de potestate ecclesiasticâ quatuor propositiones continente declaratione peregerunt, quaeque ipsa comitia subsecuta fuerunt mandata, arresta, confirmationes, declarationes, epistolae, edicta et decreta quaecumque, a quibusvis personis, sive ecclesiasticis sive laicis, quavis auctoritate et potestate fungentibus, edita seu publicata, necnon quae aliàs demum nonnullis abhinc annis in regno praefato eidem Sedi Apostolicae, Romanaeque Ecclesiae, seu quibuscumque aliis ecclesiis, monasteriis et locis piis, illorumque respective personis, rebus, bonis et iuribus, seu aliàs iurisdictioni vel immunitati aut libertati ecclesiasticae quomodolibet praeiudicialia quovis modo peracta ac gesta fuerunt: haec nos, qui iurium ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, dies noctesque in amaritudine animae nostrae cogitantes, manus nostras cum lacrymis et suspiriis levavimus ad Dominum, eumque toto cordis affectu rogavimus, ut nobis potenti gratiae suae auxilio adesset, quo arduâ hac in re commissi nobis apostolici muneris partes salubriter exequi valeremus. Eâque consideratione adducti, ac ne supremo iudici rationem villicationis nostrae reddituri negligentiae in creditâ nobis administratione argueremur, quantum divina bonitas dedit, nihil hucusque praetermisimus, quo praeiudicialia praefata ab iismet, qui ea peregerant, ex animo retractarentur.

Irritantur a Pontifice.

§ 2. Verum, quo efficacius ac uberius Sedis praefatae, Ecclesiae universae, iurisdictionisque et immunitatis ac libertatis ecclesiasticae, ecclesiarumque, monasteriorum et locorum priorum huiusmodi, illorumque personarum praedictarum indemnitati perpetuis futuris temporibus consultum sit, auditis quamplurimis ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, et nonnullorum in sacrâ theologiâ magistrorum, ac etiam in decretis doctorum ad examen negotii huiusmodi a nobis specialiter delectorum, qui illud[1] mature discusserunt, remque totam nobis exposuerunt, sententiis, quantum nobis ex alto conceditur providere volentes, ac felicis recordationis Innocentii Papae XI praedecessoris nostri, qui, occasione rescribendi ad litteras quibus archiepiscopi et alii ecclesiastici viri supradicti de rebus ab ipsis gestis certiorem eum reddiderant, per quasdam in simili formâ Brevis die XI aprilis MDCLXXXII expeditas litteras improbavit, rescidit et cassavit quae in dictis comitiis acta fuerant in negotio regaliae, cum omnibus inde secutis, et quae subinde attentari contigisset, eaque perpetuo irrita et inania declaravit, vestigiis inhaerentes, necnon in dictis comitiis anni MDCLXXXII tum circa extensionem iuris regaliae quam circa declarationem de potestate ecclesiasticâ huiusmodi actorum, ac etiam omnium et singulorum mandatorum, arrestorum, confirmationum, declarationum, epistolarum, edictorum, decretorum, quavis auctoritate, sive ecclesiasticâ, sive etiam laicali editorum, seu publicatorum, nec non aliorum quomodolibet praeiudicialium praefatorum in regno supradicto quandocumque et a quibusvis ac ex quacumque causâ et quovis modo factorum et gestorum, ac inde secutorum quorumcumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem de necessitate requirentium, tenores et datas,

1 Edit. Main. legit *MDCLXXXI* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *illum* (R. T.).

etiam veriores, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis et exactissime specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula, quae tam quoad extensionem iuris regaliae, quam quoad declarationem de potestate ecclesiasticâ, ac quatuor in eâ contentas propositiones in supradictis comitiis Cleri Gallicani anno MDCLXXXII habitis acta et gesta fuerunt, cum omnibus et singulis mandatis, arrestis, confirmationibus, declarationibus, epistolis, edictis, decretis, a quibusvis personis, sive ecclesiasticis, sive laicis, quomodolibet qualificatis, quavis auctoritate et potestate etiam individuam expressionem requirente fungentibus, editis seu publicatis, nec non reliqua omnia quotcumque et qualiacumque eidem Sedi Apostolicae Romanaeque Ecclesiae, vel iurisdictioni, immunitati vel libertati ecclesiasticae, seu aliàs ecclesiis, monasteriis, illorumque respective personis, rebus, bonis, privilegiis, praerogativis et iuribus quibuscumque quomodolibet praeiudicialia, in dicto regno peracta et gesta, cum omnibus et singulis quandocumque et quomodocumque inde secutis et quocumque tempore secuturis, ipso iure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque et effectu penitus et omnino vacua ab ipso initio fuisse et esse ac perpetuo fore, neminemque ad illorum, seu cuiuslibet eorum, etiamsi iuramento vallata sint, observantiam teneri, neque ex illis cuiquam aliquod ius, vel actionem, aut titulum, etiam coloratum, vel possidendi aut praescribendi causam, etiamsi longissimi et immemorabilis temporis possessio, etiam citra ullam interpellationem vel interruptionem, subsecuta sit vel subsequatur, acquisitum fuisse nec esse, minusque ullo tempore acquiri et competere, neque illa ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac si nunquam emanassent vel facta fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo haberi debere, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus, ad abundantiorem cautelam, ac quatenus opus sit, acta et gesta praefata, aliaque praemissa omnia, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, improbamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, et contra illa, deque eorum nullitate coram Deo protestamur.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, etiam specificâ et individuâ mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae aut ullo modo iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium vel habere praetendentium consensus, aliove quocumque etiam quantumlibet magno ac incogitato inexcogitabilique defectu, aut ex alio quovis capite, a iure, vel facto, aut statuto, consuetudine, vel privilegio resultante, notari, impugnari, invalidari, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci ullatenus posse; sed ipsas praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spe- Clausulae.

ctat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae praefatae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, legibus quoque etiam imperialibus et municipalibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, seu quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus et litteris apostolicis quibuscumque locis et personis, etiam regali et aliâ quavis sive ecclesiasticâ sive mundanâ dignitate fulgentibus, et aliâs quomodolibet qualificatis et specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis et quantiscumque[1] vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis et specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis ac servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus, a derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Edit. Main. legit *quarumcumque* (R. T.).

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium in iudicio et extra habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV augusti MDCXC, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 augusti 1690, pontif. anno I.

---

## XXIII.

*Prohibetur, ne augeantur vel diminuantur sine S. Sedis licentiâ onera solvi solita aerario hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani*[1].

1 Concessa fuit facultas recipiendi nonnullos magno magistro ab Innocentio XI constit. edit. MDCLXXXVI, die 25 iunii, pontif. X, et ab Innocentio XII editae fuere nonnullae ordinationes contra frequentem receptionem ad habitum constit. ed. MDCXCVII, die II maii, pontif. VII.

**Alexander Papa VIII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Causa constitutionis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, quamplurimae et sane gravissimae expensae, quas hospitale sancti Ioannis Hierosolymitani, iuxta laudabilia ipsius instituta, tam pro assiduis hospitalitatis officiis in proximos exercendis, quam pro diuturnis ad catholicae fidei defensionem et propagationem adversus christiani nominis hostes gerendis bellis sustinere cogitur, certos eiusdem hospitalis redditus, in contributionibus, responsionibus, aliisque quovis nomine nuncupatis oneribus per priores, baiulivos ac praeceptores seu commendatarios dicti hospitalis communi aerario ipsius hospitalis solvi consuetis, ac dudum super prioratibus, baiulivatibus et praeceptoriis, seu commendis hospitalis praefati vigore statutorum seu stabilimentorum ac ordinum capitularium eiusdem hospitalis auctoritate apostolicâ confirmatorum, seu aliàs auctoritate praefatâ impositis consistentes, longe excedant:

Prohibitio praedicta motu proprio facta sub excommunicationis poena.

§ 2. Nos, eiusdem hospitalis indemnitati, ac simul, ne maioribus oneribus priores, baiulivi ac praeceptores seu commendatarii praefati, his praesertim calamitosis temporibus, praegraventur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ne de cetero magnus magister, ac conventus, fratres, consilium, capitulum generale, et alia tribunalia quaecumque, aliaeve quaelibet quavis praeeminentiâ et potestate fungentes personae, hospitalis praefati sub quovis quaesito colore, causâ vel praetextu, absque nostrâ seu Romani Pontificis pro tempore existentis licentiâ, constitutiones, responsiones, aliaque onera praefata, super prioratibus, baiulivatibus, praeceptoriis seu commendis, et aliis quibuscumque beneficiis hospitalis praedicti, ut praefertur, imposita, augere vel diminuere, seu ut augeantur seu diminuantur permittere aut consentire audeant seu praesumant, sub excommunicationis latae sententiae poenâ per contrafacientes eo ipso absque aliâ declaratione incurrendâ, tenore praesentium interdicimus et prohibemus. Praeterea, quod de cetero contributiones, responsiones, aliaque onera praedicta communi aerario dicti hospitalis, prout hactenus observatum fuit, omnino solvi debeant, earumdem tenore praesentium statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 3. Mandantes propterea dilectis filiis magno magistro et consilio dicti hospitalis, omnibusque aliis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, ut easdem praesentes litteras in cancellariâ eiusdem hospitalis recipiant et admittant ac registrent, recipique et admitti ac registrari curent et faciant, ac decernentes ipsas praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu nostrae aut Sedis Apostolicae intentionis, vel quocumque alio defectu notari, redargui, impugnari, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari minime posse; sicque ab omnibus censeri et per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac quaecumque dicti hospitalis tribunalia, necnon S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuntios, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scien-

ter vel ignoranter, contigerit attentari; salvâ tamen eisdem magno magistro et consilio facultate in casibus particularibus, prout aequitas et iustitia exegerint, et dummodo trium saltem ex quatuor partibus ipsius consilii per secreta suffragia praestandus ad id accedat assensus, providendi.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem hospitali, illiusque magno magistro et conventui, fratribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ, ac potestatis plenitudine paribus, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries et quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, iteratis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v augusti MDCXC, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 augusti 1690, pontif. anno I.

---

## XXIV.

*Confirmatur, innovatur, declaratur et ampliatur constitutio Pii V circa delationem armorum*[1].

**Alexander episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Etsi cuncta, quae ex circumspectâ Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum providentiâ processerunt, debitae exequutioni demandanda esse censeamus; sollicitudini, peculiari quadam ratione, convenire existimamus, ut ea, quae ad perniciosas committendorum homicidiorum occasiones submovendas provide prudenterque constituta esse noscuntur, apostolici muniminis nostri patrocinio constabiliamus, ac, quatenus opus sit, innovemus, illaque extendamus et declaremus, ac aliàs desuper disponamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Summa constitutionis Pii IV contra gestantes *archibusetos*, brevioris mensurae duorum palmorum

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Pius Papa IV, praedecessor noster, cum experientiâ compertum habuisset ex homicidiis huiusmodi quamplura ex illis tormentulis igneis *archibusetis* vulgariter nuncupatis (quae occulte deferri possunt et ad necem inferendam aptiora et fere inevitabilia esse videntur) in dies committi et perpetrari, nec eâtenus, ob proclamata etiam sub gravissimis poenis a rectoribus provinciarum et terrarum nobis, tunc sibi, et S. R. E. subiectarum, ab illis deferendis, ob sicariorum copiam et audaciam, cessari et

1 Dicta constitutio Pii V ed. fuit MDLXXI, die 12 februarii, pontif. VI, qua extensa fuit Pii IV constit. ed. MDLXII, die 6 martii, pontif. III.

abstineri, quinimo passim et indistincte, non secus ac cetera arma minus prohibita, ab omnibus fere gestari, proditorium et abominabile ac detestandum armorum genus huiusmodi penitus et omnino destruere ac ab almà Urbe aliisquè terris nostris, tunc suis, praedictis in totum eliminare volens, per quasdam suas anno Incarnationis Dominicae MDLXII, pridie nonas martii, pontificatus sui anno III, expeditas litteras, perpetuo sancivit nemini, cuiuscumque esset dignitatis, gradus, ordinis, conditionis aut praeeminentiae, licere genus armorum huiusmodi, quod brevioris duorum palmorum mensurae existeret, publice vel occulte, tam per Urbem, civitates et loca praedicta, quam etiam in itineribus, quoquomodo, aut quovis etiam militiae aut exequutionis iustitiae praetextu, deferre, minusque in domibus aut alibi retinere, vendere, emere, aut permutationis, in solutum dationis, pignoris vel quocumque alio titulo recipere; quinimo, quicumque illa habuissent, intra certum in eisdem litteris praefixum terminum, in eàdem Urbe, illius gubernatori, in aliis vero locis praedictis, rectori vel praesidi, aut etiam gubernatori, seu cuivis alii superiori loci, in quo ea habentes fuissent, denuntiare et ad eum perferre seu perferri facere, ac penes ipsum, in loco ad id deputando servanda, dimittere tenerentur; qui vero contra fecissent, dictumque genus armorum dicto termino elapso retinuissent, crimen laesae maiestatis et rebellionis, ac poenas pro illo a iure inflictas, eo ipso incurrerent. Et subinde recolendae memoriae Pius Papa V, etiam praedecessor noster, vestigiis eiusdem Pii IV praedecessoris inhaerens, necnon attendens quod eadem ratio militabat etiam in aliis armis, veluti pugionibus, et aliis armorum generibus, quae occulte deferri possunt, et

Item constitutio refertur Pii V.

cupiens quod metu eiusdem poenae a similium armorum delatione et eorum usu quilibet abstineret, motu suo proprio, praefatae Pii IV praedecessoris constitutioni addens, perpetuo pariter sancivit nemini, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae existeret, licere pugiones, cultellos, nec aliud quodvis genus armorum brevioris mensurae trium palmorum (exceptis tamen cultellis aptis ad incidendum panem, qui tamen esse non possent maioris longitudinis unius palmi et sine cuspide, et, ut vulgo dicitur, *spuntati*) in Urbe, civitatibus et locis Status nostri, tunc sui, Ecclesiastici praefatis et suburbiis, quovis modo, aut etiam quovis militiae aut exequutionis iustitiae praetextu, deferre; qui vero contrafecissent, dictumque genus armorum detulissent, poenas in praedictà Pii IV praedecessoris constitutione expressas incurrerent; inhibendo praeterea omnibus et singulis, etiam de latere legatis, ne sub indignationis suae, et quibuscumque vicelegatis, gubernatoribus, rectoribus, praesidentibus ac aliis ministris, et Sedis Apostolicae ac civitatum et terrarum praefatarum officialibus, ne sub suspensionis a divinis ac excommunicationis latae sententiae, aliisque arbitrio suo poenis, cuiquam tale genus armorum sub quovis colore [1] deferendi licentiam et facultatem, ad quodcumque etiam brevissimum tempus, concedere auderent vel praesumerent, decernens [2] nihilominus licentias et facultates sic concedendas nullas penitus et invalidas existere, ac, illis non obstantibus, eos, qui sub illarum clypeo dictum genus armorum detulissent, poenam praefatam omnino incursuros, et

1 Vocem *deferre* importune hic interiectam delemus (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *decernentes* (R. T.).

aliàs, prout in ipsius Pii V praedecessoris desuper pridie idus februarii, pontificatus sui anno VII, emanatis litteris, quarum et praefatarum Pii IV praedecessoris litterarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Praedictae constitutiones confirmantur.

§ 2. Cum autem, sicut[1] non sine animi nostri dolore accepimus, eo quia iustitiae ministri eàdem diligentiâ, qua supradicta Pii IV praedecessoris constitutio exacte hactenus observata et exequutioni demandata fuit, exequutioni pariter et observantiae alterius Pii V etiam praedecessoris constitutionis supradictae similiter invigilare neglexerunt, tametsi eiusdem observantia in omnibus a Congregatione pro tempore existentium S. R. E. cardinalium consultationibus negotiorum ditionis temporalis eiusdem S. R. E. praepositorum, necnon a pro tempore pariter existentibus dictae Urbis gubernatoribus emanatis generalibus bannimentis demandetur, quamplura homicidia praefatis brevioribus armis, quae insidiose celantur, talique celeritate, ut eorum ictus pene inevitabiles sint, impugnantur, facillime et frequenter perpetrari soleant: hinc est quod nos, quieti et tranquillitati nostrorum et eiusdem Sedis in temporalibus subditorum consulere, ac malis huiusmodi et occasioni homicidiorum praefatorum, quae animarum saluti ac reipublicae bono adeo sunt perniciosa, occurrere, ac aliàs in praemissis, quantum in Domino possumus, providere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, constitutionem per praefatum Pium V praedecessorem desuper ut praefertur editam, omniaque et singula in eâ contenta et expressa, perpetuo approbamus, confirmamus, et quatenus opus sit, innovamus, eaque inviolabiliter inconcusse et perpetuo servari et exequi volumus et mandamus.

Interdicitur delatio dictorum armorum omnibus et in toto Statu Ecclesiastico sub poenis laesae maiestatis et rebellionis.

§ 3. Et insuper decernimus et sancimus nemini cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae, etiam speciali mentione seu notâ digno, licere in Urbe praefatâ eiusque districtu et in toto Statu Ecclesiastico nobis et dictae Sedi tam immediate quam mediate subiecto, comprehensis etiam quatuor legationibus, ac civitatibus Bononiensi, Ferrariensi, Beneventanâ, aliisque civitatibus, terris et locis etiam specialem et individuam expressionem ac nominationem requirentibus, pugiones, cultellos et parvas sicas, seu eos qui vulgo nuncupantur *stortini*, ac aliud quodvis genus armorum brevioris mensurae trium palmorum mensurae vulgariter denominatae *canne romane* ad usum mercatoris, sub poenis laesae maiestatis et rebellionis irremissibiliter exequendis (exceptis dumtaxat cultellis aptis ad incidendum panem, qui tamen maioris longitudinis unius palmi esse non possunt, sintque sine cuspide, et, ut vulgo dicitur, *spuntati*, necnon aliis instrumentis ad usum propriae artis, quam quisque exercet, necessariis, et in actu exercitii eiusdem artis, et non aliàs), deferre.

Item eorum retentio sub iisdem poenis.

§ 4. Ad haec, huiusmodi genus armorum quae sunt propria sicariorum et apta ad committenda delicta nullo unquam tempore reipublicae deservire posse considerantes, sub iisdem poenis ilorum retentionem domi, in apothecis et alibi, introductionem in dictum Statum Ecclesiasticum, fabricationem, venditionem, permutationem, in solutum vel in pignus dationem seu receptionem, et quodcumque aliud genus contractus,

1 Vocem *sicut* nos addimus (R. T.).

prohibemus, volentes et mandantes quod quicumque in Urbe et districtu praefatis, etiam in locis baronalibus commorantes, intra viginti dierum spatium a die publicationis praesentis constitutionis in infrascriptis locis faciendae computandum, ad tribunal praefatae Urbis gubernatoris, in aliis vero locis totius Status nostri Ecclesiastici, etiam mediati, intra triginta dierum spatium a die publicationis supradictae computandum, ad legatos et gubernatores superiorem in provinciâ non recognoscentes, eadem arma deferre teneantur, ut statim frangantur, et fracta subinde ad dominorum beneplacitum restituantur.

Declaratio et ampliatio. Eadem interdicuntur ecclesiasticis sub maximâ poenâ.

§ 5. Considerantes propterea quantum sacris canonibus adversetur, noceatque disciplinae ecclesiasticae, quod clerici, quorum arma sunt lacrymae et orationes, huiusmodi arma deferant, declaramus, et, quatenus opus sit, decernimus, sub praesenti ac supradictis Pii IV ac Pii V praedecessorum constitutionibus tam clericos quam alios omnes et singulas personas ecclesiasticas, etiam quomodolibet exemptas, tam saeculares quam cuiusvis Ordinis, congregationis, societatis et instituti, etiam de necessitate specialiter exprimendi, necnon militiarum quarumcumque, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, regulares, vel aliàs immunitate personali quomodolibet fruentes et gaudentes, comprehendi; mandantes propterea et maxime praecipientes venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ac, respectu regularium, pro delatione tamen seu retentione dictorum intra claustra delinquentium, eorum superioribus regularibus ibidem, quatenus praemissa omnia exequi curent et faciant, et contra transgressores ad maiorem poenam, quam tribunal ecclesiasticum pro quocumque graviori et atroci delicto imponat seu imponere valeat, irremissibiliter procedant.

Contravenientibus nihil suffragari poterit.

§ 6. Declarantes et mandantes quod ad sese eximendum a poenis praefatis allegari non suffragabitur non constare de dolo vel malâ contravenientium qualitate, nec relevabunt seu proderunt familiaritates, litterae patentes, inhibitiones et licentiae concessae et concedendae, seu privilegia cuiuslibet congregationis, iudicis et tribunalis, etiam supremi, ac officialium ministrorum et exequutorum iustitiae in quocumque actu et servitio, nullo prorsus excepto, necnon cuiuscumque militiae, etiam illius quae nuncupatur[1] *di leva*, seu alterius nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis actuali servitio destinatae, castellanorum, gubernatorum armorum, aliorumque officialium maiorum, ac quocumque militari munere etiam supremo fungentium, almae Domus Lauretanae, necnon cuiusvis Ordinis, congregationis, societatis seu instituti, vel militiarum quarumcumque, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, et quarumvis personarum etiam eminenti statu constitutarum, et aliâ quavis sive ecclesiasticâ sive mundanâ dignitate fulgentium, et aliàs quomodolibet qualificatarum, facultatis cameralis, ac ministerii, seu ministrorum etiam principalium Camerae nostrae Apostolicae, tametsi praedicti vel aliqui ex eis essent speciali notâ seu expressione digni, nullisque personis privilegiatis et privilegiatissimis exceptis; volentes, praemissis non obstantibus, ad exequutionem praefatarum poenarum irremissibiliter contra omnes et singulos contravenientes esse omnino deveniendum, et tum ad fisci nostri instantiam, quam ex officio, et per inquisitionem, ac omni alio meliori modo posse procedi.

1 Edit. Main. legit *nuncupantur* (R. T.).

Clausulae.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, assertis consuetudinibus apostolicis, quas, si quae forent, per praesentes improbamus nullasque et invalidas esse declaramus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, ad effectum praesentium, illisque aliàs[1] in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; volentes quod in aliis quam praemissis privilegiati, seu habentes litteras patentes, omnibus aliis exemptionibus et privilegiis legitime competentibus perfruantur, eâ tamen conditione quod realiter et cum effectu registrari curaverint vel curent in cancellariis legatorum et gubernatorum privilegia, litteras patentes et titulos exemptionis ad formam et tenorem edictorum de mandato Romanorum Pontificum nostrorum praedecessorum, et signanter piae memoriae Clementis X sub datum die XXVIII iulii anno Domini MDCLXXIV, et Innocentii XI sub die VII novembris anno MDCLXXVI, publicatorum, quae exacte observari, suumque plenum effectum habere, ac si hîc de verbo ad verbum inserta existerent, ordinamus.

1 Male ed. Main. legit *aliis* pro *aliàs* (R. T.).

Fides transumptorum.

§ 8. Volumus autem, quod, lapsis decem respectu dictae nostrae Urbis, et viginti diebus respectu totius praefati nostri Status Ecclesiastici, postquam praesentes valvis ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum eiusdem Urbis et in acie Campiflorae per aliquem ex nostris cursoribus affixae et publicatae fuerint, omnes et singulos, tam in Urbe quam in Statu praefatis existentes, perinde obligent et arctent, ac si unicuique eorum personaliter et nominatim intimatae fuissent; quodque earum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdemmet praesentibus, si exhibitae vel ostensae essent, adhiberetur.

Sanctio poenalis.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostram confirmationis, innovationis voluntatis, mandati, decreti, sanctionis, extensionis, prohibitionis, declarationis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXC, idibus augusti, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 13 augusti 1690, pontif. anno I.

---

## XXV (*al.* 35).

*Condemnantur duae theses, seu propositiones, una tamquam haeretica, altera tamquam scandalosa, temeraria et piarum aurium offensiva.*

Feriâ V die XXIV augusti MDCXC,

In congregatione generali sanctae Romanae et universalis Inquisitionis habitâ in

**palatio apostolico Quirinali coram sanctissimo domino nostro Alexandro divinâ providentiâ Papa VIII ac eminentissimis et reverendissimis dominis S. R. E. cardinalibus in totâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis,**

Exordium. Sanctissimus dominus noster Alexander Papa VIII non sine magno animi sui moerore audivit duas theses seu propositiones, unam denuo et in maiorem fidelium perniciem suscitari, alteram de novo erumpere. Et, cum sui pastoralis officii munus sit oves sibi creditas a noxiis pascuis avertere et ad salutaria semper dirigere, dictarum thesium sive propositionum examen pluribus in sacrâ theologiâ magistris, ac deinde eminentissimis et reverendissimis dominis cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus sedulo commisit. Qui, pluries et mature discussis infrascriptis thesibus seu propositionibus, super unâquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suae singillatim exposuerunt.

*Propositiones condemnatae.*

I. « Bonitas obiectiva consistit in convenientiâ obiecti cum naturâ rationali, formalis vero in conformitate actus cum regulâ morum. Ad hoc sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitae suae moralis ».

II. « Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi; theologicum vero et mortale, est transgressio libera divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeternâ poenâ dignum ».

Ipsarum condemnatio. Quibus peractis, Sanctissimus, omnibus plene et mature consideratis, primam thesim seu propositionem declaravit haereticam, et uti talem damnandam et prohibendam esse, sicuti damnat et prohibet sub censuris et poenis contra haereticos et eorum fautores in iure expressis; secundam thesim seu propositionem declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, et erroneam, et uti talem damnandam et prohibendam esse, sicuti damnat et prohibet, itaut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de eâ etiam disputaverit publice, seu privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (praeterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi. Insuper districte in virtute sanctae obedientiae et sub interminatione divini iudicii prohibet omnibus christifidelibus, cuiuscumque conditionis, dignitatis ac status, etiam speciali et specialissimâ notâ dignis, ne praedictam thesim seu propositionem ad praxim deducant.

Alexander Speronus *sanctae Romanae et universalis Inquisitionis notarius.*

Loco † sigilli.

*Die* XXIV *augusti* MDCXC *supradictum decretum affixum et publicatum fuit ad valvas basilicae Principis Apostolorum, Cancellariae Apostolicae, in acie Campiflorae, ac in aliis locis solitis et consuetis Urbis, per me Franciscum Petrinum domini nostri P. P. et sanctissimae Inquisitionis cursorem.*

---

## XXVI (*al.* 25).

*Confirmatur et innovatur creatio Congregationis presbyterorum saecularium B. M. Assumptae Bracharensis,*

*eique privilegia et indulgentiae conceduntur*[1].

**Alexander Papa VII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Ad pastoralis dignitatis fastigium, meritis licet imparibus, ineffabili divinae bonitatis abundantiâ evecti, divini cultus et animarum salutis incremento ac fidei catholicae propagationi, quantum nobis ex alto conceditur, intendimus, et propterea clericorum congregationes, id operari cupientes, propensis studiis promovemus et instituimus, favoribusque et gratiis prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Erectio dictae Congregationis ad instar illarum S. Philippi Nerii et B. M. V. Assumptae Ulyssiponensis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri saeculares Congregationis sub titulo B. Mariae Virginis Assumptae in civitate Bracharensi ordinariâ auctoritate canonice (ut asseritur) erectae, quod aliàs tunc existens archiepiscopus Bracharensis eamdem Congregationem in dictâ civitate pro presbyteris saecularibus, qui sub clausurâ voluntariâ absque votorum obligatione propriae alienaeque saluti studere, missionibus et verbi Dei praedicationi operam dare, ac sacramentales chistifidelium confessiones audire, aliqua[2] pietatis et christianae charitatis opera exercere deberent, ad instar Congregationum Oratorii sancti Philippi Nerii in ecclesiâ sanctorum Mariae in Vallicella et Gregorii de Urbe dudum auctoritate apostolicâ erectae, et B. Mariae Virginis Assumptae Ulyssiponensis a felicis recordationis Clemente Papa X praedecessore nostro per quasdam suas in simili formâ Brevis die VI maii MDCLXXI expeditas litteras confirmatae, sub constitutionibus sive statutis particularibus pro eâdem Congregatione Ulyssiponensi editis et a praefato Clemente praedecessore per alias pariter in formâ Brevis die XXIV augusti MDCLXXII emanatas litteras approbatis, illorumque appendice, erexit et instituit.

Preces dictorum presbyterorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes praefata pietatis et charitatis opera exercere hactenus studuerint, illisque in futurum quoque iuxta pium dictarum Congregationum institutum adiuvante Domino operam dare intendant: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio et innovatio dictae Congregationis.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes, ut ad pia et sacra opera huiusmodi promptiores reddantur, uberioresque in vineâ Domini fructus incrementum, dante Deo, proferre satagant, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, veris existentibus narratis, et quatenus dicta Congregatio Bracharensis aliàs canonice[1] erecta et instituta fuerit, erectionem et institutionem ipsius Congregationis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae

1 Similis Congregatio in civitate Portugalliensi confirmata fuit ab Innocentio XI constit. editâ MDCLXXXIII, die 20 maii, pontif. VII; et ab hoc Pontifice in constit. edit. MDCXC, die 5 octobris, pontif. I, concessa fuit quaedam facultas Presbyteris Missionis.

2 Forsan *aliaque* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *canonicae* (R. T.).

firmitatis robur adiicimus; et nihilominus in ecclesiâ dictae Congregationis unam praefatorum presbyterorum et clericorum saecularium in eam pro tempore recipi volentium Congregationem sub memorato titulo B. Mariae Virginis Assumptae, ad instar supradictarum Congregationum Oratorii sancti Philippi Nerii de Urbe et B. Mariae Virginis Assumptae Ulyssiponensis, dummodo tamen iidem presbyteri et clerici ordinationes et instituta dictarum Congregationum, aliàs a recolendae memoriae Paulo Papa V, praedecessore pariter nostro, ac praefato Clemente praedecessore respective confirmata, receperint seu recipiant, et illa pro viribus observare intendant, sub constitutionibus sive statutis illorumque appendice praedictis, auctoritate et tenore praefatis, itidem perpetuo erigimus et instituimus.

Privilegia et facultates illi concessa.

§ 4. Ac modernis et pro tempore existentibus praeposito et aliis presbyteris eiusdem Congregationis sic de novo erectae, qui ab Ordinario approbati fuerint, ut confessiones quorumcumque ad eos accedentium quocumque anni tempore audire, illisque, poenitentiâ debitâ pro modo culpae et aliis quae iniungenda fuerint iniunctis, absolutionem impendere salutarem possint et valeant; sacerdotes vero et clerici in eâdem Congregatione recepti, eorumque ministri, pro tempore quoque[1] ibidem permanserint, parochis eorumque iurisdictioni minime subiaceant, ipsique sacerdotes sibi invicem, ac clericis et ministris praefatis, etiam laicis, quaecumque ecclesiastica sacramenta, quovis etiam Paschatis Resurrectionis Dominicae tempore, vice et loco parochi ministrare, superiores autem ipsius Congregationis per praesentes erectae, per se, vel alium, seu alios ex ipsis iam approbatis, suos subditos a censuris, non tamen in casibus Sedi Apostolicae reservatis, neque in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, absolvere, illisque debitam poenitentiam similiter iniungere; iidemque superiores receptos inobedientes et ipsius Congregationis constitutionum transgressores punire, et poenitentiâ pro modo culpae, servatâ tamen formâ ordinationum et inhibitionum huiusmodi, afficere, et, si sibi videbitur, cum consensu maioris partis dictae Congregationis, culpabiles eiicere, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, libere et licite similiter possint et valeant, dictâ auctoritate, harum serie, concedimus et indulgemus. Praeterea presbyteris et clericis in eamdem Congregationem pro tempore receptis, ne ipsâ Congregatione, etiam ex iustissimâ causâ, nisi prius illam superiori Congregationis huiusmodi pro tempore existenti manifestaverint, egredi audeant quovis modo vel praesumant, sub excommunicationis latae sententiae poenâ per contrafacientes eo ipso incurrendâ, auctoritate et tenore praedictis prohibemus et interdicimus. Ac demum, quod praefata Congregatio perpetua sit et esse intelligatur, praesertim quoad missiones, subiecta omnimodae iurisdictioni archiepiscopi Bracharensis pro tempore existentis, a quo nihilominus ordinationes et instituta ipsius Congregationis immutari aut alterari minime possint, auctoritate praedictâ, earumdem tenore praesentium, pariter perpetuo statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quos-

1 Vel lege vel adde *quo* (R. T.).

cumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Indulgentiae.

§ 6. Ut autem ecclesia Congregationis sic erectae in maiori veneratione habeatur, et a christifidelibus Congregationis frequentetur[1] honoribus, aliique presbyteri et clerici saeculares ad ipsam Congregationem per praesentes erectam ingrediendam magis incitentur, omnibus et singulis presbyteris et clericis, qui eamdem Congregationem de cetero ingredientur, die primo eorumdem ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; ac ipsis nunc et pro tempore existentibus presbyteris et clericis, aliisque conviventibus eiusdem Congregationis, in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus, etiam plenariam; necnon tam illis, quam aliis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui eiusdem Congregationis per praesentes erectae ecclesiam die festo Assumptionis beatae Mariae Virginis Immaculatae a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino etiam perpetuo concedimus et elargimur. Necnon tam presbyteris et aliis eiusdem Congregationis, quoties pro exhortationibus habendis convenerint, quam aliis utriusque sexus christifidelibus eisdem exhortationibus interessentibus, decem annos; et qui ecclesiam dictae Congregationis in Purificationis, et Annunciationis, ac Nativitatis et Conceptionis beatae Mariae Virginis Immaculatae festis diebus a primis vesperis usque ad occasum solis festorum huiusmodi annis singulis devote visitaverint, et ut praefertur oraverint, septem annos et totidem quadragenas; eisdem vero presbyteris, et aliis dictae Congregationis, quoties divinis officiis in suâ ecclesiâ vel oratorio more eiusdem Congregationis celebrandis, aut congregationibus particularibus vel privatis et secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint, aut infirmos consolati fuerint, sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, aut conscientiam suam, antequam cubitum eant, examinaverint, seu flagellis ad carnem castigandam se afflixerint, vel quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam, tam pro animabus presbyterorum et aliorum dictae Congregationis, quam aliorum in Christi charitate defunctorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, vel ignorantes praecepta Dei et ea quae ad salutem sunt docuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties, pro quolibet praefatorum operum, sexaginta dies de iniunctis vel aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque apostolicis, ac in universalibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et

[1] Male ed. Main. legit *frequententur* (R. T.).

litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII septembris MDCXC, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 13 septembris 1690, pontif. anno I.

---

## XXVII (*al:* 26).

*Conceditur presbyteris Congregationis Missionis, aliisque ei aggregatis, facultas absolvendi a casibus reservatis, et indulgentia plenaria*[1].

**Alexander Papa VIII,**

**Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis,**

**salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium. Caelestium munerum thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, libenter illis elargimur, quos pro suâ in Deum et proximos charitate ac catholicae religionis zelo animarum saluti procurandae omni studio incumbere intelligimus, ac eorum vota favoribus prosequimur opportunis, prout in eodem Domino conspicimus expedire.

Facultatis concessio, ut in rubrica. § 1. Cum itaque, sicut dilectus Edmundus Iolly, superior generalis Congregationis Missionis, nobis nuper exponi fecit, ipse presbyteros et alios dictae Congregationis in diversas christianae reipublicae provincias ad christifidelium salutem procurandam, iuxta dictae Congregationis institutum, mittere consueverit, et nonnulli presbyteri seu clerici in civitate Parisiensi Congregationi praefatae aggregati reperiantur, quorum director perpetuus est superior eiusdem Congregationis, quique unà cum presbyteris ipsius Congregationis ad missiones proficiscuntur, et aliquando seorsim missiones huiusmodi magno cum fructu exercent: nos, eorumdem mittendorum pietatem et operam, eorumque ad quos illi mittentur religionem et devotionem spiritualibus gratiis confovere atque augere cupientes, praedicti Edmundi superioris generalis precibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praefatis presbyteris dictae Congregationis, nec non aliis presbyteris in civitate Parisiensi eidem Congregationi aggregatis, ut praefertur, qui cum deputatione seu consensu superioris dictae Congregationis, eorum directoris, missionibus operam dederint, ad audiendas christifidelium confessiones ab Ordinariis locorum approbatis, facultatem absolvendi quoscumque christifideles, eorum confessionibus diligenter auditis, a quibuscumque peccatis, delictis et excessibus, etiam in casibus Sedi Apostolicae reservatis, in foro conscientiae tantum, exceptis tamen casibus contentis in litteris die Coenae Domini legi solitis, ac solummodo in

1. Extat quaedam facultas concessa superiori generali huius Congregationis ab Innocentio XI const. edit. MDCLXXIX, die 5 iunii, pont. III; et ab Innocentio XII const. edit. MDCXCIX, die 21 martii, pontif. VIII, confirmatae fuerunt eorumdem Presbyterorum Missionis constitutiones. In praecedenti Alex. VIII diplomate habes facultates Presbyterorum B. M. V. Assumptae.

locis, ad quae iidem presbyteri per Ordinarios fuerint ad exercendas missiones specialiter evocati, et ubi non erunt missionarii Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, ac iniunctâ pro modo culpae poenitentiâ salutari, aliisque quae fuerint iniungenda, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus.

Indulgentia in actu missionis pro unica vice et ad septennium. § 2. Praeterea, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis presbyteris tam dictae Congregationis quam illi aggregatis praedictis, et aliis mittendis, ubi tamen non erunt missionarii supradictae Congregationis de Propagandâ Fide, et aliis utriusque sexus christifidelibus, ad quos ipsi mittendi accesserint, nostram et apostolicam benedictionem per praesentes impertimus, nec non eisdem vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui pro sanctae Romanae Ecclesiae praedictae exaltatione, principum christianorum unione, infidelium conversione, haeresum extirpatione, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, pro unicâ vice tantum, et in actu praedictae missionis, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et elargimur. Hortantes venerabiles fratres patriarchas, primates, archipiscopos, episcopos et alios ecclesiarum praelatos, rectores, ac verbi Dei praedicatores, ut in suis quisque ecclesiis, cum populus frequentior fuerit, praesentes litteras et omnia in eis contenta publicent et publicari faciant, ac omnem eisdem presbyteris et aliis favorem et auxilium in praemissis praestent. Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Transumptorum fides. § 3. Volumus autem ut ipsarum praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici, seu dictae Congregationis Missionis secretarii subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae seu eiusdem Congregatione munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v octobris, MDCXC, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 octobris 1690, pontif. anno I.

---

## XXVIII (*al.* 27).

*Confirmatur decretum cardinalis protectris super controversiis de residentiâ generalis, loco capitulorum, aliisque inter generalem et quosdam religiosos Ordinis B. Ioannis Dei Congregationis Hispaniae*[1].

**Alexander Papa VIII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Decisio dictarum controversiarum commissa fuit cardinali protectori. § 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum moderni superioris generalis Congregationis Hispaniae Ordinis B. Ioannis Dei, ac Francisci Pretell et Francisci Alvarez de Azevedo fratrum expresse professorum provinciarum Castellae et Portugalliae dictae Congregationis, nobis expositum fuit, quod (cum aliàs nonnullae controversiae inter eumdem superiorem generalem ex unâ, ac dictos Franciscum de Pretell et Franciscum Alvarez de Azevedo, tam proprio quam procuratorio nomine dilectorum pariter filiorum Petri Fernandez de Ayllon, Hieronymi Bacherii et aliorum fratrum

1 Confirmata fuere decreta cuiusdam capituli intermedii ab Innocentio XI constit. ed. MDCLXXXVI, die 17 augusti, pontif. X; et a Clemente XI revocatae conventualitates constit. ed. MDCCIII (male edit. Main. legit. *MDCCLXXIII*) die 10 maii, pontif. III.

dictae Congregationis ex alterâ partibus, de et super loco residentiae eiusdem superioris generalis, necnon convocatione seu celebratione capitulorum generalium et intermediorum dictae Congregationis, ac privatione seu suspensione supradicti Petri ab officio secretariatus Congregationis praedictae, rebusque aliis latius in processu causae deductis, exortae essent) nos negotium huiusmodi remisimus ad dilectum filium nostrum Gasparem S. R. E. presbyterum cardinalem Carpineum nuncupatum Ordinis praefati apud nos et Sedem Apostolicam protectorem, ut controversias praedictas, iam pridem in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ vertentes, decideret, eisque debitum finem imponeret. Unde idem Gaspar cardinalis et protector, cum pluries et voce et scriptis utramque partem coram se accersitam audivisset, visis subinde et consideratis dicti Ordinis constitutionibus, documentis publicis, totoque processu causae et causarum in partibus facto, aliisque omnibus necessariis et opportunis mature perpensis, decretum edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum dicti cardinalis.

« Gaspar titulo S. Mariae Transtyberim S. R. E. presbyter cardinalis Carpineus, sanctissimi domini nostri Papae vicarius generalis, et Ordinis beati Ioannis Dei apud Sanctam Sedem protector.

» Cum sanctissimus dominus noster Alexander PP. VIII peculiari eius rescripto coram nobis exhibito dignatus fuerit arbitrio nostro benigne committere, ut controversias omnes iam pridem in sacrâ Congregatione eminentissimorum et reverendissimorum dominorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ vertentes inter fratres Franciscum Pretell et Franciscum Alvarez Azevedo Ordinis beati Ioannis Dei in regnis Hispaniarum, tam nomine proprio, quam procuratorio fratrum Petri Fernandez de Ayllon, Hieronymi Bacherii, et aliorum in supplici libello SS. D. N. porrecto enunciatorum, ex unâ, ac patrem fr. Emmanuelem de Errera procuratorem generalem dicti Ordinis regni Hispaniarum in Romanâ Curiâ existentem, partibus ex alterâ, de et super residentiâ eiusdem patris generalis, convocatione seu celebratione capitulorum generalium et intermediorum, necnon inquisitione et respective condemnatione supradicti patris fratris Petri Fernandez de Ayllon ob causas de quibus in processu desuper confecto et nobis exhibito, rebusque aliis coram nobis latius deductis, decideremus, ac debitum finem hisce litibus et controversiis imponeremus; cumque ad haec peragenda atque definienda pluries et voce et scriptis utramque partem coram nobis accersitam audiverimus, et deinde visis et consideratis Ordinis praedicti constitutionibus, documentis publicis, totoque processu causae et causarum in partibus facto, aliisque omnibus necessariis et opportunis, visis videndis, mature perpensis, tandem ad omnium harum controversiarum terminationem vigore praesentis nostri decreti distincte devenire ut infra statuimus:

De residentia generalis.

I. » Auctoritate igitur ab eodem SS. D. N. nobis attributâ, volumus atque decernimus, ut in posterum tam pater frater Ioannes de Cobaleda, praesens generalis, quam omnes et singuli futuri et pro tempore existentes generales suam residentiam facere teneantur in conventu, domo seu hospitali designando in futuro proximo capitulo generali suo tempore celebrando, cuius arbitrio atque declara-

tioni totalem huius rei terminationem remittere intendimus, prout praesenti decreto remittimus. Hortamur tamen et in Domino admonemus omnes et singulos vocales, ad quos spectabit dicto capitulo interesse, ut, circa hanc designationem loci seu conventus et hospitalis, id statuant, quod pro bono pacis ac religionis utilitate et incremento expediens esse censuerint; et interim pro eo tempore decurrendo usque ad primum capitulum futurum generale iniungimus patri fratri Ioanni de Cobaleda moderno generali, ut ipse unâ cum totâ suâ curiâ residere teneatur in conventu vel hospitali Matriti, prout ibi residere mandamus:

De loco celebrationis capitulorum.

II. » Item, circa celebrationem capitulorum generalium et intermediorum, pari nostro perpetuo valituro decreto praecipimus, in futurum servandas esse constitutiones Ordinis in capit. XVI et XXXIX, hoc est semper et in perpetuum praedicta capitula celebranda esse in loco, conventu seu hospitali a patre generali Ordinis eiusque definitorio pro tempore existente designando, quavis assertâ consuetudine in contrarium non obstante, prout etiam in Congregatione episcoporum et regularium sub die XVII martii MDCLXXXIX resolutum fuit. Proindeque, modo incipiendo a capitulo intermedio ut infra celebrando, praesentis decreti tenore, ac virtute sanctae obedientiae, et sub poenis inferius exprimendis, iniungimus et mandamus eidem patri fratri Ioanni de Cabaleda, ut (nullâ habitâ ratione alterius cuiuscumque convocationis sive a se sive ab aliis, quacumque auctoritate, superioritate et iurisdictione munitis, forsan anno proxime elapso factae, quas tamquam pro non factis haberi et nullius roboris ac momenti esse volumus atque mandamus) statim, visis praesentibus, se conferat ad conventum seu hospitale in civitatem Cordubae, ibique convocet omnes et singulos patres, seu fratres, ex quibus definitorium iuxta constitutiones Ordinis componitur, ad effectum ut ad tenorem dictarum constitutionum ipse pater generalis cum suo definitorio pro celebratione futuri capituli intermedii determinet seu assignet locum illum sive conventum vel hospitale, quod magis commodum, utile aut necessarium pro rebus religionis agendis atque determinandis eidem definitorio videbitur; quatenus vero, vel temporis angustia, vel motus in religione exorti, et dissidia ad aures nostras cum maximi animi nostri admiratione perventa, non permitterent ut dicti convocatio definitorii in conventu vel hospitali Cordubensi ut supra peragi posset, tunc ad illos seu illa sedanda, prout decet et nos omnino exoptamus atque praecipimus, pro hac vice dictum proximum futurum capitulum intermedium celebretur in conventu seu hospitali Matritensi, prout ibi, ac non alibi, illud celebrari mandamus. Ex hac tamen provisione non intendimus auctoritati ac facultati, dicto patri generali et definitorio competenti, nec in minimo quoad hoc praeiudicari in posterum unquam; sed eam semper salvam et intactam remanere. Si vero dicti loci, conventus sive hospitalis determinatio vel designatio commode fieri valeat, pariter eidem patri generali praecipimus, ut novas litteras convocatorias pro celebratione dicti capituli intermedii (quod sub die III mensis maii proxime futuri in loco ut supra designando, vel in conventu sive hospitali Matritensi quoties definitorium prout supra convocari nequeat, fieri mandamus) expediat, et sub poenis arbitrio eiusdem patris generalis omnes et singulos vocales, qui debent et pos-

sunt commode interesse celebrationi huius capituli, convocet, ut omnes debito tempore valeant in unum convenire:

De electione officialium.

III. » Sicut autem in iisdem constitutionibus Ordinis cap. XXXIX statuitur, electiones provincialium, priorum, aliorumque officialium faciendas esse in capitulo intermedio, et eius officium per triennium durare ac respective absolvere tempore capituli generalis; ita tamen committimus et mandamus servandam esse pariter dispositionem constitutionum, et ad earum praescriptum eligi novos provinciales, priores et officiales in hoc capitulo intermedio celebrando, illorumque provincialatus, prioratus et officia terminare debere in proximo capitulo generali, perinde ac si fuissent suo tempore electi; ita tamen ut ipsi provinciales, priores et officiales gaudere et potiri debeant omnibus iuribus, praerogativis et praeeminentiis, ac haberi et reputari debere, ac si integro triennio provincialatus et officia exercuissent, in eisque extitissent, etiam respectu intermediae vacationis, de qua fit mentio in dicto cap. XXXIX constitutionum Ordinis:

De vocalibus.

IV. » Praeterea, ad tollendas omnes dubiorum causas atque occasiones, declaramus omnes priores, aliosque habentes vocem in capitulo intermedio iuxta tenorem earumdem constitutionum in dictis cap. XXXIX et cap. XXV, interesse debere, ac vocem in antedicto proximo intermedio capitulo habere, etiamsi elapsum sit tempus triennale eorum officii, et capitulum intermedium tempore a constitutionibus Ordinis praescripto celebratum non fuerit:

Absolutio patris generalis a censuris et poenis.

V. » Quoniam autem, ut praefertur, pater Ioannes de Cabaleda generalis fuit ex commissione tribunalis nunciaturae publice excommunicatus, privatus voce activâ et passivâ, et in alias poenas condemnatus; propterea, ad omnem bonum finem et cautelam, ipsum patrem generalem absolvendum fore et esse duximus, prout praesentis decreti tenore ad cautelam ab excommunicatione forsan incursâ, ex supradictis facultatibus nobis, ut supra, attributis, absolvimus et liberamus, atque itidem ab omnibus et quibuscumque aliis poenis irrogatis vel comminatis liberandum et absolvendum fore et esse, atque etiam a privatione vocis activae et passivae, prout absolvimus et liberamus, ac proinde eumdem patrem generalem, quatenus opus sit, esse in pristinum restituendum, ipsumque continuare debere seu manutenendum esse in dignitate et munere generalatus, exercitio totali suae auctoritatis et iurisdictionis, necnon iure vocis activae et passivae, omnibus et quibuscumque aliis praeeminentiis et praerogativis, prout in pristinum, quatenus opus sit, restituimus et manutenemus, ac amplius pro hac causâ, seu occasione huius causae, non esse molestandum, prout amplius non molestari mandamus.

Rehabilitatio patris secretarii.

VI. Quo vero ad patrem fr. Petrum Fernandez de Ayllon secretarium religionis, dicimus privationem seu suspensionem ab officio secretariatus a patre generali vel eius delegato demandatam, sive ab alio quocumque iudice etiam tribunalis nunciaturae factam, ac similem privationem vocis activae et passivae, necnon poenam relegationis et carcerationis, aliasque poenas, de quibus in sententiâ seu processu, non sustineri; et proinde dicimus et declaramus illas omnes et singulas revocandas esse, prout revocamus et abolemus. Procedentes tamen ex integro, et ex auctoritate nobis demandatâ, decernimus patrem fratrem Petrum Fernandez, ex quo satis luit ob carcerationem et diuturnam suspensionem ab ipso passam, absolvendum et

liberandum esse, prout absolvimus et liberamus, ac in officio secretariatus, illiusque exercitio, voce activâ et passivâ, omnibusque aliis honoribus et praerogativis manutenendum, seu, quatenus opus sit, reintegrandum fore et esse, prout manutenemus, et, quatenus opus sit, reintegramus, et pro hac causâ, pro qua a patre generali inquisitus et condemnatus fuit, amplius molestandum non esse, prout non molestari mandamus, et de et super praemissis perpetuum silentium imponendum fore et esse, prout imponimus. Admonemus tamen atque praecipimus patri fratri Petro Fernandez, ut in posterum, sub quovis praetextu vel quaesito colore, ab usu alearum et taxillorum omnino se abstineat, sub poenâ privationis officii, vocis activae et passivae, omniumque aliorum honorum, praeeminentiarum et praerogativarum, et sub poenis carcerationis aliisque gravioribus arbitrio nostro:

Executio praedictorum omnium.

VII. » Et ita in omnibus servari volumus et mandamus, quibuscumque in contrarium non obstantibus; atque stricte patri Ioanni de Cabaleda generali, omnibusque aliis et singulis ad quos spectat, iniungimus atque mandamus, ut statim, visis praesentibus, parere debeant, et hoc nostrum decretum executioni demandare et in actis capituli intermedii registrare, sub poenis, contrafacientibus, privationis dignitatum et officiorum, vocis activae et passivae, et perpetuae inhabilitatis ad illas seu illa, nullitatis omnium et singulorum actorum, etiam excommunicationis, aliisque poenis arbitrio nostro incurrendis; ad quas irremissibiliter contra inobedientes, statim habitâ notitiâ inobedientiae, procedemus. Datum Romae, ex aedibus nostris hac die 11 februarii MDCXC.

G. cardinalis Carpineus, vicarius et protector et iudex deputatus ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, decretum huiusmodi, a memorato Gaspare cardinali protectore editum, ab utrâque parte unanimi consensu acceptatum fuerit; ac propterea iidem exponentes, illud, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum memorati Gasparis cardinalis et protectoris decretum, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, provinciarum, Congregationis et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCXC, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 7 octobris 1690, pontif. anno I.

---

## XXIX (*al.* 28).

### *Confirmantur constitutiones monachorum Silvestrinorum* [1].

1 Nonnullae aliae constitutiones approbatae fuerunt ab Innocentio XI const. ed. MDCLXXXIII, die 15 ianuarii, pontif VII; et a Clemente XI confirmatum fuit quoddam decretum congregationis generalis in const. ed. MDCCXX, die 20 maii, pontif. XX.

**Alexander Papa VIII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Pastoris aeterni vices, licet immeriti, gerentes in terris, ea, quae, pro felici religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub laudabili vitae monasticae instituto mancipatorum regimine et in viâ mandatorum Domini directione, provide salubriterque constituta esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, apostolici muniminis, cum id a nobis petitur, praesidio libenter constabilimus.

Hae constitutiones approbatae fuerunt in capitulo generali MDCLXXXVIII

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii abbas Salvator Salvatori, procurator generalis Congregationis monachorum Silvestrinorum nuncupatorum Ordinis sancti Benedicti, et Ioannes Matthaeus Felicianus monachus expresse professus ac de praesenti abbas monasterii S. Stephani de Cacco nuncupati de Urbe dictae Congregationis, quod (cum aliàs, ad regulae eiusdem S. Benedicti praescriptum, nec non iuxta antiquorum ipsius Congregationis statutorum, variarum litterarum apostolicarum, quarumdam S. R. E. cardinalium Congregationum decretorum, ac capitulorum generalium ipsius Congregationis dispositionem, compilatae fuissent nonnullae constitutiones) vocales dictae Congregationis in eorum capitulo generali, mense iunio MDCLXXXVIII celebrato, concorditer, et nemine illorum discrepante, per vota secreta approbarunt, et propriâ subscriptione firmarunt easdem constitutiones tenoris qui sequitur, videlicet:

PRIMA DISTINZIONE.

Cap. I. *Dell' offizio divino.*
— II. *Del capitolo quotidianò.*
— III. *Della disciplina comune.*
— IV. *Delle confessioni particolari, e dei predicatori.*
— V. *Come debbano vivere i monaci in tempo d'estate.*

Cap. VI. *In che tempo si debba osservare il digiuno.*
— VII. *A che ora debbano i monaci affatigarsi.*
— VIII. *Come debbano portarsi i monaci in tempo della lezione.*
— IX. *Dell'ora d'andare in refettorio.*
— X. *In quali giorni debbano usarsi cibi quadragesimali.*
— XI. *Dell'ora della collazione.*
— XII. *Della collazione spirituale, e conferenza dei casi.*
— XIII. *Come si debbano portare i monaci dopo compieta.*
— XIV. *In quali stanze del monastero sia lecito entrare.*
— XV. *Del ricevere i novizi.*
— XVI. *Quali monaci e quando si debbano ordinare.*
— XVII. *Come si debbano portare i monaci, che vanno in viaggio, e del silenzio da osservarsi in mensa.*
— XVIII. *Degl' infermi.*
— XIX. *Di quelli, che si cavano sangue e si medicano.*
— XX. *Della rasura de' monaci.*
— XXI. *De' vestimenti de' monaci.*

Cap. I. Dell'offizio divino. Del mattutino.

1. Ne' luoghi dove saranno almeno sei corali, sieno tenuti alzarsi a matutino, se in ciò non fossero per qualche giusta causa dispensati dal padre generale o dal capitolo generale; e il tempo di sonare da maggio sino a settembre a sei ore di notte, nel mese di settembre a sette, di ottobre a otto, di novembre a nove, di decembre e gennaro a dieci, di febbraio a nove, di marzo a otto, di aprile a sette. Udito, che averanno il primo segno, si levino subito, e speditisi da' loro particolari bisogni, vadano con grave prestezza in chiesa, ove ciascheduno prenda l'acqua benedetta, e cavatosi il cappuccio, passando avanti l'altare, faccia a Dio umile riverenza con debita composizione di mani e di vita; e così entrati in coro, inginocchiandosi, faranno orazione nel secreto del cuor loro, finchè la campana dia l'ultimo segno, dandosi tempo da un segno all'altro che i monaci possano arrivare comodamente in coro. Poi, fatto il segno dal superiore, si alzaranno in piedi, e al segno del medesimo l'eddomadario comincierà con voce alta, grave e divota, e continuerà, conforme alle rubriche del novo breviario monastico, ove saranno notati i Santi del nostro Ordine e della diocesi. Tanto puntatamente, e con tal divozione doveranno dire l'Ore canoniche, che la mente concordi con la voce, e la voce con l'interno.

II. E perchè in tutti i nostri luoghi venga con egual forma lodato il Signore, ordiniamo che ne' monasterì, dove saranno sei corali, nella Natività di nostro Signore, nelli tre giorni della settimana santa, e nella solenità del padre santo Silvestro, si canti tutto il matutino, fuorchè i responsorì delle dodici lezioni et i salmi e cantici del secondo e terzo notturno, che doveranno però recitarsi molto puntatamente, lasciandosi in arbitrio del superiore far cantare i responsorì delle prime quattro lezioni, come alcune volte si pratica, potendosi anco sonar l'organo per respiro del canto. Nelle altre feste di prima classe di tutto l'anno si canti l'invitatorio, il *Venite exultemus Domino*, l'inno del mattutino, il *Te Deum laudamus*, e dal capitolo delle laudi sino al fine. Et in tutte le altre feste dell'anno si canti il *Te Deum* e il *Benedictus* con la sua antifona. Ma dove sarà numero minore di corali, nelle suddette prime solennità si canti come si è detto per i giorni di prima classe di tutto l'anno, quando non possa cantarsi come sopra, a che dovranno i superiori sforzarsi; e in tutte l'altre feste si canti il *Te Deum laudamus* e il *Benedictus* con la sua antifona. E in quanto all' ora di recitarlo, dove non si alzi la notte, da Pasqua di Resurrezione fino a Tutti i Santi si reciti dopo le ventun' ora, e dalla festa di Tutti i Santi sino a Pasqua, o la mattina circa l'alba del giorno, o la sera alla prima avemaria dopo la consueta orazione che comunemente si fa in coro, come al suo luogo.

Di Prima, Terza, Sesta, Nona e messa conventuale.

III. Provveda il superiore, che a tal ora si suoni a Prima secondo la diversità dei tempi, che i monaci non si levino più tardi

di quello devono, per dar lode al Signore nella prima ora del giorno. Subito dunque che sarà dato il segno per l'ora di Prima, entrino i fratelli in chiesa con l'ordine che s'è detto al mattutino, e fatto il cenno dal superiore, se gli dia principio secondo le rubriche del nuovo breviario monastico.

IV. Chi non sarà giunto in coro avanti che sia finito il *Gloria Patri* del primo salmo, sodisfarà stando in piedi sin tanto che gli sia fatto segno dal superiore (il che deve osservarsi in tutte le Ore canoniche), ed allora se ne vada al proprio luogo; la qual cosa faccia parimente il superiore, stando alquanto in piedi che sia veduto da tutti, e si porti poi al suo luogo, quando li piacerà. Errando alcuno dei novizi o professi in coro, o nel leggere, o in altra cosa, subito terminata la lezione, o altra azione, e per qualunque errore, si gettino in terra con ambi i ginocchi, e bacino terra. Nè sia mai lecito ad alcuno de' corali partir dal coro senza licenza del superiore; e tornando, prenda sempre la benedizione da chi tiene il primo luogo.

V. Ne'giorni festivi di tutto l'anno, dove saranno sei corali, dopo Prima si cantino in coro le litanie de' Santi con li versetti in fine *Salvos fac*, etc. *Memento Congregationis*, etc. *Dominus vobiscum*, etc., e con l'orazione *Deus, cui proprium est*, etc., della festa corrente, e del padre santo Silvestro; ed essendo festa della Beatissima Vergine, in luogo delle litanie dei Santi potranno dirsi quelle della medesima Vergine. Negl'istessi giorni festivi ad ora debita si canti Terza, poscia la messa conventuale con fare in ogni luogo nelle domeniche l'*Asperges* dell'acqua benedetta per la chiesa, indi si dica Sesta, e dopo pranzo Nona. Ma ne' luoghi dove sarà minor numero dei corali, recitate ad ora competente l'Ore suddette, che potrà essere circa due ore dopo la levata del sole, si canterà la messa conventuale almeno in tutti i giorni festivi dell'anno, tutti i sabbati non impediti in onore della Vergine, in qualunque primo giovedì del mese, non impediti, in onore del padre santo Silvestro; et ogni primo lunedì del mese, similmente non impedito, la messa di *Requiem* per i nostri fratelli, protettori e benefattori defunti; in ordine a che non possono dispensare i superiori locali senza espressa licenza del padre generale, che invigilerà e ricercherà specialmente nelle visite, acciò sotto alcun colore o pretesto non si contravenga alla presente ordinazione; e chi contraverrà de'superiori locali, soggiaccia alla pena di media colpa, e ad altre ad arbitrio del padre generale.

*Del vespro e compieta*

VI. Giusta la consuetudine de' luoghi e de' tempi, si suoni all'ora debita al vespro, che ne' giorni festivi deve cantarsi tutto con molta pausa e divozione in qualunque de' nostri monasteri, o sia di maggior o minor numero de'corali, col suono dell'organo, dove sarà il comodo. Ne' monasteri poi, dove saranno sei corali, anco in tutti i giorni feriali si canti ogni giorno il *Magnificat* con la sua antifona e orazione.

licae S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis de Alteriis S. R. E. camerarius, ac totius Ordinis Praedicatorum apud Sanctam Sedem protector. Cum ex parte provinciae S. Catharinae virginis et martyris de Quito, in Indiis Occidentalibus, fratrum Praedicatorum, sacrae Congregationi eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum per reverendum patrem magistrum fratrem Ignatium de Quessada illius procuratorem et definitorem in hac curiâ praesentem expositum fuerit, quod ex concessione sanctissimi domini nostri Innocentii XI et munificentiâ regis catholici Caroli II collegium in dictâ civitate Quitensi sub moderamine dictorum fratrum Praedicatorum eorumque regimine, et sub titulo B. Ferdinandi, Sancti nuncupati, cum iure et privilegio in omnibus scientiis quoscumque studentes laureandi, ac aliis, quibus universitates Limana et Mexicana potiuntur, quaeque aliis collegiis regularibus a praefato rege catholico suisque praedecessoribus concessa fuere, erectum fuerit et institutum, seu verius de proximo erigi ac institui debeat, atque ad hoc, ut fundatio huiusmodi sequeretur, ac ad moderatorum illius universitatis sustentationem, conventus S. Petri Martyris, eiusdem civitatis et Ordinis, quasdam domos simul unitas et sitas in plateâ S. Dominici eiusdem civitatis, quaeque sunt dicto conventui conterminae usque[1], sub die XVIII augusti MDCLXXXI dicto collegio donaverit atque contulerit, ac praeterea tres possessiones, seu praedia stabilia ad ipsum conventum spectantia, sita in valle Tochache, aliud in valle Sangolqui, et tertium in iurisdictione de Loxa, et ultra haec etiam pistrinum ad usum saccari cum suis pertinentiis, quod hispanice nuncupatur *ingenium*, situm in valle Pisque, sponte etiam et libere concesserit et assignaverit, prout in scripturis et instrumentis huiusmodi donationum et concessionum latius continetur, ad quae relatio habeatur; ac insuper ad eumdem effectum capitulum provinciale celebratum in dicto conventu S. Petri Quitensi die XX septembris MDCLXXXIV speciali decreto applicaverit quadringentos annuos patacones in eâ provinciâ iam pridem ad aedificandum destinatos, ut constructioni et fabricae dicti collegii tamdiu impendantur, quamdiu aedificium completum fuerit; diversique fratres particulares dictae provinciae deposita propria ad usum reservata de superiorum licentiâ, et praesertim dictus pater magister de Quessada copiosam bibliothecam in Europa ab eo comparatam, unâ cum pluribus picturis et ornamentis, eidem collegio liberaliter cesserint, donoque attribuerint; horumque omnium et singularum concessionum et donationum confirmationem pro maiori dicti collegii securitate et abundantiori cautelâ a praedictâ sacrâ Congregatione eadem provincia per praenominatum procuratorem enixe et humiliter postulaverit, ipsaque sacra Congregatio, benigne annuendo petitis, sub die XIV novembris anni proxime elapsi MDCLXXXIII nobis commiserit ut pro nostro arbitrio et prudentiâ statueremus quae circa praemissa in Domino expedire censeremus: nos igitur, considerantes huiusmodi concessiones bonorum cedere in maiorem Ecclesiae utilitatem et eiusdem Ordinis fratrum Praedicatorum decorem, ac neque conventui et provinciae oneris vel dispendii inde multum oriri, inhaerendo propterea facultati a sacrâ Congregatione specialiter

1 Vox *usque* praeter rem esse videtur (R. T.).

in supra enunciato decreto nobis concessae, volentes, pro nostrâ in dictum Ordinem protectione, speciali gratiâ et favore eum prosequi, visis authenticis documentis nobis exhibitis, ac per visuram veris repertis narratis, post maturam rei discussionem, auctoritate apostolicâ, qua fungimur in hac parte, omnia et singula acta et scripturas et instrumenta donationum, concessionum, unionum et incorporationum praedicto collegio et universitati a conventu S. Petri Martyris civitatis Quitensis et[1] capitulo provinciali eiusdem provinciae ac generali totius Ordinis fratribusque particularibus in utilitatem praedicti collegii et illius fundationem factarum et applicatarum, a die XVIII augusti MDCLXXXI usque ad praesentem diem, cum suis clausulis et conditionibus quae in actis, scripturis et instrumentis huiusmodi continentur, quorum tenores haberi volumus hic pro expressis, approbamus et confirmamus, laudamus ac roboris firmitate munimus, etiamsi in illis servatae non fuerint solemnitates a sacris canonibus et Ordinis ipsius constitutionibus demandatae; quoniam, ad validum earumdem effectum, auctoritate sacrae Congregationis, in eis dispensamus, et tam fratribus dicti conventus S. Petri Martyris, eiusque et provinciae praelatis et superioribus praesentibus et futuris, quam quibusvis aliis personis adversus illas omnino reclamare prohibemus; ratasque habentes omnes licentias per superiores Ordinis et capitula supra enunciata in gratiam eiusdem collegii datas atque concessas, bona omnia tam mobilia quam immobilia superius expressa, tamquam bona dicto collegio ad illius fundationem, moderatorum sustentationem, professorum theologiae et utriusque iuris cathedraticorum manutentionem destinata, applicata, incorporata, unita, attributa et acquisita, alienari, distrahi et separari posse, alienationis etiam vocabulo latissime sumpto, quocumque praetextu, interdicimus, sub poenis contra alienantes bona Ecclesiae a sacris canonibus et dicti Ordinis constitutionibus indictis et comminatis. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. Datum ex aedibus nostris hac die XIX martii MDCLXXXVIII. Palutius cardinalis DE ALTERIIS protector ». Cum autem, sicut dictus Ignatius prior nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Ignatium procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum dicti Palutii cardinalis protectoris decretum, omniaque et singula in eo contenta, auctoritate nostrâ apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dicto collegio in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et

1 Edit. Main. habet *S.* pro *et* (R. T.).

delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non conventûs, provinciae et Ordinis Praedicatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annuto Piscatoris, die XII iunii MDCLXXXVIII, pontificatus nostri anno XII ».

Petitio. § 2. Cum autem, sicut dilectus[1] Ignatius nobis nuper exponi fecit, collegii seu universitatis huiusmodi fundatio sub titulo eiusdem B. Ferdinandi prope memoratum conventum S. Petri Martyris dictae civitatis Quitensis praefati Ordinis fratrum Praedicatorum secuta fuerit, certisque inibi lectorum stipendiis perpetuo stabilitis ac tribus insuper sacrorum canonum cathedris praefatis alia praeterea schola, in qua religiosus dicti Ordinis pueros quoscumque legere et scribere necnon christianae fidei rudimenta charitatis intuitu edoceret, adiecta fuerit, ipsiusque collegii fabrica, pro qua ingens pecuniarum summa erogata fuit, absoluta; dilecti filii fratres praedictae provinciae S. Catharinae de Quito eiusdem Ordinis, illius possessionem cum maximâ incolarum illarum partium gratulatione et laetitiâ, necnon cum venerabilis fratris moderni seu tunc existentis episcopi Quitensis, regalis audientiae, totiusque tam saecularis quam regularis cleri dictae civitatis interventu solemniter coeperint; ea vero firmiora sint, quibus iterata accedit Apostolicae Sedis auctoritas: nobis propterea[1] idem Ignatius humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio et innovatio praedictarum trium constitutionum. § 3. Nos igitur, ipsum Ignatium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, iura, facultates, praerogativas, gratias et indulta, necnon donationes, concessiones, assignationes, decreta et alia quaecumque, ad favorem memorati collegii seu universitatis B. Ferdinandi regis catholici, civitatis Quitensis, a memorato Innocentio praedecessore per suas litteras praeinsertas concessa et confirmata respective, ipsasque litteras cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus ac innovamus, illisque inviolabilis ac irrefragabilis apostolicae firmitatis robur et efficaciam adiungimus.

Clausulae. § 4. Decernentes pariter ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque ple-

1 Potius lege *dictus* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *praeterea* (R. T.).

narios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praeinsertis Innocentii praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 6. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII novembris MDCXC, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 8 novembris 1690, pontif. anno II.

---

## XXXII (*al.* 31).

*Confirmatur et innovatur constitutio Urbani VIII approbans constitutiones contra occupantes vel ad alios usus convertentes bona locorum Terraesanctae* [1].

1 De huiusmodi locis vide constit. edit. MDCXC, die 21 octobris, pontif. II, et Innocentii XII constit. MDCXCVI, die 24 februarii, pontif. V.

**Alexander Papa VIII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium. Ex iniuncto nobis caelitus apostolicae servitutis munere, illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pro fideli bonorum ad sacra loca spectantium conservatione pie provideque emanasse noscuntur, ut solidiori robore perennent, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

Summa constitutionis Urbani VIII confirmantis illas Sixti V, Pauli V et Gregorii XV. § 1. Dudum siquidem felicis recordationis Urbanus PP. VIII, praedecessor noster, piorum locorum, tam in civitate Hierusalem, quam extra eam in totâ Terrasanctâ existentium, indemnitati consulere volens, recolendae memoriae Sixti V et Pauli etiam V ac Gregorii XV Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, tunc suorum, in simili formâ Brevis litteras, super prohibitione quibusvis personis factâ sub excommunicationis maioris latae sententiae poenâ, ne quaevis bona ad loca praefata spectantia indebite apud se retinerent, vel in alios usus, etiam quantumvis pios et urgentes, converterent, vel aliàs quoquomodo distraherent, emanatas, auctoritate apostolicâ confirmavit et approbavit; et nihilominus omnibus et singulis utriusque sexus personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis, in virtute sanctae obedientiae, ac sub eâdem excommunicationis maioris latae sententiae poenâ, a qua nonnisi ab eo vel Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi possent, districte praecepit et mandavit, ne de cetero cuiusvis generis bona ad loca huiusmodi spectantia, quovis praetextu, causâ vel occasione, apud se retinere auderent seu praesumerent, sed illa eisdem locis, seu illorum agentibus, realiter et cum effectu restituerent; et aliàs, prout uberius

continetur in ipsius Urbani praedecessoris litteris desuper in eàdem formâ Brevis expeditis, tenoris, qui sequitur, videlicet: « URBANUS PP. VIII, ad perpetuam rei memoriam. *Aliàs*, etc.[1]. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII iunii MDCXLIV, pontificatus nostri anno XXI.

M. A. MARIALDUS ».

Confirmat ut in rubrica.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus alius[2] Bernardus Iosephus a Iesu Maria frater expresse professus Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantià Reformatorum nuncupatorum, ac carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici concionator, nec non tribunalis sanctae Inquisitionis qualificator, ac commissarius et procurator generalis in Romanâ Curià totius familiae eiusdem Terraesanctae, nobis nuper exponi fecit, in diversis christiani orbis partibus plerique res et bona ad loca huiusmodi spectantia non sine gravi animarum suarum pernicie ac eorumdem locorum damno occupare minime timeant, ac proinde ipse Bernardus Iosephus, quo praefatae Urbani praedecessoris litterae exactius de cetero observentur, illas per nos confirmari et innovari plurimum desideret: nos, piis eiusdem Bernardi Iosephi votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, ipsumque Bernardum Iosephum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus exstitit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Urbani praedecessoris litteras, omniaque et singula in eis contenta, dictâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus ac innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes pariter ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus et singulis illis, quae in praeinsertis Urbani praedecessoris litteris concessa sunt non obstare ceterisque contrariis quibuscumque

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die X novembris MDCXC, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 novembris 1690, pontif. anno II.

1 Reliqua vide suo loco tom. XV, pag. 320.
2 Videtur legendum *filius* pro *alius* (R. T.).

## XXXIII (*al.* 32).

*Eduntur quaedam ordinationes pro tutiori custodiâ librorum capellae pontificiae*[1].

**Alexander Papa VIII, ad futuram rei memoriam.**

Constitutio Innocentii XI contra extrahentes libros ex capellae pontificiae archivio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii collegium et cantores capellae nostrae, quod aliàs, pro parte tunc existentis magistri collegii et cantorum huiusmodi, felicis recordationis Innocentio Papa XI praedecessori[2] nostro exposito, quod, occasione inventarii librorum musicalium ad dictam capellam spectantium non ita pridem per ipsum confecti, plura dictorum librorum folia, in quibus diversa missarum primordia descripta erant, seu etiam in quibus figurae nonnullae affabre et singulari artificio depictae reperiebantur, ac forsan integra volumina ex archivio seu custodiâ dictae capellae in grave eiusdem capellae praeiudicium temere sublata fuisse repertum fuerat: idem Innocentius praedecessor dictorum librorum conservationi consulere, necnon eiusmodi malis in posterum occurrere volens, ne de cetero quisquam, quavis auctoritate vel superioritate aut officio fungens, libros musicales, quinterniones, chartas et alia folia quaecumque, sive impressa, sive manuscripta, tam eàtenus in archivio seu custodiâ huiusmodi pro servitio dictae capellae collocata, donata, seu aliàs assignata, quam in posterum forsan collocanda, donanda et assignanda, sub quovis quaesito colore, praetextu, ingenio, causâ, ratione et occasione, praeterquam ad effectum illos seu illa ad supradictam capellam pro usu cantorum praefatorum deferendi, ex archivio seu custodiâ huiusmodi extrahere et asportare, seu ut extraherentur et asportarentur permittere aut consentire auderet seu praesumeret, sub poenâ excommunicationis latae sententiae per contrafacientes eo ipso absque aliâ declaratione incurrendae, apostolicâ auctoritate interdixit, prohibuit, voluitque insuper, ut, praefato usu finito, libri praedicti in archivio seu custodiâ huiusmodi sub eâdem excommunicationis poenâ illico reponerentur; et aliàs, prout, in ipsius Innocentii praedecessoris desuper in simili formâ Brevis die XV octobris MDCLXXXVII expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur. Subinde vero, cum eiusdem Innocentii praedecessoris iussu contra scientes et non revelantes, retinentes, occupantes et non restituentes bona mobilia, scripturas publicas et privatas, fidem tamen facientes, libros musicales, quinterniones, chartas et alia folia impressa sive manuscripta, constitutiones et litteras apostolicas, diplomata, aliaque similia ad dictam capellam spectantia, quaedam monitoriales litterae pro restitutione et revelatione respective rerum huiusmodi sub simili excommunicationis poenâ pubblicata fuissent, vigore earumdem litterarum monitorialium plurimi libri musicales, diplomata, litterae apostolicae, diaria, folia, aliaque similia restituta ac reportata et in archivio seu custodiâ huiusmodi collocata fuerunt.

Preces collegii et cantorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, conservationi[1] et manutentioni librorum aliarumque scripturarum huiusmodi sufficienter adhuc consultum minime reperiatur: nobis

1 Extat alia ordinatio Innocentii XI in constit. ed. MDCLXXXVII, die 15 octobris, pont. XII; et in Innocentii XII constit. ed. MDCXCIX, die 16 iulii, pontif. IX, confirmantur quaedam decreta.

2 Edit. Main. legit *praedecessore* (R. T.).

1 Male ed. Main. legit *conversationi* (R. T.).

propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Ordinationes pro tutiori librorum custodiâ.

§ 3. Nos igitur, capellae praefatae indemnitati, quantum nobis ex alto conceditur, uberius prospicere, ipsosque exponentes specialis favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut custos librorum pro tempore existens capellae praefatae idoneam fideiussionem de libris huiusmodi aliisve cuiusvis generis scripturis ad eamdem capellam spectantibus fideliter custodiendis, iisque successori suo in officio sive ipsi collegio cantorum restituendis, iuxta morem capellae praedictae, praestare, necnon iuramentum tam de officio suo iuxta apostolicas et dictae capellae constitutiones diligenter exequendo, quam de primodictis Innocentii praedecessoris litteris inviolabiliter observandis similiter emittere debeat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus. Praeterea magistrum ceterosque collegii supradicti officiales singulis annis per secreta suffragia de more eligendos eodem iureiurando adigi volumus. Ipso autem potissimum eorumdem officialium electionis tempore, libros et scripturas huiusmodi cum suis respective inventariis conferri, factâque eiusmodi collatione, si quae addenda fuerint, addi, ipsaque inventaria per eos ad quos spectat subscribi, iisque respective tradi et consignari, eâdem auctoritate, harum serie, praecipimus et mandamus. Denum archivii seu custodiae dictae capellae alteram clavem per custodem librorum, alteram per magistrum, tertiam per punctatorem pro tempore existentes capellae supradictae fideliter retinendas esse, adeout nulli personae, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae ac dignitatis existat, ab eis claves ipsae committi valeant, dictâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, decernimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae capellae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam cardinalibus protectoribus et cantoribus dictae capellae, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam dero-

gatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, et motu proprio, seu aliàs, in contrarium praemissorum forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et formam in illis traditam[1] pro servatâ habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV novembris MDCXC, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 14 novembris 1690, pontif. anno II.

---

## XXXIV (*al.* 33).

*Conceditur indulgentia plenaria perpetua in festo sancti Ioannis a S. Facundo Ordini eremitarum S. Augustini*[2].

**Alexander Papa VIII,**
**Ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Redemptoris et Domini nostri Iesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum quae nobis reliquit exemplorum sectatores altis decoravit honoribus et caelestis beatitudinis consortes effecit, vices licet immeriti gerentes in terris, spiritualium munerum thesauros, quorum nobis credita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam et fovendam erga eosdem beatos caeli incolas fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Sanctissimo albo adscriptus fuit beatus Ioannes ab hoc Pontifice. § 1. Cum itaque nos nuper, ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei et christianae religionis incrementum, de venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium, ac patriarcharum, arcipiscoporum et episcoporum in almâ Urbe nostrâ tunc existentium, consilio, beatum Ioannem a S. Facundo, Ordinis fratrum eremitarum S. Augustini professorem, auctoritate nobis a Domino traditâ Sanctum esse decreverimus et definiverimus, illumque Sanctorum catalogo solemni ritu adscripserimus: hinc est quod nos, ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, ac de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quarumcumque confraternitatum, monasteriorum et domorum regularium tam fratrum quam monialium Ordinis praefati hactenus erectis et in posterum quandocumque erigendis et ubicumque locorum existentibus die XII[1] iunii festo eiusdem S. Ioannis a S. Facundo, a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum

1 Edit. Main. legit *forma ... tradita* (R. T.).

2 Translata fuit alia indulgentia plenaria perpetua ab Innocentio XI const. edit. MDCLXXVIII, die 4 martii, pont. II; et a Clemente XI const. edit. MDCCVI, die 21 ianuarii, pont. VI, concessa fuit similis indulgentia ecclesiis canonicorum regularium S. Rufi dicti Ordinis.

1 Edit. Main. legit 22 (R. T.).

suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides transumptorum. § 2. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX novembris MDCXC, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 29 novembris 1690, pontif. an. II.

---

## XXXV (*al.* 34).

*Confirmatur particula constitutionum fratrum Minorum Conventualium circa familiam conventus XII Apostolorum de Urbe* [1].

**Alexander Papa VIII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Particula constitutionum. § 1. Cum (sicut accepimus) per constitutiones Urbanas nuncupatas Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro confirmatas inter alia in caput VI regulae eiusdem S. Francisci tit. VI, cuius est haec inscriptio *De conventu Ss. XII Apostolorum de Urbe*, dispositum reperiatur in haec verba: « Romanus Ss. XII Apostolorum conventus peculiari providentiâ, sanctâ reformationis disciplinâ, sacrorum studiorum propagatione, divinarum rerum obsequio, ac temporalis administrationis curâ quamdiligentissime regendus est. Statuimus propterea, ut ex quibuscumque tam ultra quam citra montes provinciis patres et fratres, qui vitae integritate, morum compositione ac sapientiâ inter ceteros conspicui sint, ibi de familiâ collocentur, sint tamen ad superiorum arbitrium amovibiles; inutiles vero fratres a generali ministro omnino removeantur; sint vero eâ vitae innocentiâ, eâque puritate conspicui, ut nec praelaturas ambitiosae praeventionis titulo, nec aliud quidpiam, quod religiosos viros dedeceat, ullo pacto perquirere vel attentare praesumant »; praemissa vero tametsi saluberrime fuerint instituta et ordinata consilio, nihilominus non ita exacte et accurate, ut par est, observentur:

§ 2. Hinc est quod nos, eadem praemissa prospero felicique dicti conventus regimini et gubernio apprime conducibilia esse et fore considerantes, ac proinde perpetuo illorum robori et inviolabili observationi, et, ne ea in posterum ullo modo convelli vel labefactari possint, pro commissâ nobis caelitus pastoralis officii curâ praecidere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eadem praemissa ex memoratis constitutionibus excerpta, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac ea omnia et singula ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse de cetero observari mandamus et praecipimus, illaque adversus quemcumque non usum seu contrarium usum, qui quovis modo praetendi vel allegari posset, restituimus et plenarie reintegramus. — Causa confirmationis. — Confirmatio.

Clausulae. § 3. Decernentes easdem praesentes

[1] Confirmata fuere quaedam decreta capituli generalis const. ed. MDCXC, die 5 aprilis, pontif. I, et Innocentii XII ed. MDCXCVI, die 20 ianuarii, pontif. V, alia nonnulla ministri generalis.

litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu interesse habentium consensus aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari seu ad terminos iuris reduci, vel in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; nec ipsis praesentibus litteris unquam derogari posse aut derogatum censeri per quascumque litteras apostolicas non facientes specificam et individuam de eisdem praesentibus litteris mentionem.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, conventus et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI decembris MDCXC, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 decembris 1690, pontif. anno II.

---

## XXXVI.

*Triginta et una propositiones tamquam temerariae, scandalosae, male sonantes, iniuriosae, haeresi proximae, haeresim sapientes, erroneae, schismaticae, haereticae respective damnantur et prohibentur, easque vel docere vel defendere tam publice quam privatim sub poenâ excommunicationis interdicitur.*

Feriâ V, die VII decembris MDCXC.

**In congregationi generali sanctae Romanae et universalis Inquisitionis in palatio apostolico Quirinali coram SS. D. N. Alexandro divinâ providentiâ Papa VIII ac eminentissimis et reverendissimis dominis S. R. E. cardinalibus in totâ republicâ christiana contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis.**

Sanctissimus dominus noster Alexander divinâ providentiâ Papa VIII praedictus, pro pastorali curâ ovium a Christo Domino sibi commissâ, de earum salute sollicitus, ut inoffenso gradu per rectas semitas possint incedere, et pascua nimium perniciosa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius supra triginta propositionum examen pluribus in

Relatio propositionum.

sacrâ theologiâ magistris et deinde eminentissimis ac reverendissimis dominis cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus commisit, qui tantum negocium diligenter aggressi, eique sedulo ac pluries incumbentes, super unâquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suae singillatim detulerunt.

*Propositiones autem sunt infrascriptae, videlicet:*

i. In statu naturae lapsae ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causâ suâ, peccato originali et libertate Adami peccantis.

ii. Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsâ non excusat a peccato mortali.

iii. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

iv. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.

v. Pagani, iudaei, haeretici, aliique huius generis nullum omnino accipiunt a Iesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratiâ sufficienti.

vi. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere: *A gratiâ sufficienti libera nos, Domine.*

vii. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio vel mundi: si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

viii. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

ix. Re verâ peccat qui odio habet peccacatum mere ob eius turpitudinem et disconvenientiam cum naturâ rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.

x. Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum mere ut caelestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens.

xi. Omne quod non est ex fide christianâ supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est.

xii. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, et etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.

xiii. Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

xiv. Timor gehennae non est supernaturalis.

xv. Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.

xvi. Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, naturâ rei id ipsum quodammodo dictante.

xvii. Per illam praxim mox absolvendi ordo poenitentiae est inversus.

xviii. Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti Poenitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesiâ non habetur pro usu, sed abusu.

xix. Homo debet agere totâ vitâ poenitentiam pro peccato originali.

xx. Confessiones apud religiosos factae, pleraeque vel sacrilegae sunt vel invalidae.

xxi. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponendâ nimis levi et incongruâ poenitentiâ, seu satisfactione, ob quaestum seu lucrum subsidii temporalis.

xxii. Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad communionem percipiendam praetendunt antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.

xxiii. Similiter arcendi sunt a sacrâ communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers.

xxiv. Oblatio in templo quae fiebat a Beatâ Virgine Maria in die Purificationis suae per duos pullos columbarum, unum in holocau-

stum et alterum pro peccatis, sufficienter testatur [1] quod indiguerit purificatione, et quod filius, qui offerebatur, etiam maculâ matris maculatus esset secundum verba legis.

xxv. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est christiano in templo collocare.

xxvi. Laus, quae defertur Mariae ut Mariae, vana est.

xxvii. Valuit aliquando baptismus sub hac formâ collatus: *In nomine Patris*, etc., praetermissis illis: *Ego te baptizo.*

xxviii. Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non intendo facere quod facit Ecclesia.*

xxix. Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra concilium oecumenicum auctoritate atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.

xxx. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

xxxi. Bulla Urbani VIII *In eminenti* est subreptitia.

Damnatio. Quibus mature consideratis idem Sanctissimus, statuit et decrevit xxxi propositiones tamquam temerarias, scandalosas, male sonantes, iniuriosas, haeresi proximas, haeresim sapientes, erroneas, schismaticas et haereticas respective esse damnandas et prohibendas, sicut eas damnat et prohibet, itant quicumque illas aut coniunctim aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative publice aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (praeterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districte in virtute sanctae obedientiae, et sub interminatione divini iudicii prohibet omnibus christifidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis et status, etiam speciali et specialissimâ notâ dignis, ne praedictas opiniones aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

1 Edit. Main. legit *testantur* (R. T.).

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc decretum alias propositiones in maiori numero ultra supradictas xxxi iam exhibitas et in hoc decreto non expressas approbare.

Alexander Speronus sanctae Romanae et universalis Inquisitionis notarius.

*Loco † sigilli.*

Dat. die 7 decembris 1690, pontif. anno ii.

---

## XXXVII.

*Confirmantur, innovantur, declarantur et ampliantur constitutiones Innocentii XI aliorumque contra surripientes vel retinentes Hostiam consecratam* [1].

**Alexander episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

§ 1. Cum aliàs a felicis recordationis Innocentio Papa XI praedecessore nostro emanaverint litterae tenoris: « Innocentius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. *Ad nostri apostolatus auditum*, etc.[2]. Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae mdclxxviii[3], iv idus martii, pontificatus nostri anno i ». Constitutio Innocentii XI.

§ 2. Hinc est quod nos, tam execrandum scelus ac nefariam temeritatem, quantum in nobis est, cohibere, et propterea praeinsertam et quascumque alias tam sacrorum canonum quam aliorum Romanorum Pontificum pariter praedecessorum nostrorum constitutiones et ordinationes favore fidei catholicae ac of- Confirmat Pontifex.

1 Dicta Innocentii XI const. ed. fuit mdclxxvii, die 29 (potius *12*) martii, pontif. i.

2 Reliqua vide tom. xix, pag. 41 (R. T.).

3 Male edit. Main. habet *1676* (R. T.).

ficii sanctae inquisitionis in praemissis et circa ea quomodolibet emanatas confirmare, et respective declarare, ampliare et extendere volentes, motu proprio, non ad alicuius super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex merâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium in totâ republicâ christianâ adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum a sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatorum consilio, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione praeinsertas litteras dicti Innocentii praedecessoris, necnon praedictas constitutiones et ordinationes, omniaque et singula in eis contenta et expressa, quorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, earumdem tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus et innovamus, easque inviolabiliter et inconcusse servari volumus et mandamus.

*Declaratio et ampliatio earumdem. Nullae excipiuntur personae.*

§ 3. Et nihilominus omnes quascumque et singulas personas, tam saeculares quam ecclesiasticas, etiam regulares, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, Ordinis, congregationis, societatis et instituti, etiam Societatis Iesu et sancti Ioannis Hierosolymitani, quibuscumque privilegiis, exemptionibus et indultis, etiam in corpore iuris clausis, munitas et suffultas, speciali ac etiam specialissimâ notâ dignas, et eas quae nominatim et individualiter exprimi debent, neque aliter quam sub praescripto certae formae in generalibus aut specialibus constitutionibus includi et comprehendi possunt ac solent, nullâ prorsus exceptâ, sub praeinsertâ Innocentii praedecessoris constitutione praedictâ comprehensas, et si quas ex eis pro tempore atrocissimi huius criminis reos esse constiterit, has omnibus et singulis tum antiquis tum in dictâ praeinsertâ Innocentii praedecessoris constitutione innovatis, etiam quoad ecclesiasticos degradationis realis et traditionis brachio saeculari, poenis omnino et irremissibiliter obnoxias fuisse et esse, cognitionemque praedicti sceleris contra eas ad Ordinarios ecclesiasticos et ad inquisitores contra haereticam pravitatem, qui iuxta huius nostrae et aliarum quarumcumque ad favorem fidei et officii sanctae inquisitionis huiusmodi constitutionum editarum formam et tenorem procedere valeant ac debeant, privative quoad alios quoscumque spectavisse ac spectare, motu, scientiâ, deliberatione, potestatis plenitudine et consilio pariter[1], tenore praesentium, declaramus, statuimus atque decernimus.

*Comprehenduntur etiam per se vel de mandato retinentes vel aliò trasferentes hostiam*

§ 4. Insuper hac eâdem nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, iisdem motu, scientiâ, deliberatione, potestatis plenitudine et consilio, memoratam praeinsertam dicti Innocentii praedecessoris constitutionem, cum declarationibus ac dispositionibus praedictis, omnibusque et singulis superius expressis et contentis, contra quoscumque, sive saeculares, sive ecclesiasticos, etiam regulares, ut praefertur, expressos, qui dictas hostias vel particulas consecratas quocumque modo, etiam sine[2] qualitate furti, per se ipsos vel alios quoscumque aut de alterius mandato habuerint seu retinuerint, vel aliò transferre vel transportare praesumpserint, super quibus stari volumus iudicio et interpretationi praefatorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium inquisitorum, quibus pariter cognitionem super praedictis reservamus, iuxta casuum et personarum circumstantias et qualitates, cum

1 Forsan legendum *paribus* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *sive* pro *sine* (R. T.).

iisdem poenis, etiam traditionis brachio saeculari, earumdem tenore praesentium ampliamus et extendimus.

Clausulae. § 5. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae memoratus Innocentius praedecessor in suis litteris praeinsertis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 6. Volumus autem quod praesentes litterae, postquam ad valvas ecclesiae Lateranensis ac basilicae Principis apostolorum de Urbe, necnon Cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae per aliquem ex nostris cursoribus, ut moris est, publicatae et affixae fuerint, omnes et singulos, quos concernunt ac concernent in futurum, perinde afficiant et arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent; quodque illarum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus tam in iudicio quam extra illud ubique locorum fides adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur si ostensae et exhibitae forent.

Sanctio poenalis. § 7. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, declarationis, statuti, decreti, reservationis, ampliationis et extensionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCXC, XI kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 22 decembris 1690, pontif. anno II.

---

## XXXVIII.

*Confirmantur quaedam decreta capituli generalis Ordinis Servorum B. M. V.*

**Alexander Papa VII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Militantis Ecclesiae regimini per abundantiam divinae bonitatis, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praepositi, illa, quae pro felici prosperoque religiosorum Ordinum in Ecclesiâ Dei pie sancteque institutorum ac uberiores bonorum operum fructus adspirante superni favoris auxilio proferre iugiter satagentium gubernio et progressu provide sapienterque constituta et ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistant, libenter, cum id a nobis petitur, apostolici muniminis nostri praesidio constabilimus.

Decreta praedicta edita fuere in capitulo generali MDCXC. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius prior generalis Ordinis fratrum Servorum B. Mariae Virginis, quod in capitulo generali dicti Ordinis, quod novissime, videlicet mense aprili proxime praeterito, in hac almâ Urbe celebratum fuit, pro felici ipsius Ordinis eiusque fratrum regimine et directione edita et facta fuerunt nonnulla decreta tenoris qui sequitur, videlicet:

*Decreta capituli generalis fratrum Ordinis Servorum B. V. Mariae celebrati in conventu S. Marcelli de Urbe die* XXX *mensis aprilis anni* MDCXC.

De festo Septem Dolorum B. M. V. I. Quod festum Septem Dolorum B. M. V., quod ex Apostolicae Sedis indulto quolibet anno tertiâ dominicâ septembris celebratur, habeatur tamquam festum principale nostri Ordinis, in cuius honorem sabbato immediate antecedenti regulare ieiunium ab omnibus nostri Ordinis fratribus et sororibus sit observandum, ita ut a nullo superiore dispensari possit extra casum necessitatis.

De vestibus. II. Priores conventuum observari curent

caput XIX nostrarum constitutionum de vestibus; quod si corrigere negligant suos subditos, pileos uniformiter religiosos non deferentes, aut bireta serica, chirotecas vel pallia per civitatem, vel quid aureum aut argenteum suis in vestibus aut manibus portantes, utrâque voce careant in proxime futuro capitulo provinciali: cui itidem poenae subiicientur priores, si sacerdotes sine scapulari sacra peragere, aut cum bireto sine amictu ad altare accedere, vel in sacris peragendis tunicâ brevi, scilicet itinerariâ, uti permittant.

De ludis. III. Quod omnes et singuli, aut inter se aut cum saecularibus ludos a lege prohibitos habentes, excommunicationem incurrant, reservatâ facultate absolutionis, iuxta formam constitutionum.

De professis. IV. Quod iuvenes professi nullimode a conventibus, in quibus est novitiatus aut professatus, ad usque annum vigesimum primum aetatis removeantur, qui pariter de idoneis magistris ad litterariam eruditionem spectantibus, subsidio honorario a capitulo provinciali taxando conductis, sint provisi. Quod si contigerit aliquem iuvenem professum ob legitimam causam a provinciali removendum esse, talis iuvenis in alio conventu, in quo vel novitiatus vel professatus sit, de familiâ assignetur, consulto tamen prius priore generali.

V. Si redditus conventuum non sint sufficientes ut in illis iuvenes professi alantur, tunc in capitulo provinciali decernantur subsidia, quibus in praedictis conventibus professatus institui queat et conservari.

De prioribus. VI. Item decrevere ut dietae auferantur, et quod priores, provincialium more, durent per triennium, hoc tamen pacto quod quolibet triennio a generali, consulto provinciali, confirmationem petant et obtineant. Quod si iustis de causis generalis illos confirmare noluerit, tunc eligatur a generali, provinciali et socio novus prior qui perseveret in officio usque ad capitulum provinciale, eâdem quolibet anno confirmatione a patre generali obtentâ. Priores autem qui de facto sunt, postquam per biennium suo fuerint officio perfuncti, illos prior generalis aut confirmare, aut novum priorem, si expedire videbitur, eligere valeat usque ad proximum futurum capitulum provinciale.

De provinciâ Corsicâ. VII. Mature considerantes definitores quomodo in provinciâ Corsicae abusus aboleri ac religiosi mores introduci possent, post reiteratas ac diligenter discussas varias propositiones, decrevere quod quinque conventus, qui sunt in Corsicâ, aggregentur quatuor aliis sub dominio Ianuensium et ducis Massae existentibus, et ex illis nova erigatur provincia, quae Genuensis nominetur. Ceteri vero novemdecim conventus, qui, vel sub ducatu Sabaudiae, vel aliorum principum dominio existentes, ad provinciam Genuensem modo spectant, aliam efforment provinciam, quae Pedemontana dicatur, dummodo tamen conventus Taurinensis subsit oneribus, quibus suberat conventus Genuae quoad contributiones.

De provinciâ Lombardiae. VIII. Item perpendentes varia et multa inconvenientia quae in provinciâ Lombardiae, ob conventus sub diversorum principum dominio locatos, contingant, statuere quod ex vigintiquatuor conventibus, qui praesentem Lombardiae provinciam efficiunt, quatuordecim sub ducatu Mediolanensi existentes, comprehenso conventu S. Ioannis Baptistae de Mandrisio in ditione Helveticorum, segregentur a ceteris, et recentem provinciam efforment quae Mediolanensis vocetur; altera vero, ex decem reliquis conventibus conflata, antiquam denominationem retineat provinciae Lombardiae.

De provinciâ Germaniae. IX. Cum decem et novem conventus provinciae Germaniae multum inter se sint dissiti, decrevere ut ex illis omnibus in proximo capitulo provinciali duae erigantur provinciae, quae divisio facienda sit per definitorem generalem, priorem provincialem, socium, definitores provinciae et definitores perpetuos, habito tamen consensu patris generalis. Huiusmodi autem et supra relatae provinciae, quando erunt divisae, hunc ordinem inter se servabunt, ut provincia illa, in qua principalis conventus ex religionis annalibus apparebit antiquior, aliam praecedat[1], ab eisque decernatur praecedentia.

1 Edit. Main. legit *praecedet* (R. T.).

De promovendis ad gradus.

x. Quod promovendi ad gradus possint promoveri sive in capitulo provinciali, ad formam constitutionum, sive in visitationibus, iuxta indultum sanctae memoriae Clementis IX. In conventibus tamen in quibus studium maius vigeat, scilicet in provinciâ Tusciae in conventu SS. Annunciatae de Florentia, in provinciâ Romanâ in conventu S. Mariae Novae de Perusio, in provinciâ Romandiolae in conventu Servorum Bononiae, in provinciâ Mediolanensi in conventu Servorum de Mediolano, in provinciâ Lombardiae in conventu B. Virginis de Regio, in provinciâ Tervisina in conventu Servorum Patavii, in provinciâ Venetiarum in conventu Servorum de Venetiis, in provinciâ Mantuana vel in conventu S. Barnabae de Mantua vel S. Georgii de Bononia, in provinciâ Genuensi in conventu Servorum Genuae, in provinciâ Pedemontanâ in conventu S. Primi de Papia, in provinciâ Neapolitanâ in conventu S. Mariae Mergellinarum, in provinciis vero Hispanicâ et Gallicâ ad libitum patris generalis; cui promotioni interesse possint, si velint, et qui sunt definitores perpetui et qui sunt vel fuere regentes.

xi. Cum, iustis de causis, nemo ex promovendis ad gradus in proxime elapsis capitulis et dietis fuerit promotus, definitores decrevere quod pater generalis tempore visitationis habendae in conventu SS. Annunciatae de Florentia possit illos promovere, et habeantur ac si promoti fuissent in capitulis et dietis proxime elapsis, pro hac vice tantum.

De exprovincialibus aliisque.

xii. Item quod observetur decretum capituli generalis anni MDCLXXXII, ne quis scilicet exprovincialium publicae correctioni prioris subiiciatur, dummodo tamen publice et non provocatus priori non insultet, et quod exprovinciales praecedant ceteros magistros qui non fuere provincialis officio perfuncti; exprovinciales vero inter se servent ordinem promotionis ad magisterium: quibus privilegiis fruantur etiam qui theologiam vel alias scientias in aliquâ publicâ universitate, vel ut regentes[1] in aliquo maiori studio per duodecim annos theologiam professi fuerint, sicut etiam qui procuratoris generalis officio fuere perfuncti. Decretum autem in capitulo generali anni MDCLII[1] emanatum habetur ad verbum in registro generali lib. XII, fol II, n. III. *Provincialis,* etc.

De procuratore Ordinis.

xiii. Item decretum fuit quod procurator Ordinis praecedat omnes provinciales extra eorum provincias existentes, non vero in propriâ provinciâ.

De electionibus.

xiv. Si in electionibus faciendis contigerit duos ex propositis vota habuisse paria supra medietatem, tunc ad praesidentem capituli spectet decernere, quisnam illorum praeferendus sit; si vero nullus remaneat electus in provincialem, tunc per tres vices, termino duorum dierum faciendas, iterum fiat electio; quod si adhuc nullus remaneat electus, tunc provinciam regat definitor generalis, donec pater generalis Sanctam Sedem consulat, et conformiter ad eius oraculum provideat.

De recipiendis ad habitum.

xv. Item quod omnino servetur cap. VI constitutionum descrip. ad habitum[2]. In casu vero transgressionis, provincialibus et prioribus fuit imposita poena privationis vocis activae et passivae in futuro capitulo provinciali. Fratres vero alterius religionis professi neque ab ipso generali absque consensu capituli provincialis recipi possint.

xvi. Placuit praefatum cap. VI extendere, quod scilicet quilibet recipiendus ad habitum habeat consensum patrum conventûs illius civitatis, vel loci, in qua natus est, vel conventûs vicinioris, si nullus conventus sit eo in loco in quo est natus.

De residentiâ priorum.

xvii. Cum priores conventuum iteratis vicibus magno conventuum detrimento per notabile tempus a suis conventibus abesse audeant, decretum fuit ne quis illorum in posterum per iteratas vices, ultra mensem, vel aliud tempus notabile in anno, sine licentiâ sui provincialis abesse possit, sub poenâ privationis ab officio iuxta formam constitutionum cap. XXIX.

De societate saecularium.

xviii. Ad obviandum dissensionibus hucusque oriri solitis, decretum est in ecclesiâ

1 Edit. Main. legit *regentis* (R. T.).

1 Forsan vel hîc MDCLXXXII, vel supra *1652* legendum (R. T.).

2 Forsan *de recipiendis ad habitum* (R. T.).

S. Philippi de Tuderto nullam in posterum erigendam esse societatem saecularium.

De annalibus Ordinis.

XIX. Item decretum fuit quod pater generalis curam annales Ordinis continuandi alicui[1] in chronologicis perito demandet; ad cuius petitionem a nostri Ordinis conventibus transmittantur notitiae ad religionem spectantes, quae in ipsorum archiviis reperiuntur.

De conventu S. Salvatoris.

XX. Item considerantes definitores quantum incommoda sit visitatio conventus SS. Salvatoris de Monteferrato provinciali Mantuae, ut fere nunquam visitetur, decrevere quod in posterum praefatus S. Salvatoris conventus ad provinciam Pedemontanam, et illius loco ad Mantuanam conventus S. Syri de Castro Noveto spectent; sicque utriusque provincialibus commoda erit respective visitatio ».

Praedicta confirmantur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus prior generalis decreta huiusmodi, quippe ad conservandum et solidandum in Ordine praedicto regularis observantiae vigorem eximie conducibilia, pro firmiori illorum subsistentiâ exactiorique observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius prioris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, omnia et singula decreta praeinserta, in eisque contenta quaecumque, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

1 Edit. Main. legit *alieni* pro *alicui* (R. T.).

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras ac decreta praeinserta semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo per

sonae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII ianuarii MDCXCI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 13 ianuarii 1691, pontif. anno II.

---

## XXXIX.

*Conceditur clericis Scholarum Piarum facultas emittendi professionem ante biennium novitiatus*[1].

**Dilecto filio nostro, Gaspari S. R. E. presbytero cardinali Carpineo nuncupato, nostro in almâ Urbe vicario in spiritualibus generali,**

**Alexander Papa VIII.**
**Dilecte fili noster,**
**salutem et apostolicam benedictionem.**

A constitutionibus biennium novitiatui assignatur.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Congregationis clericorum regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, quod, iuxta dispositionem constitutionum dictae Congregationis auctoritate apostolicâ confirmatarum, novitii Congregationis huiusmodi biennium novitiatus ante professionis regularis emissionem peragere debeant.

Pontifex concedit ut in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicta Congregatio religiosis, qui, litterarum studiis apprime instructi, vocationis[2] suae officiis erga proximos satisfaciant, plurimum indigeat; studia vero praefata in domibus regularibus ipsius Congregationis, novitiatui huiusmodi agendo destinatis, in secundo ipsius novitiatus anno, prout dictae constitutiones permittunt, attentâ earumdem domorum paupertate, quippe quae ex eleemosynis sustentantur, nequaquam peragi valeant; ac proinde idem procurator generalis opportunam novitiis supradictis facultatem ad professionem praefatam, iuxta formam a Concilio Tridentino cap. XV, sess. XXV, *De regularibus*, praescriptam, post unicum probationis annum, pro superioris generalis dictae Congregationis pro tempore existentis arbitrio, emittendam, quemadmodum aliàs a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad certum tunc expressum tempus concessa fuit, similiter a nobis concedi summopere desideret: nos, ipsius procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii praefati interpretum consilio, circumspectioni tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, petitam facultatem emittendi professionem regularem supradictam, peracto uno dumtaxat novitiatus huiusmodi anno, clericis novitiis memoratae Congregationis autoritate nostrâ apostolicâ pro suo[1] ar-

1 In constit. ed. MDCXC, die 22 februarii, pontif. I, eis concessa fuere calcei et tibialia; et a Clementis XI in constit. ed. MDCCVIII, die 19 iunii, pontif. VIII, confirmatur eorum introductio in civitate Albanensi.

2 Edit. Main. legit *vacationis* (R. T.).

1 Forsan *tuo* (R. T.).

bitrio et prudentiâ gratis impertiaris[1]; salvâ tamen in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum cardinalium.

Clausulae. § 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis Scholarum Piarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII ianuarii MDCXCI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 ianuarii 1691, pontif. anno II.

1 Male edit. Main. legit *impertiatis* (R. T.).

FINIS PONTIFICATUS ALEXANDRI VIII.

# INNOCENTIUS XII

PAPA CCXLVI

*Ab anno* MDCXCI *ad annum* MDCC

INNOCENTIUS XII, Neapolitanus, Antonius Pignatellus antea vocatus, ducis Minervini filius, S. R. E. presbyter cardinalis tituli S. Pancratii, episcopus Aletinus, postea archiepiscopus Neapolitanus, summus Pontifex electus fuit die XII iulii MDCXCI, coronatus vero die XV eiusdem mensis; creavitque cardinales XXIX. Vixit annos LXXXV, menses VI, dies XIV; in pontificatu autem annos IX, menses II, dies XV. Obiit die XXVII septembris, sepultusque fuit in basilicâ Vaticana. Vacavit Sedes mensem I, dies XXVI.

---

Editae fuerunt regulae Cancellariae die XIII iulii, et publicatae die XXI eiusdem mensis. Haec tamen hic omittuntur, quia sunt fere similes illis aliorum Pontificum.

---

## I.

*Conceduntur privilegia et indulta dapiferis ultimi conclavis*[1].

[1] Similia privilegia concessa fuere ab Alexandro VIII constit. edit. MDCLXXXIX, die 6 decembris, pontif. I; et a Clemente XI constit. edit. MDCC, die 13 decembris, pontif. I.

**Innocentius Papa XII,**

URBIS.

Motu proprio, etc. Nos volentes *(reliqua ut in Clementis X constit. editâ* MDCLXX, *die* XIV *iunii, pontif.* I).

*Fiat* A.

Datum Romae apud S. Petrum, idibus iulii, anno I.

Dat. die 15 iulii 1691, pontif. anno I.

*Nomina eminentissimorum dominorum cardinalium et dapiferorum sunt haec quae sequuntur.*

ANTONIUS PIGNATELLUS, nunc INNOCENTIUS XII, Neapolitanus, ...[1]

EPISCOPI.

Alderanus episcopus Ostiensis sacri collegii decanus cardinalis Cybo, Ianuensis; Ioseph Scandriglia sacerdos Terracinensis.

Flavius episcopus Portuensis S. R. E. cardinalis Chisius archipresbyter basilicae Lateranensis et signaturae iustitiae praefectus, Senensis; marchio Laurentius Montorius, Romanus.

Iacobus episcopus Tusculanus S. R. E. cardinalis Fransonus, Ianuensis; Antonius Posterna clericus Albanensis.

Palutius Albertonus episcopus Sabinensis cardinalis de Alteriis S. R. E. camerarius, Romanus; Mutius de Maximis, Romanus.

[1] Deesse videtur nomen dapiferi (R. T.).

Emmanuel Theodosius episcopus Albanensis S. R. E. cardinalis Bullionus, Gallus; abbas... de Guenegaud, Parisiensis.

PRESBYTERI XLVIII.

Franciscus tituli S. Mariae in Viâ, prior presbyterorum, S. R. E. cardinalis Maidalchinus, Viterbiensis; Dominicus Grippo clericus a Bosco, nullius dioecesis, provinciae Salernitanae.

Carolus tituli S. Laurentii in Lucina S. R. E. cardinalis Barberinus, archipresbyter basilicae S. Petri Romanus; Gregorius de Gregoriis Iustinianus eques Hierosolymitanus, Romanus.

Gregorius tituli S. Marci S. R. E. cardinalis Barbadicus episcopus Patavinus, Venetus; Franciscus Morus a Ponte Affia.

Ioannes Nicolaus tituli S. Mariae Transpontinae S. R. E. cardinalis de Comitibus, episcopus Anconitanus, Romanus; abbas Hyppolitus Maldentius, clericus Foroliviensis.

Iulius tituli S. Praxedis S. R. E. cardinalis Spinula episcopus Lucensis, Ianuensis, abbas Ioseph Berthachinus, Firmanus.

Ioannes tituli Ss. Viti et Modesti S. R. E. cardinalis Delphinus, patriarcha Aquileiensis, Venetus; ...[1].

Nicolaus tituli S. Callixti S. R. E. cardinalis Acciaiolus, Florentinus; abbas Ubaldinus de Ubaldinis, Florentinus.

Gaspar tituli S. Mariae in Transtyberim S. R. E. cardinalis de Carpineo, sanctissimi domini nostri vicarius generalis, Romanus; abbas Nicolaus de Archangelis, Balneoregiensis.

Caesar tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio S. R. E. cardinalis Destraeus, Gallus; marchio Sfortia a Penna, clericus.

Petrus tituli S. Eusebii S. R. E. cardinalis Bonsius, archiepiscopus Narbonensis, Florentinus; Alexander Arduinus Sabbatinus, archidiaconus Pisaurensis.

Frater Vincentius Maria Ordinis Praedicatorum tituli S. Sixti S. R. E. cardinalis Ursinus, archiepiscopus Beneventanus, Romanus; Ioannes Baptista Sansimeonis, Romanus.

1 Deest nomen dapiferi (R. T.).

Federicus tituli S. Anastasiae S. R. E. cardinalis Columna, Perusinus; abbas Petrus Antonius Venturi, clericus Camerinensis.

Franciscus tituli S. Matthaei in Merulana S. R. E. cardinalis Nerlius, Florentinus; comes Antonius Baffi de Nepis, clericus Assisiensis.

Hieronymus tituli S. Silvestri in Capite S. R. E. cardinalis Marescottus, Romanus; Antonius Gabriellus, Romanus.

Fabritius tituli S. Chrysogoni S. R. E. cardinalis Spada, Romanus; Antonius Felix Saracinellus Urbevetanus, eques S. Stephani.

Frater Philippus Thomas Huvard Ordinis Praedicatorum tituli S. Mariae super Minervam S. R. E. cardinalis de Norfolcia, archipresbyter S. Mariae Maioris, Anglus; Ioseph Antonius Calabretus, Squillacensis.

Ioannes Baptista Spinula tituli S. Caeciliae S. R. E. cardinalis S. Caeciliae nuncupatus, Ianuensis; Franciscus Ioannes Sfortia, Cremonensis.

Franciscus tituli S. Stephani in Caelio Monte S. R. E cardinalis Bonvisus, Lucensis; Ioannes Pasquinus Giuntini, sacerdos Lucensis.

Savius tituli S. Petri in Vincula S. R. E. cardinalis Millinus, episcopus Urbevetanus, Romanus; Ioannes Franciscus Gonzales, Madriti, Toletanae dioecesis.

Fridericus tituli S. Alexii S. R. E. cardinalis Vicecomes, archiepiscopus Mediolani, Mediolanensis; abbas Franciscus Belcredus, Mediolanensis.

Frater Raymundus Ordinis Praedicatorum tituli S. Mariae Angelorum S. R. E. cardinalis Capisuccus, Romanus; Petrus Paulus de Fabiis, Romanus.

Frater Laurentius Brancatius Ordinis Minorum Conventualium tituli basilicae Sanctorum XII Apostolorum S. R. E. cardinalis Laurea nuncupatus; ...[1]

Iacobus tituli S. Mariae in Aracaeli S. R. E. cardinalis de Angelis, Pisanus; comes Alexander Franciscus Gallettus Pisanus, eiusdem civitatis ecclesiae primitialis canonicus.

Opitius tituli S. Martini in Montibus S. R. E. cardinalis Pallavicinus, episcopus Spoleta-

1 Deest nomen dapiferi (R. T.).

nus, Ianuensis; Nicolaus de Libertis Leodiensis, Pisanus.

Marcellus tituli S. Priscae S. R. E. cardinalis Duratius episcopus Carpenctoratensis, Ianuensis; abbas Paulus Gregorius de Ferrariis, Ianuensis.

Marcus Antonius Barbadicus tituli S. Susannae S. R. E. cardinalis S. Susannae nuncupatus, episcopus Montis Falisci, Venetus; comes Philippus Rinaldus a Turri, Albensis, in Pedemontio.

Carolus tituli S. Augustini S. R. E. cardinalis Cicerus, episcopus Comi, Comensis; Ioannes Antonius Cicerus, Venetus.

Leopoldus tituli S. Hieronymi Illyricorum S. R. E. cardinalis Kollonitz, episcopus Collocensis et Bacchiensis, Germanus; Franciscus Medicina Testonus, clericus Mediolanensis.

Stephanus S. R. E. cardinalis Le Camus, episcopus Gratianopolitanus, Gallus; Gaspar Villalobos, Hispanus, Toletanae dioecesis.

Ioannes tituli S. Petri in Monteaureo S. R. E. cardinalis Goëssensis episcopus Gurcensis, Germanus; Ioseph Bartolus de Perinsi, Romanus.

Petrus Matthaeus tituli S. Marcelli S. R. E. cardinalis Petruccius, episcopus Æsii, Æsinus; Iacobus Ripantus, Æsinus.

Frater Petrus Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum tituli S. Crucis in Hierusalem S. R. E. cardinalis de Salazar, episcopus Cordubensis, Hispanus; Ignatius Palmequide Zespedes, eques S. Iacobi, Hispanus de Guadalaxara, Toletanus.

Ioannes Casimirus tituli S. Ioannis ante Portam Latinam S. R. E. cardinalis Denhoffensis, episcopus Caesenatensis, Polonus; abbas Ioannes Baptista Barbavarius, Faventinus.

Frater Ioseph Saens Ordinis S. Benedicti tituli S. Balbinae S. R. E. cardinalis de Aguirre, Hispanus; Gabriel a Mesa e Cavarrubias, Madriti, Toletanae dioecesis.

Leander tituli Ss. Nerei et Achillei S. R. E. cardinalis Colloredus, sanctissimi domini nostri poenitentiarius maior, Foroliviensis; abbas Franciscus Xaverius Guicciardus Rhetus, clericus Comensis dioecesis.

Fortunatus tituli Ss. Ioannis et Pauli S. R. E. cardinalis Carafa, episcopus Aversanus, Neapolitanus; abbas Dominicus Todrus, Neapolitanus.

Bandinus tituli S. Thomae in Parione S. R. E. cardinalis Pancratius, Florentinus; Franciscus Cacciavillanus, clericus ab Appignano dioecesis Praenestinae.

Iacobus tituli Ss. Marcellini et Petri S. R. E. cardinalis Cantelmus archiepiscopus Neapoli, Neapolitanus; abbas Ioannes Baptista Eleosanus, civitatis Castellae, I. U. D.

Ferdinandus tituli S. Clementis S. R. E. cardinalis de Abdua, Mediolanensis; abbas Ioannes Dominicus Massa, Mediolanensis, I. U. D.

Tussanus S. Agnetis Extra Moenia S. R. E. cardinalis Fourbin de Janson episcopus Bellovacensis, Gallus; comes Paulus Æmilius Roncallus de Fluminibus, clericus Assiensis.

Ioannes Baptista tituli S. Laurentii in Pane et Perna S. R. E. cardinalis Rubinus, episcopus Vicentinus, Venetus; Ioseph Romangilius Ferrariensis, clericus coniugatus.

Franciscus tituli S. Mariae de Populo S. R. E. cardinalis Iudice, Neapolitanus; abbas Scanius Blasi, Romanus.

Ioannes Baptista tituli S. Bernardi S. R. E. cardinalis Costagutus, Romanus; Franciscus Ravenna.

DIACONI XV.

Urbanus S. Mariae in Vialata primus diaconus S. R. E. cardinalis Sacchettus, episcopus Viterbiensis, Florentinus; Ioannes Bernardus Galesius, clericus Finasiensis, in curià advocatus.

Ioannes Franciscus S. Nicolai in Carcere Tulliano S. R. E. cardinalis Ginettus, archiepiscopus Firmanus, Romanus; Felix Bonafides clericus coniugatus Firmanus.

Benedictus S. Agathae S. R. E. cardinalis Pamphylius, signaturae gratiae praefectus, Romanus; Caesar Cecala, Messapensis.

Dominicus Maria S. Eustachii S. R. E. cardinalis Cursius, episcopus Ariminensis, Florentinus; abbas Ioannes Gregorius Boëtius sacerdos Ariminensis.

Ioannes Franciscus S. Caesarei S. R. E. ardinalis Nigronus, episcopus Faventinus,

Ianuensis; abbas Dominicus Ursaya a Bosco, nullius dioecesis, provinciae Salernitanae.

Fulvius Ss. Cosmae et Damiani S. R. E. cardinalis Astallius, Romanus; abbas Ioannes Petrochius, canonicus cathedralis Reatinae, iuris utriusque et sacrae theologiae doctor.

Franciscus Maria S. Mariae in Domnica S. R. E. cardinalis Medices, Florentinus; frater Rutilius Sandenorius eques Hierosolymanus, Senensis.

Raynaldus S. Mariae de Scala S. R. E. cardinalis Estensis, Mutinensis; comes Robertus Fontana quondam comitis Reguli, Mutinensis.

Petrus S. Laurentii in Damaso cardinalis Ottobonus S. R. E. vicecancellarius, Venetus; Iacobus Tassius, Regiensis.

Carolus S. Mariae in Cosmedin S. R. E cardinalis Bichius, Senensis; Antonius Fantuccius, Bononiensis.

Ioseph Renatus S. Georgii S. R. E. cardinalis Imperialis, Ianuensis; abbas Desiderius Spretus, Romanus.

Aloysius S. Mariae in Porticu S. R. E. cardinalis Homodeus, Mediolanensis; Simeon Paëttinus, clericus coniugatus Firmanus.

Ioannes Franciscus S. Hadriani S. R. E. cardinalis Albanus, Urbinas; abbas Camillus Rasponus, Ravennatensis, I. U. D.

Barberinus S. Angeli in Foro Piscium S. R. E. cardinalis Franciscus nuncupatus, Romanus; marchio Carolus de Rubeis, Romanus.

De Alteriis S. Mariae in Aquiro S. R. E. cardinalis Laurentius nuncupatus, Romanus; abbas Petrus Sanctus Bussius, Romanus.

---

## II.

*Conceduntur privilegia et gratiae conclavistis postremi conclavis* [1].

**Innocentius Papa XII,**

Urbis.

Motu proprio, etc., volentes. *(Reliqua videre est in Clementis X constit. edit.* MDCLXX, *maii* XXVIII, *pontif.* I.

*Fiat* A.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, idibus iulii, anno I.

Dat. die 15 iulii 1691, pontif. anno I.

*Nomina autem ipsorum conclavistarum sunt haec quae sequuntur, etc.*

Reverendissimus dominus frater Ioseph Eusanius Aquilanus, episcopus Porphyriensis, sacrista; abbas Petrus Sanctes de Fontibus presbyter Camerinensis, abbas Dominicus Cappellus presbyter Asculanus canonicus insignis basilicae S. Mariae Transtyberim, Candidus Cassina presbyter Novocomensis, canonicus praedictae insignis basilicae S. Mariae Transtyberim, Iustinianus Chiapponius de Rossena presbyter Regiensis perpetuus clericus beneficiatus basilicae Principis Apostolorum de Urbe, Bernardinus Portus presbyter Bononiensis perpetuus beneficiatus basilicae Lateranensis, magistri caeremoniarum; abbas Guido Passioneus clericus Forosemproniensis, sacri collegii secretarius; Faustinus Crispoldus clericus Perusinus, abbas Ioannes de Camporealibus presbyter Interamnensis, Ioannes Franciscus Agliaudus de Saviliano laicus Taurinensis dioecesis, nostri dum cardinalatus honore fungebamur; marchio Claudius Pallavicinus clericus Parmensis, Ioannes Nisez clericus Durbutensis Leodiensis dioecesis, Ioannes Baptista Mazzarinus clericus Ariminensis, Alderani Ostiensis Cybo; Ioannes Mancinus presbyter a Palumbaria Sabinensis dioecesis perpetuus beneficiatus basilicae Lateranensis, Augustinus Lottus laicus Romanus, Dominicus Archangeli clericus Senensis, Flavii Portuensis Chisii; comes Raymundus Ranutius de Marsciano clericus Urbevetanus, Thomas Hyacinthus Sangiorgius presbyter e Saxoferrato Nucerinae dioecesis, Nicolaus Carpius laicus Ianuarius, Iacobi Tusculani

[1] Similia privilegia concessa fuerunt ab Alexandro VIII in constit. ed. MDCLXXXIX, die 4 decembris, pontif. I; et a Clemente XI in constit edit. MDCC, die 13 decembris, pontif. I.

Fransoni; frater Ugo Ferrettus Ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani Anconitanus, Pomponius Lenzi presbyter Maceratensis, perpetuus beneficiatus collegiatae S. Mariae in Vialata, Alexander Tiburtius clericus coniugatus a S. Pio Sabinensis dioecesis, Palutii Sabinensis de Alteriis; abbas Melchior de Polignac clericus Aniciensis, Carolus de Serto clericus Parisinus, Carolus Regnault laicus Rothomagensis, Emmanuelis Theodosii Albanensis Bullioni, venerabilium fratrum nostrorum episcoporum S.R.E. cardinalium; Severinus Lazarellus presbyter a S. Severino in Piceno, Ferdinandus de Valentibus clericus a Trebia Spoletinae dioecesis, Carolus Salandra laicus Romanus, Francisci tituli S. Mariae in Via Maidalchini; abbas Ioannes Cecius clericus abbatiae Sublacensis nullius dioecesis perpetuus beneficiatus basilicae Principis Apostolorum de Urbe, Antonius de Comitibus clericus Camerinensis, Ioannes Baptista Blancus laicus Pisanus, Caroli tituli S. Laurentii in Lucina Barberini; Ludovicus Campo-Samperius clericus Patavinus, Carolus Franciscus Ignatius Hoffmann laicus Silesius Viatislaviensis, Gregorii tituli S. Marci Barbadici; abbas Ioseph de Annibaldensibus a Molaria clericus Romanus, Ioseph Giacchius presbyter a Montesicuro Anconitanae dioecesis, Flaminius Peregrinus laicus de Polo Tiburtinae dioecesis, Ioannis Nicolai tituli S. Mariae Transpontinae de Comitibus; Paulus Lucatellus archidiaconus Aquileiensis de S. Daniele Foroiulii, Gaspar Minorellus laicus Patavinus, Ioannis tituli Ss. Viti et Modesti Delphini; Thomas Marchianus presbyter Florentinus, Bartholomaeus Recchus laicus Bononiensis, Nicolai tituli S. Callixti Acciaioli; Alexander Bonaventura presbyter Urbinatensis eiusdem metropolitanae ecclesiae praepositus, Petrus Franciscus Giampè clericus de Fabriano Camerinensis dioecesis, Gasparis tituli S. Mariae Transtyberim de Carpineo; Ioseph de la Tramouille de Noirmentier abbas B. M. de Insula Dei presbyter Parisinus, Olivarius Cervinus Ninon de la Forest clericus Chorisopitensis, Ioannes de la Chaise clericus Parisinus, Caesaris SS. Trinitatis in Monte Pincio de Estrées; Lucianus Borzon clericus Parisinus, Ludovicus Manden laicus Lemovicensis, Iacobus Prache laicus Bellovacensis, Petri tituli S. Eusebii Bonsii; abbas Paulus Farella, commendator Ss. Mauritii et Lazari presbyter Muranus, Nuntius de Bavariis clericus Triventinus, Ioannes Baptista Bassius laicus Romanus, fratris Vincentii tituli S. Xisti Ursini; Ioseph Maria Francischinus presbyter de Massa Firmanae dioecesis, Ioannes Iacobus Blattman laicus de Zugh Constantiensis, Barnabas Rafaldus clericus de Monte Apponum Firmanae dioecesis, Federici tituli S. Anastasiae Columnae; Ioannes Baptista Gagnus presbyter Foroliviensis, Ioannes Nardier laicus Burgundus, Francisci tituli S. Matthaei in Merulana Nerlii; Dominicus de Benedictis a Trebia Spoletanae dioecesis perpetuus clericus beneficiatus insignis collegiatae ecclesiae S. Laurentii in Damaso de Urbe, Roggerius Selvaggius clericus a Monte Caveoso Matheranae dioecesis, Hieronymi tituli S. Silvestri in Capite Casanate; Galeatius Campana presbyter e Castro Parrani Urbevetanae dioecesis, Ioseph Ambrosius laicus Romanus, Galeatii tituli Ss. Quirici et Iulitae Marescotti; abbas Angelus Ferratinus presbyter Amerinus, Gregorius Lucidus presbyter de Terra Staphili Auximanae dioecesis, Fabritii tituli S. Chrysogoni Spadae; Ioannes Baptista Novellus laicus Romanus, Franciscus Leporus a Castro Pici, presbyter Aquinatensis dioecesis et archipresbyter collegiatae Ss. Petri et Pauli Carmaniolae, Franciscus Cleton laicus e Dabia in Anglia, fratris Philippi Thomae Huvard tituli S. Mariae super Minervam de Norfolcia; Antonius Piersantes clericus de Matelica Camerinensis dioecesis, Timotheus Augustinellus laicus Perusinus, Iacobus Papaccinus laicus Bononiensis, Ioannis Baptistae tituli S. Caeciliae Spinula; Franciscus Merenda a Lugano presbyter Novocomensis dioecesis, Sebastianus Perottus ab Ateste laicus Patavinus, Francisci tituli S. Stephani in Monte Caelio Bonvisii; Maphaeus Copponius laicus Florentinus, Savi tituli S. Petri in Vincula Melini; Ioannes de Lambis cle

ricus Ravennatensis, Iacobus Franciscus Placentinus presbyter Ticinensis, Franciscus Pezzanus laicus Mediolanensis, Federici tituli S. Alexii Vicecomitis; Ioseph Fulchignonus presbyter Romanus, Ioseph Massaius a Liburno laicus Pisanus, fratris Laurentii Brancati basilicae Ss. XII Apostolorum de Laurea; Antonius Franciscus de Palmerinis clericus Pisanus, Victorius Galiardus presbyter Romanus, Ioseph Tarus laicus Mediolanensis, Iacobi tituli S. Mariae in Aracaeli de Angelis; Ioannes Andreas Siquilinus clericus dioecesis Montisalti, Ioannes Georgius Hensel laicus Saxo, Opitii tituli sancti Martini in Montibus Pallavicini; Carolus Ioseph Massiminus presbyter dioecesis Montis Regalis in Pedemontio, Ioseph Lopes clericus Ulyssiponensis, Marcelli tituli S. Priscae Duratii; Lucas Cornelius presbyter Venetus, Victor Felix Concius presbyter Tudertinus, Marci Antonii tituli S. Susannae Barbadici; Ioannes Simon Fransonus presbyter de Locarno canonicus ecclesiae cathedralis civitatis Comensis, Felix Antonius de Rubeis laicus Fanensis, Caroli tituli S. Augustini Ciceri; Ignatius Christophorus Guarient a Raal Austriacus laicus Viennensis, Ioannes Baptista Mariottus clericus Romanus, Leopoldi tituli S. Hieronymi Illyricorum Kollonitz; Michaël Antonius Baudrand clericus Parisinus, prior S. Martini de Roboribus in Cornotensi dioecesi, Gaspar Magnon presbyter Gratianopolitanus, canonicus ecclesiae cathedralis eiusdem civitatis Gratianopolitanae, Stephani le Camus; Petrus Palatius Brixiensis, Ioannes Ludgero Storff clericus Monasteriensis, Ioannes Franciscus Himber Silesius laicus Olomucensis dioecesis, Ioannis tituli S. Petri in Monte Aureo Goessen; Mutius Sinibaldus clericus Auximanus, Blasius de Clementibus laicus Spoletinus, Petri Matthaei tituli S. Marcelli Petrucci; Bernardus Blasquez presbyter Cordubensis, Christophorus Pardus Zaragosa presbyter Malacensis dioecesis, fratris Petri tituli S. Crucis in Hierusalem de Salazar; Iacobus Fucillard presbyter Caenomanensis dioecesis, Blasius Matthaeinus laicus Ariminensis dioecesis, Ioannis Casimiri tituli sancti Ioannis ante Portam Latinam d'Enhoff; Ioseph Ochoa eques Ordinis S. Iacobi de Spata laicus e civitate S. Dominici Calagurritanae dioecesis, Bartholomaeus Belingius clericus Montis Regalis in Pedemontio, Ioseph Maria Peregrinus clericus Bononiensis, fratris Iosephi tituli S. Balbinae de Aguirre; Antonius Honuphrius de Martinis presbyter Romanus, Michaël Magantius clericus abbatiae S. Hilarii nullius dioecesis provinciae Ravennatensis, Leandri tituli Ss. Nerei et Achillei Colloredi; Vincentius Antonius Capoccius presbyter Liciensis dioecesis, Ioannes Franciscus Nicosia clericus Hieracensis dioecesis, Dominicus Tartalionus laicus Neapolitanus, Fortunati tituli Ss. Ioannis et Pauli Carafae; Antonius de Rubeis presbyter Aquitensis, Dominicus Vasellus laicus Pistoriensis dioecesis, Bandini tituli S. Thomae in Parione Panciatici; Antonius de Simeonibus a Messapia presbyter Brundusinae dioecesis, Iacobi tituli Ss. Marcellini et Petri Cantelmi; Nicolaus Tardinus presbyter Bononiensis, Vincentius Bigordus laicus Florentinus, Ferdinandi tituli S. Clementis de Abdua; Mathias de Charlan clericus dioecesis Baiocensis, Tussani tituli S. Agnetis Extra Moenia de Janson de Fourbin; Solon Cambellus clericus coniugatus Spoletinus, Iacobus Beccarius laicus Ariminensis, Ioannis Baptistae tituli S. Laurentii in Pane et Perna Rubini; abbas Paulus Æmilius Mondellius presbyter Tranensis, Dominicus Faldorius laicus Florentinus, Francisci tituli S. Mariae de Populo Iudice; Humanus Miccichellus a Farnesio presbyter Aquaependentis dioecesis, Isidorus Buccius a Zagarolo Praenestinae dioecesis, Ioannis Baptistae tituli S. Bernardi Costaguti, presbyterorum S. R. E. cardinalium: Ioannes Baptista Martellus clericus Firmanus, Ioseph Venantius laicus Spoletinus, Ioannes Baptista Bellettanus laicus Venetus, Urbani S. Mariae in Vialata Sacchetti: Franciscus Antonius Palutius presbyter Sabinensis, Manutius Nicolaus laicus de Capradosso abbatiae SS. Salvatoris Maioris nullius dioecesis, Ioannis Francisci S. Nicolai in Carcere Tulliano Ginetti; Ioannes Palmegianus de Pinna Billorum pres-

byter Feretranae dioecesis, Ascanius Bartoccinus clericus de Marscia Perusinae dioecesis, Ioseph Biscinus clericus Romanus, Benedicti S. Agathae Pamphilii; Gregorius Muscatellus clericus Viterbiensis, Lucas Antonius Masinus laicus Florentinus, Dominici Mariae S. Eustachii Cursii; comes Caesar Alexander Machivellus presbyter Imolensis, Dominicus Bergerius laicus Romanus, Ioannis Francisci S. Caesarei Nigroni; frater Scipio Cicala Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani clericus Messanensis, Vincentius de Floribus presbyter Civitatis Ducalis, eiusdem cathedralis ecclesiae praepositus, Franciscus Gaius laicus Romanus, Fulvii Ss. Cosmae et Damiani Astalli; marchio Alexander Capponius clericus coniugatus Florentinus, Petrus Andreas Forzonius laicus Florentinus, Ioseph Bonellus clericus Camerinensis, Francisci Mariae S. Mariae in Domnica Medices; comes Banutius de Marsciano presbyter Romanus basilicae Principis Apostolorum de Urbe, Ioseph Bussetus clericus Regiensis, Ioannes Baptista Ferrarius laicus Mutinensis, Raynaldi S. Mariae de Scala Estensis; Iulius Tassus presbyter Regiensis dioecesis canonicus collegiatae S. Nicolai in Carcere Tulliano de Urbe, Dominicus de Simonibus laicus a Trebia Spoletinae dioecesis, Laurentius Metteler laicus Pisaurensis, Petri S. Laurentii in Damaso Ottoboni; Dominicus Libanus clericus Orinus, Natales Ancaranus laicus Faventinus, Caroli S. Mariae in Cosmedin Bichii; abbas Felix Nigronus clericus Ianuensis, Matthaeus Herculanus clericus dioecesis Montisalti, Iosephi Renati S. Georgii Imperialis; Iacobus Antonius de Pretis presbyter Urbinas, Franciscus de Magistris laicus Romanus, Aloysii S. Mariae in Porticu Homodei; Fabius de abbatibus Oliverius clericus Pisaurensis, Christophorus Antonius Severus clericus Feretranae dioecesis, Ioannis Francisci S. Adriani Albani; Pompeius Tortius clericus Hortanus, Antonius Simonettus laicus Romanus, Francisci S. Angeli in Foro Piscium Barberini; marchio Ioannes Baptista de Drago laicus Romanus, Thomas Lucarellus laicus Romanus, Laurentii S. Mariae in Aquiro de Alteriis, diaconorum S. R. E. cardinalium[1] nuncupatorum: abbas Ioseph Zaffontius presbyter Senensis canonicus insignis basilicae S. Mariae Transtyberim de Urbe, Alexander Petrillus clericus Lucensis, bonae memoriae Iulii tituli S. Praxedis Spinulae nuncupati defuncti; Leonardus Calamarius presbyter Romanus, archipresbyter collegiatae S. Luciae de Tinta de Urbe, Eustachius Becanius clericus Leodiensis, Christophorus Alexandrinus clericus Viterbiensis, bonae memoriae fratris Raymundi tituli S. Mariae Angelorum Capisucchi nuncupati defuncti: frater Paulinus de Bernardinis Ordinis Praedicatorum Lucensis; frater magister Felicianus Corellus de Fulgineo Ordinis eremitarum S. Augustini, subsacrista; Ioseph Michaël de Rubeis clericus Senensis, cum praedicto reverendissimo episcopo Porphyriensi sacrista; Petrus Orlandus presbyter Romanus, cum dicto secretario sacri collegii; Henricus Tillon Clivensis clericus Coloniensis dioecesis, cum eodem secretario sacri collegii; abbas Ludovicus Piccinus clericus Æsinus, custos fontis et aquarum conclavis; Ioannes Baptista Fossombronus Aretinus, Angelus Modius de Caesis Spoletinae dioecesis[2]; Marius Cecchinus de Licciana Sarzanensis dioecesis, chirurgus; Petrus Corsius Romanus, aromatarius; Gregorius Moriconus Lucensis, Paulus Matthaeus ab Ereto Sabinensis, eius auxiliatores; Gerardus Wolff Coloniensis, Nicolaus Martinus Pistoriensis, barbitonsores; Paulus Ioseph Manuccius ab Aquasparta Tudertinae dioecesis, Paulus Devillaqua a Monticello Tiburtinae dioecesis, eorum auxiliatores; Stephanus Baldus faber lignarius, Gaspar Rinaldus faber caementarius, Antonius Nicolaus Ferratinus a S. Genesio Camerinensis dioecesis, famulus magistrorum caeremoniarum, Alexander Silvanus, Ambrosius Rosarius, Andreas Campus, Andreas Fallarinus, Angelus Messiconus, Antonius Baroldus, Antonius Crovellonus, Antonius Sella, Antonius Cantonus, Bartholomaeus Butius, Bartholomaeus Onginus, Bernardinus Cambronus, Carolus Marinus, Dominicus

1 Edit. Main. legit *cardinalis* (R. T.).
2 Forsan deest *medici physici* (R. T.).

Gionsius, Donatus Augustinus, Franciscus Catenaccius, Franciscus Caitius, Franciscus Gonella, Iacobus Corrazza, Iacobus Tonginus, Iacobus Digiulus, Iacobus Soliva, Ioannes Cordus, Ioannes Panesius, Ioannes Nobilis, Ioannes Antonius Bianchinus, Ioannes Baptista Blondus, Ioannes Baptista Ceccarellus, Ioannes Dominicus Zonus, Ioannes Iacobus Sonsia, Ioannes Maria Bergotus, Martinus Vaninius, Paulus Carpantius, Raphaël Ciampus, Sanctes Martianus, Thomas Mancinus, scopatores conclavis.

---

## III.

*Promulgatur canonizatio S. Caietani Thienaei Clericorum Regularium institutoris unà cum indulgentiis in eius festo* [1].

**Innocentius Episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Rationi congruit et convenit aequitati, ut ea, quae Romani Pontificis providâ deliberatione ac venerabilium fratrum suorum S. R. E. cardinalium, necnon patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum nunc[2] in Romanâ Curiâ commorantium unanimi consilio decreta, definita et statuta fuerunt, licet ipsius superveniente obitu litterae apostolicae desuper confectae non fuerunt[3], suum debitum consequantur effectum.

Qua de causâ hic beatus Sanctorum albo adscriptus fuerit a Clemente X.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa X, praedecessor noster, pie secum animo revolvens, inter alia divinae largitatis beneficia illud esse perenne, quod ad eradicanda falsorum dogmatum zizania, quae in Ecclesiae florentis agro inimicus homo iugiter superseminare non cessat, caelestis paterfamilias statis temporibus dignos operarios miserit, qui imminenti malo occurrerent et succrescentem perniciosam sectam amoverent, ac inter ceteros anteacto saeculo, quo impius haeresiarcha et religiosae militiae desertor Lutherus aliive sacrilegi sectarii Sanctae Sedis et Romani Pontificis dignitatem exauctorare, Ordines regulares eliminare, relaxatam cleri disciplinam criminari, usumque et venerationem sacramentorum obliterare temerario conatu satagebant, fuisse divinâ providentiâ excitatum spiritum fidelis servi sui Caietani Thienaei, qui ad eorumdem novatorum confusionem aliud suave et tot tantisque asseclis receptum religionis usum apostolicâ auctoritate in ipso Vaticano templo confirmatum instituit, quó clerici regulares, sub eiusdem Romani Pontificis et praefatae Sedis Sanctae immediatâ subiectione et speciali protectione suscepti, tribus substantialibus votis emissis, apostólicam vivendi formam, omni rerum temporalium et vel ipsâ emendicandi curâ posthabitâ, imitarentur, collapsam cleri et morum disciplinam instaurarent, ac venerationem et frequentiam sacramentorum insigni pietatis et devotionis foenore unâ cum eleganti ecclesiarum nitore restituerent; ex processibus itidem iam absolutis idem praedecessor plenariam certitudinem assequutus, beatum virum, huius voti cum suis alumnis compotem effectum, illibatae vitae tenorem ad extremum usque spiritum perduxisse, atque ex heroicis virtutibus, quibus cumulatus, et insignibus miraculis, quibus in vitâ et post mortem clarificatus fuerat, gloriose cum eo in caelis regnare cuius honorem in terris zelatus fuerat: solemni ritu eumdem inter Sanctos Confessores adscripsit,

1 Beatus declaratus fuit ab Urbano VIII, die 7 octobris, MDCXXIX; Sanctus vero a Clemente X, die 12 aprilis, MDCLXXI, pontif. I; alias canonizationes vide in Clementis X const. edit. MDCLXXI, die 12 aprilis, pontif. I, et in constit. sequenti huius Pontificis.

2 Potius lege *tunc* (R. T.).

3 Aptius lege *fuerint* (R. T.).

illiusque vitam, virtutes et miracula, necnon actorum seriem ad maiorem Dei gloriam et christifidelium aedificationem summatim recensere decreverat. Quod cum nec ipse, nec similis recordationis Innocentius Papa XI et Alexander Papa VIII eius successores, nostri autem praedecessores, morte praeventi, hactenus peregissent, ne tam pia et exemplaris memoria unquam obliteretur, sed apostolica roborata testimonio sincere et veridice conservetur in aevum, sequentem narrationem praesentibus litteris duximus committendam.

Nativitas et pueritia Caietani.

§ 2. Natus est beatus Caietanus Vicentiae, clarâ Venetae ditionis civitate, circa annum reparatae salutis MCDLXXX, parentibus comite Gaspare Thienaeo et Maria Porto ambobus genere praeclaris; quem mox ut enixa est mater, Deiparae Virgini obtulit commendavitque. Cuius vota benigne suscipere ipsa Deipara visa est, eum semper in posterum specialibus favoribus munerans, ipseque vicissim, ut matrem illam tenerrimo quodam affectu saepe compellans, ad eius patrocinium in arduis omnibus confugiebat. Pietati a primis annis addictus, orationi, eleemosynis, aliisque piis operibus animum instruebat, cunctorum oculos in se rapiens mirum in modum, adeo ut ex tunc sanctus ab omnibus nuncuparetur.

Adolescentia.

§ 3. Aliis studiis emensis, pontificii et caesarii iuris prudentiae operam dedit, fuitque utriusque laureâ Patavii insignitus. Quique adhuc puer in extruendis aris sacrisque imaginibus exornandis totus fuerat, postmodum adolescens, ut oppidanorum commodo ac pietati serio prospiceret, beatae Mariae Magdalenae aedem unâ cum germano fratre in proprio Thienaeorum pago, quem Rampazum dicunt, a fundamentis extruxit, censuque ad sacra facienda dotavit. Adeo animarum sitiebat salutem, ut eam ob rem etiam corporum male habentium servitio se in nosocomiis manciparet, ac per istiusmodi charitatis officia aegros ad patientiam, Dei amorem, peccatorum suorum expiationem, ac supernae patriae desiderium excitabat, nihil intactum relinquens, quo Deo animas lucrifaceret, dictus propterea venator animarum. Hinc novum Vicentiae nosocomium erexit; hinc Venetias, confessarii monitu, e cuius ore nutuque pendebat, ire contendit ad magni, ut vocant, incurabilium valetudinarii curam suscipiendam. Hinc Romae ac Neapoli, quò, successu temporis, contigit perrexisse, eodem animo ac eâ solicitudine tenebatur, ut nimirum corporum simul et animarum saluti consultum iret, infirmorum calamitatem utrinque leniens. Quo factum est, ut, grassante Venetiis pestilentiâ, eâ contagione laborantibus propriis ipse manibus inservire ac vilissima quaeque munia prompto animo aggredi non formidaret.

Ingreditur sodalitium Divini Amoris.

§ 4. Romam inde profectus, et recolendae memoriae Iulio Papa II etiam praedecessori nostro in primis carus, inter protonotarios, ut vocant, participantes adscitus est; verum postea, saecularium rerum pertaesus, abdicatisque omnibus, ad sodalitium Divini Amoris, quod eo tempore solidae pietatis famâ celebre in Urbe erat, aufugiens, in eo adscribi suppliciter petiit. Voti compos [1] factus, mirum est quantum in virtutum omnium aemulatione ceteros antecelleret. Inde sacris initiatus, et in patriam post aliquot dies reversus, conceptum caelitus ignem in eam visus est intulisse, nihil magis cupiens, quam ut eodem civium corda succenderet. Etenim, relictâ paternâ domo, ad aegrotantium publicum hospitale divertit, atque inter infimae plebis homines in oratorio divi Hieronymi, quod postea a Divino Amore

1 Edit. Main. legit *campos* (R. T.).

voluit dictum, mutuato nomine a Romano illo cui ipse primum nomen dederat, cuique hoc aggregandum curavit, alterius spiritum in alterum trasfundere satagebat, id semper habens in votis ut lapsos fidelium mores, qua verbo, qua exemplo, corrigeret, atque animos ad Dei amorem inflammaret. Prae ceteris id assequutus est ut sacramentorum frequentem usum in sodales primum, dehinc in alios ferventiore spiritu induceret, magno cum eorum compendio [1], qui, elutis animae sordibus, ad caeleste epulum accedebant, quod propriis ipse manibus saepe illis ministrans, identidem ad eiusdem amorem ac sitim ignitis plane colloquiis lacrymarum vi ac [2] suspiriis intendebat.

Instituit Ordinem clericorum regularium, Carafa adiutor S. Caietani.

§ 5. Verum Romam reversus, inito cum similis memoriae Paulo IV, etiam praedecessore nostro, tunc in minoribus constituto Ioanne Petro Caraffa nuncupato et episcopo Theatino, consilio, de restituendo ad pristinam formam clero cogitare coepit. Quare, illo adiutore accitisque duobus aliis eximiae pietatis viris ex praefatâ Divini Amoris de Urbe sodalitate, Bonifacio nempe a Colle nobili Alexandrino, et Paulo consiliario Romano, clericorum regularium Ordinem ad Ecclesiae primitivae normam instituit, seu potius instauravit, qui videlicet, ad eorum morem quibus cor unum et anima una fuisse legitur, abdicatâ rerum omnium temporalium curâ, ipsâque emendicandi sollicitudine, ex solis eleemosynis sponte oblatis viverent, Deique omnipotentis misericordiam expectarent; atque ita pristinam illam apostolicam vivendi formam ex integro redditam, magno cum ecclesiastici nominis foenore, haereticorumque illud temere deprimentium rubore, hic Dei servus in orbem postliminio revocavit, armavitque apostolicâ auctoritate tribus substantialibus votis, legibus et institutis statuit decorique clericorum oppido consentaneis, eiusdem memoriae Clemente Papa VII, pariter praedecessore nostro, approbante, ipsoque Dei servo unâ cum sociis in Vaticano templo hanc regulam publice profitente. Quam quidem vivendi formam visa est non semel divina providentia, rebus in arcto positis, miraculis comprobasse, cavitque sedulo Caietanus ne quid unquam ea detrimenti caperet, praesertim cum oblatos ultro Neapoli fundos ac census constantissime recusavit, et [1] obiectans Domini verba: *Respicite volatilia caeli; non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester caelestis pascit illa.*

Servi Dei virtus.

§ 6. Ut autem praeclara servi Dei virtus non in prosperis solum exerceretur, sed in adversis etiam probaretur, tunc prae ceteris eximia eius aequanimitas enituit, cum in immani illâ Urbis direptione a militibus deprehensus, creditusque ut olim divitiis abundare, ut eas proderet saevissime tortus, eam tormentorum vim mirâ animi tranquillitate ac mansuetudine perpessus est; eoque tandem in teterrimum carcerem cum sociis detruso, accidit, ut quadam die canentem cum ipsis laudes alternatim laetiori voce, ac si in odeo essent, audiret Hispanorum quidam tribunus, qui profecto tantam demiratus alacritatem, tantamque in perferendis malis constantiam, illico, ut relaxarentur, atque in sui gratiam liberi dimitterentur, a commilitonibus suis enixe petiit, obtinuitque. Vinculis exsoluti, ad Tyberis ripam tendunt incerti animi quò potissimum transmitterent; cumque commeatum et pecuniam non haberent, adfuit divina providentia vel ipsos aggressores interne movens ad stipem ultro itinerisque viaticum erogan-

1 Vide an legendum *gaudio* vel simile (R. T.).
2 Edit. Main. legit *as* pro *ac* (R. T.).

1 Partic. *et* redundat vel legendum *ei* (R. T.).

dum. Inde venientes ad Ostia Tyberina, Venetum oratorem auspicato offenderunt in patriam solventem, a quo benigne excepti et liberaliter habiti, Venetias tandem obtinuerunt.

Neapoli domum fundavit.

§ 7. Ibi per annos aliquot Dei famulus commoratus, admirandae paupertatis et caelestis plane vitae famam diffudit; cumque interim exemplares hos clericos habendi desiderio flagrans Neapolitana civitas, interpositâ eiusdem Clementis VII praedecessoris auctoritate, id egisset ut illuc migrare ac domicilium figere per obedientiam arctarentur, profectioni et muneri Caietanus eligitur, ac novae illius domus praepositus postea pronunciatur.

Flamma divinae charitatis.

§ 8. Porro, ut tanti viri virtutes egregiae innotescant, praestat eas ultra superius delibatas summatim percurrere, quo per viam salutis incedentibus esse valeant exemplo. Eâ in primis divinae charitatis flammâ, quam iamdudum in praefato Divini Amoris sodalitio conceperat, aestuabat, ut intra pectoris sinum contineri cor eius non sustineret; hinc iuges lacrymae, suspiria, gemitus, exstases, tanti ardoris indicia. Hinc, ut omnes eadem flamma succenderet, discurrebat huc illuc in similitudinem fulguris coruscantis, atque ut amicum praesulem, ob negotiorum copiam quibus detinebatur sacrum quotidie facere omittentem, moneret, Romam advolat vel aestuante caniculâ, pioque officio functus, Neapolim illico rediit.

Zelus catholicae fidei.

§ 9. Catholicae fidei zelo et ad haereticorum confusionem Ordinem clericorum regularium instituit, ac plura haeresum monstra, earumque latebras sedulâ inquisitione non semel detexit ac profligavit, eiusdemque fidei ardore absumptus creditur interiisse, cum Tridentinam Synodum a coeptis desistere et ulterius non progredi tunc videret.

Orationes.

§ 10. Orationi ita addictus erat, ut, quidquid a domesticis negotiis atque animarum procurandâ salute temporis aut otii superesset, orationi aut meditationi daret, mane matutinas preces maturius antevertens[1] ac vespere ad multam noctem orans ante aram maximam elevatâ in Deum mente transigeret, divinam rem facturus, totus in lacrymas effundebatur, seque eo ministerio indignum reputans, magnae Matris, cuius erat obsequentissimus, opem implorabat, ut vivificum Agnum eâ qua decebat devotione susciperet, concipiens dulcissimo quodam mentis obtutu adesse inibi Deiparam, quae lectissimum Filium pronâ ac munificâ manu porrigeret.

Cultus erga quosdam sanctos.

§ 11. Inter sanctos, quos patronos ob specialem cuiusque praerogativam atque ad imitandum sibi proposuerat, maiori colebat affectu in primis Petrum apostolorum principem, suae Congregationis patrem et antesignanum, cui propterea ex sui praescripto nominatim vota solemnia a clericis regularibus nuncupantur, Andream item apostolum et Lucam evangelistam ob ardens in eisdem desiderium crucis,[2] tesserâ voluit suum Ordinem insigniri, Franciscum etiam Assisinatem, ob idem crucis consortium atque ob paupertatis amorem, praecipuo quodam cultu venerabatur.

Studium pro solo regno caelesti.

§ 12. Spe in Deum erectâ, sollicitudinem omnem proiiciebat in eum, ut propterea unicam hanc in Deo fiduciam Ordini suo pro latifundo dederit; totusque erat in regni caelestis inquisitione, animarum sollicitudine, verbi Dei praedicatione, sacramentorum sedulâ administratione, divini cultus nitore, exactâque sacrorum rituum observantiâ; quantum[3] quidem peculiare studium suis

1 Edit. Main. legit *antevertentes* (R. T.).
2 Videtur deesse *qua* vel *cuius* (R. T.).
3 Forsan *quorum* pro *quantum* (R. T.).

demandavit, et eiusdem Clementis VII praedecessoris iussu breviarii romani reformationem, unà cum praefato, tunc in minoribus constituto, Ioanne Petro Carafa sodali suo, aggressus est, quae postea novis curis absoluta in romano breviario vulgata est.

Asperitas.

§ 13. Corpus affligendo integras quandoque noctes insumebat, ferreà catenà et flagris illud diverberando, cibus illi vulgaris et parcus, ac saepissime solius[1] panis et aqua, somnus brevis et in stramentitià culcitrà, cuius decubitum etiam in ultimâ aegritudine ad extremum usque sustinuit, tametsi medicus, in illà decumbentem nimium laborare advertens, adnisus fuisset ut aliam molliorem admitteret: cui Caietanus: « Mene, inquit, tam molliter emori? atque in cinere et cilicio mori debeo et volo ».

In linguà et oculis moderatio.

§ 14. Oculos et linguam ita compescuit, ut integros dies silentio praeteriret, et illos semper humi defixos teneret; nec ullis unquam illecebris potuit animus eius vinci, aut curiositate molliri: quo factum est, ut, si quando praenobiles matronae eum alloqui vellent, prope accedere non auderent, ni omnino feminco cultu seposito, exteriorem corporis habitum ad christianae humilitatis ac modestiae leges componerent; quippe angelicam eius puritatem, gravitatem ac modestiam oris reverebantur; itaque singulare in eo fuit ut adventantes mire raperet ad virginitatis amorem ac coelibem in coenobiis vitam capessendam. Quique a diuturnis et inveteratis carnalium cogitationum stimulis vexabantur, ab illis se protinus[2] agnoscebant, ubi primum Dei[3] servo se commendare ex corde aggressi sunt, aut eius alloquio vel praesentià frui concessum erat. Quare tria mulierum monasteria Neapoli excitavit; alterum sacrarum virginum sub arctissimâ Capuccinorum regulà, alterum feminarum, quae pudicitiae iacturam aliquando passae ad portus[1] salutis per poenitentiam post naufragium confugiebant, et tertium monalium S. Mariae de Sapientià nuncupatum, institutrice Maria Carafa praefati Pauli praedecessoris sorore, a quo illius regimen servo Dei, eiusque Ordini peculiari iure commissum fuit.

Humilitas.

§ 15. Humilitate, dimissione animi ac vilissimà sui aestimatione insignis, fratres et agnatos, qui magno cum comitatu et pompâ Neapolim ad ipsum invisendum perrexerant, ne alloqui aut de vultu quidem excipere voluit, quippe qui ob Christi amorem mundo et pompis iamdudum valedixisset; non alio nomine aut titulo se epistolis obsignabat, quam *Caietani presbyteri miser[i] peccatoris;* abiectissima quaeque ministeria vel saeculo degens capessivit, et quamvis primus Ordinis parens foret, eius tamen regimen assumere non est passus, sed memorato tunc in minoribus constituto Ioanni Petro Carafae cessit. Defectus corporis ad confusionem pandebat, animi vero dotes atque a Deo accepta dona pro viribus occultabat. Quod si quando charitate exstimulante quicquam rarum vel insolitum suis a Deo precibus impetraret, sanctorum potius intercessionibus vel lipsanis[2], aut orationis virtuti tribuebat.

Aliae virtutes.

§ 16. Denique obedientià, paupertate, moderatione animi in adversis, providentià ceterisque virtutibus ita eluxit, ut constans fuerit multorum opinio illum

1 Vel heic lege *solus*, vel paulo post *aquae* pro *aqua* (R. T.).
2 Videtur deesse verbum *liberari* (R. T.).
3 Pessime edit. Main. legit *Deo* (R. T.).

1 Aptius lege *portum* (R. T.).
2 Vide Ducange: *Lipsana* (λείψανα), *numero multitudinis*, reliquiae sanctorum (R. T.).

sublimioris sanctitatis gradum attigisse et consuetas metas praetervolasse.

Obitus. § 17. Quibus virtutibus cumulatus, ac laboribus, vigiliis, aerumnis, iugique sui corporis excruciatione fractus, multoque magis morbo et animi moerore correptus, quod, actâ per eos[1] in seditionem plebe, graviter Deum offendi cerneret, quodque Tridentinum Concilium, in quo maxime fidebat, interruptum videret, spe suâ frustratus, et ad extremum usque, integris tamen sensibus et vigore animi, perductus, Ecclesiae sacramentis summâ pietate ac spirituali gaudio refectus, et veniam a confratribus suis, quos nunquam offenderat, deprecatus, in Crucifixi Redemptoris complexu piissime obiit Neapoli die VII augusti MDXLVII. Qua die populares illi tumultus ipsius intercessione, ut creditur, sedati sunt.

Exequiae. § 18. Ad corporis in ecclesiâ omnium votis et solatio expositi venerationem ingens populi multitudo confluxit, quae iamdiu conceptam sanctitatis opinionem multiplici testabatur veneratione, manuum pedumque deosculatione, ac lacrymis, quas optimi apud Deum intercessoris iactura ultra erumpentes trahebat. Fama itaque sanctitatis, quae in vitâ invaluerat, gloriosus[2] et longe lateque post obitum diffusa mirum in modum percrebuit, non traditione solum et memoriâ eius singularium virtutum, sed excellentiâ miraculorum, signorum et gratiarum, quibus in vitâ et post mortem mirificavit Dominus Sanctum suum.

Sanavit crus fractum. Cuiusdam enim ex religiosis Beati instituto addictis crus alterum ex gravi lapsu sic fuerat effractum, ut medicus, quia adhibita varia remediorum genera[3] nihil proficere noverat, extremum illius secandi consilium iniisset; sed cum beatus vir, ut in posterum diem sectio differretur rogasset, noctu decumbentem adit[1], ac fasciis detractis, in genua procidens, aegrum, ut unà secum orationi operam daret, admonuit; eâque breviter absolutâ, signo crucis vulnus signavit et osculatus est; et illo rursus obligato, discessit. Reversus mane medicus interrogatum aegrum doloris omnis expertem audivit, et luxatum crus, solutis fasciis, perinde integrum reperiit, solidumque, ac si nunquam afflictum fractumque fuisset: vix tanti vulneris remanente vestigio.

Virum a gravi morbo liberat. Comes Georgius Trivulzius viginti dierum febri eò fuerat adductus, ut nec cibum, nec aliud quidpiam, quod reficiendae naturae ingereretur, retinere minusque deglutire valeret, pulsuque amisso, a medicis morti proximus fuerat proclamatus: sed ab uxore beato Caietano comendatus parum iusculi suscepit retinuitque, et post brevissimam quietem a febre et morbo convaluit incolumis.

Item mulierem. Helena Gritta nobilis Veneta, per duos fere menses febre continuâ magnisque angoribus oppressa, iacebat immobilis, deficiente loquelâ, ac prorsus desperatâ a medicis salute; sed intimo cordis affectu ope Caietani imploratâ, membrorum vigori et sanitati statim restituitur.

Brachii dolorem disiecit. Petrus Francus, qui articulari sinistri brachii dolore molestissimo decem annos laboraverat, quadam die vehementius solito excruciatus ad ecclesiam clericorum regularium confugit, ibique ante Beati imaginem enixas preces effudit, nec morâ sedatur decumanus dolor, et brachium pristinâ sanitate donatur.

Item lethalem febrim. Franciscus Virga Mediolanensis lethali febre decumbens, mortique proximus, admonitus fuit ut Caietani opem imploraret; quod ubi peregit, propulsari

1 Addendum *dies* (R. T.).
2 Forsan *gloriosius* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *genere* (R. T.).

1 Aptius lege *adiit* (R. T.).

propellique vi quadam a tergo sensit, ut e lecto exiliret[1]; paruit impulsui surrexitque nullâ morâ incolumis ac si nunquam decubuisset.

Necnon longum morbum.

Duodecim annos comitiali morbo laboraverat Vienna Musca Vicentina, eâ quidem vi ut viginti quatuor horarum spatio vel ter miserabiliter caderet, et miserabilius binas ternasque horas, singulis vicibus, sensibus destituta iaceret. Vovit orationem dominicam et salutationem angelicam ante imaginem Beati se quotidie recitaturam; votum excepit illico salus; et die quadam post duos menses oblitâ votum persolvere, rediit illico morbus, sed iterum recessit, cum amplius e memoriâ non exciderit datam fidem liberare.

Ulcerem in palato sanavit.

Catharina Buranella Veneta tres annos excruciata fuerat pessimo quodam ulcere in superiori parte palati, carne ad nares usque perforatâ, adeo ut cum misera biberet vinum per nares excurreret; invocatâ ex corde ope Caietani, eiusque imagine naribus et corrupto ori admotâ, somnum cepit, ac mane experrecta omni se morbo liberam invenit.

Dolorem in toto corpore exinxit.

Dignamerita Catotia Veneta, quae tredicim annos aquâ intercute laboraverat, vehementi cruciatu correpta, et ceu sibi forent ossa comminuta, seu luxata, nullo modo meliori se valens, invocato quadam nocte beato Thienaeo, qui sibi radiis circumfusus apparuerat, repente surrexit, omni levata dolore, et integrae incolumitati restituta.

Malignum spiritum e corpore eiecit.

Iuliam Crottam puellulam Mediolanensem invaserat et miserandum in modum vexabat malignus spiritus, qui, exorcismis iussus abscedere, se in ecclesiâ S. Antonii ante imaginem beati Caietani abiturum respondit; quò cum fuisset perducta puella, malignus spiritus edito a parentibus voto exire adactus concussam illam, peneque exanimem, prout in sui discessu indicium futurum praenunciaverat, ter Beatum nominans reliquit.

Examinatis examinandis, a Congregatione definitum fuit, procedi posse ad canonizationem.

§ 19. Hinc sanctitatis famâ iuxta ac populorum devotione in dies ubique percrebescentibus, cum opportuni processus apostolicâ auctoritate confecti, ac, post eorumdem relationem piae memoriae Urbano VIII similiter praedecessori nostro a tribus causarum palatii apostolici auditoribus factam in Congregatione tunc Sacris Ritibus praepositorum S. R. E. cardinalium, de eiusdem Urbani praedecessoris mandato, citato etiam et audito promotore fidei, ad relationem bonae memoriae Antonii tunc S. Mariae in Aquiro diaconi cardinalis Barberini nuncupati, per plures sessiones acerrime discussi fuissent, et cognito primum super validitate dictorum processuum, deinde super virtutibus heroicis, et demum super miraculis in vitâ et post mortem dicti servi Dei ab Altissimo patratis, iidem cardinales unanimi consensu decrevissent tuto posse, quandocumque Romano Pontifici placuisset, ad solemnem canonizationem praefati servi Dei deveniri, ac pro parte clarae memoriae Ferdinandi II tunc Romanorum regis in imperatorem electi et Ludovici XIII tunc Francorum regis christianissimi, necnon tunc in humanis agentis ducis et Reipublicae Venetorum, aliorumque christianorum principum, ac etiam tunc existentis praepositi generalis et Congregationis clericorum regularium Theatinorum nuncupatorum fuisset eidem Urbano praedecessori humiliter supplicatum, ut interim, donec ad solemnem illius canonizationem deveniretur, idem servus Dei Caietanus Thienaeus Beatus nuncupari, atque officium et missa de eo ut infra celebrari valeret; idem Urbanus praedecessor, piis

[1] Edit. Main. legit *exileret* (R. T.).

praefatorum votis huiusmodi et supplicationibus annuens, de eorumdem cardinalium consilio, ut ipse Dei servus in posterum Beatus nuncupari, atque ab omnibus clericis regularibus ubique existentibus officium de communi Confessoris non Pontificis in die eius obitus recitari et missa celebrari iuxta breviarii et missalis romani rubricas, etiam per sacerdotes regulares et saeculares ad eorum ecclesias confluentes, in civitate vero Vicentia, ubi natus fuerat, et Neapolitana, ubi sacrum eius corpus requiescit, in omnibus ecclesiis tam saecularium quam regularium missa et officium, ut supra, celebrari et recitari valeret, ac pro tunc decurrente anno dicti praepositus generalis et clerici solemnem beatificationem cum officio et missâ in die eis benevisâ hîc Romae in ecclesiâ B. Andreae de Valle, necnon alii ad illam confluentes, celebrare libere et licite possent, per suas in formâ Brevis desuper die VII octobris MDCXXIX expeditas litteras, licentiam et facultatem concessit.

Approbatâ relevantia et veritate trium miraculorum, a Congregatione definitum fuit, procedi posse ad canonizationem.

§ 20. Verum editis deinde novis decretis eiusdem Urbani praedecessoris, siluit causa, donec super eius reassumptione a felicis recordationis Clemente Papa X etiam praedecessore nostro signata fuisset commissio; confectisque novis processibus super iis quae post indultam venerationem supervenerant, praeviâ memoratae Congregationis declaclaratione emissâ die XXIX novembris MDCLVIII quod de percrebescentiâ famae venerationis et cultus erga praefatum beatum virum concludenter constabat, in Congregatione coram eodem Clemente X praedecessore die XI novembris MDCLXX habitâ, referente bonae memoriae Federico nunc[1] tituli S. Petri ad Vincula presbytero cardinali Sfortia nuncupato, idem Clemens praedecessor, de venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S. R. E. cardinalium iisdem sacris ritibus praepositorum consilio, de praefatorum processuum relevantiâ constare pronunciavit, et ex novem tunc propositis et discussis miraculis, tria tamquam concludentissime probata et supra naturae creatae vires patrata approbavit.

Primum siquidem processus Liciensis, sanationis Franciscae de Core a cancro exorto in volâ manus sinistrae mox exulcerato, gangraenâ invaso et in sphacelum converso cum brachii et partium cordi adiacentium infestatione, nil prorsus iuvantibus humanis remediis, frustulorumque putridae carnis inde factâ erosione ponderis unciarum quinque absque ullo infirmae dolore, itaut chirurgus sequenti mane vellet ei manum abscindere et brachium ussione curare; sed praecedenti nocte, unctâ manu oleo lampadis B. Caietani, cui sese toto corde commendaverat, postmodum se sanam et incolumem, manumque, iam emortuam et foetentem, vivificatam absque ullo cicatricis signo comperiit, non absque omnium admiratione.

Secundum, quod est quartum ex eodem processu, Iosepho Aiello[1], qui, cum quatuordecim annorum spatio laborasset cancro exulcerato, lupâ nuncupato, et[2] sinistrâ coxendicis parte posteriori, qui tribus digitis distans a genu incipiebat et ad inguinem extendebatur, quatuor digitis in latitudinem progrediens et tribus in profunditatem, carnem ipsam erodens et depascens, putridus insuper ac foetens, invocatâ ope Beati, unctâque coxendice oleo lampadis ante ipsius aram ardentis, sanus et incolumis visus fuit absque ullo cicatricis vestigio, pelle

1 Potius lege *tunc* (R. T.).

1 Potius lege *Iosephi Aielli* (R. T.).
2 Videtur legendum *in* pro *et* (R. T.).

siquidem extensâ et aequatâ, naturali insuper colore praeditâ, ac si tali morbo nunquam invasus fuisset.

Tertium denique, quod est primum processus Romani, Nicolai filii ducis Gasparis Caffarelli, qui, febri malignâ correptus, convulsione cum intensione et extensione manuum, pedum et trunci totius corporis instar sirenis, thoracis musculis convulsis, absque loquelâ, aliisque infirmitatibus et symptomatibus lethalibus oppressus, viribus consumptis, et a medicis proclamatus veluti eâdemmet nocte vigesimanonâ suae infirmitatis moriturus, emisso tandem voto dicto Beato, qui illi radiis et splendoribus circumfusus apparuit, statim et incontinenti sanus, incolumis et robustus compertus est, cum omnimodâ virium recuperatione, aeque ac si huiusmodi morbis nunquam laborasset, medicis exterisque illud admirantibus, et Deum mirabilem in servo suo collaudantibus.

Quapropter eadem Congregatio, accitis iterum consultoribus, censuit unanimi voto, sic annuente eodem Clemente praedecessore, posse quandocumque ad solemnem dicti Beati canonizationem iuxta ritum dictae sanctae Romanae Ecclesiae ac sacrorum canonum decreta tuto deveniri, eumque cum Deo regnantem definiri, universali Ecclesiae colendum et venerandum proponi.

Preces et suffragia Clementi X pro canonizatione oblata fuere.

§ 21. Accedentibus itaque carissimorum in Christo[1] nostrorum, tunc suorum, Leopoldi Romanorum regis in imperatorem electi, Caroli Hispaniarum regis catholici et Mariannae reginae viduae eius matris, necnon tunc in humanis agentis ducis et Reipublicae Venetorum, ac bonae memoriae Ferdinandi Mariae, dum vixit, utriusque Bavariae ducis, sacri Romani Imperii principis electoris[2], et Adelaidis eius coniugis, aliorumque principum christianorum, necnon tunc existentis praepositi generalis clericorum regularium nomine totius Ordinis, ac demum civitatis Neapolitanae precibus (postquam praefatus bonae memoriae Antonius tunc episcopus Praenestinus cardinalis Barberinus nuncupatus, vice similis memoriae Martii episcopi Portuensis cardinalis Ginetti nuncupati, memoratae Congregationis praefecti, morbo tunc detenti, summam processus, suamque et aliorum suorum collegarum dictae S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum sententiam, cui ceteri in eodem consistorio praesentes cardinales unanimi adhaeserunt suffragio, retulerat, et in sequenti publico consistorio, quo, praeter cardinales praefatos, etiam supradicti patriarchae, archiepiscopi, episcopi in Urbe commorantes, ac dilecti filii Romane Curiae praelati, ipsiusque Clementis praedecessoris familiares convenerant, dilectus etiam filius magister Marcellus Severolus, nostrae, tunc suae, consistorialis aulae advocatus, de Beati viri vitâ, virtutibus et miraculis dixerat, ac praefatorum Leopoldi Romanorum regis in imperatorem electi, Caroli Hispaniarum regis catholici, tunc in humanis agentis ducis, et Reipublicae Venetorum, et Ordinis clericorum regularium supplices preces instauraverat), idem Clemens praedecessor eiusmodi preces perlibenter excepit, quibus supremi sanctitatis honores beato viro expetebantur; et sicut gavisus summopere fuit excitatum eidem triumphum animadvertere in obsequiis principum et in veneratione populorum, ita iure merito fore confidit ut imitari non pigeret quem celebrare delectabat.

Opera pia indicta fuerunt.

§ 22. Quia tamen in maximi momenti negotio Illius erat exploranda voluntas, qui Sanctorum principatum tenet, omnes

1 Deest vox *filiorum* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *electoralis* (R. T.).

idcirco et singulos hortatus fuit ex animo ut precationibus, ieiuniis, eleemosynis, ceterisque eximiae pietatis operibus, difficillimam illam ad investigationem auxilium eidem de sancto comparare contenderent, sine quo impervia sunt mortalium oculis consilia divinitatis; qui etiam sententiam praefatorum venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S. R. E. cardinalium, necnon patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum omnium tunc in Urbe commorantium ad rem in terris caelestem consultissime decernendam exquisivit, qui in sequenti consistorio semipublico ad hunc effectum indicto, praesentibus etiam nostris, tunc suis, et Sedis Apostolicae notariis, et causarum palatii apostolici auditoribus, ex iis quae ab eo proposita et ex processu relata fuerunt, ad solemnem canonizationem beati Caietani posse procedi, publicis suffragiis censuerunt.

Canonizatio dicti sancti cum aliis quatuor a Clemente X celebrata.

§ 23. Quorum unanimi sensu audito, cum nihil aliud desideraretur eorum, quae ex sanctorum patrum auctoritate, sacrorumque canonum institutis, praefatâ S. R. E. consuetudine, ac novorum decretorum praescripto agenda et observanda erant, idem Clemens praedecessor aperiens os suum in benedictione, et gratias agens divinae clementiae, quod tantam suo servo gratiam contulisset, solemni illius canonizationi[1] peragendae dominicam secundam post Pascha, nempe[2] duodecimam tunc immediate sequentis mensis aprilis anni reparatae salutis MDCLXXI ac primi pontificatus sui, designavit. Qua adveniente, in sacrosanctâ beati Petri apostolorum principis basilicâ, quò solemni ritu cum venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, eiusdem S. R. E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis dictae Romanae Curiae praelatis, officialibus et familiaribus suis, clero saeculari et regulari, ac maximâ populi frequentiâ mane convenerat, iteratis primo, secundo et tertio pro canonizationis decreto instantiis per venerabilem fratrem nostrum Palutium episcopum Sabinensem tunc basilicae Duodecim Apostolorum presbyterum cardinalem de Alteriis nuncupatum, nomine praefatorum Leopoldi Romanorum regis in imperatorem electi, Caroli Hispaniarum regis catholici, et tunc existentis ducis et Reipublicae Venetorum, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, ac post Spiritus Sancti gratiam rite imploratam, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae, et christianae religionis augmentum, auctoritate domini nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac suâ, maturâ deliberatione praehabitâ, ac divinâ ope saepius imploratâ, ac de praefatorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum tunc in Urbe existentium consilio, beatum Caietanum, unâ cum beatis Francisco Borgia, Philippo Benitio, Ludovico Bertrando, et Rosâ de S. Mariâ, Sanctum esse decrevit et definivit, ac Sanctorum catalogo adscripsit, statuens ab Ecclesiâ universali quolibet anno die VII augusti memoriam eiusdem inter sanctos Confessores non Pontifices recoli debere. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Indulgentia plenaria in ipsâ die canonizationis et alia septem annorum et totidem quadragenarum in eius festo concessa.

§ 24. His peractis, Deum Patrem aeternum, regemque Christum dominum Patris sempiternum Filium, ac Sanctum Paracletum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum, laudibus et confessionibus veneratus, sacroque hymno *Te Deum* solemniter decantato, peculiari oratione etiam per beati Caietani merita precatus fuit, atque ad altare beati Petri apostoli

1 Edit. Main. legit *canonizatione* (R. T.).
2 Deest vox *diem* (R. T.).

cum eiusdem beati Caietani commemoratione celebravit, omnibusque christifidelibus inibi praesentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concessit. Visitantibus autem quotannis, in die festo eiusdem sancti Caietani, sepulchrum in quo eius corpus requiescit, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavit in formâ Ecclesiae consuetâ.

Declaratur verissima esse relata omnia ab hoc Pontifice.

§ 25. Ne autem de decreto, definitione, adscriptione, statuto, concessione, relaxatione, aliisque praemissis, ex eo quod super illis ipsius Clementis praedecessoris litterae confectae non fuerint, valeat quomodolibet haesitari, volumus et apostolicâ auctoritate decernimus, quod decretum, definitio, adscriptio, statutum, concessio, relaxatio, aliaque praemissa a dictâ die XII aprilis anni MDCLXXI suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Clementis praedecessoris litterae sub datum eiusdem diei confectae fuissent, prout superius enarratur; quodque praesentes litterae, ad probandum plene decretum, definitionem, adscriptionem, statutum, concessionem et relaxationem, aliaque praemissa, ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Clausulae.

§ 26. Ceterum, quia difficile foret praesentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus[1] esset, deferri, volumus ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 27. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrorum[2] voluntatis et decreti infringere, eique ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXCI, idibus iulii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 iulii 1690, pontif. anno I.

✠ EGO INNOCENTIUS
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.




† Ego Alderanus episcopus Ostiensis cardinalis Cybo.

† Ego Flavius episcopus Portuensis cardinalis Chisius.

† Ego Iacobus episcopus Tusculanensis cardinalis Fransonus.

† Ego Palutius episcopus Sabinensis cardinalis de Alteriis S. R. E. camerarius.

† Ego F. tituli S. Mariae in Via presbyter cardinalis Maidalchinus.

† Ego Carolus tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis Barberinus.

† Ego Nicolaus tituli S. Calixti presbyter cardinalis Acciaiolus.

† Ego Gaspar tituli S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Carpineus.

† Ego Caesar tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio presbyter cardinalis d'Estrées.

1 Edit. Main. legit *onus* pro *opus* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *nostrarum* (R. T.).

† Ego Franciscus tituli S. Matthaei in Merulana presbyter cardinalis Nerlius.

† Ego Hieronymus tituli S. Silvestri in Capite presbyter cardinalis Casanate.

† Ego Galeatius tituli Ss. Quirici et Iulittae presbyter cardinalis Marescottus.

† Ego Fabritius tituli S. Chrisogoni presbyter cardinalis Spada.

† Ego pater Thomas Hovardus tituli S. Mariae super Minervam presbyter cardinalis de Norfolcia.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Spinula.

† Ego Savus tituli S. Petri in Vincula presbyter cardinalis Millinus.

† Ego Laurentius basilicae Duodecim Apostolorum presbyter cardinalis de Laurea.

† Ego Iacobus tituli S. Mariae in Aracaeli presbyter cardinalis de Angelis.

† Ego Ioannes tituli S. Petri in Monteaureo presbyter cardinalis de Gaessen.

† Ego P. M. tituli S. Marcelli presbyter cardinalis Petruccius.

† Ego Ioseph Saens tituli S. Balbinae presbyter cardinalis de Aguirre.

† Ego Leander tituli Ss. Nerei et Achillei presbyter cardinalis Colloredus magnus poenitentiarius.

† Fgo F. tituli Ss. Ioannis et Pauli presbyter cardinalis Carafa.

† Ego Bandinus tituli S. Thomae in Parione presbyter cardinalis Panciaticus.

† Ego F. tituli S. Clementis presbyter cardinalis de Abdua.

† Ego Tassanus tituli S. Agnetis Extra Moenia presbyter cardinalis de Janson de Fourbin.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Laurentii in Pane et Perna presbyter cardinalis Rubinus.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Bernardi presbyter cardinalis Costagutus.

† Ego Flavius Ss. Cosmae et Damiani diaconus cardinalis Astallius.

† Ego Petrus tituli S. Laurentii in Damaso cardinalis diaconus Ottobonus S. R. E. vicecancellarius.

† Ego Carolus S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Bichius.

† Ego Aloysius S. Mariae in Porticu diaconus cardinalis Homodeus.

† Ego Ioannes Franciscus S. Adriani diaconus cardinalis Albanus.

† Ego Franciscus S. Angeli in Foro Piscium cardinalis Barberinus.

† Ego Laurentius S. M. in Aquiro diaconus cardinalis de Alteriis.

---

## IV.

*Promulgatur canonizatio S. Ioannis de de Deo unâ cum indulgentiâ in eius festo* [1].

**Innocentius episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Rationi congruit et convenit aequitati, ut ea, quae Romani Pontificis providâ deliberatione ac venerabilium fratrum suorum S. R. E. cardinalium, necnon patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum tunc in Romanâ Curiâ commorantium unanimi consilio decreta, definita et statuta fuerunt, licet ipsius superveniente obitu litterae apostolicae desuper confectae non fuerint, suum debitum consequantur effectum. Exordium.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Alexander Papa VIII praedecessor noster piâ securâ meditatione perpendit, quod Romana catholica Ecclesia, quae supra fundamentum apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu aedificata a Deo Patre misericordiarum perennibus gratiae caelestis benedictionibus cumulatur, sicut tot documentorum est munita praesidiis, ita sanctorum virorum in dies confirmatur exemplis, quae cum ad pietatem ma- Dictus beatus Sanctorum albo adscriptus fuerat ab Alexandro VIII.

1 Beatus declaratus fuit ab Urbano VIII die 21 septembris MDCXXX; Sanctus vero ab Alexandro VIII die 16 octobris MDCXC, pontif. II; alias canonizationes vide in constitutione praecedenti et sequenti.

gnopere moveant, divinae mos est providentiae, iuxta locorum et temporum opportunitates, suos electos servos ad eximiae sanctitatis gradum sublimare, ut fideles, exemplaria haec intuentes, habeant simul quid venerentur et imitentur, ad venerationem obsequiose demissi, strenue ad imitationem erecti. Cumque heroicarum virtutum praesertim vero ignitae charitatis exemplar insigne prodiderit B. Ioannes de Deo nuncupatus, qui eamdem Ecclesiam novâ etiam prole fecundavit fratrum hospitalitatis et infirmis inservientium longe lateque per orbem diffusorum et eximia pietatis opera erga infirmos in eorum hospitalibus degentes praeclaro animarum corporumque profectu exercentium, aequum idem Alexander praedecessor existimans ut sancti huius viri memoriam veneraretur Ecclesia, cuius vita et mors in conspectu Domini et hominum fuit virtutibus et miraculis pretiosa, ad eius solemnem canonizationem processit; utque christifidelium studia excitaret ad imitationem, sic eius virtutes et miracula summatim exponere suoque comprobare testimonio secum ipse decreverat; id quod cum morte praeventus praestare nequiverit, idcirco nos praesentibus litteris declarare statuimus.

Eius nativitas. § 2. Natus est itaque beatus Ioannes ex catholicis piisque parentibus anno reparatae salutis MDXCV in oppido Montis Maioris Iunioris *(Monte Mor il nuovo)* nuncupati regni Lusitanae.

Primordia sanctitatis. § 3. Paulo quidem laxiorem vivendi rationem a principio inierat; at, cum primum divinâ operante virtute aggressus est revocare se et compescere, magnae profecto sanctitatis exhibere specimen coepit, ac iam ab ipso sanctioris vitae rudimento consummatum aliquid perfectumque visus est attigisse. Ob auditam praedicationem verbi Dei sic fuit ad meliora conversus, ut potius veterem in se hominem deponere decreverit, seque penitus ad apostolicae vitae praescriptum normamque formare. Totus igitur ad Deum conversus, et in Patre misericordiarum vehementer confidens, non dubitavit erecto ac alacri corde ingredi vias Domini et quascumque difficultates ex eiusdem Dei amore feliciter superare. Quod ut expeditius perageret, et perfectionem a veritate ipsâ promissam opere assequeretur, eiusdem consilium illud sequutus: *Vade, vende quae habes, et da pauperibus*, cuncta, quae possidebat, divendidit, pecuniamque exinde redactam pauperibus, qui carcerum paedore misere tenebantur, distribuit. Tum salutaris poenitentiae sacramento veteribus animae maculis extersis, illustre sanctioris propositi documentum non sine praeclarâ sui victoriâ in apertum prodidit. Ut enim in renovatione sui spiritus prioris vitae labes abolere cupiebat, publico in foro, in magnâ populi frequentiâ, in virum alterum mutatus, horrido prorsus capillo squallens et hirtus comparuit, atque ibi coeno involutus, os humi deiiciens, ac dolens, et lacrymis ubertim diffluens, nudatumque pectus saxo identidem tundens, misericordiam et peccatorum veniam a Deo toto mentis affectu et cordis contritione deprecabatur. Tantae spectaculum pietatis multis in diversa trahentibus, maxima demum (ut fieri solet) pars in deterius excepit, et qui tanto christianae poenitentiae tyrocinio celebrandus fuisset, ceu demens ostentui habetur, congeminatisque clamoribus, probris, lapidibus, verberibus, variisque iniuriis ibidem, et in carcere quo amentium turba coniicitur, graviter afficitur. At vir Dei in Domino sperans non infirmatus, sed istis opprobriis et tribulationibus spectaculum factus, divinâ charitate magis

exarsit, internoque exultans gaudio, non timuit quid faceret sibi homo, et omnia aequo animo ferens cum Apostolo gloriabatur in tribulationibus, sciens quod tribulatio patientiam operatur, et patientia probationem, praeclareque intelligens haudquaquam esse mirandum, si, quae iudice Deo sapientia fuerit, ea stultitia reputetur apud homines, ex quibus, qui spiritum mundi huius habent, vere insensati vitam quidem iustorum aestimant insaniam, sed hi computati sunt inter filios Dei et inter sanctos sors illorum est.

Charitas erga proximum, qua de causa hospitium aegrotorum instituit.

§ 4. Tamquam aurum igitur Ioannes in camino tribulationis probatus, cum firmus ac constans in Dei pietate perstitisset, mox purior accingitur ad currendam viam Domini; et, postquam variis pietatis operibus se exercuerat, illam prae ceteris vivendi rationem assumpsit, qua animarum simul et corporum saluti prospiceret. Ægritudinibus itaque et morbis pauperum christifidelium curandis totus intentus, domum supellectili piorum eleemosynis instructam in civitate Granatensi conduxit, quò pauperes infirmos, quotquot obvios sibi inveniebat vel in vià languentes vel fame frigoreve pereuntes, propriis humeris deferebat, stipem vicatim et ostiatim die noctuque non intermisso labore emendicabat, ac quae duabus sportis et ollis recollecta propriis itidem humeris gestaverat, inter pauperes et infirmos, prout cuiusque exigebat necessitas, distribuebat. Cum primum domum perveniebat, invisebat omnes, nec prius in privatam se recipiebat quietem, quam publice aegrotantium commoditati abunde consuluisset, si quid deesset diligenter exquirens, et, quidquid opus erat, pie et provide subministrans; aegrotis ipse medebatur, illisque assistebat, cibum propriis manibus inferens, sordes purgans, lectulos versans ac sternens, frigescentes igne, famelicos cibo, nudos vestibus refocillans, moerentes confortans, nauseantes exquisitis condimentis reficiens, omnes denique proprio sinu amplexuque confovens, quasi optaret omnes intra sua viscera recondere. Aucto aegrotantium hospitum ingenti numero, opus inceptum, in Domino confidens, non intermisit, quinimo maius valetudinarium instituere non dubitavit, illudque omni pharmacorum opumque apparatu instructum voluit. Illuc ipse per se et alios, quos interim eiusdem instituti socios admiserat, pauperum et miserorum agmina, et quotquot commiseranda paupertas necessaria febribus reliquisque morbis medicamenta adhibere non sineret, colligere, eosque iisdem pietatis operibus recreare charitate in dies ferventiori continuavit. At quia eximia haec proximorum dilectio non eò solum tendebat ut a languoribus corporis sanarentur, sed potissimum ut animarum salute proficerent, eos salutaribus Ecclesiae sacramentis muniri et refocillari, piisque hortamentis et opportunis sermonibus disponere et confirmare satagebat, avide animarum corporumque incolumitatem anhelans. Nec fervens Ioannis charitas intra limites nosocomii coarctatur, sed ad externos etiam pauperes, honestos praesertim et verecundos, quos secretis eleemosynis sublevabat, et mulieres summâ egestate pressas, quibus, ne propterea in peccandi discrimen traherentur, provide et opportune succurrebat, abunde diffunditur.

Abstinentia et asperitas.

§ 5. Quantâ autem effundebatur beneficentiâ et misericordiâ erga pauperes, tantâ saeviebat abstinentiâ et asperitate contra se ipsum. Semel in die cibo et quidem parcissimo utebatur, quem sibi eo libentius detrahebat, quo affluentius

distribueret in egenos, impendens virtuti quod subtrahebat voluptati, ut fieret refectio pauperis abstinentia ieiunantis. Erat ei vestis vix ad genu demissa, villosa et apprime rudis, quae simul corpus tegeret et affligeret, et ipsâ etiam subuculâ carens; capite, pedibus, tibiisque denudatis diu noctuque, licet temporum iniuriis semper expositus extremo frigore algeret seu ardenti calore aestuaret, huc illuc, quò pietatis opera eum impellebant, incedebat. Brevis ei lectulus erat, et qui vel nudo solo vix asperitate concederet, brevior adhuc quem in eo carpebat somnus, diuturnis vigiliis multoque interpellatus dolore, carnemque, ut spiritui magis magisque obsequentem redderet, cilicio, ferreâ cuspide rigisque seris contextâ, necnon funiculis, vepribus, flagris, aliisque durae verberationis instrumentis domabat. Sic itaque castigans corpus suum et in servitutem redigens, meruit illud integrum et a noxiis delectationibus eo usque custodire, ut castitatis ipsius candor ne suspicionis quidem maculam merito admittere possit.

Cura de alienâ honestate.

§ 6. Nec propriâ virtute contentus, sed imitatus Salvatorem qui venerat vocare peccatores, enixam et indefessam curam adhibuit ut omni conatu carnis concupiscentiam a proximis huiusmodi vitio apprime inquinatis exterminaret. Statis diebus quasi venabundus lupanaria ingrediebatur, ut meretrices a daemonis servitute vindicaret, illas hortationibus, precibus, lacrymisque detrahere studebat ab impudicitiis, ac pro ipsarum conversione Deo enixas preces fundebat; ubi vero ista non proficiebant, aequalem futuro meretricis lucro pecuniam offerebat, ut a flagitiis perpetrandis vel ita se coërcerent. Cumque confideret in Domino, vacua non fuit spes eius, nec labor sine fructu, pluribus ex illis perditis et deviis animabus ad bonam frugem et viam salutis reductis. Nec dissimiles fuerunt eius curae, ut indigentibus mulieribus, honestis viduis praesertim et virginibus, clam alimenta subministraret, oblato ad laborem exercitio, ne otium in pudicitiam honestatemque peccandi ansam iniiceret.

Obedientia.

§ 7. Ad obediendi obsequium experrectus semper et paratissimus extitit; non solum[1] enim abnegavit semetipsum ut evangelicae legis praecepta servaret, sed hominum etiam voci obedivit ut acciperet benedictionem a Domino. Quare cum ad certam disciplinae normam suum institutum[2] conformasset, ei, qui ex omnibus erat moderator electus, omnia voluntatis arbitria, omnia mentis suae sensa submiserat, nihil, quod ei non probaretur, amplectens, nihil, quod demandatum ab eo foret, detrectans. Cum in lethalem morbum incidisset, a nobili piâque matronâ enixe rogatus, ut pateretur se in eius domum, ubi commodius curari posset, transferri, plane restitit, se ritu pauperum atque ad sanctae normam paupertatis emori omnino velle respondens; interea rei conscius factus archiepiscopus Granatensis, illi in obedientiae legem praecipit ut matronae votis extemplo obsequatur; nihil cunctatus Ioannes, uti obedientiae filius, archiepiscopi mandato venerabundus statim obtemperavit. Quam quidem obedientiae virtutem adeo est amplexus ut non modo superioribus suis obsequenter obediret, verum etiam, si quid pueri ipsi ob Dei amorem iussissent, exequi non detrectaret.

Orationes.

§ 8. Orandi studium divinarumque rerum contemplatio in Ioanne mirifice excelluit. Cum brevissimum esset tempus quod quieti appendebat, provolutus

1 Edit. Main. legit *solus* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *institum* (R. T.).

in genua, profusis suavissime lacrymis, modo ore supplicans, modo mente contemplans, noctes pene traducebat insomnes. Rosarii exercitium aliaque in B. Virginem pietatis obsequia erant illi in deliciis, ita ut, inter ipsa quae ad pauperum subsidium vel solatium obibat ministeria, non raro totus in preces effusus ac in Dei contemplatione defixus videretur. Hinc placuit Altissimo, qui inquirentibus se remunerator est ac mirabilis in sanctis suis, Ioannis ortum, vitam, obitum et quae ipsum obitum subsequuta sunt tempora variis indiciis illustrare.

In eius ortu insuetus splendor et sonitus campanae.

§ 9. Ortum quippe fuisse puerum in sortem Domini sublimiter electum, insuetus splendor super eius domo refulgens, sonitusque aeris campani suâ sponte emissus, ab ipso eius nativitatis instanti non obscure praenunciarunt. Inter divinae charitatis flammas vivere assuetus, terreno absumi non valuit incendio, e quo dexterâ Omnipotentis illaesus exivit. Cum enim maximum in regio Granatensi valetudinario excitatum fuisset incendium et universa civitas accurrisset, ut non tam aedificii quam infirmorum consuleret praeservationi advolavit etiam Ioannes, ad officia charitatis semper paratus, ceterisque incendii voracitate detentis, impavidus prosiliit in ignem, huc illuc discurrens, quousque tum infirmos humeris exportatos, tum lectulos e fenestris proiectos, ab igne vendicavit: sed iam in immensum succrescentibus et corpus undequaque ambientibus flammis circumventus, cum per dimidiam horam ab omnium oculis ereptus communi moerore deploraretur, e medio igne redux incolumis, omnes gaudio simul et admiratione complevit, in scholâ charitatis edocens segniorem in eum fuisse ignem qui foris usserat, quam qui intus accenderat.

Obitus pius et mirabilis.

§ 10. Iam vero humanae vitae spatium feliciter emensum, et tempus resolutionis suae instans, non minus pius et felix obitus die VIII martii anno salutis MDL terminavit. Lecto enim infirmatus decumbens, omnibus Ecclesiae sacramentis ab ipsomet Granatensi praesule rite sancteque refectus, assistentes omnes dimisit, viribusque in extremâ vitae periodo licet destitutus, propriis indutus vestibus, interim e lectulo prosiliens, ac provolutus in genua, manu et corde imaginem Salvatoris crucifixi, quem fervide vivens dilexerat, perstringens, inclinato ad eius pedes capite, obiit in osculo Domini, quem etiam mortuus tenuit nec dimisit, ac in eâdem corporis constitutione ab iisdem assistentibus ad eum paulo post redeuntibus repertus, sex circiter horas quousque inde motus fuisset, mirabiliter permansit, odorem mire fragrantem diffundens.

Funera.

§ 11. Illuc universa civitas Granatensis, rei novitate vulgatâ, ut eum sic consistentem et suaveolentem admiraretur, confluxit; eamdemque[1] et finitimi etiam populi eminentem de sanctitate Ioannis conceptam opinionem eximio funere propalarunt. Optimates subivere feretrum, quod religiosi omnes, confraternitates, totus clerus longâ serie praecedebant; universa vero civitas, etiam cum togatis armatisque rectoribus, aliisque qui advenerant, devoto moerore et luctuosis laudibus sequebantur. Corpus ad ecclesiam Victoriae nuncupatam delatum, ut a confluentis undique multitudinis manibus eriperetur, statim fuit sepulcro reconditum, aliis adhuc precarios globulos feretro admoventibus, aliis frusta arcae, ut tamquam Sancti reliquias asservarent, subripientibus.

Mulier contacto eius baculo peperit.

§ 12. Cum Ioannis tamen funere sanctitatis fama non interiit, sed in dies mirabi-

1 Forsan *eademque* (R. T.).

liter excrevit gratiis, signis et miraculis, quibus omnipotens Deus venerationem populorum erga suum fidelem servum dignatus est provovere. Mulier ob inversum penitus foetum uteri doloribus premebatur gravissimis, sed baculo[1] quo vir Dei vivens utebatur contacto, expeditam illico prolem emisit, omni prorsus levata dolore. Eumdem proinde baculum, parturientium laboribus futurum levamen, consulens in posterum fidelium pietas, non sine similium gratiarum impetratione, in ecclesiâ Corporis Christi asservavit. Febres itidem et vermium affectiones exigua terrae portio a patriâ domo desumpta haud raro disiecit. Sebastiana Gomez crures ulcere putrido, magno, corrosivo et calloso ad octo menses indoluerat, nihilque proficientibus quae applicabantur medicamentis, et prorsus destituta a chirurgo affirmante illud esse insanabile et indigere validioribus diuturnisque medicaminibus, quibus etiam difficillime curari posset, ad Ioannis opes confugit, cui cum voto se devinxisset, nullo adhibito medicamento evasit incolumis. Savina Baptista quatuor annorum puella oculorum e nimio maligni humoris illapsu usum plane perdiderat: haec, cum primum eius genitrix illam, si ad pristinum visum restitueretur, religiosis beati Ioannis insignibus induere spopondit, statim oculorum usum omnino sanum recuperavit. Philippa Araiz quatuor pariter annorum puella ex febri et immoderatâ per os et nares sanguinis effusione pene animam agebat, sed statim ut exiguum pulveris e domo Ioannis acceptum naribus Philippae admotum fuit, sanguis et vita stetit. Æstuabat acerrimâ febri Beatrix Catebre de Gama pene sexagenaria, sicque mensem exegerat, sensuum omnium, spatio decem et octo dierum, expers, non sine summo vitae discrimine, desperantibus illius salutem medicis. Cum vix aegrotantis collo portiuncula terrae domûs servi Dei appensa fuisset, illa ad deperditos sensus revocata est, ac deinde absque aliquâ medicamentorum ope convaluit.

Praedictae virtutes heroicae et miracula de more approbata fuere.

§ 13. Quapropter, cum excrescente famâ sanctitatis huius eximii viri Ioannis de Deo opportuni processus auctoritate apostolicâ confecti, hique primum a tribus causarum palatii apostolici auditoribus examinati, et subinde, distinctâ eorum per dictos auditores editâ relatione, in Congregatione tunc sacris ritibus praepositorum S. R. E. cardinalium per plures sessiones discussi, ac recognitâ illorum validitate virtutes heroicae eiusdem famuli Dei et miracula ab Altissimo per eius intercessionem, ante et post felicem ipsius in Domino obdormitionem patrata, approbata fuissent, dictaque Congregatio, bonae memoriae Petro Maria S. Georgii tunc diacono cardinali Burghesio nuncupato referente, unanimiter decrevisset, tuto posse, quandocumque Romano Pontifici placuisset, ad solemnem memorati Ioannis de Deo canonizationem procedi, et interim nuncupari Beatum, missamque et officium de eo celebrari et recitari: piae memoriae Urbanus VIII, praedecessor noster, precibus clarae memoriae Ferdinandi II, tunc Romanorum regis in imperatorem electi, et Philippi IV pariter tunc Hispaniarum regis catholici, et Isabellae eius coniugis, aliorumque principum, necnon tunc existentium maioris et confratrum Congregationis ipsius beati viri Ioannis Dei, sibi super hoc porrectis annuere volens, de supradictorum cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, ut idem Dei famulus in posterum Beatus nuncupari, et de eo ab omnibus dictae eius Congregationis regularibus quotan

[1] Edit. Main. legit *baculi* (R. T.).

nis in die commemorationis eius obitus officium recitari et missa celebrari de communi Confessorum non Pontificum ritu duplici maiori per annum iuxta rubricas breviarii et missalis romani, et quoad missam etiam ab aliis regularibus et saecularibus sacerdotibus ad illorum ecclesiam confluentibus, in civitate vero Granatensi, in ecclesiâ tamen ubi sacrum illius corpus requiescebat, et in supradicto oppido Montis Maioris Iunioris (*Monte Mor il nuovo* vulgariter nuncupatur) ubi is Dei servus natus est, in omnibus ecclesiis tam saecularium quam regularium, officium et missa ritu duplici maiori recitari et celebrari valerent, per suas in formâ Brevis desuper die XXI septembris MDCXXX expeditas litteras indulserat.

Sub Clemente IX ad discussionem relevantiae deventum fuit.

§ 14. Cumque postmodum, signatâ a recolendae memoriae Clemente Papa IX similiter praedecessore nostro commissione reassumptionis causae canonizationis huius servi Dei in statu et terminis in quibus post illius beatificationem reperiebatur, novae litterae remissoriales pro confectione processuum super iis, quae in urbe Neapoli, Granatae et Madriti supervenerant, expeditae fuissent, et processuum inde confectorum validitate subinde probatâ, in Congregatione die IX februarii MDCLXXV habitâ, ad discussionem relevantiae deventum fuisset, tandem similis memoriae Innocentius Papa XI, etiam praedecessor noster, auditis dilecti filii nostri, tunc sui, Gasparis tituli S. Mariae Transtyberim, tunc S. Silvestri de Capite presbyteri et cardinalis Carpinei nuncupati relatione et consultorum sententiâ, ac venerabilium fratrum nostrorum tunc suorum S. R. E. cardinalium iisdem sacris ritibus praepositorum suffragiis, duo ex pluribus miraculis post concessam, ut supra, venerationem a Deo editis in antedictâ Congregatione mature discussis, iuxta processus, alterum Neapolitanum, alterum Romanum, probaret, primum videlicet instantaneae sanationis Ioannis de Marino cruribus et tibiis impotentis et attracti spatio septennii, et secundum instantaneae sanationis Isabellae Arcelli a bubonibus, peticulis et carbunculis in humeris absque cicatricibus: quibus sic stantibus, et absolutis omnibus quae novissima decreta dicti Urbani praedecessoris exigebant, idem Innocentius praedecessor subinde, nempe die XIII iunii MDCLXXXIX, declaraverat, tuto posse quandocumque procedi ad solemnem praefati B. Ioannis de Deo canonizationem iuxta S. R. E. ritum et sacrorum canonum decreta, illumque cum Deo regnantem in gloriâ Sanctorum catalogo universali cultu venerandum adiungi.

Preces et suffragia Alexandri VIII pro canonizatione oblata fuere.

§ 15. Interim vero eodem Innocentio praedecessore viam universae carnis ingresso, ultimâ manu huic canonizationis negotio nondum admotâ, cum aliae preces dicto Alexandro, praefati Innocentii successori, nostro autem praedecessori, a carissimis in Christo filiis nostris Leopoldo Romanorum rege in imperatorem electo, Carolo Hispaniarum rege catholico, et Petro Lusitaniae et Ioanne Poloniae regibus illustribus, ac denique ab universo eiusdem beati viri religioso coetu porrectae fuissent, ac subinde venerabilis frater noster Flavius episcopus Portuensis S. R. E. cardinalis Chisius nuncupatus, vice venerabilis etiam fratris nostri Alderani episcopi Ostiensis S. R. E. cardinalis Cybo nuncupati praefatae Congregationis praefecti morbo tunc detenti, in consistorio ipsius Alexandri praedecessoris secreto summam processus, suamque et aliorum collegarum suorum dictorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum sententiam exposuisset, ceterique in eodem consi-

storio praesentes cardinales ei unanimi suffragio adhaesissent; et postea in alio publico consistorio, quo, praeter cardinales praefatos, etiam supradicti patriarchae, archiepiscopi et episcopi in Urbe commorantes, ac dilecti filii Romanae Curiae praelati, ipsiusque Alexandri praedecessoris familiares convenerant, dilectus etiam filius magister Dominicus Taurusius, nostrae, tunc suae, consistorialis aulae advocatus, de vitâ, virtutibus et miraculis dicti beati Ioannis de Deo dixisset, atque nomine principum et religiosorum praefatorum supplices deprecationes pro eiusdem canonizatione detulisset: dictus Alexander eas deprecationes effuso cum exultantis animi sensu excepit; et attendens quod Ecclesiae catholicae gloria etiam in numero et excellentiâ Sanctorum, qui illam illustrarunt, sit reposita, gavisus summopere fuit ab eximiis praedicti et aliorum beatorum virtutibus meritisque in eodem consistorio relatis praestantissimum sibi praeberi argumentum eiusdem Ecclesiae gloriam amplificandi, firmam praesertim in spem adductus fore ut fideles tunc eius supremae custodiae commissi ad tam praeclara sequenda vestigia vehementer excitarentur.

Indictae fuerant poenitentiae.

§ 16. Ut autem difficillimum opus rite conficere valeret, a memoratis fidelibus, iuxta praescriptas iam a se salutares poenitentias, pia ferventiaque nuncupari vota impense in Domino flagitavit, ut supernorum luminum Pater, caligantis humanitatis velo rescisso, divinum beneplacitum, sine praeviâ cuius intelligentiâ infirma fuisset quaelibet deliberatio, notum sibi aperte faceret et manifestum. Quin etiam, ad omnes accuratissimi iudicis partes implendas, antequam super re tam magni momenti decerneret, advocavit in consilium praefatos venerabiles fratres nostros, tunc suos, S. R. E. cardinales, necnon patriarchas, archiepiscopos et episcopos tunc in Urbe commorantes, qui postmodum in consistorio semipublico ad hunc effectum indicto, praesentibus etiam nostris, tunc suis, et Sedis Apostolicae notariis et causarum palatii apostolici auditoribus, ex iis quae ab eo proposita et ex processu relata fuerant, beatum Ioannem de Deo canonizandum esse apertis suffragiis unanimiter censuerunt.

Canonizatio B. Ioannis, aliorumque quatuor ab Alexandro VIII celebrata fuit.

§ 17. Quibus sic peractis, cum nihil aliud desideraretur eorum quae ex sanctorum patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, praefatae S. R. E. antiquâ consuetudine, ac novorum decretorum praescripto agenda et observanda erant, idem Alexander praedecessor, XVII kalendas novembris anno praeterito MDCXC, pontificatus sui II, in sacrosanctâ beati Petri apostolorum principis basilicâ, quò solemni ritu cum venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, S. R. E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis dictae Romanae Curiae praelatis, officialibus et familiaribus suis, clero saeculari et regulari, ac maximâ populi frequentiâ mane convenerat, iteratis primo, secundo et tertio[1] pro canonizationis decreto petitionibus per dilectum filium nostrum, tunc suum, Petrum S. Laurentii in Damaso cardinalem Ottobonum nuncupatum, nomine praefatorum Leopoldi Romanorum regis in imperatorem electi et Caroli Hispaniarum regis catholici, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, et post Spiritus Sancti gratiam rite imploratam, ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Pe-

1 Vocem *tertio* addimus, ex loc. parall. supra pag. 184 *b* (R. T.).

tri et Pauli, ac suâ, maturâ deliberatione praehabitâ, et divinâ ope saepius imploratâ, ac de praefatorum S.R.E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum tunc in Urbe existentium consilio, beatum Ioannem de Deo, unâ cum beatis Laurentio Iustiniano, Ioanne a Capistrano, Ioanne a S. Facundo et Paschale Baylon, Sanctum esse decrevit et definivit, ac Sanctorum catalogo adscripsit, statuens ab universali Ecclesiâ quolibet anno die VIII martii memoriam ipsius inter sanctos Confessores non Pontifices piâ devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Concessa fuit die anniversaria indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum.

§ 18. Eâdemque auctoritate omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis, in die festo eiusdem sancti Ioannis, ad sepulchrum, in quo eius corpus requiescit, visitandum accessissent, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavit in formâ Ecclesiae consuetâ. Postremo Deum Patrem aeternum, regemque gloriae Christum Dominum Patris sempiterni Filium, et Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum, laudibus et confessionibus veneratus, sacroque hymno *Te Deum* decantato, peculiari oratione etiam per dicti beati Ioannis merita precatus fuit, atque missae ad altare B. Petri apostoli cum eiusdem beati Ioannis commemoratione a venerabili fratre nostro, tunc suo, Palutio episcopo Sabinensi S. R. E. cardinali de Alteriis nuncupato solemni ritu celebratae interfuit, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concessit. Iustum itaque et aequum idem Alexander existimabat dare gloriam, honorem et benedictionem viventi in saecula saeculorum, qui iustum hunc sic deduxit per vias rectas et honestavit in laboribus suis, ut esset sanctus et immaculatus coram ipso, divinâque misericordiâ illiusque meritis fretus sperabat confidentius, ut idem iustus, qui in hoc mundo cor suum tradiderat ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecerat illum, in conspectu Altissimi pro christianae reipublicae necessitatibus deprecaretur, et flagella divinae iracundiae, quae pro eorum peccatis mortales meruissent, averteret.

Relata omnia verissima declarantur ab hoc Pontifice.

§ 19. Ne autem de decreto, definitione adscriptione, statuto, relaxatione, concessione, voluntate, aliisque praemissis, pro eo quod super illis ipsius Alexandri praedecessoris litterae, eius superveniente obitu, confectae non fuerant, valeat quomodolibet haesitari: volumus et apostolicâ auctoritate decernimus, quod decretum, definitio, adscriptio, statutum, relaxatio, concessio, voluntas, aliaque praemissa, a dicto die XVII kalendas novembris suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Alexandri praedecessoris litterae sub datum eiusdem diei confectae fuissent, prout superius enarratur; quodque praesentes litterae, ad probandum plene decretum, definitionem, adscriptionem, statutum, relaxationem, concessionem, voluntatem, aliaque praemissa, ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Fides transumptorum.

§ 20. Ceterum, quia difficile foret praesentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 21. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrorum voluntatis et decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXCI, ibidus iulii, pontif. nostri anno I.

Dat. die 15 iulii 1691, pontif. anno I.

✠ EGO INNOCENTIUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.




† Ego Alderanus episcopus Ostiensis cardidinalis Cybo.

†

†

† Ego Iacobus episcopus Tusculanensis cardinalis Franzonus.

† Ego Petrus episcopus Sabinensis cardinalis de Alteriis S.R.E. camerarius.

†

†

† Ego F. tituli S. Mariae in Via presbyter cardinalis Maidalchinus.

† Ego Carolus tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis Barberinus.

†

†

†

†

†

† Ego Gaspar tituli S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Carpineus.

†

†

†

†

† Ego Franciscus tituli S. Matthaei in Merulana presbyter cardinalis Nerlius.

† Ego Hieronymus tituli S. Silvestri in Capite presbyter cardinalis Casanate.

† Ego Galeatius tituli Ss. Quirici et Iulittae presbyter cardinalis Marescottus.

† Ego F. tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Spada.

†

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Spinula.

†

† Ego Savus tituli S. Petri in Vincula presbyter cardinalis Millinus.

†

†

†

†

†

†

† Ego Marcus Antonius Barbadicus tituli S. Susannae presbyter cardinalis S. Susannae.

†

†

†

† Ego Ioannes tituli S. Petri in Monteaureo presbyter cardinalis de Gaessen.

†

†

†

†

†

† Ego Ioseph Saens tituli S. Balbinae presbyter cardinalis de Aguirre.

† Ego Leander tituli Ss. Nerei et Achillei presbyter cardinalis Colloredus magnus poenitentiarius.

†

† Ego Bandinus tituli S. Thomae in Parione presbyter cardinalis Panciaticus.

†

† Ego F. tituli S. Clementis presbyter cardinalis de Abdua.

† Ego Tussanus tituli S. Agnetis Extra Moenia presbyter cardinalis de Janson de Fourbin

†

† Ego Franciscus tituli S. Mariae de Populo presbyter cardinalis Iudice.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Bernardi presbyter cardinalis Costagutus.

†

†

†

† Ego Urbanus S. Mariae in Vialata diaconus cardinalis Sacchettus.

†

† Ego Benedictus S. Agathae diaconus cardinalis Pamphilius.

†

†

†

†

†

† Ego Petrus tituli S. Laurentii in Damaso cardinalis diaconus Ottobonus S.R.E. vicecancellarius.

† Ego Carolus S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Bichius.

†

† Ego Aloysius S. Mariae in Porticu diaconus cardinalis Homodeus.

† Ego Ioannes Franciscus S. Adriani diaconus cardinalis Albanus.

†

† Ego Laurentius S. M. in Aquiro diaconus cardinalis de Alteriis.

---

V.

*Promulgatur canonizatio S. Ioannis a S. Facundo Ordinis eremitarum S. Augustini, unâ cum indulgentiâ in eius festo*[1].

**Innocentius episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Rationi congruit et convenit aequitati, ut ea, quae Romani Pontificis providâ deliberatione ac venerabilium fratrum suorum S.R.E. cardinalium, necnon patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum tunc in Romanâ Curiâ commorantium unanimi consilio decreta definita et statuta fuerunt, licet, ipsius superveniente obitu, litterae apostolicae desuper confectae non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

Qua de causâ hic beatus Sanctorum albo adscriptus fuerit ab Alexandro VIII.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Alexander Papa VIII, praedecessor noster, piâ secum consideratione perpendens, quod gloriosus in maiestate suâ unigenitus Æterni Patris filius Christus dominus et redemptor noster, qui omnes homines vult salvos fieri, et veniens in hunc mundum pacem evangelizavit, e caelorum summitate prospiciens conditionis humanae dignitatem, satis nunquam deploratâ miseriâ, cui primi parentis culpa dedit initium, deformatam, criminumque tenebris obscuratam, ineffabili semper dispositione providit ut suis apte temporibus exurgerent viri sanctitate conspicui, qui hominibus senescente mundo in peiora ruentibus adiutrices manus porrigerent et gliscentium vitiorum spinas de Ecclesiae vineâ evellerent, ac tamquam lucernae inter effusas peccatorum tenebras viam ad caelestem patriam commonstrarent; et hinc, dum Hispania, partim mahumetanae perfidiae et saracenae tyrannidis pertinacibus adhuc reliquiis occupata, partim frigescente charitate praepotentibus ac pluribus dirae praesertim simultatis vitiis languebat oppressa, ad

1 Permissum fuit eius officium et missa a Clemente VIII, die 19 iunii MDCI; Sanctus vero declaratus fuit ab Alexandro VIII, die 16 octobris MDCXC, pontif. I. Alias canonizationes vide in constitutione antecedenti et sequenti.

illuminandas obtenebratas peccatorum mentes eosque revocandos ad viam salutis et pacis, Ioannis de S. Facundo nuncupati spiritum suscitavit, qui in tempore iracundiae factus reconciliatio, ac aemulatus charismata meliora, ore simul et opere doceret quantâ erga Deum aestuaret charitate, quantâ in proximum dilectione, quantoque contra vitia et dissidia afficeretur odio, factus contra ea declamator acerrimus: iustum proinde idem Alexander praedecessor ratus, ut eximium hunc virum virtutibus et miraculis praeclarum, quem coronâ expressâ signo sanctitatis Dominus redimiverat in caelis, sanctorum etiam laureâ coronaret in terris, operi iamdiu pertractatae canonizationis ultimam manum admovit, servatis tamen servandis, et praeviis legitimis processibus, quorum summam, iuxta memorati praedecessoris praeordinationem, ad perpetuam rei memoriam et christifidelium aedificationem, hisce apostolicis litteris duximus recensendam ut sequitur.

Eius nativitas et pueritia.

§ 2. In oppido S. Facundi, vulgariter Sahagun nuncupati, eâque Hispaniae parte quae vergit ad septentrionem, prope dioecesim Legionensem, post diuturnam matris sterilitatem, piis parentum precibus impetratus Ioannes circa annum reparatae salutis MCDXXX natus est. Ut vero sortitus erat animam bonam, pie a parentibus educatus, coepit ab ipsâ pueritiâ non obscura dare futurae sanctitatis indicia. Praeventus enim a Domino in benedictionibus dulcedinis, et inde puerilia pertaesus, ac de pace condiscipulorum sollicitus, quae ad concordiam, bonos mores, pietatem, ceterasque virtutes conferebant, illis proponebat, eiusque zelo succensus, qui linguas infantium facit esse disertas, ubi vel locus vel saxum prominens occurrebat, mirâ supra aetatem facundiâ concionabatur, innocenti praesignans tyrocinio quantus quamque proficuus praeco altissimae veritatis esset futurus.

Adolescentia.

§ 3. Ætate et virtute adolescens, humanioribus litteris, philosophiae et theologiae, multoque magis pietati operam dedit apud monachos Ss. Facundi et Primitivi. Interim vero ordinatus in clericum, beneficio, cui cura animarum imminebat, per vicarium, donec ad presbyteratum promoveretur, regendo, patre adnitente praeponitur. At evangelicum documentum boni pastoris cognoscentis oves suas et ab illis cogniti reformidans, atque inde anxius tum de ovibus non pastoris sed mercenarii custodiae, quamvis temporaliter, creditis, tum de fructibus non suae sed interpositae personae labore partis, illibatam conscientiam, cuius stimulis angebatur, non prius quam eodem beneficio dimisso pristinae tranquillitati restituit.

Plura argumenta charitatis erga proximum.

§ 4. Emenso studiorum curriculo inter episcopi Burgensis familiares adscitus, eâ enituit morum honestate, praeclarâque indolis specie, ut apud ipsum intimam nactus benevolentiam et gratiâ valens, pro omnibus, praesertim pro pauperibus ad suum pastorem confugientibus, non inutilis intercessor existeret. Sacris insignitus ordinibus, a memorato episcopo amplo ecclesiae Burgensis canonicatu donatus, post aurum non abiit, nec speravit in pecuniâ et ...ris, sed manum suam inopi liberaliter aperiens et palmas suas extendens ad pauperem, uti fidelis dispensator et prudens uberes dicti canonicatus et aliorum beneficiorum fructus dispersit, dedit pauperibus, ut iustitia eius maneret in saeculum saeculi.

§ 5. Nec tamen hîc substitit ardens eius Deo placendi et serviendi desiderium; sed, ut proprium electorum est ire de virtute in virtutem, ad altiora

respiciens, et Christum propter Christum non propter sua quaerens, familiari, quo apud praefatum episcopum Burgensem fungebatur, ministerio, canonicatui et beneficiis omnibus abrenuncians, solisque eleemosynis pro missae sacrificio ad sui sustentationem contentus, ferventius orationi et attentius sacrorum librorum lectioni animum adiunxit; et ne sibi solum, sed aliis viveret, coepit verbum Dei magno auditorum concursu parique profectu in eâdem Burgensi civitate annunciare.

Studium pacis.

§ 6. Irrepserat tunc Salmanticae summa et impunis peccandi licentia, adeoque exarserant potissime inter nobiles intestina odia et pertinacia dissidia, ut inde civitas, in efferatas factiones scissa, maximâ animorum acerbitate caediumque frequentiâ saeviret, quando aeterna maiestas charitatem servi sui, ut illuc tamquam pacis angelus pergeret, excitavit. Piis ibi operibus et verbi Dei praedicationi prae viribus et utiliter plurium annorum spatio addictus, nihil timuit, nihil recusavit, nihil omisit, ut animas, peccatorum coeno eruens, Deo lucrifaceret, et civiles flammas rore pietatis et imbre praedicationis extingueret.

Ingressus in religione sancti Augustini et in eâ progressus.

§ 7. Sed ut Dei virtus in infirmitate Ioannis magis eluceret, gravi calculorum morbo corripitur, a quo cum non posset nisi extremo et ancipiti sectionis remedio medicorum iudicio liberari, in eo, qui sanat omnes infirmitates, confisus, votum vovit religiosae vitae institutum capessendi, si ab eodem gravi morbo graviorique sectionis discrimine ad maiorem Dei gloriam convaluisset. Exaudivit Dominus deprecationem servi sui, qui, pristinae restitutus sanitati, reddidit Altissimo vota sua in religione eremitarum sancti Augustini, selecto Salmanticensi conventu, ubi regularis disciplinae strictior observantia vigebat.

§ 8. Annum agens probationis, licet aetate provectus, gradu baccalaureus, ordine sacerdos, tantâ enituit humilitate, modestiâ et obedientiâ, ut tamquam lucerna supra candelabrum luceret omnibus qui in domo erant; tyrocinium quippe religionis virtus veterana praecesserat. Emissâ professione, per arduas regularis perfectionis semitas, abnegando semetipsum, iactoque profundo fundamento humilitatis, in sublime virtutum consurrexit, et exinde animarum zelo magis exardens, ac propterea omnia sustinens, in Deo, qui perennis charitas est, mansit et Deus in eo.

Inimicitias sedavit.

§ 9. Superseminaverat interea humani generis inimicus plura et peiora vitiorum et recrudescentium dissidiorum zizania, ad quae eradicanda e claustro revocatur Ioannes, qui, religionis loricâ et Dei virtute praecinctus, pietatis ac pacis inimicos sic in Domino adorsus est et persequutus, ut non converteretur donec deficerent. Apostolico spiritu insurgebat in scelera, et fervido simul ac facundo charitatis impetu sic vehebatur in odia, ut surdae alioquin pacificis consiliis aures et indurata inveteratis peccatis et simultatibus pectora non possent resistere sapientiae et spiritui qui loquebatur per os eius. Hinc, ut civium discordias evelleret, aliquorum magis pertinacium odia in seipsum convertit, dum illis vitia exprobrabat, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui. At nullis iniuriis revocatus, nullis periculis vel minis territus unquam potuit a sancto opere dimoveri; sed potius persequutionem patiens propter iustitiam, animo semper invicto, nunquam fuit promptior quam inter discrimina, nunquam fortior quam inter adversitates. Si tamen aliquando divinum verbum seminavit in lacrymis, uberes etiam manipulos plurium animarum Deo reconciliatarum in

exultatione messuit. Cum iis, qui odio habebant pacem, erat pacificus, et evangelici samaritani instar, sauciarum animarum misericordiâ motus, easdem opportune modò compungebat vino acris comminationis divini iudicii, modò fovebat oleo sperandae remissionis peccati. Non e suggestu solum, sed in privatis colloquiis peccatores ad poenitentiam et discordes revocavit ad pacem. Naturâ mitis, aspectu iucundus, eloquio suavis, audientium conciliabat affectus, extinguebat odia, arcebat vindictas, felix mediator pacis, potens intercessor veniae, strenuusque Salmanticensium dissidiorum dissipator et sedator. Nec mirum, quia, divino magisterio instructus, ad aram sacris operans, de iis, quae ad animarum salutem et dissidentium pacem anniuncianda erant, ab ipso Christo Domino erudiebatur.

In audiendis confessionibus assiduus.

§ 10. Muneri concionandi ministerium addebat sacramenti Poenitentiae, ut qui ab acceptâ iustificationis gratiâ per peccatum exciderant, Deo reconciliarentur. Impiger operarius in vineâ Domini audiendis confessionibus poenitentium, qui famâ sanctitatis et experientiâ charitatis allecti ad eum iugiter confluebant, naviter et proficue incumbebat, alios dulci sermone recreans, alios suavi simul et gravi correctione ad contritionem excitans, et a recidivis lapsibus praemuniens, gnarusque restitutionem rei alienae esse actum iustitiae ad salutem necessarium, suspensâ interim absolutione, confitentes ad illam peragendam non verbis solum, sed opportunis factis coadiuvabat.

Reliqua amoris in proximum argumenta.

§ 11. Eodem charitatis impulsu frequenter conso'abatur afflictos, invisebat aegrotos, et quaesitis eleemosynis inopiam pauperum sublevabat; felix perditarum animarum venator, prostitutarum mulierum, quas concionibus, cohortationibus, precibus et quaesitis similiter opibus a daemonis servitute redemptas, victimas ab impudicitiis purificatas offerebat Deo in holocaustum acceptabile.

Ardens amor in Deum.

§ 12. Nec secundum dumtaxat ex duobus mandatis, in quibus universa lex pendet et prophetae, dilectionis nimirum erga proximum, fideliter servavit, sed multo magis primum et maximum ardentis amoris, quo ferebatur in Deum ex toto corde suo, in totâ animâ suâ et in totâ mente suâ. Hinc in saeculo voluntariae paupertatis studio pinguia beneficia ecclesiastica dimisit; effusus in preces, in Dei meditatione defixus, et operibus pietatis addictus, a mundo eiusque illecebris segregatus vivebat: in claustro autem trium votorum exactissimus cult r, ac virtutum praefulgens exemplar, et quasi caelestem vitam agens, corpus suum hostiam viventem et animam sanctam Deo placentem semper exhibuit; et tamen in hac innocentiâ vitae et cordis simplicitate singulis diebus non semel salutari poenitentiae sacramento magis purificari concupivit, quasi cum Psalmista ad Dominum incessanter clamaret: *Amplius lava me.*

Praelibavit suavitatem beatitudinis.

§ 13. Cum igitur immaculatus ambulasset in lege Domini, et toto corde exquisivisset eum, meruit singulari charismate caelestis beatitudinis suavitatem in hac vitâ praelibare. Eo enim fidei et charitatis ardore rapiebatur in Deum in augustissimo missae sacrificio, ut, caeli gaudia praegustans, Christum Dominum sole splendidiorem et lucidiora stellis vulnera exhibentem intueretur, vivis e fontibus Salvatoris hauriens in gaudio fluenta vitae et arcana caeli mysteria; unde ab altare post longum temporis intervallum divelli vix poterat, quotidianâ discens experientiâ, quam suavis esset Dominus, eius mirâ dulcedine superfusus, quia tunc demum plene

satiaretur in gloriâ Dei: cuius eximii et perfecti doni descendentis a Patre luminum, praeter plurimos testes et historicos omni fide dignos, relator et praedicator extitit S. Thomas de Villanova, qui post obitum S. Ioannis in eâdem religione et praesulatu Valentino suaves virtutum omnium odores effudit.

Obitus.

§ 14. Postremo, cum bonum certamen certavisset, cursum consummavisset, fidem servavisset, sacramentis Ecclesiae effuso cordis affectu receptis, properans ad coronam iustitiae, die XI iunii anno reparatae salutis MCDLXXIX pie sancteque obdormivit in Domino, qui fidelem servum suum miraculis ad eius intercessionem patratis clarificavit.

A Paulo III commissa fuit confectio novorum processuum.

§ 15. Famâ igitur sanctitatis, quae eo vivente invaluerat, post obitum in dies excrescente, piae memoriae Paulus Papa III, etiam praedecessor noster, praevio examine processuum annis MCDLXXXVIII et MDXXV ordinariâ auctoritate factorum, per suas in formâ Brevis expeditas litteras die XXII maii MDXLII confectionem novorum processuum super puritate fidei, sanctitate vitae, et miraculis B. Ioannis delegavit. Quibus absolutis, et postmodum iussu recolendae memoriae Clementis Papae VIII, pariter praedecessoris nostri, primum per Hieronymum Pamphilium et Ioannem Garziam Millinum, tunc causarum palatii apostolici auditores, deinde per bonae memoriae Caesarem tituli Ss. Nerei et Achillei Baronium, Silvium tituli S. Salvatoris in Lauro Antonianum, et Robertum tituli S. Mariae in Viâ Bellarminum nuncupatos S. R. E. presbyteros cardinales, ex quibus Antonianus vitae et miraculorum relationem exaravit, et demum ad eorumdem cardinalium relationem in Congregatione cardinalium sacris ritibus praepositorum diligenter recognitis et examinatis: idem Clemens praedecessor, piis clarae memoriae Philippi III Hispaniarum regis catholici, ac collegii maximi S. Bartholomaei, necnon prioris et fratrum conventus S. Augustini Salmaticensis, ac provincialis et fratrum eiusdem Ordinis provinciae Castellae precibus benigne annuens, de supradictorum cardinalium sacris ritibus praepositorum voto, ut in ecclesiâ S. Augustini Salmanticae, ubi corpus eiusdem beati Ioannis etiam tunc requiescebat et summâ veneratione asservabatur, officium et missa de communi Confessoris non Pontificis singulis annis postridie eius obitum, nempe die XII iunii, ob festivitatem S. Barnabae antecedenti die XI cadentem, libere et licite celebrari posset, similibus in formâ Brevis litteris die XIX iunii MDCI datis indulsit, et huiusmodi indultum idem Clemens praedecessor prius ad universum Ordinem fratrum eremitarum sancti Augustini et quascumque domos et ecclesias tam fratrum quam monialium eiusdem Ordinis ubique locorum, et postmodum ad omnes ecclesias tum clericorum saecularium, tum cuiusvis Ordinis regularium Salmanticae, et oppidorum de Sahagun, seu de[1] S. Facundo, patriae servi Dei, necnon Ceae, patriae eius genitricis, aliis in eâdem formâ Brevis litteris sub diebus XV octobris et XXIV novembris anni MDCIII, demum felicis recordationis Innocentius Papa X etiam praedecessor noster, decreto memoratae Congregationis Rituum approbato, die XIV februarii anni MDCXLVII ad omnes ecclesias civitatis et dioecesis Burgensis extenderunt et ampliarunt.

Examinatis examinandis, et edito a Congregatione decreto, permissum fuit a Clemente IX examen eorum post exhibitum cultum.

§ 16. Magisque interim famâ sanctitatis et miraculorum percrebrescente, et in vim specialis commissionis ab eiusdem recordationis Paulo Papa V pariter praedecessore nostro signatae, confectis de annis MDCXXII et MDCXXIII binis novis

1 Praeposit. *de* nos addimus (R. T.).

processibus remissorialibus et compulsorialibus in praefatis civitate Salmanticae et oppido de S. Facundo, cum supervenerint notoria decreta similis recordationis Urbani Papae VIII etiam praedecessoris nostri, signata postmodum fuit a memorato Innocentio X praedecessore commissio reassumptionis causae in statu et terminis, in quibus reperiebatur, eaque directa praefatae cardinalium sacris ritibus praepositorum Congregationi; quae, attentis dictis litteris in formâ Brevis praefati Clementis praedecessoris super concessione et extensionibus respective indulti officium et missam celebrandi, die XXVII iunii MDCLI, ad relationem bonae memoriae Iulii tunc tituli S. Susannae presbyteri cardinalis Sacchetti nuncupati, declaravit constare, cultum beato Ioanni exhibitum fuisse et tunc exhiberi vigore dictorum indultorum apostolicorum, et propterea huiusmodi casum inter exceptos in decretis ab eodem Urbano praedecessore super non cultu editis comprehendi. Cumque, in eorumdem decretorum exequutionem, ex praefatis prioribus processibus ante indultam venerationem peractis plene constitisset de puritate fidei, sanctitate vitae et virtutibus requisitis ad solemnem canonizationem, quorum relatio, olim, ut praefertur, commissa cardinalibus Baronio, Antoniano et Bellarmino, et a dicto cardinali Antoniano subscripta, exhibita fuit unâ cum summario testium et actorum desuper confecto, memorata Congregatio cardinalium sacris ritibus praepositorum die XXI iulii anni MDCLXVIII, eiusdem memoriae Petro tituli S. Callisti presbytero cardinali Vidono nuncupato referente, censuit procedendum esse ad ea quae post venerationem supervenerant, si placuisset piae memoriae Clementi Papae IX, etiam praedecessori nostro, qui, factâ prius praedictorum relatione, eâdem die benigne annuit.

*Probatâ relevantia et veritate duorum miraculorum, a Congregatione definitum fuit deveniri posse ad canonizationem.*

§ 17. Quare in Congregatione coram eiusdem memoriae Clemente Papa X similiter praedecessore nostro habitâ die VIII martii anni MDCLXXII, ad relationem praefati cardinalis Vidoni discusso dubio de iis quae post indultam beato Ioanni venerationem supervenerant, idem Clemens X praedecessor, consultoribus prius auditis, de venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S. R. E. cardinalium iisdem sacris ritibus praepositorum consilio, decrevit ex dictis posterioribus processibus in eâdem sacrâ Congregatione die XXV septembris anni MDCLXIII examinatis et approbatis constare de eorum relevantiâ, nempe continuatione famae sanctitatis, devotionis populorum et miraculorum, et percrebrescentiâ cultus et venerationis, ac, ex octo inter plura selectis, duo miracula concludentissime probata esse declaravit: primum scilicet Elisabethae Gomez de la Roccha, quae, cum cancro in mammillâ sinistrâ per sesquiannum inveterato, et in molem insignem aucto, et altero subtus brachium in latere sinistro prope cor, medicorum iudicio insanabilibus, laborasset, post accessum ad sepulcrum eiusdem Beati, illiusque invocationem, necnon post confessionem sacramentalem et susceptionem SS. Eucharistiae ac impositionem habitus illius super mammillam, mane sequenti, iteratâ Beati invocatione, sana et incolumis a praedictis cancris et acutis quibus afficiebatur doloribus, absque ullo signo seu vestigio praedictae infirmitatis, comperta est: et quartum Emmanuelis de Castello gibbosi per triennium ex rupturâ spinae dorsi ob lapsum e scalâ dum erat novennis; qui, cum propterea cogeretur curvatus medio corpore manibus super genua appositis et cum adiutorio substentaculi sic ince-

dere ut se erigere volens cum impetu procideret, ductus a matre ad sepulcrum Beati ut novendialibus precibus incumberet, illuc ingressus, ab ingentibus quos patiebatur doloribus et ab incurvatione sanus evasit, consolidatis nimirum vertebris disruptis, cruribusque sic corroboratis, ut domum maternam veloci gressu redierit, substentaculum in altum gerens, ac demum etiam a gibbositate convaluit, postquam denuo a matre in capellam Beati ductus Evangelium in fine missae lectum audivit, permanente tamen osse elevato, ubi prius erat gibbosus: quapropter eadem Congregatio, audito prius in voce et in scriptis fidei promotore, et accersitis denuo consultoribus, communi omnium voto censuit, eumdem Clementem X praedecessorem, quandocumque sibi visum fuisset, posse ad solemnem eiusdem beati Ioannis de S. Facundo canonizationem iuxta S. R. E. ritum et sacrorum canonum decreta cum Deo regnantem definire, atque universali Ecclesiae colendum et venerandum proponere

Preces et suffragia Alexandro VIII oblata fuere pro canonizatione.

§ 18. Verum, praedefunctis interim eodem Clemente X ac similis memoriae Innocentio Papa XI etiam praedecessoribus nostris, solemni adhuc canonizatione non expletâ, cum aliae preces memorato Alexandro praedecessori a carissimo in Christo filio nostro Carolo II Hispaniarum rege catholico, necnon a pluribus venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, eius nationis episcopis, ac dilectis filiis universo S. Augustini Ordine, ac pluribus eiusdem nationis civitatibus fuissent humiliter porrectae, ac subinde venerabilis frater noster, tunc suus, Flavius episcopus Portuensis S. R. E. cardinalis Chisius nuncupatus, vice venerabilis fratris nostri, tunc sui, Alderani episcopi Ostiensis eiusdem S. R. E. cardinalis Cybo nuncupati praefatae Congregationis praefecti morbô tunc detenti, in consistorio ipsius Alexandri praedecessoris secreto summam processus, suamque et aliorum collegarum suorum dictae S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum sententiam exposuisset, ceterisque in eorum consistorio praesentes cardinales ei unanimi suffragio adhaesissent; et postea in alio publico consistorio, quo, praeter cardinales praefatos, etiam supradicti patriarchae, archiepiscopi et episcopi in Urbe commorantes, et dilecti filii Romanae Curiae praelati, ipsiusque Alexandri praedecessoris familiares convenerant, dilectus etiam filius Ioannes Franciscus Fagnanus, nostrae, tunc suae, consistorialis aulae advocatus, de vitâ, virtutibus et miraculis dicti beati Ioannis de S. Facundo dixisset, ac nomine regis, episcoporum, civitatum et Ordinis praefatorum supplices deprecationes pro eiusdem canonizatione detulisset: idem Alexander praedecessor eiusmodi deprecationes libenter excepit, quibus Sanctorum albo adscribendus sibi proponebatur impiger contentionum sedator, ut, aestuantibus undique saeculi huius tot privatarum simultatum et efferatorum bellorum fluctibus atque procellis, ad eius praesidium conversi fideles, pacem et concordiam exposcentes, firmam tranquillitatis stationem, tum in viâ huius vitae, tum in caelesti Hierusalem quae est beata pacis visio, felicissime consequerentur.

Pia opera indicta fuere et indulgentia concessa.

§ 19. Antequam tamen ad rei tam gravis deliberationem procederet, orationibus, ieiuniis, aliisque piis operibus publice indictis, et concessâ ad hoc fidelibus indulgentiâ, divinae voluntatis beneplacitum, sine praeviâ cuius intelligentiâ infirma fuisset quaelibet deliberatio, explorare sategit. Ac ad omnes accuratissimi iudicis partes explendas, exquisivit primum sententias praefatorum

venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, dictae S R. E. cardinalium, necnon patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum tunc in Urbe commorantium, qui in consistorio semipublico ad hunc effectum postmodum habito, praesentibus etiam nostris, tunc suis, et Sedis Apostolicae notariis et causarum palatii apostolici auditoribus, ex iis quae ab eo proposita et relata fuerunt, beatum Ioannem de S. Facundo canonizandum esse unanimibus suffragiis aperte decreverunt. Unde gaudens ex animo, huiusmodi canonizationem in magnam Dei gloriam splendidumque Ecclesiae catholicae decus cessuram esse, aperte intellexit, ac XVI tunc decurrentis mensis octobris diem praeclarae huiusmodi solemnitati designans, perspectam eorumdem pietatem ad perseverandum in effundendis ad Dominum infallibilis veritatis enixis precibus impense hortatus fuit, ut, ipso inspirante, praestantissimo huic negotio supremam rite manum imponere posset.

Canonizatio beati Ioannis cum aliis quatuor a dicto Alexandro celebrata fuit.

§ 20. His peractis, cum nihil aliud desideraretur eorum quae ex sanctorum patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, praefatae S. R. E. consuetudine, ac novorum decretorum praescripto agenda et observanda erant, idem Alexander praedecessor praedictâ designatâ die XVI octobris anni praeteriti MDCXC, pontificatus sui II, in sacrosanctâ beati Petri apostolorum principis basilicâ, quò solemni ritu cum venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, eiusdem S. R. E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis dictae Romanae Curiae praelatis, officialibus et familiaribus suis, clero saeculari et regulari, ac maximâ populi frequentiâ mane convenerat, iteratis primo, secundo et tertio pro canonizationis decreto instantiis per dilectum filium nostrum, tunc suum, Petrum S. Laurentii in Damaso cardinalem Ottobonum nuncupatum, nomine memorati carissimi in Christo filii nostri Caroli II Hispaniarum regis catholici, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, et post Spiritus Sancti gratiam rite imploratam, ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi et beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac suâ, maturâ deliberatione praehabitâ, et divinâ ope saepius imploratâ, ac de praefatorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum tunc in Urbe existentium consilio, beatum Ioannem de S. Facundo, unâ cum beatis Laurentio Iustiniano, Ioanne a Capistrano, Ioanne de Deo et Paschali Baylon, Sanctum esse decrevit et definivit, ac Sanctorum catalogo adscripsit, statuens ab Ecclesiâ universali quolibet anno die eiusdem festo memoriam ipsius inter sanctos Confessores non Pontifices piâ devotione recoli debere. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in eius festo concessa.

§ 21. Eâdemque auctoritate omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis in die festo eiusdem sancti Ioannis ad sepulchrum, in quo eius corpus requiescit, visitandum accessissent, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet debitis poenitentiis, misericorditer in Domino relaxavit in formâ Ecclesiae consuetâ.

Alia indulgentia in ipsa die canonizationis.

§ 22. Quibus peractis, Deum Patrem aeternum, regemque gloriae Christum Dominum Patris sempiternum Filium, et Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum unumque Dominum, laudibus et confessionibus veneratus, sacroque hymno *Te Deum* solemniter decantato, peculiari oratione etiam per dicti Ioan-

nis merita precatus fuit, atque missae ad altare beati Petri apostoli cum eiusdem beati Ioannis commemoratione a venerabili fratre nostro, tunc suo, Palutio episcopo Sabinensi S. R. E. cardinali de Alteriis nuncupato solemni ritu celebratae interfuit, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concessit.

Declaratur verissima esse praemissa omnia.

§ 23. Ne autem de decreto, definitione, adscriptione, statuto, relaxatione, concessione, aliisque praemissis, ex eo quod super illis ipsius Alexandri praedecessoris litterae, eius superveniente obitu, confectae non fuerant, valeat quomodolibet haesitari: volumus et apostolicâ auctoritate decernimus, quod decretum, definitio, adscriptio, statutum, relaxatio, concessio, aliaque praemissa a dictâ die XVI octobris suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Alexandri praedecessoris litterae sub datum eiusdem diei confectae fuissent, prout superius enarratur; quodque praesentes litterae, ad probandum plene decretum[1], definitionem, adscriptionem, statutum, relaxationem, concessionem, aliaque praemissa, ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Fides transumptorum.

§ 24. Ceterum, quia difficile foret praesentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 25. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrorum[2] voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

1 Edit. Main. legit *decreto* (R. T.).
2 Semper ed. Main. legit *nostrorum* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXCI, idibus iulii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 iulii 1691 pontif. anno I.

✠ EGO INNOCENTIUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.




† Ego Alderanus episcopus Ostiensis cardinalis Cybo.

† Ego Flavius episcopus Portuensis cardinalis Chisius.

† Ego Iacobus episcopus Tusculanus cardinalis Franzonus.

† Ego Petrus episcopus Sabinensis cardinalis de Alteriis S. R. E. camerarius.

†

†

† Ego F. tituli S. Mariae in Via presbyter cardinali Maidalchinus.

† Ego Carolus tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis Barberinus.

†

†

†

†

† Ego Nicolaus tituli S. Calixti presbyter cardinalis Acciaiolus.

† Ego Gaspar tituli S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Carpineus.

† Ego Caesar tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio presbyter cardinalis d'Estrées.

†

†

†

† Ego Franciscus tituli S. Matthaei in Merulana presbyter cardinalis Nerlius.

† Ego Hieronymus tituli S. Silvestri in Capite presbyter cardinalis Casanate.

† Ego Galeatius tituli Ss. Quirici et Iulittae presbyter cardinalis Marescottus.

† Ego Fabritius tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Spada.

† Ego pater Thomas Hovardus tituli S. Mariae super Minervam presbyter cardinalis de Norfolcia.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Spinula.

†

† Ego Savus tituli S. Petri in Vincula presbyter cardinalis Millinus.

†

† Ego Fr. Laurentius basilicae Duodecim Apostolorum presbyter cardinalis de Laurea.

† Ego Iacobus tituli S. Mariae in Aracaeli presbyter cardinalis de Angelis.

†

†

†

†

†

†

†

† Ego Ioannes tituli S. Petri in Monte aureo presbyter cardinalis de Gaessen.

†

† Ego P. M. tituli S. Marcelli presbyter cardinalis Petruccius.

†

†

†

† Ego Ioseph Saens tituli S. Balbinae presbyter cardinalis de Aguirre.

† Ego Leander tituli Ss. Nerei et Achillei presbyter cardinalis Colloredus magnus poenitentiarius.

† Ego F. tituli Ss. Ioannis et Pauli presbyter cardinalis Carafa.

† Ego Bandinus tituli S. Thomae in Parione presbyter cardinalis Panciaticus.

†

† Ego F. tituli S. Clementis presbyter cardinalis de Abdua.

† Ego Tussanus tituli S. Agnetis Extra Moenia presbyter cardinalis de Janson de Fourbin.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Laurentii in Pane et Perna presbyter cardinalis Rubinus.

†

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Bernardi presbyter cardinalis Costagutus.

†

†

†

†

†

†

†

†

† Ego Flavius Ss. Cosmae et Damiani diaconus cardinalis Astallius.

†

†

† Ego Petrus tituli S. Laurentii in Damaso cardinalis diaconus Ottobonus S. R. E. vicecancellarius.

† Ego Carolus S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Bichius.

†

† Ego Aloysius S. Mariae in Porticu diaconus cardinalis Homodeus.

† Ego Ioannes Franciscus S. Adriani diaconus cardinalis Albanus.

† Ego Franciscus S. Angeli in Foro Piscium cardinalis Barberinus.

† Ego Laurentius S. Mariae in Aquiro diaconus cardinalis de Alteriis.

---

## VI.

*Promulgatur canonizatio S. Paschalis Baylon Ordinis Minorum Discalcea-*

*torum, unâ cum indulgentiâ in eius festo* [1].

**Innocentius episcopus**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

**Exordium.** Rationi congruit et convenit aequitati, ut ea, quae Romani Pontificis providâ deliberatione ac venerabilium fratrum suorum S. R. E. cardinalium, necnon patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum, tunc in Romanâ Curiâ commorantium, unanimi consilio decreta, definita et statuta fuerunt, licet ipsius superveniente obitu litterae apostolicae desuper confectae non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

**Hic Sanctus ab Alexandro VIII optimis de causis Sanctorum albo adscriptus fuit.** § 1. Dudum siquidem felicis recordationis Alexander Papa VIII praedecessor noster, piâ secum meditatione considerans, quod unigenitus Dei filius, splendor gloriae et figura substantiae Patris, qui pro lapsi medelâ hominis in utero Virginis caro factus semetipsum exinanivit, obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, ut genus humanum tam ineffabili excitatum exemplo per humilitatis semitas secum ad aeternae gloriae exaltaret consortium, haud raro infirma, ignobilia et contemptibilia mundi eligit, ut fortia quaeque confundat et non glorietur omnis caro in conspectu eius, ac propterea paupertatem divitiis, ignobilitatem nobilitati, et simplicis animi demissionem elationi cogitantium sublimia praeponens, sapientiam et gloriam huius saeculi eiusque principum despicit, humili spiritu et sincero cordis delectatus affectu; inter alios autem ex huiusmodi conditione selectos, quibus Ecclesiam suam, quam humilitate vult crescere, fecundavit, anteacto saeculo praestantissimum exaltatae humilitatis exemplar erexit in suo fideli servo Paschale Baylon, laico seu converso expresse professo Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum, quem humilibus genere et loco natum, custodiendisque ovibus addictum, sustulit de gregibus ovium, et de post foetantes accepit, implevitque spiritu sapientiae et intellectus, ut, quem suscitarat de terrâ inopem, collocaret in caelo cum principibus populi sui: quibus de rebus certior factus idem Alexander praedecessor, ex processibus diligenti inquisitione confectis et sedulâ discussione examinatis, ex quibus de illius vitae sanctitate et miraculis ad eius intercessionem patratis evidenter constare percepit, beatum virum Sanctorum albo solemniter adscripsit, animo ex tunc revolvens huiusmodi vitae, miraculorum et actorum summam catholicae Ecclesiae notam facere; quod cum ipse, morte praeventus, non expleverit, nos qui divinâ disponente clementiâ in eius locum successimus, huiusmodi seriem ex memoratis processibus breviter desumptam, in hunc, qui sequitur, modum, ad perpetuam rei memoriam, duximus enarrandam.

**Eius nativitas.** § 2. Anno a partu Virginis MDXL, sacro recurrente festo Pentecostes, natus est Dei servus in oppido *Turris Formosae* dioecesis Seguntinae in regno Aragoniae, ex catholicis sed pauperibus parentibus, ablutusque fuit aquâ baptismatis, et procedente tempore sacro chrismate.

**Pueritia.** § 3. A teneris annis insigne futurae sanctitatis specimen dedit, dum adhuc puer quascumque mundi illecebras, et innoxios etiam eius aetatis et conditionis ludos et exercitationes aspernabatur. Abiens post vestigia gregum, quorum custodiae paterna illum inopia de-

1 Beatus declaratus fuit a Paulo V, die 29 octobris MDCXVIII, sanctus vero ab Alexandro VIII, die XVI octobris MDCXC, pontif. I. Alias canonizationes vide in constitutione praecedenti, et in Clementis XI constit. edit. MDCCXII, die 21 maii, pontif. XII.

stinaverat, sedulo satagebat, ne illae alienis agris vel pascuis damnum aliquod inferrent. Virtutum cultor eximius orationi, abstinentiae, pudicitiae, et silentio deditus, a iuramentis, mendaciis, detractionibus ac vanis et otiosis verbis penitus abstinebat, ac socios ad odium peccati, Deique religionem et amorem, ac in Deiparam pietatem, qua verbo, qua exemplo, suaviter excitabat, adeout omnes tantae innocentiae et singularium virtutum admirationes[1] iam tum praeviderent magnos huius servi Dei futuros in sanctitate progressus, quem in aetate puerili adeo innocentem vitam agere dignoscebant.

Adolescentia. § 4. Simplex, rectus et timens Deum, aetate simul et virtutibus crescebat Paschalis; humilitate, charitate, modestiâ, morumque suavitate sic eorum, qui ipsum noverant, conciliabat affectus, ut sancta monita et consilia libenter excipientes, et ipsum diligerent, ac in eiusdem conversatione magnopere delectarentur. Id quod praesertim accidit praediviti cuidam eius hero, qui, prole carens, eumdem adoptare, et suorum bonorum haeredem designaverat instituere. Sed gnarus Paschalis, quod quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei, accipientes spiritum adoptionis, in quo clamant Abba pater, adoptivam heri filiationem ac haereditatem despexit, sperans tum se beatius fore filium et haeredem Dei cohaeredemque Christi, cum paupertate, humilitate, suique corporis mortificatione Christo ipsi compateretur.

Ingreditur religionem. § 5. Ardore itaque religiosi instituti, quod paupertate et observantiâ praestaret, ab ineunte aetate succensus, circa annum salutis MDLXIV voti compos efficitur, ex pastore ovium in gregem Domini adscitus sub regulâ S. Francisci Strictioris Observantiae in provinciâ S. Ioannis Baptistae regni Valentiae, ubi, summo fervore et gaudio, habitu Minorum Discalceatorum suscepto, riteque emissâ regulari professione, iis cumulatus virtutibus statim apparuit, et disciplinâ religionis instructus in illis ita profecit, ut, tamquam lucerna ardens, iis, qui in domo Dei et religioso consortio vivebant, praefulgeret.

Humilitas. § 6. Sancti institutoris sui exemplo pauper et humilis, volens excelsam fabricam virtutum construere, de fundamento prius cogitavit humilitatis, qua in abiectissimis conventus officiis sese libenter exercuit, et si quando ab illis propter vitae sanctitatem vel aetatem iussu superiorum retrahebatur, supplices humilesque preces non intermittebat, donec eorumdem exercitio simul cum aliis laicis et iuvenibus fratribus restitueretur. Sui contemptor eximius quidquam in propriam laudem neque audire voluit, neque retulit. In loquelâ, incessu, vultu, oculis, omnique actionum genere profundam ostendebat humilitatem; quin de se ipso adeo demisse et vilissime sentiebat, ut, cum praeclarae vir sanctitatis haberetur, ipse tamen nullis se praeditum meritis, magnum peccatorem reputaret et affirmaret. Rogatus ut manus imponeret super aegros pristinae se valitudini per eius merita restituendos fore sperantes, summâ animi demissione se comiter excusabat, donec vel obedientiae praecepto compulsus, vel postulantium precibus motus, eos signo crucis aliquando obsignaret, frequentius vero suaderet iisdem ut suâ se manu signarent, quo reddi corporis sanitatem et robur in crucis virtute perciperent.

Paupertas. § 7. Paupertatis non in saeculo solum, sed etiam in religione amantissimus, eiusdem sancti institutoris imita-

1 Forsan *admiratione* (R. T.).

tor egregius, unicâ tantum induebatur tunicâ, eâque asperâ, angustâ, abiectissimâ, multisque frustis refectâ, ratusque supervacaneum esse munditiem in cilicio quaerere, eadem femoralia, destructa prorsus et lacera, ac quibus poterat fragmentis resarcta, ad decem et octo annos pertulit.

Asperitas et castitas.

§ 8. Nec carnis mortificationem in solâ et extrinsecâ indumenti asperitate continuit, sed eamdem, ne unquam noxie moliretur in spiritum, continuâ maceravit inediâ et perenni afflictatione subegit[1]. Parcissimo eius cibo frequens succedebat in pane et aquâ ieiunium, et quotidiano eius victui necessaria rigide subtrahens, alendo servabat pauperi. Plerumque vino abstinens, nigriora et duriora panis fragmenta, ac deteriora et ab aliis fratribus derelicta edulia, quando poterat, sibi diligebat. Nudam humum aut rudes tabulas pellibus superimpositis aliquando stratus pro lecto habebat, frustumque ligneum vel saxum pro pulvinari, ibique iacens, vel parieti innixus, brevissimum carpebat somnum, reliquâ nocte orationi datâ. Nudis incedebat pedibus, etiam longum vel arduum iter agens. Duris flagellationibus, variis et asperrimis ciliciis, ferreâque catenâ bis terque circumductâ corpus dilanians, illud in adeo districtam servitutem redegit, ut in eo spiritus pacifice dominaretur, nihilque vel minimum tum in saeculo, tum in claustro usus fuerit peragere vel dicere, quod ipsius castitatem unquam offenderet vel adumbraret.

Obedientia et zelus catholicae fidei.

§ 9. Religiosis pauperatis et castitatis virtutibus indivisibilem earum comitem obedientiam adiunxit, quam ita exacte, ita studiose colendam suscepit, ut totus a superiorum nutibus pendens, ne quid minimum unquam petens vel desiderans, omnia licet dura et ardua ab illis demandata reverenti semper gaudio susceperit et alacri promptitudine impleverit. Praesertim vero religiosae obedientiae, cuius studio exardebat, simul ac catholicae fidei, cuius zelo flagrabat, insigne praebuit experimentum, cum, a superioribus iussus longum et asperum iter per terras plerumque haeresis labe faedatas peragere, iussa capessere cunctatus non est, eâque hilaritate, qua iniunctum emensus est iter, contumelias, probra, minas et lapidationes ab haereticis, catholicae religioni, praesertim regularium Ordini, apprime infensis, patienter et fortiter pertulit, illorumque impie de fide sentientium audaciam retundens, publice et palam catholicam doctrinam et fidem professus est, a quibus persequutionibus et angustiis licet Dei misericordiâ tandem evaserit, defuit tamen ei potius martyrium, quam ipse martyrio.

Orationes.

§ 10. Nullam pene diu noctuque labi sinebat horam, qua non esset in preces effusus, seu mente elevatus in Deum. Quidquid temporis sibi ex obedientiae praescripto muneribus, proximorum saluti, brevisque somni tormento potius quam quieti supererat, totum id orationi et contemplationi ubique impendebat, et Dei praesentiam in ipsis exterioribus actibus non oblitus, iugi cum attentione et internâ oratione venerabatur. Pervigil semper nocte intempestâ nocturnis horis aderat, et quamvis perpetuis laboribus atque afflictationibus fatigatus et pene fractus, nonnisi post auroram revertebatur in cellulam, toto eo tempore in choro vel ecclesiâ inter meditandi delicias traducto.

Cura de alienâ salute.

§ 11. Zelator animarum quas alloquebatur, ad compunctionem et expiationem peccatorum, Deique et virtutum amorem mirâ disponebat dulcedine,

1 Edit. Main. legit *subtegit* (R. T.).

doctrinam christianam docebat ignaros, religiosos ad perfectionem suavi excitabat eloquio, corda antiquis odiis ad vindictam accensa, et aliorum pietate vel auctoritate praestantium suasionibus inflexibilia, paucis verbis sedabat, et veniae intercessionem[1] ad pacem et meliorem frugem revocabat.

Scientia infusa. § 12. Hinc Altissimus, qui sapientiam praebet diligentibus se, iustō huic, quem deducebat per vias rectas, absconditos sapientibus et prudentibus huius saeculi sapientiae et scientiae suae thesauros caelitus revelavit. Homo enim litterarum plane rudis, nulloque mortalium magistro[2] eruditus, adeo excelso scientiae dono meruit illustrari, ut altissima catholicae fidei mysteria de Trinitate, Incarnatione, Praedestinatione, Gloria Caelesti, SS. Eucharistiae Sacramento et alia huiusmodi, necnon difficillimos Sacrae Scripturae sensus, etiam disputando, caelesti sublimitate tractaret, parique dilucidatione explicaret arduas quaestiones a doctissimis etiam theologis propositas, quos tamen non tenebat admiratio quomodo[3] litteras sciret cum non didicisset, quia in eo infusae divinitus scientiae donum ad evidentiam dignoscebant.

Prophetia. § 13. Prophetico etiam spiritu afflatus, nonnulla futura, et praesertim aegrotis integram valetudinem, sanis infirmitatem, sibique et aliis mortem praedixit.

Obitus. § 14. Traducto itaque et consummato sanctae vitae curriculo per arduas poenitentiae et aliarum virtutum semitas, quibus per Dei gratiam regno caelorum vim inferre illudque violentus rapere studebat, post gloriosa mundi huius certamina sacramentis Ecclesiae rite sancteque munitus, die XVII maii anni MDXCII, qua praedixerat horâ, in conventu oppidi Villae Regalis, Dertusensis dioecesis, in regno Valentiae, beato fine quievit; quique ab infantiâ spiritu semper vixit, spiritu et ambulavit, ac desideria carnis non perfecit, eodem illapsi olim super apostolis Spiritus Sancti recurrente die, quo natus fuerat in terris, meruit aeternum triumphaturus renasci et in caelis.

Exequiae cum miraculo. § 15. Statim ac beati viri obitum fama vulgavit, ad illius venerationem mira undique populorum multitudo confluxit, quae antiquam sanctitatis opinionem, eo vivente excitatam, etiam in eius cadavere confirmari mirata fuit, dum istud, licet exanime, quo fervidus, quem in vitâ habuerat, erga Eucharistiae Sacramentum demonstraretur affectus, visum est in illius elevatione oculos aperire, mox et in depositione occludere; quod pariter in elevatione et depositione calicis renovavit.

Tumores et ulcera sanavit. § 16. Piae multitudinis obsequio et devotae aegrotantium spei opus fuit triduanâ cadaveris expositione indulgeri: nec eam spem fefellit eventus, liquore quodam ex eius vultu et collo tunc temporis manante, quo aliqui perliniti integram sanitatem receperunt. Inter quos Catharina Simonis pluribus affecta[1] tumoribus, iisque, uno excepto, perforatis, ac medicorum et chirurgi iudicio post biennalem curationem insanabilibus, huiusmodi delibuta liquore, ab omni morbo et tumoribus, cicatrice dumtaxat remanente, illico convaluit; id quod omni vel cicatricis abolito vestigio obtigit etiam Ursulae Mascarellae, eodem liquore perunctis inveteratis femorum ulceribus quibus excruciata fuerat, post triennales medelas incassum semper adhibitas.

Membrorum usum restituit. § 17. Ex iis etiam, qui, expositum ca-

1 Potius lege *intercessione* (R. T.).
2 Legerem *magisterio* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *quoquomodo* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *effecta* (R. T.).

daver deosculantes, servi Dei opem intimâ devotione implorarunt, Baptista Cabillin et Isabella Cano prorsus attracti, ille crure, et sic claudus ut sine fulcimento non valeret incedere, ista brachio et manu per sesquiannum ut eius sanationem chirurgi iam desperassent, ad eorumdem membrorum pristinum robur et usum, ac si nunquam laesa fuissent, repente revocantur.

*Os fractum et luxatum composuit.*

§ 18. Ioanna Dominica cum sexagesimum tertium aetatis suae annum ageret, ex alto delapsa, talem ossis sacri fracturam et alterius ossis in femore luxationem passa fuerat, ut genua flectere et sine fulcimentis incedere prorsus nequiret; sed quinto aegritudinis suae anno adhuc insepulti servi Dei manum ubertim fluentibus lacrymis osculata, illiusque intercessionem ex corde deprecata, cum se fulcimentis niteretur attollere, repente vehementi dolore, os fractum consolidari et luxatum sensit reponi, statimque expedite et sine ullis fulcimentis ambulavit, et incolumis effecta est.

*Membris motum et sensum reddidit.*

§ 19. Caecilia Sorli in altero corporis latere septemdecim mensibus fuerat eâ correpta paralysi, ut inibi nullus prorsus motus vel sensus carnis, a qua, pungenti ferro tentatâ, nec sanguis exibat, remansisset, brachio et crure pendentibus, manu attractâ, digitis immobiliter aduncis, carneque eiusdem lateris adeo consumptâ, ut solam et siccam pellem ossibus superinductam haberet, meritis beati Paschalis in spem salutis erecta, ad eius sepulcrum curavit afferri, statimque ac singulis membris laesis applicabatur catena, qua Dei servus in vitâ praecingebatur, sensus, motus, robur, caro, incessus et pristina salus redibant, donec Caecilia, ingenti perfusa gaudio, citato per ecclesiam gradu exsiliens discurrit.

*Duplicis sensus deperditum usum concessit.*

§ 20. Ob quoddam sanguinis profluvium, nec pupillae nec ulla earum vestigia remanserant Michaëli Gabaldo, qui a sexto aetatis mense ad septimum annum vitam duxerat non caecitate solum, sed superveniente surditate deplorabilem; emisso per afflictam matrem voto sepulcrum beati Paschalis adeundi, eiusque ope ferventius invocatâ, e vestigio puer videns et audiens ad illam festivus occurrit, perfectumque utriusque sensus usum iugiter exinde retinuit.

*Lethalem morbum exclusit.*

§ 21. Extremâ unctione iam delibutus, et desperantibus salutem medicis, agebat animam Petrus Gil, qui magnis febribus, vomitibus, aliisque accidentibus, septem vel octo mensium spatio, fuerat afflictatus, gravissimum exhalans foetorem, corruptis prae morbi gravitate visceribus, vix maestissima uxor votum invisendi beati Paschalis sepulcrum et parata funeri deferendi emiserat, cum vir nullâ morâ surrexit incolumis et uxore comite votum emissum persolvit.

*A Paulo V beatus declaratus fuit cum officio et missâ die XVII maii.*

§ 22 Famâ igitur sanctitatis B. Paschalis, miraculis et gratiis ad eius invocationem et intercessionem obtentis, in dies percrebrescente, post varias probationes ordinariâ auctoritate receptas, supervenit delegatio apostolica; cuius vigore confectis quinque processibus, iisque primum a tribus causarum palatii apostolici auditoribus, qui accuratam et distinctam edidere relationem, et postmodum in Congregationem tunc sacris ritibus praepositorum cardinalium, bonae memoriae Roberto tituli S. Mariae in Viâ, dum vivebat, presbytero cardinali Bellarmino nuncupato referente, diligenter examinatis et mature discussis, piae memoriae Paulus PP. V., etiam praedecessor noster, humilibus supplicationibus universi Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncu

patorum, clarae memoriae Philippi III, tunc in humanis agentis Hispaniarum regis catholici, bonae memoriae Francisci cardinalis Lermae nuncupati, et totius regni Valentiae procerum inclinatus, de eorumdem sacris ritibus praepositorum cardinalium consilio, ut praefatus Dei servus in posterum beatus nuncupari, atque de eo singulis annis die XVII maii, qua obdormivit in Domino, a fratribus eiusdem Ordinis in regno Valentiae commorantibus tamquam de Confessore non Pontifice iuxta rubricas breviarii et missalis romani officium recitari et missa celebrari, necnon in ecclesià fratrum eiusdem Ordinis oppidi Villae Regalis in eodem regno Valentiae existentis, ubi eius corpus requiescere asserebatur, ab omnibus presbyteris tam saecularibus quam regularibus missa similiter celebrari libere et licite valeret, apostolicà auctoritate per suas in formà Brevis die XXIX octobris anni MDCXVIII desuper expeditas litteras concessit et indulsit, et huiusmodi indultum per similes in formà Brevis litteras die X februarii anni MDCXX ad omnes utriusque sexus religiosos dicti Ordinis Minorum regularis Observantiae, in regnis Castellae et Aragoniae commorantes, pari auctoritate ampliavit et extendit, atque ut in Villae Regalis, ubi eiusdem beati Paschalis corpus requiescere, et Turris Formosae, ubi idem beatus natus ac educatus asserebatur, oppidis praedictis, ab omnibus utriusque sexus regularibus, ac etiam presbyteris et clericis saecularibus, de eodem beato Paschali iuxta rubricas breviarii et missalis romani huiusmodi de communi Confessoris non Pontificis officium recitari et missa celebrari respective valeret, eàdem auctoritate concessit pariter et indulsit.

Probata veritate duorum miraculorum post beatificationem patratorum a Clemente X definitum fuit, procedi posse ad canonizationem.

§ 23. Reassumptà postmodum in statu et terminis causà in vim specialis commissionis manu recolendae memoriae Innocentii Papae X similiter praedecessoris nostri signatae, post novos processus interpolatis temporibus confectos (eadem Congregatio sacris ritibus praepositorum S. R. E. cardinalium[1]), ut de cultu beato Paschali auctoritate apostolicà in vim praefati indulti eiusdem Pauli praedecessoris exhibito et de validitate processuum huiusmodi super iis quae post indultam beatificationem supervenerunt rite confectorum satis constitit, tandem in Congregatione die XXVII septembris anni MDCLXXIII habità coram eiusdem memoriae Clemente Papa X etiam praedecessore nostro, discussis plerisque miraculis, quae Deus, qui facit mirabilia magna solus, intercessione servi sui dignatus est operari, duo et sane celebriora ad relationem bonae memoriae Camilli tituli S. Eusebii, dum vixit, presbyteri[2] cardinalis de Maximis nuncupati, ex unanimi consultorum sententià et praefatorum sacris iisdem ritibus praepositorum cardinalium suffragio, uti omnibus probationis calculis absoluta, comprobata fuerunt: primum nempe Francisci de Bargas, cui index sinistrae manus, securis ictu ita praecisus ut vix cutis particulae cohaereret, statim consolidatis ossibus, nervis et cute omnino validus restitutus est: et quartum Dominici Perez agricolae, qui, ope Beati imploratâ, ad primum ligonis ictum, ex aridiori terrae situ perennis et nunquam vel excrescentis vel deficientis aquae fontem exilire obtinuit, quo publica loci et armentorum calamitas fuit reparata. Quare peractis omnibus, quae felicis recordationis Urbani Papae VIII, similiter praedecessoris nostri, decreta exigebant, idem Cle-

1 Comma istud suspensum manet (R. T.).
2 Edit. Main. legit *presbyter* (R. T.).

mens praedecessor, accitis iterum consultoribus, eorum unanimem sententiam et cardinalium praefatorum suffragia probavit, posse videlicet quandocumque tuto deveniri ad solemnem memorati B. Paschalis canonizationem iuxta ritum S.R.E. et sacrorum canonum instituta, eumque definiri cum Deo regnantem in gloriâ Sanctorum, et eorum catalogo adscriptum, toti Ecclesiae colendum proponi.

Preces et suffragia pro canonizatione.

§ 24. Interim vero eodem Clemente et similis recordationis Innocentio Papa XI etiam praedecessoribus nostris viam universae carnis ingressis, ultimâ manu huic canonizationis negotio nondum admotâ, cum aliae preces memorato Alexandro praedecessori a carissimis in Christo filiis nostris Leopoldo Romanorum rege in imperatorem electo et Carolo Hispaniarum rege catholico porrectae fuissent, et subinde venerabilis frater noster, tunc suus, Flavius episcopus Portuensis S. R. E. cardinalis Chisius nuncupatus, vice venerabilis etiam fratris nostri, tunc sui, Alderani episcopi Ostiensis eiusdem S. R. E. cardinalis Cybo nuncupati praefatae Congregationis praefecti morbo tunc detenti, in consistorio ipsius Alexandri praedecessoris secreto summam processûs, suamque et aliorum collegarum suorum dictae S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum sententiam exposuisset, ceterique in eodem consistorio praesentes cardinales ei[1] unanimi suffragio adhaesissent, et postea in alio publico consistorio, quo, praeter cardinales praefatos, etiam patriarchae, archiepiscopi et episcopi in Urbe commorantes, ac dilecti filii Romanae Curiae praelati, ipsiusque Alexandri praedecessoris familiares convenerant, dilectus etiam filius Alexander Casalius, nostrae, tunc suae, consistorialis aulae advocatus, de vitâ, virtutibus et miraculis dicti B. Paschalis dixisset, atque praefatorum Romanorum regis in imperatorem electi et Hispaniarum regis catholici et universi Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia nomine supplices preces pro eiusdem canonizatione detulisset, dictus Alexander praedecessor huiusmodi preces effuso cum exultantis animi sensu excepit, et attendens quod ad Ecclesiae catholicae gloriam etiam numerus et excellentia Sanctorum, qui illam illustrarunt, pertineat, gavisus summopere fuit ab eximiis praedicti et aliorum Beatorum virtutibus meritisque in eodem consistorio relatis praestantissimum sibi praeberi argumentum eiusdem Ecclesiae gloriam amplificandi, firmam praesertim in spem adductus fore ut fideles tunc eius supremae custodiae commissi ad tam praeclara sequenda vestigia vehementer excitarentur.

Indictae supplicationes.

§ 25. Ut autem difficillimum opus rite conficere valeret, a memoratis fidelibus, iuxta praescriptas iam a se salutares poenitentias, pia ferventiaque[1] nuncupari vota impense in Domino flagitavit, ut supernorum luminum pater, caligantis humanitatis velo rescisso, divinum beneplacitum, sine praeviâ cuius intelligentiâ infirma fuisset quaelibet deliberatio, sibi ostenderet. Quin etiam ad omnes accuratissimi iudicis partes implendas, antequam super re tam magni momenti decerneret, advocavit in consilium praefatos venerabiles fratres nostros, tunc suos, dictae S. R. E. cardinales, necnon patriarchas, archiepiscopos et episcopos tunc in Urbe commorantes, qui postmodum in consistorio semipublico ad hunc effectum indicto, praesentibus etiam nostris, tunc suis, et

1 Edit. Main. legit *et* pro *ei* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *frequentique* (R. T.).

Sedis Apostolicae notariis et causarum palatii apostolici auditoribus, ex eis quae ab eo proposita et ex processu relata fuerant, B. Paschalem canonizandum esse apertis suffragiis unanimiter censuerunt.

Canonizatio dicti sancti cum aliis quatuor ab Alexandro VIII celebrata fuit.

§ 26. Cum itaque nil aliud desideraretur eorum, quae ex sanctorum patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, praefatae S.R.E. antiquâ consuetudine, ac decretorum eiusdem Urbani praedecessoris praescripto agenda et observanda erant, idem Alexander praedecessor, adveniente praedestinatâ die XVI octobris anno praeterito MDCXC, pontificatus sui I, in sacrosanctâ B. Petri apostolorum principis basilicâ, quò solemni ritu cum venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, eiusdem S.R.E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis dictae Romanae Curiae praelatis, officialibus et familiaribus suis, clero saeculari et regulari, et maximâ populi frequentiâ mane convenerat, iteratis primo, secundo et tertio pro canonizationis decreto petitionibus per dilectum filium nostrum, tunc suum, Petrum S. Laurentii in Damaso cardinalem Ottobonum nuncupatum nomine praefatorum Leopoldi Romanorum regis in imperatorem electi et Caroli Hispaniarum regis catholici, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, et post Spiritus Sancti gratiam rite imploratam, ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate domini nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac suâ, matura deliberatione praehabitâ et divinâ ope saepius imploratâ, ac de praefatorum eiusdem S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum tunc in Urbe existentium consilio, B. Paschalem Baylon, unâ cum beatis Laurentio Iustiniano, Ioanne a Capistrano, Ioanne de S. Facundo et Ioanne de Deo, Sanctum esse decrevit et definivit, ac Sanctorum catalogo adscripsit, statuens ab Ecclesiâ universali quolibet anno die XVII maii, qua obdormivit in Domino, memoriam ipsius inter sanctos confessores recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Indulgentia plenaria in ipsa die canonizationis et alia septem annorum et totidem quadragenarum in eius festo concessa.

§ 27. Quibus peractis, Deum patrem aeternum, regemque gloriae Christum Dominum Patris sempiternum filium, ac sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum, laudibus et confessionibus veneratus, sacroque hymno *Te Deum* solemniter decantato, peculiari oratione, etiam per dicti beati Paschalis merita precatus fuit, atque missae ad altari B. Petri apostoli cum eiusdem B. Paschalis commemoratione a venerabili fratre nostro, tunc suo, Palutio episcopo Sabinensi eiusdem S.R.E. cardinali de Alteriis nuncupato solemni ritu celebratae interfuit, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concessit. Visitantibus autem quotannis in praefato die festo eiusdem B. Paschalis sepulcrum, in quo eius corpus requiescit, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavit in formâ Ecclesiae consuetâ.

Relata omnia declarantur verissima ab Pontifice.

§ 28. Ne autem de decreto, definitione, adscriptione, statuto, concessione, relaxatione, aliisque praemissis, ex eo quod super illis ipsius Alexandri praedecessoris litterae, eius superveniente obitu, confectae non fuerant, valeat quomodolibet haesitari: volumus et apostolicâ auctoritate decernimus, quod

decretum, definitio[1], adscriptio, statutum, concessio, relaxatio, aliaque praemissa, a dictâ die XVI octobris anni MDCXC suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Alexandri praedecessoris litterae sub datum eiusdem diei confectae fuissent, prout superius enarratur: quodque praesentes litterae ad probandum plene decretum, definitionem, adscriptionem, statutum, concessionem, relaxationem, aliaque praemissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Clausulae

§ 29. Ceterum, quia difficile foret praesentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 30. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum[2] voluntatis et decreti infringere, eique ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXCI, idibus iulii pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 iulii 1691, pontif. anno I.

✠ EGO INNOCENTIUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

† Ego Galeatius tituli Ss. Quirici et Iulittae presbyter cardinalis Marescottus.

† Ego Alderanus episcopus Ostiensis cardinalis Cybo.

1 Male edit. Main. legit *definito* (R. T.).

2 Aptius lege *nostrorum* (R. T.).

† Ego Flavius episcopus Portuensis cardinalis Chisius.

† Ego Iacobus episcopus Tusculanus cardinalis Franzonus.

† Ego Petrus episcopus Sabinensis cardinalis de Alteriis S.R.E. camerarius.

†

†

† Ego F. tituli S. Mariae in Via presbyter cardinalis Maidalchinus.

† Ego Carolus tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis Barberinus.

†

†

†

†

† Ego Nicolaus tituli S. Calixti presbyter cardinalis Acciaiolus.

† Ego Gaspar tituli S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Carpineus.

† Ego Caesar tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio presbyter cardinalis d'Estrèes.

†

†

†

† Ego Franciscus tituli S. Matthaei in Merulana presbyter cardinalis Nerlius.

† Ego Hieronymus tituli S. Silvestri in Capite presbyter cardinalis Casanate.

† Ego F. tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Spada.

† Ego pater Thomas Hovardus tituli S. Mariae super Minervam presbyter cardinalis de Norfolcia.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Spinula.

†

† Ego Savus tituli S. Petri in Vincula presbyter cardinalis Millinus.

†

† Ego F. Laurentius basilicae XII Apostolorum presbyter cardinalis de Laurea.

† Ego Iacobus tituli S. Mariae in Aracaeli presbyter cardinalis De Angelis.

†

†

†

†

†

†

†

† Ego Ioannes tituli S. Petri in Monteaureo presbyter cardinalis de Gaessen.

†

† Ego P. M. tituli S. Marcelli presbyter cardinalis Petruccius.

†

†

†

† Ego Ioseph Saens tituli S. Balbinae presbyter cardinalis de Aguirre.

† Ego Leander tituli Ss. Nerei et Achillei presbyter cardinalis Colloredus magnus poenitentiarius.

† Ego F. tituli Ss. Ioannis et Pauli presbyter cardinalis Carafa.

† Ego Bandinus tituli S. Thomae in Parione presbyter cardinalis Panciaticus.

†

† Ego F. tituli S. Clementis presbyter cardinalis de Abdua.

† Ego Tussanus tituli S. Agnetis extra moenia presbyter cardinalis de Janson de Fourbin.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Laurentii in Pane et Perna presbyter cardinalis Rubinus.

†

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Bernardi presbyter cardinalis Costagutus.

†

†

†

†

†

†

†

†

† Ego Flavius Ss. Cosmae et Damiani diaconus cardinalis Astallius.

†

†

† Ego Petrus tituli S. Laurentii in Damaso cardinalis diaconus Ottobonus S. R. E. vicecancellarius.

† Ego Carolus S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Bichius.

†

† Ego Aloysius S. Mariae in Porticu diaconus cardinalis Homodeus.

† Ego Ioannes Franciscus S. Adriani diaconus cardinalis Albanus.

† Ego Laurentius S. Mariae in Aquiro diaconus cardinalis de Alteriis.

† Ego Franciscus S. Angeli in Foro Piscium cardinalis Barberinus.

---

## VII.

*Statuitur ut dieta intermedia Congregationis monachorum Cassinensium celebretur post biennium a capitulo*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Alr Innocentio XI tam capitulum generale quam dieta determinata fuere de triennio in triennium.

§ 1. Aliàs, postquam felicis recordationis Innocentius Papa XI praedecessor noster, ad evitandas expensas ac itinerum incommoda quibus Congregatio Cassinensis Ordinis sancti Benedicti eiusque monasteria et personae propter nimium frequentes capitulorum generalium et dietarum intermediarum celebrationes gravabantur, per quasdam suas in simili formâ Brevis die IX septembris MDCLXXX expeditas litteras, ut in posterum tam capitulum generale quam dieta intermedia praefatae Congregationis nonnisi de triennio in triennium, ab inde proximo futuro capitulo generali, quod tertiâ dominicâ post Pascha Resurrectionis dominicae anni tunc proxime venturi MDCLXXXI celebrandum erat, incipiendo, celebraretur, ita scilicet ut dieta huiusmodi octodecim mensibus post celebrationem cuiuscumque capituli generalis pro rebus et negotiis, quibus interea consulendum fuisset, ante tamen festum Circumcisionis Domini immediate sequens, et non aliter, haberi deberet, statuerat et ordinaverat; idem Innocen-

1 De huiusmodi dietâ et capitulo vide Innocentii XI const. editam MDCLXXX, die 9 septembris, pontif. IV.

tius praedecessor nonnullas declarationes ad regulam eiusdem S. Benedicti ac constitutiones dictae Congregationis, in quibus id ipsum inter cetera decretum fuerat, apostolicâ auctoritate confirmavit et approbavit, prout[1] in ipsius Innocentii praedecessoris litteris itidem in formâ Brevis die XXII novembris MDCLXXX desuper emanatis, quarum et praedictarum eiusdem Innocentii praedecessoris litterarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, uberius continetur.

Causa huius Constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius procurator generalis praefatae Congregationis Cassinensis nobis nuper exponi fecit, capitulum generale dictae Congregationis novissime, nempe mense aprilis MDCXC, Perusiae celebratum, tempus hyemale pro dietae intermediae praefatae celebratione visitatoribus, qui eidem dietae interesse, nec non abbatibus ac monachis qui ab uno ad aliud monasterium tunc temporis transmigrare debent, valde incommodum adverterit, adeoque dicto procuratori generali mandaverat[2], ut ab hac Sanctâ Sede decerni curaret, quod in posterum dieta supradicta duobus annis post celebrationem capituli generalis, nempe tertiâ dominicâ post Pascha Resurrectionis dominicae celebrari posset: nobis propterea idem procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Statutum praedictum de dieta in quolibet biennio.

§ 3. Nos igitur, specialem ipsi procuratori generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut de cetero dieta intermedia praefatae Congregationis Cassinensis duobus annis post celebrationem cuiuscumque capituli generalis, nempe tertiâ dominicâ post Pascha Resurrectionis dominicae, a proxime venturo anno MDCXCII incipiendo, atque ita perpetuis futuris temporibus continuando, et non aliter, haberi debeat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab[1] illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praefatis Innocentii praedecessoris litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis

1 Vocem *prout* nos addimus (R. T.).
2 Aptius lege *mandaverit* (R. T.).

1 Praeposit. *ab* nos addimus (R. T.).

habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iulii MDCXCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 28 iulii 1691, pontif. anno I.

---

## VIII.

*Confirmatur decretum contra donationes ac remissiones post rem iudicatam bonorum fabricae S. Petri*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Praedictum decretum editum fuit a cardinali praefecto iuxta mentem Innocentii XI. § 1. Cum, sicut accepimus, aliàs venerabilis frater noster Alderanus episcopus Ostiensis S. R. E. cardinalis Cybo nuncupatus, Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium super negotiis fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe deputatae praefectus, per suum decretum die VI octobris MDCLXXXVIII editum, declaravit[2] mentem felicis recordationis Innocentii Papae XI praedecessoris nostri fuisse, quod nihil penitus a fabricâ praedictâ donaretur neque ad titulum eleemosynae, dum ipsa tamen ingenti aere alieno gravata dignoscebatur, minusque debitoribus vel aliis quibuscumque supplicantibus pro compositione quidquam remitteretur post applicationem seu rem iudicatam ad favorem dictae fabricae, nisi constito de verâ paupertate et impossibilitate solvendi, onerando conscientias officialium seu deputatorum quorumcumque tunc et pro tempore ad negotia eiusdem fabricae existentium, et ita servari mandaverit: nos, inviolabilis decreti huiusmodi observationi, ac fabricae supradictae, cuius cura praecipuo quodam iure nobis incumbit, indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, decretum supradictum cum omnibus et singulis in eo contentis, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Confirmatur.

Clausulae. § 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac fabricae praefatae Congregationem, officiales et ministros nunc et pro tempore quandocumque existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 In Innocentii XI constit. ed. MDCLXXVIII, die 25 februarii, pontif. II, agitur de capitulo S. Petri.

2 Aptius lege *declaraverit* (R. T.).

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon basilicae Principis apostolorum illiusque fabricae praedictarum, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pró plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI iulii MDCXCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 31 iulii 1691, pontif. anno I.

---

## IX.

*Conceduntur privilegia spiritualia monachorum Congregationis Cassinensium Congregationi Benedictino-Bavaricae*[1]

**Innocentius Papa XII.**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Creditae nobis divinitus dispensationis ratio exigit, ut, paternam religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub laudabili vitae monasticae instituto mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus, adspirante superni favoris auxilio, proferre iugiter satagentium, curam gerentes, felicioribus eorum in viâ Domini progressibus, quantum nobis ex alto conceditur, providere studeamus.

1 Ab Innocentio XI, const. ed. MDCLXXXVIII, die 10 iulii, pontif. XII, concessa fuere privilegia et indulgentiae Congregationis Helveticae.

Haec congregatio ab Innocentio XI erecta fuit, et privilegiis ornata, et eius constitutiones approbatae.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Bonaventura Oberhveber monachus expresse professus et procurator in Romanâ Curiâ Congregationis Bavaricae monachorum Ordinis sancti Benedicti, etiam nomine dilectorum filiorum Gregorii abbatis monasterii Schirensis praesidis et ceterorum abbatum dictae Congregationis, nobis nuper exponi fecit, aliàs Congregatio praedicta a felicis recordationis Innocentio Papa XI praedecessore nostro erecta et instituta, ac pluribus gratiis, indultis et privilegiis decorata fuerit, et subinde idem Innocentius praedecessor pro felici prosperoque eiusdem Congregationis regimine et gubernio nonnullas in primo ipsius Congregationis capitulo generali editas constitutiones auctoritate apostolicâ confirmaverit et approbaverit, et aliàs prout in binis ipsius Innocentii praedecessoris desuper in simili formâ Brevis die XXVI augusti MDCLXXXIV et die VI februarii MDCLXXXVI respective expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, uberius dicitur contineri; nunc vero ipse Bonaventura, ut regularis observantia, quae per Dei gratiam in eâdem Congregatione viget, latioribus in dies proficiat incrementis, ipsi Congregationi eiusque monasteriis et monachis easdem gratias, exemptiones, indulta, indulgentias, favores et privilegia, saltem ad res spirituales et salutem animarum spectantia, quibus Congregatio Cassinensis monachorum Ordinis praedicti gaudet, communicari plurimum desideret: nos, ipsius Bonaventurae votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, dictosque Gregorium abbatem praesidem aliosque abbates specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et in-

terdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praefatae Congregationi Bavaricae monachorum Ordinis sancti Benedicti, illiusque monasteriis, monachis et personis nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis indultis, favoribus, exemptionibus, gratiis et privilegiis, spiritualibus dumtaxat, dictae Congregationi Cassinensi eiusque monasteriis, monachis et personis quomodolibet concessis, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, et quibus eadem Congregatio Cassinensis eiusque monasteria, monachi et personae de praesenti utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt, pari modo uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, in omnibus et per omnia, perinde ac si indulta, favores, exemptiones, gratiae et privilegia spiritualia huiusmodi ipsi Congregationi Bavaricae eiusque monasteriis, monachis et personis specialiter concessa reperirentur, sine praeiudicio tamen gratiarum, indultorum et privilegiorum eidem Congregationi Bavaricae a supradicto Innocentio praedecessore, sicut praemittitur, concessorum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Concedit ut in rubricâ.

Clausulae.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis Bavaricae, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI augusti MDCXCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 augusti 1691, pontif. anno I.

---

## X.

*Conceditur indulgentia plenaria perpetua ecclesiis fratrum S. Ioannis de Deo, die* VIII *martii*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Caelestium munerum thesauros, quorum dispensatores nos esse voluit Altis-

1 De hac indulgentiâ vide Bullam canonizationis, const. ed. MDCXCI, die 15 iulii, pontif. I.

simus, cum ad christianae pietatis incrementum et animarum christifidelium salutem profuturos speramus, libenter largimur. Itaque de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque conventuum et domorum regularium Ordinis fratrum sancti Ioannis Dei hactenus erectis et in posterum quandocumque erigendis et ubicumque locorum die VIII martii festo eiusdem S. Ioannis de Deo a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Concessio ut in rubricâ.

Fides transumptorum.

Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII augusti MDCXCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 28 augusti 1691, pontif. anno I.

---

## XI.

*Confirmatur et innovatur constitutio Urbani VIII pro necessitatibus locorum Terraesanctae* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Salvatoris et Domini nostri Iesu Christi, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, vices licet immeriti gerentes in terris, inter multiplices gravissimasque apostolicae servitutis curas in eam praecipue pastoralis sollicitudinis vigilantiâ incumbimus, ut tanti et tam salutaris mysterii monumenta, quae in civitate Hierusalem et locis circumvicinis sunt, conserventur, et omni qua fieri poterit maiori honorificentiâ recolantur.

Ab Urbano VIII iniunctum fuit Ordinariis et generalibus ut bis in anno exponi curarent necessitates locorum Terraesanctae.

§ 1. Cum itaque aliàs, felicis recordationis Urbano PP VIII praedecessori nostro exposito quod ecclesiae et alia loca pia in civitate Hierusalem et aliis locis Terraesanctae existentia fere diruta erant, et quae adhuc ibi existebant monasteria aere alieno, ob impiam Turcarum, haereticorum et schismaticorum tyrannidem, et pro sanctae fidei catholicae in eisdem locis conservatione contracto, admodum gravata reperiebantur, idem Urbanus praedecessor patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus et singulis quorumvis Ordinum, congregationum et institutorum regularium generalibus, commiserit et mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus et Quadragesimae temporibus, tam per verbi Dei praedicatores in suis sacris concionibus, quam in actionibus et functionibus publicis, necessitates eorumdem sacrorum monumentorum populo proponi et commendari curarent et facerent, et aliàs, prout in ipsius Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die III februarii

1 Similis confirmatio extat in Alexandri VIII constit. edit. MDCLXXXIX, die 18 novembris, pontif. I; et in huius Pontificis constit. ed. MDCXCVI, die 24 februarii, pont. V, reperitur confirmatio alterius constitutionis pro iisdem locis

MDCXXXIV expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur; et, sicut pro parte dilecti filii Bernardi Iosephi a Iesu Maria, Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum professoris, ac carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum catholici concionatoris, necnon tribunalis sanctae Inquisitionis consultoris, ac eiusdem Terraesanctae commissarii et procuratoris generalis, nobis nuper expositum fuit, ipse, quo praefatae Urbani praedecessoris litterae, quae a recolendae memoriae Innocentio X, Clemente etiam X, Innocentio XI, ac Alexandro VIII Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter nostris confirmatae fuerunt, exactius observentur, illas per nos pariter confirmari et innovari desideret:

Confirmatur. nos, eorumdem sacrorum monumentorum conservationi et manutentioni consulere volentes, praedictas Urbani praedecessoris litteras apostolicâ auctoritate tenore praesentium confirmamus pariter et approbamus, illasque innovamus et observari mandamus.

Fides de executione dictarum constitutionum ab Ordinariis exhibenda. §. 2. Volumus autem ut patriarchae, archiepiscopi et episcopi praefati in relatione status ecclesiarum suarum, quando visitabunt limina Apostolorum faciendâ, referant se praefatis Urbani praedecessoris et praesentibus nostris litteris paruisse; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Clausulae. § 3. Volumus insuper ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX septembris MDCXCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 septembris 1691, pontif. anno I.

---

## XII.

*Revocantur immunitates et exemptiones a vectigalibus aliisque publicis oneribus*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium. Circumspecta Romani Pontificis omnium christifidelium patris et pastoris providentia, sicuti spiritualibus dominici gregis sibi divinitus commissi utilitatibus iugi vigilantiâ consulere studet, ita et temporalibus suorum et Apostolicae Sedis etiam quoad temporalia subditorum commodis paterno studio providere satagit, prout aequitatis et iustitiae ratio suadet, reique publicae salus exposcere comperitur.

Causa dictae revocationis. § 1. Cum itaque (sicut nobis innotuit) per quasdam immunitates et exemptiones a vectigalium aliorumque onerum publicorum solutione et supportatione, quae a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et Sede praefatâ, illiusque forsan de latere legatis, ac aliis eiusdem Sedis et Camerae nostrae Apostolicae officialibus et ministris, ad importunas supplicantium preces, seu aliàs quomodolibet concessae reperiuntur, Camera praedicta et communitates et universitates civitatum, oppidorum, terrarum et locorum temporalis S. R. E. ditionis, in gravissimis quibus propter tot sumptus antehac in causam publicam factos multaque onera proptereà imposita premuntur angustiis, maximam redditTuum et proventuum suorum diminutionem patiantur, et plurimi subditi

[1] Eamdem dispositionem habes in Alexandri VIII const. ed. MDCLXXXIX, die 24 decembris, pont. I.

nostri, ac praecipue pauperiores, in quos, eius quod ceteris iisque ut plurimum locupletioribus per immunitates et exemptiones huiusmodi remittitur, onus derivari necesse est, ingenti damno afficiuntur[1]:

Revocat ut in rubricâ.

§ 2. Hinc est quod nos, Camerae ac communitatum et universitatum subditorumque nostrorum praedictorum indemnitati et levamento, quantum cum Domino possumus, aeque principaliter consulere cupientes, ac felicis recordationis Sixti V, Pauli etiam V, Urbani VIII, Innocentii X, Alexandri VII, Clementis IX, Clementis X, Innocentii XI ac Alexandri VIII, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, qui constitutiones similium exemptionum et immunitatum revocatorias ediderunt, vestigiis inhaerentes, necnon quarumcumque concessionum, immunitatum et exemptionum huiusmodi, litterarumque apostolicarum sub plumbo ac in simili formâ Brevis, cedularum motusproprii et chirographorum cuiusvis Romani Pontificis praedecessoris nostri manu subscriptorum, ac aliarum litterarum et scripturarum desuper quomodolibet emanatarum pluriesque etiam confirmatarum tenores etiam veriores et datas ac occasiones, et alia etiam speciali ac individuâ expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et verbatim insertis respective habentes, motu proprio, non ad cuiusquam nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuâ[2] valiturâ constitutione omnes et quascumque exemptiones et immunitates a solutione subsidii triennalis, necnon quarti illi adiuncti, taxarum, equorum, tallearum, censuum, archivii, fogliettae, triremium, utensilium, dohanarum, gabellarum quarumcumque, taxae portus Anconae, quatrinorum, tractarum, pedagiorum, vectigalium, collectarum et quorumlibet aliorum onerum et munerum, personalium, realium et mixtorum, ordinariorum et extraordinariorum, solitorum et insolitorum, cameralium quorumcumque, ac etiam eorum quae per communitates et universitates directe vel indirecte pro eorumdem onerum cameralium solutione publicorumque munerum supportatione, ac pro viis et pontibus construendis, instaurandis, muniendis et manutenendis, aliisque indigentiis et usibus quibuscumque tam Camerae quam communitatum et universitatum praedictarum, seu aliàs, indicta et imposita, ac exigi solita sunt, necnon ab obligatione recipiendi et hospitandi milites et Sedis praedictae officiales, barigellos, executores, aliosque iustitiae ministros, eisque utensilia et alia necessaria subministrandi, per Romanos Pontifices praedecessores nostros ac eamdem Sedem Apostolicam, et quosvis Sedis et Camerae praedictarum officiales et ministros quacumque auctoritate et potestate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, etiam camerarios, ceterosque etiam speciali notâ et expressione dignos ac specialem ad id facultatem habentes, quibusvis communitatibus et universitatibus, civitatibus, terris, oppidis et locis ditionis temporalis S.R.E. praedictae, ac etiam quibuscumque feudatariis, censuariis, dominis locorum, familiis nobilibus, baronibus, comitibus, marchionibus, ducibus, et aliis cuiusvis status, gradus, conditionis et praeeminentiae existentibus, ac quavis dignitate etiam ecclesiasticâ et auctoritate praeditis, etiam cardinalatus honore fulgentibus, qui castra et iurisdictiones intra

1 Aptius lege *efficiantur* (R. T.).
2 Forsan *perpetuo* (R. T.).

limites dictae ditionis temporalis S. R. E. possident, etiam qui nihil ratione castrorum et iurisdictionum huiusmodi Sedi praedictae annuatim seu aliàs persolvunt, et tam incolis quam extraneis et forensibus bona stabilia seu mobilia vel semoventia habentibus et tenentibus seu possidentibus, omniumque supradictorum colonis et laborantibus, etiam in recompensum laborum, damnorum passorum, expensarum vel meritorum, seu illorum intuitu et contemplatione, ac ex aliâ quacumque quantumvis favorabili ac urgentissimâ et de necessitate specialiter exprimendâ causâ, sub quibuscumque verborum formis et expressionibus, etiamsi in appaltuum et locationum cameralium instrumentis quantumvis auctoritate apostolicâ confirmatis promissum et cautum sit eas observari debere, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, et aliàs quomodocumque et qualitercumque, in genere vel in specie, ad vitam vel ad tempus sive in perpetuum concessas et datas, ac pluries et iteratis vicibus confirmatas, approbatas, revalidatas et innovatas, et inde etiam iudicis auctoritate sequuta quaecumque, necnon quasvis litteras, etiam apostolicas, sub plumbo vel in simili formâ Brevis, motusproprii cedulas, chirographa et scripturas huiusmodi, ex nunc perpetuo revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus, abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino evacuamus, ac revocata, cassata, sublata et abrogata, irrita, abolita, annullata, viribusque et effectu penitus ac omnino vacua esse, nec ulli prorsus in petitorio aut possessorio, etiam summariissimo, contra praesentium litterarum tenorem et dispositionem suffragari posse, sed praedictos omnes et singulos exemptos ad omnium et singulorum onerum praedictorum solutionem et supportationem pro ratâ eos tangente in posterum realiter et cum effectu teneri in omnibus et per omnia perinde ac si dictae exemptiones et immunitates eis nullatenus concessae fuissent, nec litterae ac cedulae motusproprii, chirographa et scripturae huiusmodi unquam emanassent, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine praedictis decernimus, statuimus et declaramus.

*Ecclesiasticorum exemptiones ad limites iuris communis reducuntur.*

§ 3. Praeterea omnia et quaecumque privilegia et indulta, personis ecclesiasticis, tam saecularibus quam cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, ac Societatis etiam Iesu regularibus, super similibus immunitatibus et exemptionibus per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros concessa, ad limites iuris communis, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine et tenore praedictis, reducimus.

*Excipiuntur illae collegiorum quoad victum et vestitum.*

§ 4. Illa vero, quae nonnullis collegiis in almâ Urbe nostrâ existentibus, per dilectos filios clericos regulares dictae Societatis Iesu sive alios quoscumque administrari consuetis, similiter a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa fuerint, quoad victum et vestitum dumtaxat, non autem ut vulgo dicitur a fundaco et *magazzeno*, prout antehac observatum fuit, suffragari volumus et decernimus.

*Abolentur concessae Pontificum consanguineis.*

§ 5. Ac demum similia privilegia et indulta nepotibus et aliis consanguineis vel affinibus quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum pro tempore viventium ab illis respective concessa itidem revocamus et abolemus, ac revocata et abolita esse ac censeri debere volumus et statuimus, declarantes illa nemini eorumdem nepotum sive consanguineorum vel affinium,

a die nostrae ad summi apostolatus apicem assumptionis, suffragari posse et debere, seu potuisse ac debuisse.

Consanguineis ex iure vel causa onerosâ datae serventur.

§ 6. Per praemissa autem non intendimus revocare exemptiones et immunitates quibuscumquè personis ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus de iure competentes, neque thesaurariis, appaltatoribus et conductoribus bonorum, introituum et iurium dictae Camerae nostrae ab ipsâ Camerâ seu aliis illius nomine in appaltuum et locationum instrumentis et illorum ratione ex contractu tituloque vere oneroso concessas.

§ 7. Ac insuper a revocationibus et aliis supradictis excipimus et exemptas esse volumus et declaramus immunitates et exemptiones quibusvis universitatibus et personis datas et concessas in vim contractus ex causâ vere onerosâ, videlicet congruae et effectualis pecuniarum solutionis, et non aliàs, eidem Camerae Apostolicae vel ipsis communitatibus legitimae factae, vel ex aliis rationabilibus causis per nos cognoscendis et approbandis, ut infra, ac etiam declarandis: quas omnes causas onerosas nonnisi legitimas ac licitas et hónestas, prout de iure, approbare intendimus.

Causae onerosae verificari, et tamquam legitimae approbari debent in Camerâ.

§ 8. Et propterea, quicumque illas obtinent, eas in dictâ Camerâ, citato dilecto filio ipsius Camerae commissario generali, verificare, et in ipsâ Camerâ examinari et admitti facere teneantur, etiamsi concessiones earumdem immunitatum et exemptionum, ac litterae, cedulae motusproprii, chirographa et aliae scripturae desuper emanatae et emanata aliàs in Camerâ praedictâ admissae et admissa ac in illâ eiusque libris registratae et registrata fuerint et sint; quatenus tamen causae onerosae huiusmodi pro vere onerosis et legitimis, ut supra, aliàs in eâdem Camerâ verificatae et approbatae ac praeviâ iudiciali discussione non sint legitimae habitae, quo casu ad indicationem tantum, non autem ad aliam verificationem, eosdem obtinentes teneri volumus; interim vero, quamdiu non fuerint verificatae, minime suffragari, et praesentis revocationis effectum retardare non posse declaramus. Praeterea nostrae intentionis non est sub revocationibus et aliis supradictis comprehendere immunitates et exemptiones eisdem S. R. E. cardinalibus ratione dignitatis cardinalatus, necnon Camerae praedictae clericis praesidentibus, aliisque cameralibus, qui in eâdem Camerâ sederunt et sedent, concedi seu admitti solitas, nec illas, quibus praelati et officiales Romanae Curiae, ac praelati domestici, cubicularii secreti, ac secretarii, et alii familiares et continui commensales nostri et Romani Pontificis pro tempore viventis in rotulo descripti, gaudent et gaudere consueverunt, neque illas ob numerum duodecim filiorum a praedecessoribus nostris et aliis supra expressis concessas, quas tamen ad terminos constitutionis recolendae memoriae Pii Papae IV praedecessoris pariter nostri, quae incipit *Licet felicis recordationis Paulus*, etc., cuius tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi, illamque exacte et adamussim iuxta illius seriem, tenorem et dispositionem in omnibus et per omnia servari debere volumus, ac aliarum constitutionum apostolicarum super similium exemptionum declaratione editarum, et ad illas tantum et pro tempore et personis [1], ac modo et formâ prout de iure communi illis competunt, ac aliàs iuxta ipsius iuris communis ac supradictarum et aliarum constitutionum apostolicarum dispositionem reducimus; neque aliter

1 Potius *et ad illas tantum pro tempore personas* (R. T.).

quam ut praefertur, sive in possessorio sive in petitorio, suffragari volumus et decernimus.

Iniungitur ministris executio praesentium.

§ 9. Ceterum appaltatoribus, thesaurariis, depositariis, commissariis, executoribus, et ceteris agentibus et ministris dictae Camerae, ac communitatum et universitatum praedictarum, earumdem serie praesentium districtius inhibemus, ne, contra ipsarum praesentium dispositionem, immunitates et exemptiones, nisi ut supra exceptas, ac eas, quas ex causâ vere onerosâ concessas in Camerâ praedictâ, ut praefertur, admitti contigerit, ullatenus admittant; et si secus fecerint, id nemini eorum in suis computis seu rationibus per eamdem Cameram admitti volumus, sed eorum damno cessurum esse declaramus.

Lites super praemissis extinguuntur.

§ 10. Postremo lites quaslibet occasione privilegiorum ac indultorum necnon immunitatum et exemptionum huiusmodi quomodolibet suscitatas et in quibusvis tribunalibus pendentes (illarum omnium et singularum statum et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium quorumvis, etiam speciali mentione dignorum, et alia etiam de necessitate specialiter exprimenda, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes) a quibuscumque tribunalibus huiusmodi ad nos earumdem serie praesentium avocamus, illasque penitus et omnino perpetuo supprimimus et extinguimus, et pro suppressis et extinctis haberi volumus et declaramus, ac partibus perpetuum desuper silentium imponimus.

Clausulae.

§ 11. Decernentes praesentes litteras, ac omnia et singula in illis contenta, etiam ex eo quod quicumque in praemissis sive eorum aliquo interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, ac ad ea vocati et auditi, seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae, verificatae, seu aliàs sufficienter aut etiam ullatenus iustificatae non fuerint, aut ex aliâ quavis quantumlibet legitimâ, piâ, iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu, occasione et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae vel quorumvis interesse habentium consensus, aut alio quovis quantumvis magno et substantiali ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, in ius vel controversiam revocari, suspendi, limitari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato seu etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium constitutionum ac revocationum et ordinationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus et aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis comprehendi aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori datâ, quatenus opus sit, de novo concessas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, ac ab[1] omnibus, ad quos spectat et quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac

1 Praeposit. *ab* nos addimus (R. T.).

eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis Sedis et Camerae praedictarum officiales et ministros, et alios quoscumque quavis auctoritate et potestate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Praecipit observari.

§ 12. Quocirca dilectis filiis nostro ac S. R. E. praedictae camerario, seu procamerario, necnon vicecamerario, thesaurario, ac clericis praesidentibus, commissario et aliis Camerae praedictae officialibus, ad quos spectat, praecipimus et mandamus, ut prasentem nostram constitutionem et in eâ contenta quaecumque in omnibus et singulis firmiter et inviolabiliter observent et faciant ab aliis observari.

Contrariorum derogatio.

§ 13. Non obstantibus supradictarum litium pendentiâ, aliisque omnibus et singulis praemissis, necnon nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, ac, quatenus opus sit, praedicti Pii praedecessoris de gratiis, qualecumque interesse dictae Camerae concernentibus, in eâdem Camerâ praesentandis et registrandis, itaut praesentes in eâ praesentari aut registrari nunquam necesse sit, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, immunitatibus, exemptionibus, chirographis, cedulis motuum propriorum, ac aliis scripturis et litteris etiam apostolicis praedictis, et quibusvis aliis, etiam, ut praefertur, qualificatis, ac speciali notâ et mentione dignis, etiamsi nominatim essent exprimenda[1], sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam inexcogitabilibus et necessario exprimendis, etiam contractus iurati cum Camerâ nostrâ apostolicâ initi et camerali obligatione vallati, et quovis alio robore et cautelâ firmatis, editis seu factis, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi in eis caveatur expresse quod nullo unquam tempore sub similium vel dissimilium exemptionum et immunitatum revocationibus, abrogationibus, aut aliis quibuslibet contrariis dispositionibus et constitutionibus pro tempore edendis comprehendantur, sed semper ab illis excepta, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, eumque validissimum statum restituta, reposita et reintegrata, ac etiam sub posteriori datâ per quascumque personas eligendâ de novo concessa sint et esse censeantur, necnon pro, sufficienti eorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis ac servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et express

1 Edit. Main. legit *exprimendi* (R. T.).

derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio. § 14. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus et auctoritate apostolicâ decernimus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum et Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, quae, sic publicatae, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatae et intimatae fuissent; utque earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem fides in iudicio et extra illud adhibeatur quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v novembris MDCXCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 novembris 1691, pontif. anno I.

---

## XIII.

*Indicitur iubilaeum universale initio pontificatus pro salutari Ecclesiae regimine*[1].

**Innocentius Papa XII,**

**Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Prooemium. Ad catholicae Ecclesiae regimen per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, cui proprium est infirma mundi eligere et dexterae suae potentiâ facere fortia, post diuturnam Apostolicae Sedis vacationem, nullis nostris suffragantibus meritis evecti, paruimus quidem, ut par erat, supernae vocis imperio, qua super nos Deus maiestatis intonuit, firmâ spe atque fiduciâ in Domino freti, ut, qui nobis honoris auctor fuerat, ipse nobis fieret administrationis adiutor, ac, ne sub magnitudine gratiae succumberemus infirmi, virtutem daret, qui contulit dignitatem. Verum dum onerosam curarum pontificiarum molem humilitati nostrae impositam serio contuemur, luctuosum undequaque hoc tempore christianae republicae statum apostolicae charitatis studio consideramus. Anticipaverunt vigilias oculi nostri, atque inter moerores et suspiria cum propheta regio exclamare compellimur. *Exultatus humiliatus sum et conturbatus: terrores tui conturbaverunt me: circumdederunt me sicut aqua totâ die, circumdederunt me simul.* Ardet siquidem, cum gravissimo totius fere Europae incendio, ut cum maxime pertinax inter christianos principes bellum, quo pleraeque aeque florentissimae Christiani Orbis provinciae tot per annos agitatae tamquam virgâ furoris Domini affliguntur. Immitis Turcarum tyrannus non modo nuperis cum immortali christiani nominis gloriâ acceptis cladibus irritatus, quam ingravescentibus in dies orthodoxorum dissensionibus in spem adductus, efferatiori quam unquam rabie bellum instaurare satagit, collectisque tot provinciarum et regnorum, quae tyrannide suâ opprimit, viribus, praeteritam ignominiam abolere, ac perniciosos conatus suos, qui protegente Domino incassum hactenus ceciderunt, ad exitum deducere, suaeque perfidiae abominationem in agro Dei viventis plantare et latius propagare meditatur. Crescunt quotidie, in catholicae fidei perniciem, haereticorum vires, sanctaeque Dei Ecclesiae facies, qua

[1] Aliud iubilaeum universale vide in const. edit. MDCXCIII, die 7 decembris, pontif. II.

multiplicatis in religione dissidiis lacera, qua filiorum suorum iniquitatibus foedata, colore in pallorem mutato, animae nostrae amaritudines cumulatissime adauget. Dira epidemiae lues ante oculos pene nostros saevire adhuc non cessat. Omne caput languidum et omne cor moerens. Ubique terror, ubique malorum impendentium formido, itaut si unquam, certe nunc gravem manum Domini sentiamus, flagitiis hominum eius iram iugiter provocantibus. Sed numquid in aeternum proiiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc? Absit. Non enim obliviscitur misereri Dominus, nec continet in irâ misericordias suas; sed, qui multus est ad ignoscendum ac propitiatur invocantibus eum veritate, effundet in nos divitias misericordiae suae, si iniquitates nostras, quibus eum offendimus nimis, humili confessione agnoscentes, dignos poenitentiae fructus faciamus et obsecrationes nostras ieiuniorum atque eleemosynarum viribus roboratas ad altare Dei patris misericordiarum iugiter offeramus. Concordibus itaque votis praestabilem super hominum malitiâ Dei bonitatem invocemus, ut clementissimus Dominus, qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat, confortet nos in potentiâ virtutis suae, repleatque nos agnitione voluntatis suae in omni sapientiâ et intellectu spirituali, effundens super nos spiritum consilii et fortitudinis, quo inter tot rerum ac temporum difficultates agnoscamus quae agenda sunt, oculisque in Deum semper intentis, quae ecta sunt salubriter perficiamus. Oremus unanimiter, ut dominator exercituum, qui conterit bella ab initio erigat brachium suum sicut ab initio, et illidat virtutem inimicorum nostrorum in virtute suâ. Clamemus, ut, qui facit pacem in sublimibus et reges in thronis collocat, dies nostros in suâ pace disponat, ac principum christianorum animos, sublatis discordiis, quibus componendis frustra videntur esse humana consilia nisi caelesti ope adiuventur, fortiter ac suaviter vinciat[1] in vinculo charitatis. Rogemus magnum Patremfamiliâs, ut vineam suam electam custodiat, quam plantavit, haereticos et schismaticos ad catholicae fidei veritatem et Ecclesiae unitatem revocet, suum denique populum ab iracundiae suae terroribus liberet, et per viam mandatorum eius ambulantem gratiae suae donis in hac peregrinatione confoveat, et ad propositum aeternae beatitudinis praemium feliciter perducat.

Haec autem, etc. *(Cetera sicuti in superiori constit. Alexandri VIII, editâ die* XI *decembris* MDCLXXXIX, *anno* I.)

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII novembris MDCXCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 novembris 1691, pontif. an. I.

---

## XIV

*Confirmatur concordia super erectione cathedrae theologiae in universitate Oscensi inita inter monachos Cistercienses Congregationis Hispaniarum et episcopum aliosque* [2]

**Dilecto filio nostro Petro S.R.E. presbytero cardinali de Salazar nuncupato,**

**Innocentius Papa XII.**

**Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.**

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii vicarius generalis et monachi — *Erecta fuit dicta cathedra sumptibus mo-*

1 Edit. Main. legit *vincat* (R. T.).

2 De universitatibus fratrum Praedicatorum agitur in Alexandri VIII constit. edit. MDCXC, die 7 novembris, pontif. II.

nasterii B. M. V. de Piedra pro monachis Cisterciensibus.

Congregationis Hispaniae Ordinis Cisterciensium, quod, cum ipsi aliàs sumptibus regalis monasterii B. Mariae Virginis de Piedra nuncupati dictae Congregationis Tirasonensis dioecesis cathedram de *Prima* nuncupatam cum facultatae sacrae theologiae in universitate studii generalis Oscensis, a pro tempore existentibus monachis dicti monasterii tantum, et, eveniente casu eorum deficientiae, a ceteris regnorum Aragoniae et Navarrae monachis Congregationis huiusmodi obtinendam, fundaverint, iidem exponentes ac dilecti filii abbas et monachi monasterii supradicti ex unà, necnon venerabilis frater modernus episcopus Oscensis, dilecti pariter filii capitulum et canonici ecclesiae Oscensis, praedicta universitas ac communitas, et homines civitatis Oscensis ex alterà partibus, ad occurrendum litibus et dissidiis quae super fundatione huiusmodi oriri possunt, mense aprilis MDCLXXXIX ad quamdam transactionem seu concordiam inter se devenerunt, cum pactis et conditionibus infrascriptis, videlicet:

Conventiones referuntur.

I. Conventum fuit primo, quod episcopus Oscensis, capitulum, universitas, rectores, doctores, magistri, cathedratici, consiliarii et consilium universitatis civitatis praedictae opportunum praestent consensum ad hoc ut Congregatio Cisterciensis praefata erigere possit et erigat in dictà universitate cathedram theologiae sub denominatione *Prima* pro monachis dictae Congregationis in perpetuum, cum pacto quod eadem Congregatio reportare debeat approbationem regiam et apostolicam.

II. Quod, quoties casus vacationis evenerit dictae cathedrae, vicarius generalis dictae Congregationis et abbas praedicti monasterii regii de Petra pro tempore teneantur praesentare coram deputatis dictae universitatis duos monachos eiusdem monasterii, quorum alter eligendus erit a vicario generali et alter ab abbate monasterii de Petra, et quatenus in dicto monasterio unus dumtaxat reperiatur cum infrascriptis qualitatibus, iidem vicarius et abbas eligere valeant alium ex aliis dictae Congregationis monasteriis; si vero nullus in dicto monasterio cum infrascriptis qualitatibus reperiatur, vicarius generalis teneatur praesentare alium, et alium abbas praefatus, qui nequeat a vicario generali super hac praesentatione impediri, nec e contra.

III. Quando vero praesentatio fiet de duobus monachis, quorum alter sit filius dicti monasterii de Petra et alter alterius monasterii, post factum ab ipsis exercitium litterarum pro dictae cathedrae provisione, universitas arbitrium suum dare teneatur monacho filio dicti monasterii de Petra.

IV. Item, quod vicarius generalis et abbas non possint praesentare monachos, nisi prius constet deputatis dictae universitatis quod iidem monachi legerint spatio decem annorum philosophiam aut theologiam in religione aut universitate praedictà, quodque bis se opponendo in concursu alicuius cathedrae philosophiae vel theologiae dictae universitatis legerint, et si aliquis ex dictis monachis praesentatis legerit in universitate duorum annorum spatio mediante approbatione deputatorum aut scholasticorum, nihilominus habilis sit absque dictis oppositionibus.

V. Item, quod cathedra non vacet nisi monachus de eà provisus illam dimittat post lapsum vigintiquinque annorum a quibus legerit, hic vero monachus remaneat quidem cum titulo, sed sine stipendio, et monachus, pro tempore pro quo legerit, sit subiectus visitationi deputatorum et ceteris observatio-

nibus statutorum disponentium de obligationibus cathedraticorum; et si casus evenerit quod aliquis privari debeat cathedrâ, tunc deputati teneantur prius dare notitiam vicario generali de causâ ob quam privandus sit.

vi. Quodque religio illum e contra nequeat amovere a cathedrâ, nisi prius constet deputatis de causis amotionis.

vii. Item vicarius generalis et abbas ad faciendam praesentationem praedictam tempus habeant trium mensium a die vacationis.

viii. Quodque provisus intra duos menses post provisionem gradum in sacrâ theologiâ suscipiat, aliàs ius amittat in dictâ cathedrâ et procedatur pro aliâ provisione, quodque locus in universitate et functionibus eiusdem esse debeat iuxtam antiquitatem gradus sui doctoratus.

ix. Item, quod monachus teneatur legere ab horâ nonâ usque ad decimam, quodque non possit legere nisi materias quas assignaverit consilium universitatis, teneatur observare turnum et praesidere in materiâ de qua legerit, modo et formâ quibus solent ceteri cathedratici.

x. Quod in eventum substitutionis possint deputati alium monachum substituere absque praesentatione vicarii generalis et abbatis durante impedimento provisi.

xi. Quod omnes monachi, collegae, professores theologiae in collegio S. Bernardi dictae civitatis studere teneantur apud cathedraticum dictae cathedrae *de prima*, absque eo quod sit necessarium quod studeant apud cathedraticum *de prima* sacrae theologiae dictae universitatis, et apud dictam cathedram erectam studere possint quindecim scholastici saeculares, et triginta remanere debeant pro cathedrâ *de prima* universitatis, quos nominabit rector dictae universitatis.

xii. Quod religio investire teneatur mille libras ad satisfactionem deputatorum seu aliam summam necessariam pro annuo redditu librarum quinquaginta per deputatos consignandarum cathedratico.

xiii. Quod ultra dictas mille libras teneatur Congregatio tradere deputatis duas libras et sex solidos annuatim, et quadragintasex sortis, pro expensis propinarum, ac propriis expensis fabricare mansionem pro cathedrâ, et cathedraticus obligatus sit solvere deputati iura vacantis.

xiv. Casu quo Congregatio omittat concurrere ad dictam civitatem et universitatem, cathedra sit solum pro filiis regii monasterii, et si in eo non adsint religiosi habiles, liceat deputatis providere cathedram de idoneo extra religionem, donec habilis existat monachus filius dicti monasterii, quatenus iuridice probetur quod eadem domus de Petra approbaverit vel procuraverit resolutionem, quod nempe[1] Congregatio non concurrat cum suo collegio ad dictam universitatem, amittat in perpetuum ius cathedrae, quod e conversu amittant ceterae domus Congregationis non concurrentes cum collegio.

xv. Eveniente casu quod supra assignatum stipendium deperdatur, et monasterium de Petra non subroget alia bona, tali casu expiret huiusmodi fundatio.

xvi. Demum, quia abbas regii monasterii S. Salvatoris de Legre et cathedraticus philosophiae regens cathedram sacrae Scripturae multum laborarunt in fundatione dictae cathedrae, possint idcirco ad eam praesentari ex

1 Forsan deest *si* (R. T.).

pacto, etc., prout in dictâ concordiâ plenius continetur.

Concordia relata confirmata fuit a rege catholico.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, carissimus in Christo filius noster Carolus Hispaniarum rex catholicus transactionem seu concordiam huiusmodi confirmaverit et servari mandaverit, ipsi vero exponentes, ut omnia in ea contenta in posterum adimpleantur, nec de illorum validitate unquam dubitari contingat, transactionem seu concordiam praefatam apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Committitur confirmatio apostolica cardinali de Salazar.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, circumspectioni tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, et postquam utrique loco pio transactionem seu concordiam huiusmodi expedire iudicaveris, eamdem transactionem seu concordiam, cum pactis et conditionibus supra expressis, auctoritate nostrâ apostolicâ pro tuo arbitrio et prudentiâ gratis approbes atque confirmes.

Clausulae.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasterii et Congregationis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV novembris MDCXCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 14 novembris 1691, pontif. anno I.

---

## XV.

### *Conceduntur privilegia familiaribus* [1].

**Innocentius Papa XI,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

**Venerabilibus fratribus Herculi Vicecomiti, Damiatensi, palatii nostri apostolici, et Balthasari Cincio, Larissensi archiepiscopis, cubiculi nostri, necnon Iosepho Eusanio, episcopo Porphyriensi, sacrarii nostri respective praefectis; ac dilectis filiis magistris Mario Spinulae, Ianuensis, litterarum nostrarum, quae ad principes scribuntur, secretario, et Iosepho Sacripanti, Narniensis, in utrâque signaturâ nostrâ referendariis, subdatario, praelatis domesticis nostris; ac Faustino Chrispoldi Perusiensis, Vincentio Ricci Senogalliensis, notarum arcanarum secretario, Ioanni**

1 Ab Alexandro VIII concessa fuerunt eadem privilegia constit. edit. MDCXCI, die 12 ianuarii, pontif. I.

**Camporeali Interamnensis, Petro Laurentio Landucci de Piscia, nullius dioecesis, provinciae Florentinae, Ansaldo de Ansaldis Florentinae, auditori, Iosepho Ansolini Lauretanae, Carolo Augustino Fabroni Pistoriensis, libellorum supplicum nobis porrectorum secretario, Iulio Ricci Romano, vestiario et eleemosynario secreto, Thomae Emmanueli de Zarate Calaguritanae, Ioanni Carolo de Falliafer de Barriere Petrocoriensis, Marcello Malpighi Bononiensis, medico secreto, ac Iosepho Lotario comiti de Kinigsegh Viennensis, cubiculariis intimis seu secretis; necnon Urbano Roccio Romano, florerio maiori, et Theodosio Cellesio Pistoriensis, fratri militi magnae crucis hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ac comiti Alexandro Capisucchio Romano, itidem cubiculariis secretis; ac Augustino Sebastiani Camerinensis, Iulio Caesari Bernardini Tudertinae, et Ioanni Baptistae Capilupi Matheranensis, cappellanis secretis; necnon Ioanni Francisco Agliaudi Taurinensis, Iosepho Marabini Imolensis, et Carolo Nicolao Antolini Lauretanensis respective civitatum vel dioecesum clericis seu presbyteris vel laicis, cubiculi nostri adiutoribus, familiaribus continuis commensalibus nostris, salutem et apostolicam benedictionem.**

(*Reliqua vide in constitutionibus praedecessorum Pontificum*).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII novembris MDCXCI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 novembris 1691, pontif. anno I.

---

XVI.

*Confirmantur constitutiones fratrum B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum* [1].

[1] Extant quaedam decreta capituli generalis in Innocentii XI constit. edit. MDCLXXXVII, die 15 maii, pontif. XI; et aliud decretum in huius Pontificis constit. edit. MDCXCIII, die 24 octobris, pontif. II.

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Ex iniuncto nobis divinitus apostolicae servitutis munere [1], illa quae pro feliciter gubernandis et salubriter dirigendis religiosorum virorum vota sua Altissimo in sanctitate et iustitiâ assidue reddere satagentium ac propriae alienaeque non spirituali tantum sed etiam corporali saluti studiosâ charitate iugiter incumbentium Ordinibus in Ecclesiâ Dei pie sancteque institutis provide prudenterque disposita atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, apostolici muniminis praesidio, cum id a nobis petitur, libenter roboramus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, religionis et piorum operum incrementum et felicem progressum, ac animarum salutem in Domino expedire arbitramur.

Iussu capituli facta fuit praedicta compilatio, ad Alexandrum VIII transmissa, et a nonnullis cardinalibus ad examen revocata.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Martinus Salvator Gilaberti, vicarius et in Romanâ Curiâ procurator generalis Ordinis fratrum Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, in sacrâ theologiâ magister, quod, cum aliàs ad praescriptum cuiusdam ordinationis in postremo capitulo generali dicti Ordinis editae pro felici prosperoque ipsius Ordinis regimine et gubernio nova constitutionum eiusdem Ordinis coordinatio seu compilatio facta fuerit, subinde constitutiones huiusmodi sic coordinatae seu compilatae ad felicis recordationis Alexandrum Papam VIII praedecessorem nostrum transmissa fuerint, ut suo et huius Sanctae Sedis patrocinio munirentur; ipse Alexander praedecessor easdem constitutiones sibi exhibitas nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris tunc suis S. R. E. cardinalibus, quorum pietas, prudentia, rerum usus, et sacrorum canonum peritia

[1] Edit. Main. legit *muneri* (R. T.).

sibi longe perspecta erat, discutiendas commisit, qui, mandatis eiusdem Alexandri praedecessoris morem gerentes, illas mature diligenterque examinarunt, et nonnullis adiectis, aliisque, ubi opus fuit, correctis et emendatis, constitutiones ipsas in unum volumen redigi curarunt, tenoris, qui sequitur, videlicet:

Ubi, a quibus et qua auctoritate confecta fuerit ista compilatio.

« Noverint universi, quod, cum die XV novembris anno Domini MDCLXXXVII essent legitime vocati et congregati in hoc Curiae Matritensis coenobio regalis ac militaris Ordinis B. Virginis Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum religiosi viri ex praedicto Ordine destinati ad novam exequendam coordinationem, compilationem texturamque constitutionum eiusdem Ordinis stabilitam in septimo decreto eius generalis capituli in conventu et civitate Optensi regni Castellae proxime celebrati die I iunii anno superiori MDCLXXXVI, in quo videlicet sancitum fuit, ad praefatam novam perfectioremque constitutionum compilationem quaedam specialis institueretur congregatio religiosorum ex primis et praecipuis eiusdem Ordinis, quos in hunc modum ad praedictam congregationem nominatim assumpsit, nimirum pro Aragoniae Galliaeque provinciis R. P. M. fratrem Iosephum Linas totius dicti Ordinis generalem magistrum, dominum Varoniarum de Algar et Escales, et supremi senatus fidei censorem, pro Castellae provincià R. P. M. fratrem Iosephum Gonzalez tunc temporis provincialem eiusdem, a consiliis supremi[1] inquisitionis senatus regisque Immaculatae Conceptionis consessibus et academiae Salamantinae vespertinum moderatorem, pro Valentinâ provinciâ R. P. M. fratrem Damianum Stephanum definitorem generalem eiusdem, pro Vandalicâ R. P. M. fratrem Marcum de Ostos exprovincialem et definitorem generalem eiusdem provinciae, concionatorem regium, ac praefati summi fidei coetus censorem, pro Novae Hispaniae provinciis R. P. M. fratrem Michaëlem Mayers exprovincialem et definitorem generalem Castellanae provinciae, exvicarium generalem eiusdem Novae Hispaniae provinciarum, regiumque concionatorem, pro Peruanis provinciis et Italicae[1] R. P. M. fratrem Ferdinandum de Caubayal et Ribera, exvicarium generalem earumdem provinciarum, concionatorem regium, ac in Urbe generalem procuratorem; in quorum insuper locum, cum a praefato capitulo concessa fuisset facultas praedicto reverendissimo generali, ut, quolibet deficiente, alios per se solum et pro libito substitueret, et ipse, virtute facultatis huiusmodi, pro praedictis R. P. M. fratre Iosepho Gonzalez et R. P. M. fratre Ferdinando de Carbayal legitime postmodum impeditis, ob assumptionem primi ad episcopatum Mirobrigensem, et secundi ad archiepiscopatum insularum S. Dominici, alios instituisset viros, pro primo scilicet R. P. M. fratrem Petrum Garzia provincialem provinciae Castellae et eius fortasse loco, si munere vel aliàs impediretur, uti revera impeditus fuit, R. P. M. fratrem Hieronymum de Mendoza definitorem generalem eiusdem provinciae regiumque concionatorem, et pro secundo R. P. M. fratrem Iacobum Brisegno provincialem Chilensem, qui tunc aderat in regali conventu Matritensi; cum in hoc, inquam, omnes praedicti vere essent legitime congregati, ut praemissum est, in formâ definitorii generalis, et praedictae plenitudine potestatis utentes, ad praefatam constitutionum texturam sibi a capitulo generali concessâ, denuoque roboratâ et confirmatâ a sanctissimo domino nostro Inno-

1 Edit. Main. legit *supremis* (R. T.).

1 Vel *Italiae* legendum vel *Italicâ* (R. T.).

centio XI in eiusdem Bullâ quae incipit *Militantis Ecclesiae*, sub datis Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XV maii anno Domini MDCLXXXVII et sui pontificatus XI; cumque tam praedictus magister Ordinis, quam tota praefata congregatio in eiusdem secretarium me infra subscriptum fratrem Michaëlem de Ulete praesentatum de numero ex dictâ Castellae provinciâ legitime constituissent, initium dederunt praedictae congregationis actibus et sessionibus cum eâ solemnitate et invocatione Spiritus Sancti quae in nostri Ordinis generalibus definitoriis de more praemittuntur. Et in illis quidem rebus omnibus serio consulto et mature discussis, praedictam constitutionum compilationem ordinarunt in hanc quae sequitur formam:

*Incipiunt constitutiones fratrum sacri et regalis Ordinis Beatissimae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum.*

PROŒMIUM.

Cum vera religio sine legibus non subsistat, vix sacra nostra redemptorum familia extitit divinitus revelata ab Immaculatâ et Beatissimâ Virgine Mariâ illius dignanter in sui honorem caelitus institutrice et fundatrice piissimâ, cum gloriosus parens noster S. Petrus Nolascus, quem ex praedictâ ipsius revelatione et praecepto eius structorem, fundatorem et patriarcham instituerat, de illius statutis coepit sedulo cogitare. Quae, ut tam congrue, quam rei gravitas postulabat, conderentur, unâ cum inclyto Iacobo I Aragoniae rege, quem non secus eadem revelatio effectorem et patronum eius constituit, elaboranda commisit illius saeculi in ecclesiasticis iuribus sapientiori viro tunc utriusque a sacris confessionibus, sancto scilicet Raymundo de Pegnafort, cui, ut in ore trium staret hoc verbum, utque opem pro constructione tanti operis ferret, praefata revelatio utique innotuerat. Is autem manum adamussim imponens operi ex illorum auctoritate certas vivendi leges vitae contemplativae nostro Ordini et instituto accommodas efformavit, quas, a singulari in altissimo redemptionis famulatu parentis nostri peritiâ in formam constitutionum concinne ordinatas, ipse, ut primus Ordinis magister, fundator et legislator, a suae institutionis initio universis eius fratribus praesentibus et futuris observandas proposuit, ac postea earum confirmationem sub regulâ sancti Augustini a Gregorio Summo Pontifice obtinuit anno Domini MCCXXX, pontificatus sui III, et a nostrâ fundatione XII.

Haec quidem fuit prima nostri Ordinis legislatio, quae in substantialibus non est hactenus innovata, nam illae primitivae constitutiones quoad substantialia statuta revera sunt istae, quas usque modo Ordo noster professus est; in accidentalibus tamen varia additamenta (rerum et temporum varietate sic exigente) pro meliori eius regimine receperunt sanctae Sedis Apostolicae confirmatione munita, primo scilicet per Gregorium X, anno Domini MCCLXXIII et sui pontificatus II, deinde per Ioannem XXII anno Domini MCCCXXVII et sui pontificatus XI, per Martinum V anno Domini MCDXIX et sui pontificatus II, et anno Domini MCDXX et sui pontificatus III, per Calistum III anno Domini MCDLVII et sui pontificatus III, per Paulum II anno Domini MCDLXIX et sui pontificatus VI, per Iulium III anno Domini MDLVI et sui pontificatus III, per Gregorium XIII anno Domini MDLXXVI et sui pontificatus IV, per Sixtum V anno Domini MDLXXXIX et sui pontificatus anno IV, per Clementem VIII anno Domini MDXCIV et sui pontificatus III, et anno Domini MDC et

sui pontificatus IX, et anno Domini MDCIV et sui pontificatus XIII, per Paulum V anno Domini MDCVII et sui pontificatus III, et anno Domini MDCXIV et sui pontificatus X, et anno Domini MDCXVI et sui pontificatus XII, per Gregorium XV anno Domini MDCXXI et sui pontificatus I, et anno Domini MDCXXII et sui pontificatus II, per Urbanum VIII anno Domini MDCXXVII et sui pontificatus V, et anno Domini MDCXXVIII et sui pontificatus VI, per Alexandrum VII anno Domini MDCLXII et sui pontificatus VIII, ac denique per SS. dominum nostrum Innocentium XI, qui simul cum robore suae apostolicae confirmationis plenam nobis facultatem largitus est ad exequenda nostri Ordinis antiqua desideria eliminandi ab anteacto constitutionum volumine omnes redundantiae, diminutionis, omissionis, confusionis, incongruaeque distributionis defectus ex inconcinnâ dictorum statutorum adiectione intertextos, et ad auferendum, addendum, variandum et exprimendum omne quod ad id et ad maiorem nostri instituti observantiam promovendam visum fuerit nobis expedire. (Ita suum diploma pontificium, quod incipit *Militantis Ecclesiae* sub datis Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV maii anno Domini MDCLXXXVII et sui pontificatus XI).

Hac ergo apostolicâ auctoritate suffulti, nostrasque sacras constitutiones ab omni naevo vindicare cupientes, post accuratam ac debitam rei tanti ponderis discussionem, unanimi consensu primo decrevimus, quod, ut in posterum omnis ambigendi locus erga anteacta statuta de medio tollatur, solum ex eis vim constitutionis habeant in futurum quae in octo sequentibus distinctionibus continentur; ad has enim integrum nostrarum constitutionum corpus iuxta propriam suarum partium descriptionem reducimus, ut sub unâ regulâ et professione viventes uniformi observantiâ regulari Deo famulemur. Faxit Deus ut omnis eis labor impensus disciplinae, severitati et in maiori Ordinis bono proficiat.

DISTINCTIO PRIMA.

*De cultu Dei et divinis laudibus.*

Licet omnis religio se totam in Dei cultum exhibeat, inde tamen sacratius in eius honorem erigitur unde divinis laudibus mancipatur. Noster autem Ordo non tantum ex debito religionis hunc Dei cultum a limine assumpsit, sed ea maxime quod redemptionis institutum elicuit. Cum enim Moyses iussu Dei liberasset populum et in alteram Rubri crepidinem sustulisset, hanc Domini dignationem eius laude conclusit, dum illud canticum extulit: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est.* Hinc nos igitur digne novo debito in Dei laudibus occupamur, et chori profitemur officium, et redemptionis misericordiam, quam misit Dominus populo suo, perpetuâ gratiarum actione decantemus, faciem eius psalmis et hymnis praeoccupantes, ut quod dignatione incepit, miseratione promoveat.

I. Audito primo signo, pro singulis horis quibus septies die noctuque ad Dominum convenimus, praeparantes[1] se fratres, et ante finem secundi omnes ad chorum accedant, quasi in odorem Domini humiliter et devote currentes, ubi, secundum horae qualitatem aut festi, divinum officium reverenter compleant, quod fratribus clericis, sacris nondum initiatis, si forsan choro aliquando non interfuerint, privatim persolvere praecipimus. Caput I. De divino officio.

II. Quotidie missa conventualis in universis Ordinis domibus iuxta ritum fe-

1 Aptius lege *praeparent* (R. T.).

stivitatis decantetur, cui omnes adesse teneantur; qui ultro clericorum aut laicorum frater ei non adstiterit, privatam inviolabiliter audiat.

III. In missâ conventuali praeter communia et particularia suffragia, quando ritus permiserit, dicatur oratio pro SS. D. N. Papa, pro felici statu Ecclesiae, pro rege, et pro captivis christianis; quam in privatis pariter dicendam iniungimus.

IV. Universim nostri Ordinis sacerdotes modeste et graviter sacrum celebrent, atque ita suis manibus Verbum Vitae contrectent, ut sacramenti altitudo, religionis pietas, et eorum fides elucescat.

V. Id tempus sacris peragendis sacerdos immoretur, quo nec audientibus prolixitate taedium ingerat, nec devotioni celeritate teporem inducat: solemnibus videlicet moram solemnitati congruam, privatis vero dimidiam horam ad minus impendat.

VI. Ante celebrationem sacerdos aliquandiu ad tanti sacramenti celsitudinem traducat animum, propriamque vilitatem totâ humilitate perpendat, sicque et non aliter audeat de pane illo edere et de calice bibere; quo sumpto, simile sibi vacans per spatium temporis tanto mysterio consentaneum, debitas Auctori gratias reddat.

VII. Tam chori quam altaris officium, nedum in essentialibus, verum in caeremoniis ac ritibus, iuxta romanas regulas omnimode celebretur; ubi autem illae nihil praescripserint, rubricae nostri ritualis observentur.

Caput II. Quo tempore et qualitate horae singulae persolvendae sint.

I. Ne autem horarum tempora et modus incerta pro libito maneant, firmiter statuimus ut matutinae in toto nostro Ordine perpetuò et inviolabiliter mediâ nocte dicantur. Quocirca severissime magistri generalis, provincialis et praelatorum localium conscientias oneramus, si eas ad aliud tempus transferant vel transferri permittant, nisi propter casum ita inevitabilem, ut plus cogere quam indulgere videatur: qui si forte accidit, a die Pentecostes inclusive usque ad festum sancti Augustini dicantur post completorium; reliquis vero temporibus, eodem simili casu occurrente, nonnisi horâ noctis matutinas cantari vel recitari iuxta festi diversitatem strictissime praecipimus. Quod si praelatus contrarium fecerit, suspensionem ab officio per sex menses incurrat; provincialis autem aut visitator, qui eam non exequatur, voce activâ privetur in proximo provinciali capitulo.

II. Prima non longe a solis ortu dicatur, neque completorium ab eiusdem occasu; Tertia, horâ quasi decimâ, quam missa conventualis, et hanc Sexta subsequatur; Nonam post prandium expleri praecipimus, nisi diebus a romano rituali praescriptis et temporibus nostri Adventus et Quadragesimae, quibus (exceptis dominicis) Nonâ dictâ reficimur; Vesperas denique extra Quadragesimam horâ secundâ vel tertiâ post meridiem, iuxta diversitatem temporis, certâ omnino statione praefigimus. Has autem horarum metas sic esse immobiles desideramus, ut eas praelatus minime praetermittat.

III. Ex horis huiusmodi Primam, Tertiam, Vesperas et Completorium quotidie modulabimur, reliquas autem recitari concedimus, exceptis matutinis in nocte Natalis Domini, in tribus Tenebrarum diebus maioris hebdomadae, et festis Resurrectionis, Pentecostes, Revelationis dominae nostrae beatissimae Virginis Mariae de Mercede, et sancti patris nostri Petri Nolasco, in quibus solemnitatibus Matutinas integre cantari praecipimus; in ceteris vero utriusque

classis ad minus incipiantur cum cantu usque ad primum hymnum inclusive, et deinceps cantetur *Te Deum* cum Laudibus usque ad finem, demptis psalmis et antiphonis earum. Kalendam quoque singulis diebus decantari statuimus. Si quam autem horam extra praedictas decantari sit in usu, consuetudinem non destituimus, sed laudamus, et progredi suademus in melius.

IV. Modus recitandi et modulandi horas canonicas sit iugiter devotus et gravis cum pausâ et silentio solemnitati consonis, ita versuum medietatem et finem intercidentibus, ut nulla vocis protractio taedio mentem afficiat, sed uniformitas desinentiae et devotionem augeat et perfectum[1]; vox pariter sit unisona: hanc autem omnes eâ mentis attentione pro viribus semper eliciant, qua divini officii pensum Deo gratius et fructuosius sibi reddant.

Caput III. De oratione mentali.

I. Cum oratio mentalis sit totius vitae spiritualis fundamentum et comes individua, qua duce de virtute in virtutem gradimur donec perfectionis verticem conscendamus, universis nostri Ordinis fratribus stricte praecipimus ut bis adminus in die mentaliter orent dimidiam saltem horam pro qualibet vice, mane videlicet et vespere, illud propheticum praeseferentes: *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te.*

II. In hoc ergo almo et fructuoso exercitio per tritam sanctorum viam fratres incedant habitâ ratione uniuscuiusque status et indigentiae, sed semper prae oculis habentes frequentiorem causam, cur multi in hoc itinere parum nilve proficiunt, esse indebitum modum eius praeparationem, inchoationem, exercitationem et conclusionem conficiendi. Quod orationis dispendium a nostris fratribus relegare cupientes, quaedam monita pro dictis eius partibus debite exercendis ab illis indeficienter observanda levi saltem manu attingere necessarium iudicamus[1].

III. Quocirca praeparationis utriusque discrimen animadvertentes, non minori studio remotam quam proximam intendant. Quoad primam[2] enim (quae utpote praevia dispositio ad fructum ex oratione percipiendum praemitti debet), prava opera, vana colloquia, mundanas cogitationes, inordinatos affectus, et cetera alia quae distractionibus fomentum praebent, frequenti divinae praesentiae exercitio a se omnimode avertant. Quoad secundam[3] autem, accedente orationis tempore, conscientiae statum agnoscant, bonum spirituale, quo magis indigeant, praevideant, considerationes et affectus[4] ad illud assequendum efficaciores praeveniant, materiam iis magis idoneam[5] aliquo lectionis genere praeparent, totamque illius seriem ad id ipsum provide pro viribus referant, sicque et non aliter ad orationis locum reverenter accedant.

IV. Orationem inchoaturi signo crucis Deum praesentem fide vivâ concipiant circa se existentem vel intra se manentem per existentiam, praesentiam et potentiam, et cordis sui intimos recessus[6] penetrantem, opus quod faciunt agnoscentem et ad ipsum adiuvantem; tunc Deum praesentem adorent, actum contritionis eliciant, et gratiam bene orandi ab eo postulent; ac demum ad purificationem intentionis cum debitâ resignatione transeant, qua, se totos Dei

1 Potius lege *profectum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *indicamus* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *primum* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *secundum* (R. T.).
4 Ed. Main. legit *effectus* pro *affectus* (R. T.).
5 Edit. Main. legit *idoneum* (R. T.).
6 Edit. Main. legit *excessus* (R. T.).

voluntati committentes, nihil amplius quam eius divinum beneplacitum uberioremque animae profectum in huiusmodi exercitio intendere protestentur.

v. In exercitatione semper intellectus voluntati facem praeferat, ut in meditatione exardescat ignis. Unde a materiae praeparatae considerationibus incipientes, omnes illius causas, effectus et circumstantias, modo discurrendo, modo ponderando, percurrant, usquedum ad aliquem devotum affectum excitentur; tunc enim ita sinent voluntatem opus suum exequi, ut, quanto tempore affectus afficit animum, tanto in eo perseverent, minime interim solliciti, quod meditandum supersit; extinctâ tamen affectione vel tepescente, ad aliam vel alias affectus excitantes, vel discursivas, vel ponderativas considerationes redeant. In quibus actibus aures veluti circulo versentur, ita ut omnia dirigantur ad opus, et usui virtutum inserviant.

vi. Iam orationi finem impositurí tribus actibus eam concludant: primus sit gratiarum actio, quae ex his, quae meditati fuerint, quodammodo oriatur, et maxime de omnibus quae in ipso rationis decursu a divinâ benignitate susceperint, quibus tandem pro beneficiis generalibus creationis, redemptionis ac reliquis omnibus tam universali Ecclesiae quam sibi praestitis grates superaddant; secundus sit oblatio, qua aeterno Patri merita Christi et omnium sanctorum, seque ipsos cum illis, atque omnia sua opera cum perfectâ resignatione in omne Dei beneplacitum offerant; tertius denique sit petitio eorum, quae ad aeternam salutem pro se sunt necessaria, deinde pro universali statu totius Ecclesiae, pro supremo illius pastore et domino, universisque praelatis, pro regibus et principibus, pro praelatis et redemptoribus nostri Ordinis, eiusque benefactoribus, conservatione et augumento, et specialissime pro fidelibus captivis, qui in Saracenorum potestate detinentur vel sunt in periculo abiurandae Fidei, et pro fratrum captivorumque animabus in purgatorio detentis, adhibitis etiam B. Virginis, angelorum et sanctorum intercessionibus.

vii. Hanc autem orandi formam sic mane et vespere implebimus : Primo enim ante Primam, cum iam fratres in choro convenerint, ibi ante omnia flexis genibus Spiritus Sancti gratiam suppliciter exorent, dicentes antiphonam: *Veni, sancte Spiritus, etc. Sub tuum praesidium confugimus, etc. ℣. Emitte spiritum tuum, etc. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix, etc. Salvos fac servos tuos, etc. Domine exaudi, etc. Dominus vobiscum, etc.* Oremus: *Deus, qui corda fidelium, etc. Deus virtutum, cuius est totum quod est optimum, insere pectoribus amorem tui nominis, et praesta in nobis religionis augmentum, ut quae sunt bona nutrias, ac pietatis studio, quae sunt nutrita, custodias. Defende, quaesumus, Domine, B. Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* His dictis, adminus per dimidiam horam in oratione permaneant, quam similiter habeant post completorium et eâdem deprecatione praeveniant. In fine vero, facto signo a praelato, cantor incipiat antiphonam *Conceptio tua*, cum versu et oratione consuetis, prout in rituali.

viii. Praefatis ergo temporibus teneantur omnes fratres, nullo excepto nec etiam magistro generali, ad orationem mentalem convenire, nisi propter grave impedimentum et rationabilem causam, qua raro indulgendum appareat;

qui autem interesse[1], alibi, quotidie, etiam iter agentes, bis in die mentaliter orent; et hanc institutionem observent pro temporis opportunitate et loco, secum illud Davidicum conferentes: *In omni loco dominationis eius, benedic, anima mea, Domino.*

Caput IV. De inclinationibus.

i. Inclinationes dicimus ea sensibilia signa, quibus Deum, vel eius sanctos, aut sancta, seu etiam homines propter Deum reveremur et colimus. Quinque in Ordine nostro secundum rerum et honoris diversitatem exponimus, quas capitis, ad genua, profundam, genuflexionem, et prostrationem appellamus. Inclinationem capitis sacris praecipue nominibus Iesu domini nostri et beatissimae Virginis Mariae cum magnâ cordis humilitate debemus impendere; tum etiam nominibus sanctorum, de quibus in die proprio aut fit memoria aut officium, capitis inclinationem reddimus; idem facimus et in hymno *Gloria in excelsis Deo* ad eos versus *Adoramus te, Gratias agimus tibi*, et *Suscipe deprecationem nostram;* in symbolo ad verba *Simul adoratur;* ad *Humiliate capita vestra* et orationem sequentem; ad benedictionem sacerdotis in fine missae, et cum pacem, incensum et aquam benedictam suscipimus; praelatis item transeuntibus, vel cum ad eos accedimus aut recedimus, capita reverenter subiicimus; tandem cum in refectorio aliqua nobis per hebdomadam obedientia subiungitur, caput licet opertum similiter inclinamus.

ii. Corpus usque ad genua dimittimus, quoties chorum ingredimur vel egredimur, conversi ad fratres vultu, quasi per salutationis officium; ad omnes horas officii parvi beatissimae Virginis Mariae, cum eius orationem angelicam praemittimus pro singulis, et ad eas orationes quibus finiuntur vel fit commemoratio in missâ aut officio, necnon etiam quoties occurrerit *Gloria Patri* similiter inclinabimur (in officio autem maiori excipitur primum *Gloria Patri*, in quo pro singulis horis profundâ utimur inclinatione), in postremis hymnorum versibus, et ad illos *Sit nomen Domini benedictum*, et *Benedicamus Patrem et Filium, etc.*, simulque ad eam praefationis clausulam *Beatae Mariae, et te in veneratione, etc.*, necnon in Primâ cum dicimus *Sancta Maria et omnes sancti, etc.*, hac ipsâ corporis deflexione curvabimur, quam etiam cum sedemus sine erectione committimus.

iii. Profunde quidem inclinamur ad orationes dominicam et angelicam et Credo, quas singulis respective horis praemittimus in silentio, et quibus officium et completorium tempore paschali diebusque dominicis concludimus; eâdem inclinatione devolvimur ad primum *Gloria Patri* in officio maiori, ut praediximus, et omnes eius horarum orationes, et primam dumtaxat in vesperis, et officio missae ad collectam pro Ecclesiâ, et quam praelatus indixerit pro necessitate communi, ad omnes preces et confessionem, dum eas non genuflexi recitamus, et in refectorio ad orationem *Retribuere, etc.*

iv. Genuflexionem autem uno vel bino genu in sequentibus exercemus: primo ad ingressum vel regressum a choro, cum sanctissimum sacramentum adoramus, ad preces et orationes missae et officii tempore Adventus et Quadragesimae, Quatuor Temporibus et Vigiliis, usque ad *Benedicamus Domino*, praeterquam in diebus quos excipit caeremoniale nostrum, ad preces et orationes officii defunctorum, ad versus *Tantum ergo, O salutaris hostia*, si sacramentum sine velamine pateat, vel pro-

1 Forsan deest *non poterunt* (R. T.).

cessionaliter deferatur, in hymno *Vexilla regis*, ad versus *O crux*, ad illos etiam *Ave, maris stella; Veni, creator Spiritus; Veni, sancte Spiritus;* in psalmo invitatorii ad verba *Et procidamus ante Deum*, in hymno *Te Deum* ad versum *Te ergo quaesumus*, in verbis etiam *In nomine Iesu omne genu, etc.*, nisi haec sint in introitu missae, ad illa insuper *Christus factus est pro nobis, etc.* et in toto psalmo *Miserere* et oratione *Respice quaesumus* qua concluditur in triduo maioris hebdomadae, in processionibus litaniarum ab initio earum usque ad verba *S. Maria;* si autem non fiat processio, in totâ litaniâ genuflectimus, ut in sabbato sancto et vigiliâ Pentecostes.

v. Genuflexione item utimur in psalmis poenitentialibus et precibus gradualium, in fine lectionum ad *Tu autem Domine*, in antiphonis B. Mariae quibus hora vel officium concluditur, nisi paschali tempore et diebus dominicis, in kalendâ Nativitatis Domini ad ea verba *In Bethlehem Iuda etc.* usque ad *Secundum carnem* inclusive.

vi. Cum prope altare sacramenti gradum facimus, si lateat, uno genu; utroque vero, si pateat, humiliter genuflecimus. Crux etiam, quae per medios fratrum choros transierit, genuflexione adoratur, sicut et feriâ quintâ post inclusum in urnâ Sacramentum usque ad mane sabbati sancti eumdem ei reddimus honorem.

vii. Genuflectimus insuper ad haec omnia evangeliorum verba: *Et procidentes adoraverunt eum; Verbum caro factum est; Et procidens adoravit eum; Iesus autem exclamans, etc.; Iesus autem, emissâ voce, etc.; Et haec dicens expiravit; Et inclinato capite, etc.*; et in adoratione crucis feriâ sextâ maioris hebdomadae ad ea verba: *Venite, adoremus;* ad illa etiam symboli *Et incarnatus est;* ad *Flectamus genua*, et ad versum *Adiuva nos;* in missâ, dicto *Sanctus*, usque ad elevatum et depositum calicem, praeterquam in feriis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, vigiliis, et missâ defunctorum, in quibus genuflexionem trahimus usque ad verba *Pax Domini* inclusive, a quibus tamen excipimus vigilias Nativitatis, Ascensionis et Pentecostes, et ferias temporum eiusdem Paschae.

viii. Cum subditus aliquid recipit a praelato, genuflectens, osculatur manum eius, vel scapularium, dicens: *Benedictus Deus in donis suis;* item quando benedictionem ab eo suscipit ad iter agendum, vel ad illum ex eo revertitur; suscipiens habitum, etiam genua flectit coram praelato, toto tempore quo ei sermonem instituit, quod et servat ad trinam repetitionem versus: *Suscipe me, Domine, etc.*, et ad lectionem professionis; sic etiam sistitur, excommunicatus[1] coram absolvente se, et qui in pane et aquâ in medio refectorii abstinere praecipitur. Culparum confessionem in capitulo hac humiliatione incipimus dicentes: *Pater, veniam peto.* Generalis autem et provincialis in primo accessu ad domos benedictionem itinerantium ita pariter humiliati[2] suscipiunt, sicut et reliqui fratres, sic etiam cereos et ramos die Purificationis et Palmarum, cumque cinere aspergimur, et tandem ad versum *Clementissime Deus* in sepulturâ fratrum.

ix. Demum fratres nostri prostratione succumbunt, cum aliquid canendo aut legendo in choro erraverint, et tamdiu ita permaneant, donec ad surgendum a praelato signum accipiant, qui tamen si eis aliquam obedientiam aut officium iniun

1 Pessime edit. Main. legit *etc. Communicatus* pro *excommunicatus* (R. T.).

2 Male edit. Main. habet *humilitati* (R. T.).

xerit, prostratione suscipiant; in refectorio si in ministerio fratrum offenderint, labem prostratione vindicent, quam omnes servitores cum lectore iterum in fine faciant pro universis defectibus ministrando aut legendo commissis; si quis alium scandalizaverit, tanto temporis spatio ante ipsum prostratus occumbat, usque dum suscitetur ab ipso; suscipiens professionem aut habitum, postquam eo indutus fuerit, similiter procidat, donec orationes super eum dicendae finiantur; post electionem magistri generalis aut provincialis, dum super utrumque in ecclesià orationes et benedictiones effundimus, ipsi eas prostrati suscipiunt; quibus etiam ad domos nostras primo accedentibus, in eorum benedictione itinerantium universi, fratres prostrentur[1] ad psalmum *Ad te levavi* et reliquas orationes; tandem et ad confessionem, dum in capitulis absolvimur, et ad psalmum *Miserere* in fine sepulturae fratrum.

Caput V. De officiis quibus beatissimam Virginem Mariam prosequimur.

i. Etsi totos ad pedes beatissimae Virginis Mariae matris et fundatricis nostrae nos devotio provolvit, nihil tamen aequum aut dignum eius erga nostrum Ordinem beneficiis reputamus. Ceterum ei rependere quantum pro nostro modulo possumus desiderantes, primo constituimus ut diebus ferialibus, vigiliis et festis simplicibus, quibus etiam Ecclesiae officium parvum Beatae Mariae recitandum instituitur, illud iuxta Romanorum ritum ab omnibus in choro speciali devotione compleatur; reliquis autem diebus per annum, praeter triduum maioris hebdomadae, similiter in choro ante vel post horas canonicas recitari constituimus a fratribus clericis et novitiis cum assistentià sui magistri; quibus etsi totam communitatem non iubeamus adiungi, monemus tamen universos in Domino, ut vel se illis immisceant, aut

1 Edit. Main. legit *prostrarentur* (R. T.).

saltem privatim hoc pensum singulis diebus Dominae nostrae persolvatur.

ii. Sabbato autem cuiuslibet hebdomadae (exceptis festis duplicibus primae ac secundae classis) secundum antiquam Ordinis consuetudinem post Primam inviolabiliter missa de Beatà Virgine, iuxta romanum ritum, in omnibus conventibus solemniter celebretur, ad quam stricte vocamus universos fratres, cuiuscumque sint qualitatis, ne magistro quidem generali excepto. Eodem die pariter omnes fratres post completorium ad ecclesiam processionaliter accedant cruce cum acolytis praeeunte et sequente sacerdote cum pluviali albo, ibique antiphonam *Salve Regina* coram beatà Maria Virgine concinant; qua finità, incipiant cantores antiphonam *Conceptio tua*, et eam continuante choro, eodem ordine procedatur ad specialem cappellam eiusdem Beatae Mariae, ibique cum versu et oratione iuxta antiquam Ordinis constitutionem concludatur. Quod si ad processionem istam locus apte non suppetat, inibi consistentes fratres eamdem antiphonam prosequantur et finiant.

iii. Singulis mensibus opportuniori dominicà fiat in omnibus conventibus Ordinis processio scapularii ad vesperam, in qua imago beatae Mariae Virginis deferatur in memoriam Revelationis eiusdem qua Ordinem nostrum instituit; quibus diebus, si habeatur concio, omnes indulgentiae scapulario et huic diei concessae fideliter exponantur.

iv. Ad festum praeterea beatae Mariae Virginis de Mercede sub primam augusti dominicam constitutum[1], praeter solemnitatem ritualem, habeatur insuper concio et processio et quaecumque alia solemnitas iuxta facultatem conventus.

v. Adhuc ad eiusdem honorem statuimus ut, iuxta pristinam Ordinis con-

1 Edit. Main. legit *constitutam* (R. T.).

stitutionem, nulla construatur ecclesia, quae, si fieri possit, eius Nomini non consecretur, et in ipsâ pro titulare habeatur; alioquin autem cappellam saltem specialem sub eius titulo et nomine stricte praecipimus erigendam.

vi. Et sicut fratres[1] ipsam beatissimam Virginem alte suis cordibus debere esse infixam, eique dicatum totum Ordinem et ab ipsâ suum in honorem erectum; instituimus et ordinamus ut sigilla maiora, tam Ordinis quam provinciarum, beatae Virginis Mariae imaginem pro stemmate contineant secundum festivitates illius, itaut quam provincia iam habeat, vel posthac, virtute praesentis constitutionis infra latius ordinandae, denuo suscipiat, illam quoque et[2] propriam sibi patronam revereatur et celebret. Quod si dicta festivitas[3] provinciarum et sigillorum numero non sufficiant, aliquis de Sanctis nostri Ordinis sub eodem cultu et celebritate assumatur.

vii. Denique statuimus ut universi fratres imaginem beatae Virginis Mariae semper in cellis habeant, quam ad ingressum et egressum ore, corde et inclinatione salutent. Quod similiter faciunt, ubicumque per claustra et conventum illis occurrat; sic enim servulos et filios decet, quinimo iure cogimur tam egregiae Dominae et Matris piissimae umbram colere, cuius dignanter umbraculo refovemur.

Caput VI. De horis fratrum laicorum.

i. Ne autem fratres laicos, dum eos vitae activae subiicimus, a contemplativae quoque profectibus repellamus, ipsos eisdem temporibus, quibus ante Primam et post completorium ad mentalem orationem communiter convenimus, inviolabiliter quoque ad eam accedere constituimus.

ii. Ceterum ut fructus horarum canonicarum, quas sacris initiati et clerici Deo diebus singulis impendimus, non sit omnino alienus a laicis, pro suo modulo ab ipsis pariter implendos[1] salubriter ordinamus. Matutinas igitur incipiant dicendo *Pater noster, Ave Maria et Credo*, deinde *Domine, labia mea, etc.; Deus in adiutorium, etc.; Gloria Patri, etc.*, et pro nocturnis et laudibus quindecim orationes dominicas, et totidem recitent salutationes angelicas; et tandem pro conclusione dicant *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster*, in cuius fine adiiciant *Per Dominum nostrum, etc.; Benedicamus Domino, etc.* Reliquas autem horas inchoënt per *Pater noster, Ave Maria* (supradicto[2] in Primâ *Credo*) et *Deus in adiutorium, etc.;* et uti supra finiant. Pro singulis vero, decies orationem dominicam et toties salutationem angelicam devotâ meditatione persolvant. In fine completorii, praeter propriam terminationem illius, totum suum officium concludant dicentes *Pater noster, Ave Maria et Credo* ad similitudinem clericorum.

iii. Haec quidem omnia officio tantum maiori congruere intelligimus. Ut autem et minori seu parvo Beatae Mariae laicorum etiam oratio respondeat, eisdem districte praecipimus ut singulis diebus rosarium Beatae Mariae recitent, quinque nempe decadas salutationum angelicarum, quas incipiant ab oratione dominicâ. Totum autem illud ita ritualiter inchoabunt et finient sicuti matutinas maiores, ut[3] aliquam officii formam ritumque contineant.

iv. Denique nostri Ordinis utriusque

1 Syntaxin emendare vel complere, lectori scio dimittimus (R. T.).
2 Forsan legendum *ut* pro *et* (R. T.).
3 Forsan *dictae festivitates* (R. T.).

1 Potius lege *implendas* (R. T.).
2 Potius lege *superaddito* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

sexus tertiarios, si claustraliter vivant, ad haec omnia esse penitus obligatos similiter constituimus.

Caput VII. De frequentiâ sacramentorum.

I. Qui vitam spiritualem eligimus et in perfectionis monte sacra esurire paschata profitemur, ad eam praecipue convenit aspirare pinguedinem et spiritualem alimoniam, quam[1] mentes nostras sacramenta reficiunt. Quocirca universis nostri Ordinis presbyteris hortamur ut singulis diebus sacrum celebrent, nisi aegra valetudo aut urgentissima vel praelato nota causa praepediat; qui autem celebrationem crebro praetermittere inventus fuerit, praeviâ monitione, poenâ reclusionis integrum mensem a praelato puniatur.

II. Fratres vero non presbyteri tam clerici quam laici et nostri Ordinis tertiarii utriusque sexus claustraliter viventes, praemissâ humiliter sacramentali confessione atque aliis pietatis exercitiis (per quae communem ad minus disciplinam in novitiatibus intelligimus et privatam laicis), ad sacram Eucharistiam communiter accedant singulis diebus dominicis, proxime non occurrente ante vel post illas aliquâ ex suprascriptis solemnitatibus in quibus sacram etiam communionem illis omnibus sumere praecipimus, festis scilicet Domini nostri Iesu Christi et Beatissimae Matris eius fundatricis nostrae, etiamsi non sint de praecepto, utroque festo S. Michaëlis Archangeli, S. Ioannis Baptistae, Ss. Apostolorum et Evangelistarum, S. Ioseph atque parentis nostri divi Petri Nolasco, et reliquorum Sanctorum Ordinis, eiusque festivitatibus, die insuper Omnium Sanctorum tam Ecclesiae quam Ordinis, ac denique diebus omnibus, quibus absolutionem habemus ad populum. Huiusmodi autem communiones omnes non presbyteri cum novitiis et laicis in conventibus nostris communiter suscipiant.

1 Potius lege *qua* (R. T.).

Caput VIII. De ecclesia eiusque sanctitate et cultu.

I. Quoniam domus Domini domus orationis vocatur, eamque idcirco deceat sanctitudo, enixe super hoc ministerii eius invigilare praecipimus, ne colloquia habeantur in illâ, praesertim temporibus celebrationis officiorum; visitationes vero feminarum, et alloquia politica, quantumvis necessaria et honesta, etiam ad vesperam, prohibemus in ecclesiâ, nisi cum expressâ licentiâ praelati. Quando autem cum facultate praedictâ ita fieri decenter expediat, totis tamen viribus interdicimus ne in locis confessionibus designatis huiusmodi misceantur alloquia, ne tam sancta sed illa etiam decentibus[1] erubescant.

II. Denunciamus autem universis fratribus, quod, iuxta decretum sanctissimi domini nostri Innocentii XI, nunquam in ecclesiâ aut eius cappellis, sacristiâ vel claustris cibum aut potum saecularibus quovis urgente praetextu aut personae celsitudine deferant, nec quomodolibet deferri permittant.

III. Quia vero sacramentum poenitentiae et suscipientibus ad veniam et illud recusantibus ad aedificationem et exemplum interdum profiteri agnoscimus, nolumus ut loca pro eo designata sint in ecclesiae latibulis, sed palam ubi peccatores provocent et alliciant. Quocirca nostri Ordinis confessoribus strictissime prohibemus, ne quaslibet, praesertim feminas, ad hoc sacramentum per angulos ecclesiae aut devia loca suscipiant.

IV. Quantum ad ecclesiae cultum, sit maxime sacrista sollicitus ut debito ornatu et honestate perfulgeat; eam et cappellas frequenter everri faciat. Altaria singulis diebus mundentur a pulvere. Ornamenta omnia non incomposita[2], sed quasi Deo sacra pie et devote contrectet; linea non minus sordere patiatur, sed

1 Omnia corrigere desperamus (R. T.).
2 Potius lege *incomposite* (R. T.).

crebris iuxta usum lotionibus niteant, et corporalia permaxime; universa quidem si sint lacera resarcienda curet, neque omnino disrumpi permittat.

v. Quocirca universis commendatoribus praecipimus sub poenâ privationis vocis activae et passivae, ut in fine triennii ornamenta sacristiae novo semper augmento ampliata dimittant: incrementum vero sub fide depositariorum capitulo provinciali cum reliquis rationibus conventûs exhibeant: lucernam ante Venerabile Sacramentum sic sacrista perenniter ardere satagat, ut, si eius extinguatur incuriâ, gravis culpae poenam incurrat.

vi. Renovatio Sacramenti verno tempore per omnes hebdomadas privatim aut solemniter celebretur iuxta consuetudines conventuum; hiemali vero ultra duas hebdomadas protrahi non liceat.

vii Oleum sanctum singulis annis suo quoque tempore renovetur, et vas, in quo reponitur, decenti sit materiâ et arte dolatum; ea vero omnia in quibus venerabile Christi corpus asservatur, qua parte saltem aut concavitate tangitur, sint argentea, et deaurata intrinsecus, sicut et de calicibus ordinat rituale; sacraria autem ubi ponitur Sacramentum corporalibus et arâ consecratâ rite et decenter esse instructa praecipimus.

viii. Quae omnia ut observatione vigeant, universis commendatoribus iniungimus, ut, praeter communes visitationes praelatorum superiorum, ipsi ter in anno visitent solemniter sacraria et universa vasa sacramentalia, eorumque loca, atque sanctorum reliquias, eaque omnia recenseant, qua munditiâ, qua reverentiâ, et qua huiusmodi nostrorum statutorum obtemperatione consistant, quae ornamenta sint lacera, quae deficiant, et ea refici vel innovari faciant. Has autem visitationes perpetuò fieri constituimus sub primâ die mensis ianuarii, maii et septembris, nullâ Ecclesiae vel Ordinis solemnitate impeditâ.

ix. Iuxta pristinam Ordinis consuetudinem et statuta, plura cymbala in ecclesiis nostris possumus constituere, ut sit discrimen aliquod inter primum et secundum signum quibus ad chorum vel ecclesiam ducimur.

Caput IX. De obitu et sepulturâ fratrum.

i. Dum frater infirmus iam mortis discrimen contrahit, provideat illi commendator, ut de sacramentis nondum susceptis, iuxta inferius cap. xiii, dist. i ordinanda, et de duobus fratribus spiritu et doctrinâ praeditis, qui ei perpetuò adhaereant et adiuvent usque ad obitum; qui, si diuturnâ mortis instantiâ vexentur, poterunt alternare laborem.

ii. Postremum aegroto agonem ineunte, per totum conventum pulsetur crepitaculum, et omnes fratres ad eius cellam conveniant, ubi, commendatione animae cum devotione peractâ, cantetur totius[1] symbolum fidei, quousque animam exhalaverit.

iii. Cum iam autem fuerit vitâ defunctus, cantetur responsorium *Subvenite sancti Dei*, et statim postea induatur regularibus indumentis, sicut alii fratres, nisi prius opus sit eum[2] lavacro tergere. Et sic habitu et pallio iam induto, manus coaptentur ante pectus albâ vittâ[3] devinctae, et cruce affixâ pollicibus. Deinde ducendus est opportuno tempore ad capitulum vel sacristiam, aut alium commodum et assuetum locum, ubi strato super terram panno decente[4] aptabitur, hinc inde usque ad horam sepulturae ardentibus cereis, et vase cum aquâ benedictâ ad pedes apposito. Hinc autem, et ubicumque post obitum, quousque se-

1 Forsan *toties* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *cum* pro *eum* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *victâ* pro *villâ* (R. T.).
4 Aptius *decenter* (R. T.).

peliatur, extiterit, semper ei fratres clerici seu presbyteri a praelato designati adhereant, et psalterium cum devotione recitent, ac debitum reddant pietatis officium.

IV. Accedente tempore quo deferendus sit ad ecclesiam ut eo praesente missa celebretur, vel ad locum ubi sit sepulturae tradendus, omnes fratres sine exceptione conveniant, ibique suffragia a rituali nostro praefixa persolvant.

V. Diligentissime etiam et pro viribus curent praelati Ordinis, ut, ubicumque frater noster extra claustra obire contigerit, si possibile sit, ad aliquam nostri Ordinis ecclesiam deferatur, ubi praedictam ei reddamus pietatem, ut quos dilectio copulavit in vitâ, etiam in morte non separet; alioquin autem, si difficile appareat, in parochiâ seu viciniori monasterio quasi sub deposito sepeliatur.

VI Si vero (quod Deus avertat) frater alicuius proprietarius decesserit, vel alteri crimini obnoxius, cui sacri canones ecclesiasticam denegent sepulturam, is humetur in agro, formâ et casibus inferius dist. V, cap. VIII ordinandis.

VII. Commendatoribus denique praecipimus sub poenâ privationis vocis activae et passivae, ut pro defunctis fratribus librum habeant in suis conventibus, in quo omnium illorum nomina, annus pariter, mensis et dies obitus diligentissime notentur, insuper et sub quo generali, provinciali et commendatore decesserint, et, si fieri possit, qua die professi fuerint. Quod si vitae laudabilis extiterint, aut aliunde quoque viri eminentes et posteritati commendabiles, omnia ibi fideliter conscribant, ut facile de hoc plene possint historiae nostrae et patrum exempla reduci. Hunc autem librum visitationi absque ullo penitus diffugio subiicimus.

Caput X
De suffragiis mortuorum.

I. Quamprimum decesserint fratres nostri, etiamsi sint novitii, commendator eius domus, ubi quisque obierit, provincialem aut vicarium provincialem et omnes commendatores provinciae, sub poenâ suspensionis ab officio per sex menses, de illius obitu admoneat, quem nihilominus provincialis aut vicarius provincialis confestim ut admonitus universis suae ditionis conventibus renuntiet, ne defectu notitiae ulla sit mora in suffragiis.

II. Pro quolibet fratre defuncto, domus illa [1], cui conventualis erat designatus, sine intermissione aliquâ per tres dies missa defunctorum iuxta rituale romanum solemniter celebretur, quae singulis diebus cum responsorio in ecclesiâ concludatur; iis etiam distribuatur integrum officium defunctorum sub ritu duplici sicut in die depositionis defuncti, cui cantus adhibeatur prout fuerit in conventibus assuetum; per novem item dies a decessu continuos, finito prandio, et pulsatis interea cymbalis, responsorium decantetur a fratribus.

III. Quod attinet ad singulos fratres domus ubi decesserit, tres missas pro conventuali presbyteris constituimus; clericis vero et novitiis non impeditis psalterium integrum in choro vel oratorio novitiatûs cum assistentiâ sui magistri; impediti vero extra chorum, id compleant; quod quidem commutari stricte prohibemus; conversis autem ac tertiariis utriusque sexus integrum rosarium B. Mariae praescribimus: quibus ulterius addimus, ut, per tres dies a decessu eiusque notitiâ, indulgentias a Paulo V regularibus suas ecclesias visitantibus in eisque devote orantibus concessas lucrari et pro dictis fratribus applicare contendant.

IV. Haec eadem suffragia per totum

1 Potius *in domo illâ* (R. T.).

Ordinem pro magistris generalibus qui in officio vel eo functo decesserint pariter, et pro socio et secretario generali in munere obeuntibus, etiamque pro definitoribus aut rectoribus generalibus morte in viâ ad capitulum generale praeventis[1] fieri constituimus.

v. Ad haec ipsa quaelibet provincia tenebitur pro iis qui sunt aut fuerint provinciales, atque pro actuali visitatore in illis respective domibus suae visitationi concreditis. Ceterum pro fratribus non conventualibus, etiam novitiis, singulae domus provinciae teneantur ad unam missam solemnem et vigiliam defunctorum cum responsorio ad finem. Singulos autem eorumdem domorum presbyteros ad unam missam privatam adstringimus, clericos vero ad septem psalmos poenitentiales, conversosque et tertiarios ad tertiam partem rosarii, et utriusque[2] praeterea praedictam ecclesiae nostrae visitationem, ut superius, iniungimus. Fratribus item ex Ordine nostro ad episcopalem, archiepiscopalem, aut aliam quamlibet dignitatem evectis eadem adhibeantur suffragia, quae vi constitutionis in Ordine decedentibus persolventur[3].

vi. Singulis mensibus, primâ scilicet die illorum, festo novem lectionum non impeditâ, fiat officium pro defunctis, cum vesperis, nocturno et laudibus, iuxta rituale romanum, pro quibus ulterius missam et anniversarium superaddimus de cetero perpetuò et solemniter per totum Ordinem celebranda.

vii. Insuper primâ die similiter non impeditâ, quae Sanctorum nostri[4] festum subsequitur, fiat in toto Ordine solemnis commemoratio omnium defunctorum fratrum, sororum et benefactorum illius, ad instar illius solemnitatis, qua omnium fidelium defunctorum memoria secundâ novembris ab universâ Ecclesiâ recolitur, quae quidem suffragia, missas, atque omnia pietatis officia, quae Domino hac die totus Ordo dicaverit, pro defunctis praefatis perpetuò esse applicata constituimus.

viii. Similiter sancimus, ut, quamprimum sanctissimi domini nostri Papae obitus innotuerit, vel catholicorum regum nostri sacri Ordinis patronorum, fiant pro illis solemnes exequiae cum missâ et officio duplici defunctorum, ita ut omnia totius Ordinis bona opera et sacrificia, quae in praedicto exequiarum die ab universis fratribus peragantur, pro ipsis etiam perpetuo censeantur applicata: quam pariter pietatem et gratitudinis officium erga eminentissimum cardinalem nostri Ordinis protectorem eâdem firmitate stabilimus.

ix. Singulis quoque annis, iuxta pristinam Ordinis consuetudinem, die xxiii iulii, inclyti Aragoniae regis Iacobi primi patroni et fundatoris nostri piissimi memoriam funeris solemniter celebrabimus: cui eiusque successoribus defunctis cuncta huius diei bona opera per ordinem adhibemus.

x. Ulterius singulis annis, praeter suffragia praedicta, quatuor anniversaria solemnia cum missâ et officio duplici in nostro Ordine fiant: primum tertiâ die post Purificationem B. Mariae pro animabus parentum nostrorum; secundum primâ die post octavam Ss. Apostolorum Petri et Pauli pro sepultis in ecclesiis et coemeteriis nostris; tertium primâ die post octavam sancti patris nostri Augustini pro familiaribus et benefactoribus nostris; et quartum primâ die post festum S. Dionysii pro animabus fide-

1 Pessime edit. Main. legit *perventis* (R. T.).

2 Videtur legendum *utrisque* (R. T.).

3 Videtur legendum *persolverentur* (R. T.).

4 Potius lege *Omnium Sanctorum Ordinis nostri* (R. T.).

lium captivorum in captivitate fideliter obeuntium.

XI. Qualibet feriâ secundâ (extra tempus paschale) cantetur post Primam missa quotidiana defunctorum; eâque finitâ, fiat processio, in qua cantentur sex responsoria pro ipsis secundum antiquam Ordinis consuetudinem: quod si praedictam missam ritus festi solemnis primae vel secundae classis impediat, in feriam tertiam vel quartam, et non longius, transferatur.

XII. Ut autem nostris defunctis fratribus perpetuò censum aliquem rependamus, firmâ pietate decernimus, ut singulis annis in omnibus conventibus Ordinis pro ipsorum animabus certus missarum numerus ex privatis applicetur: nimirum, in maioribus conventibus centum, in mediis quinquaginta, et viginti in infimis; clerici autem et conversi fratres fructum communionum et bonorum operum Adventus et Quadragesimae ipsis piâ largitione dispertiant: illi praetexta semel in mense una[1] vigiliam defunctorum, isti vero tertiam rosarii partem recitent. Quae omnia sic inviolabiliter omnes respective impleant, ut nullo unquam diffugio vel indulgentiâ praetereant.

XIII. Tam communiter quam privatim conventus aut fratres nostri nullum missarum numerum accipiant, nisi quam commode vel licite adimplere valeant; neque insuper conventus nostri propter eleemosynam de praesenti se adstringant in perpetuum ad aliquem numerum missarum tam solemnium quam privatarum, nisi interveniat licentia provincialis in scriptis, et annualis census pro illis sic[2] iuxta consuetudinem aequalis, et quantum fieri possit nullâ fraude vel eventu fallibilis; commendator autem, qui secus fecerit, privationis officii poenae subiaceat, etiam poenis contentis in constitutione XLV Urbani VIII de celebratione missarum.

XIV. Diligenter omnes praelati seu commendatores invigilent, ut omnium defunctorum fratrum nomina publicis schedulis seu tabellis in choro vel sacristiâ sint inscripta, cum annotatione diei, mensis et anni et conventûs ubi decesserint, quae quidem tabellae per singula triennia renoventur, quas visitatorum iudicio subiicimus, ut per eas suffragiorum pro fratribus celebratio qualiter sit impleta non lateat.

DISTINCTIO SECUNDA.

*De redemptione captivorum.*

Iis genus electum et regale sacerdotium instruximus, quae ad sacrificandum Deo hostiam laudis religionis iure postulantur. Est autem reliquum, ut huic Ordinis tabernaculo, ad exemplar quod in monte revelationis monstratum est confirmato, legis tabulas omni studio curâque dolatas reponamus. Et cum principalius institutum principaliorem locum sibi vindicet, rectâ ideo intentionis serie primas de redemptione leges incidemus.

Caput I. De potestate magistri generalis super exercitio redemptionis.

I. Redempionis institutum in Ordine est quaedam cura et tutoris officium universis eius fratribus a beatissimâ Mariâ commissum his verbis: *Quibus praecipua sit cura captivos ab infidelium tyrannide liberandi.* Unde caelesti iure et potestate collatâ a purissimâ fundatrice nostrâ hanc redemptionis curam totus Ordo prosequitur.

II. Et licet singuli fratres ex instituti visceribus et almae Virginis praecepto ad illius actus voto strictissimo teneantur, non eis tamen incumbunt nisi iuxta nutum et dispositionem praelatorum, quibus ad redemptionem inest tota Ordinis potestas et regimen. Commendator

1 Intelligat lector scius (R. T.).
2 Potius lege *sit* (R. T.).

namque in suo conventu, provincialis in suâ provinciâ, et magister generalis in toto Ordine, suam quisque respective facultatem possidet super regimine huiusmodi, ita tamen ut magister praecipuam et supremam potestatem obtineat, cui totus subditur Ordo in redemptionibus exequendis.

III. Hinc ergo nostra Discalceata familia, in iis quae ad redemptionem captivorum attinent, virtute concordiae quibusdam inter utramque familiam capitulis stabilitae, per Gregorium XI confirmatae, et per Urbanum VIII et Innocentium X declaratae, magistri generalis directioni et iurisdictioni subiicitur.

IV. Unde firmiter statuimus, ut ad solum magistrum generalem pertineat redemptiones ubique faciendas instruere, et tempus earum in capitulis provincialibus designatum, prout magis expedient, prorogare aut contrahere, et pariter ad quod regnum, civitatem vel oppidum mittendae sint constituere.

V. Muneris est eiusdem, quotiescumque redemptor aut redemptores a definitorio capituli provincialis designati quavis causâ vel ratione defecerint, eos per se solum extra capitulum noviter instituere. Hac eâdem facultate gaudeat erga procuratores generales redemptionis tam pro toto Ordine quam provinciis in capitulis provincialibus electos, si eos extra capitulum deesse contigerit.

VI. Eidem tamen strictissime praecipimus, sub poenâ excommunicationis maioris latae sententiae, ut nullâ ratione vel praetextu transferre liceat eleemosynas unius provinciae in aliam, sive ad redimendum captivos illius aut uberiorem in eâ redemptionem agendam, sive ad repignorandum aut debita in aliquâ redemptione contracta solvendum.

VII. Super hoc autem declaramus captivorum eleemosynas in provinciis Indiarum collectas debere semper iuxta antiquam Ordinis constitutionem bullis apostolicis confirmatam Castellae Vandaliaeque provinciis applicari, ut unâ cum earum eleemosynis nomine sui et provinciarum Indiarum in Castellae et Vandaliae redemptionibus impendantur. Unde, sub praecepto et excommunicatione praefatis, dicto magistro similiter prohibemus, ne illas in redemptiones aliarum provinciarum quolibet ex praemissis aliove quocumque fine distrahat.

Caput II. De fratribus bonorum redemptionis exactoribus et collectoribus eleemosynarum.

I. Ex merito instituti non tantum nos per omnia in captivos effundimur usque ad eorum aerumnas et captivitatem substinendam, sed et eleemosynas pro ipsis emendicare profitemur, facti pro pauperibus indigentes, ut ait Apostolus. Hinc ergo universis fratribus declaramus huiusmodi laboribus ex eodem instituto et voto ipsos fore semper et ubique subiectos.

II. Sed ut praedictae eleemosynae, et bona omnia ad redemptionem quomodocumque spectantia, nullâ ratione iacturam subeant, in qualibet provinciâ sit procurator generalis a definitorio intra provinciale capitulum eligendus, cuius sit pro viribus causas bonorum redemptionis in quolibet senatu vel tribunali peragere.

III. In quolibet item conventu alium specialem procuratorem conventus instituat, ad quem pertineat universa pro suo conventu redemptionis bona praefixa diligenter comparare, atque redditus annuos, legata, cessiones, res perditas, vulgo *monstrencos*, exigere, litesque de illis modeste et viriliter prosequi, ac cetera omnia persolvere circa praedicta bona, quae iure ad suum conventum pertineant.

IV. Procuratoribus autem generalibus et particularibus strictissime praecipimus, sub poenâ privationis suorum of-

ficiorum et vocis activae et passivae, ut, quandocumque in conventibus, ubi resident computa fiant, ipsi quoque compareant coram commendatore ac depositariis, quibus et de censibus comparatis, de statu litium, de perceptione legatorum et quorumcumque bonorum ad redemptionem et suum munus pertinentium rationem reddant. Similiter et universis commendatoribus ac depositariis super eisdem poenis praecipimus ut nullatenus suorum conventuum computa aggrediantur, nec rationem dati et accepti suscipiant, nisi peracta prius, quae ad redemptionem pertineant.

v. Ceterum, ut eleemosynae captivorum uberius in dies accrescant, eâdem distinctione universis conventuum praedicatoribus iniungimus, ut in omnibus oppidis, ecclesiis, in territorio et ditione sui conventus inclusis, praedicent redemptionem semel ad minus in anno, et tempore cuiusque loci fructibus opportuno. Postquam autem concionem habuerint, horâ competenti, cum loci ministris et aliis viris probatae auctoritatis (quos potius comitate quam iure privilegiorum cogi optamus), locum omnem circumeant et hostiatim eleemosynas exigant pro captivis, et si aliqua de venturis fructibus offerantur, in libro ad hoc destinato memoriâ tradant, congruenti ab ipsis tempore exigenda.

vi. Inter haec omnia diligenter caveant, ne aliquando se muneri praedicandi committant, nisi indulgentiarum bullis regumque privilegiis instructi, nec non licentiâ praelati Ordinis sigillo munitâ, ac etiam Dioecesani, quibus adiungent specialem procurationem ad colligenda si qua invenerint bona: reliqua instrumenta, quae videantur opportuna, deferant, ne ab ecclesiarum rectoribus vel quovis alio praedicare et eleemosynas colligere impediantur.

vii. Concionatores miserias, cruciatus, aerumnas fidelium captivorum apud barbaros, et praecipue abiurandae fidei discrimina, prudenter, flebiliter et devote populis exponant. Id tamen omnino caveant, ne quemquam verbo laedant, vel alienae, professionis fratribus detrahant, aut scandali apicem, sub poenâ gravis culpae, quomodolibet inferant, quo pacis vincula rumpant. Indulgentias Romanorum Pontificum Ordini non concessas publicare non audeant, sub poenâ excommunicationis maioris et gravissimae culpae, praeter alias a iure praefixas; veritatem in omnibus diligant et mendacium penitus abhorreant.

viii. Quapropter praelati huiusmodi praedicationis et collectionis munera nonnisi fratribus Deum timentibus et virtute praeditis imponant, qui omnia praedicta, ut desideramus, exerceant, et in exigendis eleemosynis, verbis, gestis et moribus se pios, sobrios et honestos exhibeant. Quibus insuper, sub formali obedientiâ et poenâ privationis muneris praedicandi et vocis activae et passivae, praecipimus ut nihil bonorum redemptionis, directe neque indirecte, colore, titulo vel praetextu aliquo tam vero quam falso, sibi quomodolibet applicent aut in alium finem etiamsi honestum et pium distrahant, nisi quae pro conductione necessaria visa fuerint.

ix. Ut ergo istud praedicationis munus ferventius exerceatur et nullâ negligentiâ tepescat, universis praedicatoribus redemptionis per totum Ordinem declaramus sibi non fore computandos ad gradum praesentaturae de pulpito obtinendum annos singulos, quibus, ut pie dicitur, non praedicaverint, aut collectam eleemosynarum quovis modo non fecerint.

x. Ditiones et territoria ad collectam eleemosynarum et exactionem omnium

generale a conventuali discretum, cui bonorum redemptionis in capitulo provinciali cuiuslibet provinciae designata nullus procurator, praedicator aut frater confundat vel praetereat, sed unusquisque in suis finibus laboret, ut collectiones cum distinctione et sine invidiae fomite fiant, ne meritum unius operarii ex alienâ messe ditescat.

XI. Sollicite studeant procuratores ut in singulis urbibus et earum parochiis, in villis, oppidis et castris totius ditionis suae constituantur syndici, vel quos fratres redemptionis appellamus, qui diebus festis petant eleemosynas, et eas fideliter custodiant; ad hoc autem eos sufficienti iuris auctoritate instruant per instrumentum publicum, et in eorum absentiâ omnia redemptionis bona, cum opus fuerit, exigere et praevenire valeant. In omnibus ecclesiis, diversoriis et locis publicis capsulas, vulgo *cepos,* affixas semper esse sollicitent, quibus fideles pietatis suae largitiones inferant.

XII. Caveant praelati ne huiusmodi eleemosynarum collectionem personis saecularibus sub quavis conventione committant, sed nostris dumtaxat fratribus, praefatis moribus et honestate conspicuis.

Caput III. De administratione et custodiâ bonorum redemptionis.

I. Non satis adhuc prudenter redemptionis eleemosynas huic saeculo aeternitatis intulimus, si eum a tineis negligentiae vel quavis humani cordis erugine non defendimus. Hoc igitur studio universis commendatoribus indispensabiliter, et sub poenis inferius infligendis statuimus, ut in quolibet conventu arcam specialem et diversam a deposito conventûs destinatam habeant, cui omnia redemptionis bona fideliter iniiciantur et secure consignata permaneant.

II. Sed ut de cunctis et singulis discreta ratio habeatur tres libros omnino diversos a praedictis commendatoribus confici et in eâdem arcâ servari praecipimus. Primus sit ubi expresse annotentur patronatus, possessiones, census, aliaque iura perpetua ad redemptionem pertinentia, cum relatione instrumentorum et nominibus eorum a quibus exigenda sunt; et temporis tractu mutantur. Secundus contineat pia legata, donationes, cessiones, credita pecuniarum, proventus fructuum ex procuratione et quaesturâ procedentium cum eleemosynis ubilibet minutatim collectis et quaecumque alia bona adventitia. Tertius sit quasi maior et index universalis aliorum, in quem referenda est omnis quomodolibet ratio dati et accepti, idest omnis pecuniae quocumque titulo adeptae et pariter quomodocumque consumptae.

III. Et non solum in praedicto deposito huiusmodi libros consignari praecipimus, sed etiam privilegia omnia apostolica et regia, cum universis pariter scripturis et instrumentis ad bona redemptionis et eorum accuratam administrationem et collectam pertinentibus, pro quibus, si ad lites aliquas extrahantur, substituatur schedula nomine procuratoris extrahentis et loci vel tribunalis cui praesentari contigerit inscripta.

IV. Huiusmodi depositum tribus sit clavibus obseratum, quarum unam habeat commendator, secundam procurator redemptionis et tertiam dignior depositarius. Illud utique nullatenus recludatur vel reseratum maneat, nisi semper iis tribus clavigeris unâ concurrentibus, et pariter attestantibus quidquid dati vel accepti praescribitur, reponitur aut extrahitur. Si quis autem contrarium fecerit, poenam privationis officiorum et utriusque vocis incurrat.

V. Similiter constituimus ut in quolibet conventu praecipuo et capite cuiuscumque provinciae aliud sit depositum

inferantur omnes pecuniae redemptionis totius provinciae et fideliter custodiantur. In illo pariter contineatur liber, in quo singulae pecuniarum missiones specialiter et distincte pro singulis conventibus memorentur, ut de eo quod quisque miserit et in redemptione laboraverit ratio habeatur in promptu; circa clausuram vero et reserationem ipsius serventur eaedem quae de reliquis superius ordinavimus, sub eisdem poenis privationis officiorum et vocis activae et passivae, itaut omnia redemptionis deposita tribus semper clavibus sint inviolabiliter obfirmata.

vi. In regionibus Peruanis apud Indias pecuniarum collectae depositi generalis cuiuslibet provinciae ad generale depositum provinciae Limensis deferantur, ut inde sub classe regiâ ad depositum generale conventus Hispalensis pro Castellae et Vandaliae provinciis secure mittantur. In Novâ vero Hispaniâ thesaurum depositi generalis provinciae Lautemalae ad depositum generale provinciae et conventus Messicani confluere providemus, ut inde utriusque depositi pecuniae ad praefatum Hispalense depositum adsportentur; ad quod etiam, utpote transvectioni commodius, quae in provinciâ Insularum S. Dominici colliguntur, recto tramite deducantur.

vii. Quocirca universis Indiarum vicariis generalibus et provincialibus iniungimus in id solertissime incumbere, ut praedicta redemptionis bona et suarum provinciarum collectae navibus bene instructis et validis ad praefatam Hispalim civitatem deveniant, et eiusdem urbis commendatori et procuratori generali redemptionis ac depositario digniori tradantur, qui profecto[1] adhibito aut authentico testimonio ea cuncta suscipient, generalique deposito inferent, ut suo tempore usibus redemptionis duntaxat integre deserviant.

viii. Ulterius ipsi commendatori et praedictis aliis duobus clavigeris eiusdem conventus enixe praecipimus, ut, post susceptam praefatam pecuniam, confestim sub testimonialibus litteris rem totam Ordinis magistro denuncient, et summas omnes allatae pecuniae fidelissime referant, necnon provincialibus Castellae et Vandaliae, ut eorum nemini nem thesauri fundum lateat, ex eoque redemptio suo tempore decernatur.

ix. Rursus etiam praesenti constitutione universis per totum Ordinem fratribus, cuiuslibet qualitatis aut conditionis extiterint, et tam praelatis quam subditis, distincte praecipimus sub poenâ excommunicationis maioris et privationis vocis activae et passivae in perpetuum, ut, si aliquid quomodocumque susceperint pro redemptione captivorum, intra terminum viginti quatuor horarum ad depositum deferant, et tribus eius clavigeris manifestent et tradant, qui pariter sub eisdem poenis confestim et sine morâ, quae praefatum terminum excedat, huiusmodi deposito simul inferent, et in libro ibidem incluso debitâ ratione conscribant.

x. Sub ipsis quoque poenis et ulterius virtute formalis obedientiae et privationis officiorum atque inabilitatis ad illa in perpetuum, universis etiam et eisdem ut superius fratribus praecipimus, ut praedicta redemptionis bona, undecumque obtenta et ubilibet custodita, in toto vel in parte, nullâ ratione vel praetextu vero vel falso ad alia etiam indigentiae aut cuiuscumque pietatis impendia transferant seu tranferri permittant, nisi ad usus ipsius effectivae redemptionis. Nec insuper, sub eisdem poenis, praetextu qualiscumque securitatis, a pignore interveniente, pecunias extrahant vel mu-

[1] An recte, iudicet lector scius (R. T.).

tent, neque cum bonis conventualibus permisceant, sed discretim cum fidelitate reponantur, et sint semper in proprio deposito, ut iam statutum est. Neque demum fructus redemptionis pie a fidelibus erogati cum fructibus conventibus[1] confundantur, sed seorsim pariter et cum distinctione serventur.

xi. De ipsis adhuc fructibus prohibemus, ne possint a conventualibus emi vel pretio quomodolibet comparari, nisi prius iuxta aequalitatem taxentur, et pecunia inde proveniens illico et sine morâ solvatur et proprio inferatur deposito. Quod si quis commendator secus egerit, vel quicumque alius tam praelatus quam visitator aut claviger depositi redemptionis quomodocumque fieri permiserit aut simulaverit, vel etiam quicumque frater haec sciens non denunciaverit, eisdem poenis superius in hac constitutione positis subiacebit; et quasi reus et fractor praedicti formalis praecepti puniatur.

xii. Si vero frater aliquis, quacumque conditione, dignitate, officio vel qualitate munitus, bona redemptionis quoad aliquid defraudasse convictus fuerit, non solum voce activâ et passivâ omnique officio et dignitate perpetuo maneat privatus, sed illum neque provincialis neque magister Ordinis valeat ad praedicta vel aliquod eorum restituere, neque a reatu vel poenis eripere, nisi definitorium generale dumtaxat unanime et conforme, ac nemine discrepante, fraude tamen solutâ et restitutis ablatis.

xiii. Quae omnia in hac constitutione praemissa sic ab omnibus praelatis per totum Ordinem observari praecipimus, ut, si aliquo modo contrarium fecerint, vel facientes, permittentes, scientesve et non denuntiantes in suâ noxâ vel culpâ toleraverint, et eos praefatis poenis emendare noluerint, ipsos praelatos eisdem praecepto et poenis innodatos esse decernimus.

xiv. Provincialibus vero sollicite super hoc invigilare praecipimus, atque ita diligenter cunctorum fratrum bona redemptionis tractantium fidem, zelum et munera perscrutari et sic acriter censurae huius labis intendere, ut ne apicem quidem de illâ convictis ignoscant; quinimo eos, sive commendatores, sive subditos, quos negligentes et huic nostrae tam salubri constitutioni adversantes invenerint, de facto privatione suorum officiorum atque utriusque vocis afficiant, aliisque poenis pro criminis magnitudine plectant.

xv. Insuper commendatoribus eodem zelo subiungimus ne animalia, quae ministerio redemptionis inserviunt, aliquâ conventus operâ quavis ratione distrahant, neque vendantur, neque permutentur, nisi prius licentiâ in scriptis a provinciali obtentâ.

xvi. Tandem vero ut apud iudicium capituli provincialis non lateat qua fidelitate bona redemptionis tractentur, qua securitate serventur praedicta, et quo fervore conventus omnes ac eorum super hoc ministri et collectores in aggregandis, excolendis et custodiendis eleemosynis elaborent, sub formali obedientiâ praecipimus commendatoribus universis ut deferant ad capitulum vel mittant unâ cum rationibus conventus aliam specialem et separatam authentice et a depositariis subscriptam quae sit transumptum ad litteram omnium contentorum in libro redemptionis quem maiorem diximus, a principio triennii usque ad finem, tam circa datum quam acceptum, cuiuscumque sit generis; commendatores autem domorum ubi extant deposita generalia, praeter specialem ra-

1 Vel *conventuum* vel *conventualibus* lege (R. T.).

tionem praedictam, sub eodem teneantur praecepto deferre ad ipsum capitulum aliam similem ad litteram ab eis pariter authentice deductam ex eodem libro maiori depositi generalis; ut, collatâ istâ in definitorio cum reliquis parcularibus, et perspectis omnibus eorum rationibus et computis, appareat qualiter inter se cohaereant et vel fides ac sollicitudo omnium redemptioni ministrantium cum laude probetur vel negligentia seu labes cum securitate puniatur.

Caput IV. De modo, opportunitate et conditionibus quibus est exequenda redemptio.

i. Etsi dilectio nesciat habere modum, eius tamen operi modum et formam imponimus, ne pereat aliquando dum imprudenter assumitur; sic enim quandoque potest iacturam pati redemptio, si ea per media bella, pyratas atque infida maria improvide Ordo suscipiat. Hinc ergo magister Ordinis primum cavere debet ut illa ab eiusmodi timoribus omnino tuta procedat ac secura, et ulterius ut infidelium regio seu tractus sit profecto salubris et nullâ contagione laborans, ne, dum captivos refovere pergimus, a morte vel furibus praecludatur charitatis intentio.

ii. His itaque bene matureque prospectis, quoniam etiam aliunde nolumus redemptiones aggredi sine sufficiente collectâ, idcirco praecipimus ne capitulum aut magister eas pro libito decernant, nisi cum facultates suppetant ad congruentem numerum, ne dum exiguos crebro peragimus sumptus et expensae saepius iteratae potius captivis noceant quam proficiant.

iii. Per hoc tamen non intendimus casum illum excludere quo ad qualemcumque redemptionem aliquando properare compellimur, dum novâ insolitâ et speciali acerbitate infidelium plures certo scimus in ingentibus versari periculis valdeque indigere redemptione et solatio. Quod quia non semel contigit, huic etiam necessitati desiderantes occurrere, magistro generali consulimus, ut, re mature inspectâ, eligat ubique quod sibi melius expedire videatur.

iv. Quandocumque autem firma decreto statuta fuerit redemptio, statim procuratores generales illius in regiis curiis residentes omnia instrumenta regalia quibus opus fuerit ad redemptionem instruendam rite sibi expediant et commeatum, vulgo *salvocondotto* nuncupatum, ab infidelium principe, in cuius ditione agenda est redemptio, confestim et diligenter obtinendum curent; quae omnia debitâ formâ suo tempore tradantur redemptoribus.

v. Sex ante mensibus, quam proficiscatur redemptio, fiat eius prima publicatio per procuratores generales appensis publicis tabellis impressis in omnibus civitatibus et oppidis praecipuis regnorum unde eadem sit mittenda redemptio.

vi. Subinde constituimus ut duobus mensibus ante redemptionis egressum in omnibus conventibus provinciae aut provinciarum a quibus expeditur fiat indeficienter a fratribus solemnis publicatio cum processione per civitatem aut locum, habitâ prius concione ad populum, in qua, sicut et in schedulis per loca publica affixis, publicentur indulgentiae nostris confratribus concessae ad dictam processionem et publicationem personaliter adsistentibus, pieque etiam referantur captivorum labores et aerumnae. Haec autem omnia ut mature tempore praedicto a commendatoribus compleantur, eos ita opportune de exitu redemptionis provinciales admoneant, ut publicatio fiat veluti praedicitur.

vii. Commendatoribus vero praecipimus, ut, tempore huius publicationis, et per totum diem aut dies, si opus fuerit, fratres aliquos designent, qui eleemo-

synas pro tam egregio charitatis opere a fidelibus instanter et opportune deposcant.

VIII. Infra tempus autem sex mensium praefatae publicationis enixe provincialibus constituimus in id solertissime incumbere, ut omnes eleemosynae, tam in depositis particularibus conventuum, quam apud locorum syndicos, vel ubique dispersae, inferantur depositis generalibus provinciarum, ne mora in illis colligendis serum et importunum reddat redemptionis egressum.

IX. Ceterum, ut opus, quod a charitate procedit, ab ipsâ etiam quae non aemulatur summo pietatis foedere et sine contentione fiat, firmiter stabilimus; ut in Hispaniâ redemptores[1] provinciarum Aragoniae et Valentiae, dum ad redemptionem proficiscuntur, ab ipso initio executionis muneris usque ad finem nullâ altera[2] alteri superioritate praecellat; sed fraternae societatis vinculo quavis[3] charitatis ministri nullam sibi quisque maiorem potestatem arrogare praesumat[4], quin potius cuncta redemptionis opera fraternâ aequalitate perficiant.

X. Redemptionem, quae in provinciis Castellae et Vandaliae simul hactenus fieri consueverunt, unionem aut consuetudinem non frangimus, imo de cetero eodem semper vinculo peragi constituimus, itaut eâdem fraternâ aequalitate et potestate, quam in praefatis redemptionibus ordinavimus, ipsi quoque redemptores Castellae et Vandaliae in omnibus suis actibus utantur, in iis videlicet quae ad redemptionem attinent.

Caput V. De redemptoribus et institutione illorum.

I. Fratres itaque, qui a definitorio provinciali intra capitulum, vel extra illud a magistro generali pro redemptione agendâ designantur, semper eligantur vitâ, aetate, scientiâ, moribus et discretione praediti, et quos non lateat cautela et zelus secundum scientiam, ne vel ab infidelibus possint quoad aliquid fraude vel dolo decipi, aut ab ipsis etiam captivis figmento periculi atque aerumnarum, nec alioquin quavis arte deludi.

II. Ex duobus redemptoribus cuiuslibet provinciae unus saltem eligatur semper gradu magisterii, vel praesentaturae de numero in sacrâ theologiâ insignitus, qui, vel eius socius (si fieri possit) iam de munere sit expertus, et redemptionis opus aliquando peregerit.

III. Fratres autem huiusmodi non per interpositas personas, nisi cum necesitas urgeat, statim[1] constituemus, sed per seipsos ab initio in finem redemptionem exerceant, quibus enixe subiungimus, ut pro viribus captivorum saluti provideant, debitaque illis officia charitatis impendant, non cessantes cum Apostolo nocte et die unumquemque monere cum lacrymis, et cum publice non liceat, ne redemptio patiatur iniuriam, eos cum eodem apostolo docere per domos et loca devia, ac nihil subtrahere utilium quominus annuntient eis in Deum poenitentiam et fidem in Dominum nostrum Iesum Christum, et qualiter illam cunctis laboribus, pressuris et vinculis praeferre debeant, et plusquam vitam diligere.

IV. In hoc redemptionis commercio sic fide redemptores se gerant in emptionibus et pactionibus cum fidelibus, ut illis nullam doli suspicionem ingerant, sed christianae religiosaeque fidelitatis testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt totâ sinceritate contendant. Eam autem misericordiam cum captivis exerceant, qua non omnes seu quoscumque liberare constituant, sed

1 Edit. Main. legit *redemptiones* (R. T.).
2 Cohaerenter lege *alter* (R. T.).
3 Nempe *qualenus* vel *veluti* (R. T.).
4 Legerem *praesumant* (R. T.).

1 Videtur legendum *ut statim* (R. T.).

postquam caute et prudenter redemerint necessarios, de cetero consulant charitatis ordinem, et, quantum fieri possit, eos eligant, quos plus fidei discrimen ac pressurae vexaverint; pueros et adolescentes feminas propter fragilitatem aetatis et sexus in libertatem quamcitius vindicare festinent, itaut semper maior fidei praeponatur utilitas; in reliquis regula et ordo aequitatis servetur.

v. Unde redemptoribus Castellae et Vandaliae provinciarum omnino praecipimus, ut, quia eleemosynae, quas offerunt, ex maiori parte sunt ex provinciis Indiarum, omnes earum indigenas quantum eis liceat redimere studeant. Quam regulam universis in genere redemptoribus ex debito aequitatis praescribimus, quod, redemptis prius illis qui in fidei discrimine versantur, eorum postea regnorum captivos impensis nitantur eripere, unde eleemosynae provenerunt.

vi. Quapropter etiam cavere debent ne pecunias, quas pro redemptione alicuius determinatae personae acceperint a parentibus, consanguineis vel amicis, in alterius libertatem expendant; quod si captivum illum, pro quo specialiter fuerant consignatae, quacumque causâ redimere non possint, eos integras omnino servent, ut suis largitoribus cum fidelitate reddantur.

vii. Ipsis ulterius praecipimus, sub poenâ privationis vocis activae et passivae in perpetuum, ne, titulo augendae redemptionis, eleemosynas, alioque quocumque salubriter atque honestissime excogitabili, eas per huiusmodi commercium ulli lucro vel augmento subiiciant, neque ab alio id quovis modo fieri permittant; sed totum redemptionis thesaurum pure et in propriâ specie pecuniae secum ad infideles deferant, nullasque merces ex eâ comparent, etiamsi apud illos carius venditae ingens redemptioni et captivis lucrum importent. Eisdem insuper prohibemus ne personas saeculares, titulo servitutis, necessitudinis aut alio quolibet, ultro secum transfretare sustineant.

viii. Verum si redemptoribus ad infidelium oras sit omnino interclusus aditus, tunc ipsis, ne se et captivorum bona in iacturam temere proiiciant, per interpositas personas redemptionem exercere liceat.

ix. Ut redemptores maiori fide, charitate et commodo omne suae villicationis munus adimpleant, sub dictis poenis illis praecipimus, ut singuli singulos libros habeant pro suâ quisque provinciâ vel regno, in quibus omnia, pro captivorum redemptione tam ab Ordine quam aliunde a saecularibus per modum eleemosynae, subsidii et adiutorii suscepta, fideliter, praescribant, dato prius tradentibus testimonio acceptae pecuniae. Quaecumque necessario expenderint, etiam in eosdem libros referant, ut, quandocumque opus fuerit, rationem dati et accepti reddere ubique valeant.

x. Insuper in praedictis libris memoratos esse volumus et statuimus omnes captivos, relatis propriis nominibus, eorum aetate, patriâ, tempore servitutis et redemptionis pretio; ad finem autem superaddi sancimus publicum instrumentum omnium eorum quae in totâ redemptione sunt gesta et fuerint notatu digniora. Quibus ita peractis, fratres remeatum instruant, et cum captivis revertantur ad propria, recepto prius a singulis iuramento fidelitatis, quod pacifice sibi eos ducentibus obedient, et quò voluerint sequentur per duos menses ex quo fidelium oris, ad quas diriguntur, appulerint. Ceterum interea omnia in viâ necessaria ministrentur eis piâ largitione et consilio.

xi. Iniungimus vero ipsis redempto-

ribus, sub poenâ praedictâ, ne superfluos sumptus, tam in se ipsis quam in aliis, et tam euntes quam redeuntes, de bonis redemptionis faciant, sed se gerant in omnibus sobrie, parce et humiliter, ut decet ministros Christi et dispensatores bonorum indigentium.

XII. In redemptionis munere exercendo caveant omnino ne instructiones regias, et quas magister generalis illis prudenter ingerat, aliquatenus praetereant, sed eis sollicite incumbant.

XIII. Peractis itaque redemptionibus, ipsis redemptoribus praecipimus ut in duobus immediate capitulis districtam sui muneris rationem reddant, ita nimirum, ut, si capitulum prius occurrens fuerit provinciale, illi et generali immediate postea gerendo semel et iterum rationem exhibeant, attamen si generale capitulum prius habeatur, huic eos primo subiicimus, et deinde specialiter provinciali proxime celebrando, ut iis a quibus est accepta pecunia iure reddatur ratio de expensis illius.

XIV. Quare definitoribus utriusque capituli, et illis omnibus, ad quos huiusmodi iudicium attineat, sub interminatione ultionis aeternae, praecipimus, ne illud leviter, sed toto aequitatis pondere assumant, libros eorum exactissime evolvant, foliorum notas et quantitates singulatim relegant, et iterum ad summas novo examine ducant, universam rationem dati et accepti, et qualiter sibi cohaereat, diligentissime discutiant, neque aliquid sine censurâ praetereant, aut sumptus quoslibet et impendia, nisi iusta et rationabilia, minime vero superflua admittant. Si autem eos quoad aliquid negligentes, aut noxam contraxisse fortasse reperiant, illos poenis nostrae consti. tionis et severâ ultione sine moderamine plectant. Interim tamen, donec primam rationem primo capitulo exhibeant, ut praedicitur, ad nullum promoveantur officium.

I. Cum nostri voti excellentia et dignitas, ut impleatur opportune et utiliter, nòn parvam prudentiam exigat, illud specialiter ordinare duximus, quo sit videlicet tempore et casibus exequendum; si enim aliquando contigerit, ut finito iam thesauro et totâ redemptionis stipe consumptâ, parumve sufficiente, captivus aut captivi aliqui emergant, cuiuscumque sexus, aetatis aut conditionis extiterint, de quo vel quibus prudenter et rationabiliter timeatur abnegatio fidei, tunc (exigente iam nostri Ordinis voto et vicibus instituti quo nos beatissima Virgo Maria Christi exemplo configuravit) unus frater pro illo seu illis alacriter se devoveat, et vinculo charitatis tradat, maneatque pro pignore detentus in potestate infidelium, signatis pretio et termino solutionis eius. Capit. VI. De opportunitate et formâ a redemptoribus servandâ in executione quarti voti.

II. In hoc autem charitatis facinore caveant prudentissime redemptores, ne aliquando leviter eo zelo aut aemulatione ducantur, quae non est secundum scientiam, ut ait Apostolus; cum enim non ad voti litteram, quae aliquando occidit, sed ad eius spiritum oporteat intendere, non ultro se debent pro quolibet captivo, aut quavis causâ tradere, nec pro alienae redemptionis debitis, aut pro aetate, sexu, vel qualitate personae pactionem et pignus statuere, sed pro solo fidei discrimine et redemptione animae, quae est totus finis et scopus charitatis huiusmodi, quia, etsi pie quoque corpora eximimus[1], ea[2] per hoc tendimus ne ferrum pertranseat animam, et vincula corporis fiant pariter mentis laqueus ad captivitatem aeternam.

III. Quando autem aliquis de redemptoribus sic vadimonium, pignus et sui

1 Forsan *eruimus* (R. T.).
2 Forsan *eò* (R. T.).

traditionem instituit, diligenter studeat ne unquam pacto seu conditione se obliget infidelibus ut ad ipsos deferatur captivus de sectâ et natione suâ apud christianos detentus.

IV. Sic ergo redemptione peractâ, licet unus redemptor maneat, non ideo moram alter faciat, sed quamprimum ad regressum se expediens, eam festinanter, non dolens sed gaudens de remansione socii, ad propria reducat, quibusdam prius eleemosynis captivis remanentibus plusque moerore et egestate laborantibus iuxta uniuscuiusque indigentiam distributis.

V. Redemptorem vero relictum apud barbaros nolumus esse desidem, sed operosum quasi apem in salute captivorum procurandâ et cunctis eorum necessitatibus sublevandis. Attendens enim ad petram unde fuit excisus, ob oculos semper habeat non se tantum mansisse obsidem propter redemptionem periclitantis, sed id saepius divinâ dispensatione contingere, ut captivis ex commercio infidelium non raro languentibus morum et fidei sit magister et medicus, ut cum Tobia tribuat illis monita salutis ad vitam, cum Ioseph autem erudiat ipsos vitae puritate et exemplo, et denique, secum Ezechielem conferens, quod perierit requirat, quod abiectum est reducat, quod confractum est alliget, quod infirmum consolidet, quod pingue et forte custodiat.

CAPUT VII. De formâ dimittendi redemptionem, et deprecatione pro illâ.

I. Cum iam tempus accesserit quod dimittenda est redemptio, omnes fratres cum palleis infra caputium congregentur, qui hinc inde per choros ordinati ducant praelatum cum redemptoribus ad ecclesiam, usque ad gradus supremi altaris, ubi in cornu evangelii parata erit sedes, quam occupans praelatus, et fratribus per choros adstantibus, vel sedentibus redemptoribus ante praelatum genuflexis, vel, si alioquin expedit, prope illum sedentibus, brevem sermonem, ut pondere gravem, et charitate fluentem, redemptionisque muneri peropportunum instituat, in quo scilicet voti et promissae fidei sapienter reddat memores, et quemadmodum salutem animarum supra se ipsos diligere oporteat, non timentes pericula vel pressuras, non formidantes sanguinem aut mortem acerbissimam, sed ad haec omnia perferenda debere esse paratos in obsequium fidei et suae professionis ac etiam charitatis intuitu.

II. His et aliis prudenter redemptoribus admonitis, priusquam benedictionem itinerantium praelatus tribuat, procedat ad faciendam pro eis deprecationem, ut illis Deus propitius adsit in executione sui muneris, supernâque ipsos virtute accingat, ad quod surgentibus fratribus chori stans praelatus inchoët antiphonam *Introibo in domum*, chorus autem addat psalmum:

Credidi propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, pro omnibus, quae retribuit mihi: calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo eius: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.

O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in cospectu omnis populi eius, in atriis domus Domini, in medio tui Ierusalem. *Gloria Patri, etc.*

Deinde repetatur antiphona *Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea quae distinxerunt labia mea.* Qua recitatâ, dicatur *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster,* etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem,
℟. In die malâ liberabit eum Dominus.
℣. Immola Deo sacrificium laudis,
℟. Et redde Altissimo vota tua.
℣. Propter miseriam inopum et gemitum pauperum,
℟. Nunc exurgam dicit Dominus.
℣. Respice de caelo, et vide, et visita vineam istam,
℟. Quam plantavit dextera tua.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Vota, quaesumus, Domine, supplicantis populi caelesti pietate prosequere, ut et quae agenda sunt videant, et ad implenda, quae viderint, convalescant.

Deus, qui per unigentum tuum aeternitatis nobis aditum devictâ morte reserasti, vota nostra, quae praeveniendo aspiras, etiam adiuvando prosequere.

Deus qui nos a saeculi vanitate conversos ad aeternae vocationis accendis amorem, pectoribus nostris purificandis illabere, et gratiam nobis, qua in te perseveremus infûnde, ut protectionis tuae muniti praesidiis, quae te donante promisimus, impleamus, et nostrae professionis executores effecti, ad ea, quae credentibus in te dignatus es promittere, pertingamus.

Deus, omnium sanctorum splendor mirabilis, qui Ordinem nostrum per beatissimam Virginem Mariam divinitus instituere dignatus es, quique sanctis tuis Petro Nolasco patri nostro, Raymundo Nonnato, ac beatis Petro Paschasio et Armengaudo inviolabilem in redimendis captivis dedisti charitatis effectum, praesta quaesumus, ut gressus nostri in eorum semitis perficiantur, et eiusdem charitatis donum, quod in illis continuo veneramur obsequio, nobis quoque spirituali largitate donetur. *Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Peractis huiusmodi precibus ulterius ad benedictionem itinerantium progrediendo incipiat ipse praelatus antiphonam: *In viam pacis*, et chorus persequitur cum cantico *Benedictus;* quo terminato per *Gloria Patri*, repetitur antiphona: *In viam pacis et prosperitatis dirigat vos omnipotens et misericors Dominus, et angelus Raphaël comitetur vobiscum in viâ, ut cum pace, salute et gaudio revertamini ad propria*

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos,
℟. Deus meus sperantes in te
℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto,
℟. Et de Sion tuere nos.
℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis,
℟. Et filius iniquitatis non opponat nocere eis.
℣. Benedictus Dominus die quotidie,
℟. Prosperum iter[1] faciat eis Deus salutarium nostrorum.
℣. Vias tuas, Domine, demonstra eis,
℟. Et semitas tuas edoce eos.
℣. Utinam dirigantur viae eorum,
℟. Ad custodiendas iustificationes tuas.
℣. Erunt prava in directa,
℟. Et aspera in vias planas.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Deus, qui Abraham puerum tuum de Ur Chaldeorum eductum per omnes suae peregrinationis vias illaesum custodisti, quaesumus, ut hos famulos custodire digneris: esto eis, Domine, in procinctu suffragium, in viâ solatium, in aestu umbraculum, in pluviâ et frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate praesidium, in lubrico baculus, in naufragio portus, ut,

1 Edit. Main. legit *inter* (R. T.).

te duce, quo tendunt prospere perveniant, et demum incolumes ad propria redeant.

Adesto, quaesumus, Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuae prosperitate dispone, ut inter omnes viae et vitae huius varietates tuo semper protegantur auxilio.

Deus, qui transtulisti patres nostros per mare rubrum et transvexisti eos per aquam nimiam laudem tui nominis decantantes; te suppliciter deprecamur ut in viâ et navi famulos tuos, repulsis adversitatibus, cursu tranquillo vel portu semper optabili tuearis. *Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

III. Finitis orationibus, redemptores surgant dicentes: *Procedamus in pace,* et chorus respondeat: *In nomine Domini, Amen.* Praelatus autem addat eis: *Et sit Deus in itinere vestro, et angelus eius comitetur vobiscum.* Quo dicto, suscipiat eos praelatus profunde parum inclinatos ad amplexum et osculum pacis, illis vale dicens; quod et similiter faciant omnes fratres: et postea deducant eos ad ianuam conventus vel ecclesiae unde viam incipiant.

IV. Sic itaque redemptoribus et toto redemptionis commeatu dimissis, singulis diebus sine intermissione usque ad regressum, in omnibus provinciae aut provinciarum conventibus cuius vel quarum nomine fit redemptio, instituenda et facienda est post missam conventualem huiusmodi deprecatio:

Antiphona *Aspice Domine;* deinde dicatur, psalmus XCVII:

Qui regis Israël intende; qui deducis velut ovem Ioseph.

Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin et Manasse.

Excita potentiam tuam et veni, ut salvos facias nos.

Deus converte nos et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui.

Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensurâ.

Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, et inimici nostri subsannaverunt nos.

Deus virtutum converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes et plantasti eam.

Dux itineris fuisti in conspectu eius; plantasti radices eius, et implevit terram.

Operuit montes umbra eius, et arbusta eius cedros Dei.

Extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines eius.

Ut quid destruxisti maceriam eius? Et vindemiant eam omnes, qui praetergrediuntur viam?

Exterminavit eam aper de silvâ, et singularis ferus depastus est eam.

Deus virtutum, convertere, respice de caelo, et vide et visita vineam istam.

Et perfice eam, quam plantavit dextera tua, et super filium hominis quem confirmasti tibi.

Incensa igni et suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt.

Fiat manus tua super virum dexterae tuae, et super filium hominis, quem confirmasti tibi.

Et non discedimus a te: vivificabis nos et nomen tuum invocabimus.

Domine Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam et salvi erimus. *Gloria Patri, etc.*

Quo finito repetitur antiphona:

Aspice Domine de Sede Sancta tuâ, et cogita de nobis: inclina, Deus meus, aurem tuam, et audi; aperi oculos tuos, et vide tribulationem nostram; qui regis Israël intende, qui deducis velut ovem Ioseph. *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Oremus pro fratribus nostris absentibus,

℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

℣. Misit Moyses servum suum,
℟. Aaron quem elegit ipsum.
℣. Ut audiret gemitus compeditorum,
℟. Ut solveret filios interremptorum.
℣. Pro afflictis et captivis:
℟. Libera eos, Deus Israël, ex omnibus tribulationibus suis.
℣. Egressus in salutem populi,
℟. In salutem cum Christo tuo.
℣. Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Deus, qui filios Israël per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te stellâ duce pandisti, tribue famulis tuis, quaesumus, iter prosperum, tempusque tranquillum, ut, angelo tuo sancto comitante, ad eum quo pergunt locum, ac demum ad aeternae salutis portum pervenire feliciter valeant.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et exaudi clementer, et[1] famulis tuis, quos dono gratiae constituisti tui operis ministros, da fiduciam tui operis exequendi, et in eorum ministerio, quod tuae pietatis est operari.

Deus, qui beatum Petrum apostolum a vinculis absolutum illaesum abire fecisti: famulorum tuorum in captivitate positorum vincula absolve, eosque ipsius meritis illaesos abire concede.

Da fidelibus tuis, quaesumus, Domine, in tuâ fide et servitute constantiam, ut in charitate tuâ firmati, nullis tentationibus ab eius integritate vellantur.

Protege, Domine, famulos tuos subsidiis pacis, et beatissimae Mariae semper Virginis patrociniis confidentes, a cunctis hostibus et periculis redde securos. *Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Caput VIII. De regressu redemptionis et quemadmodum sit ab Ordine suscipienda.

I. Redemptores itaque, absolutâ iam redemptione, ut praemittitur, et relictis infidelium oris, ita suaviter, prudenter et misericorditer cum captivis toto profectionis tempore se gerant, ut potius cum Christo dilectionis vinculis captivam ducere captivitatem, quam liberam censeantur. Ipsis autem in regionibus fidelium constitutis, ubicumque conventus Ordinis occurrat, si iuxta urbis vel loci praestantiam possit redemptio suscipi solemniter et cum processione et concione ad populum, nullo modo praetermittatur. Forma autem erit haec:

II. Conveniant fratres cum cappis ad ecclesiam, ibique processionaliter ordinati, et cruce cum acolythis praecedente, et sequente sacerdote cum pluviali albo et cruce parvâ in manibus, accedant ad ianuam ecclesiae; ubi, simul omnibus consistentibus, redemptores ingrediantur, et genuflexi ante sacerdotem adorent crucem de manu eius, et aquâ benedictâ aspergantur; et postea incipiat antiphonam: *Vivit Dominus;* cantores autem intonent psalmum CXXV, quem alternando chorus prosequatur.

In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus laetantes.

Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in austro.

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. *Gloria Patri, etc.*

Hoc finito repetatur antiphona:

Vivit Dominus quoniam custodivit vos angelus eius et hinc euntes, et ibi commorantes, et inde huc revertentes, et revocavit vos nobis gaudentes in victoriâ suâ, et in evasione et liberatione vestrâ.

1 Edit. Main. legit *ut* (N. T.).

Deinde dicitur *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos,

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Deduxit eos Dominus in viam rectam,

℟. Ut venirent in civitatem habitationis.

℣. Domine, exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Miserere, quaesumus, Domine, his famulis tuis, et quidquid in viâ eis subripuit visus vel auditus malae rei aut otiosi sermonis, totum ineffabili pietate deleas et abstergas.

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

III. Hac benedictione peractâ, incipiant cantores hymnum *Te Deum*, et revertantur omnes processionaliter ad altare maius, ubi sacerdos, depositâ super illud cruce et finito hymno, inchoët antiphonam sequentem, quam chorus prosequatur:

In mari viae tuae in aquis multis; deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysis et Aaron, transtulisti eos per mare rubrum et transvexisti eos per aquam nimiam.

Postea sacerdos adiiciat:

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu,

℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

℣. Qui sponte obtulistis de Israël animas vestras ad periculum,

℟. Benedicito Domino.

℣. Dicant qui redempti sunt a Domino,

℟. Quos redemit de manu inimici et de regionibus congregavit eos.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata,

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Deus, cuius misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas.

Excita, quaesumus, Domine, tuorum fidelium voluntates, ut divini operis fructum propensius exequentes, pietatis tuae maiora remedia percipiant

Omnipotens et misericors Deus, universa nobis adversantia propitiatus exclude, ut mente et corpore pariter expediti, quae tua sunt liberis mentibus exequamur.

Deus, qui per gloriosissimam filii tui matrem ad liberandos christifideles a potestate paganorum novâ Ecclesiam tuam prole amplificare dignatus es: praesta, quaesumus, ut quam pie veneramur tanti operis institutricem, eius pariter meritis et intercessione a peccatis omnibus et captivitate daemonis liberemur.

Deus, qui in tuae charitatis exemplum ad fidelium redemptionem S. Petrum Nolascum patrem nostrum Ecclesiam tuam novâ prole foecundare divinitus docuisti: ipsius nobis intercessione concede a peccati servituto solutis in caelesti patriâ perpetuâ libertate gaudere. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus,

℟. Amen.

℣. Et fidelium captivorum animae et omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace,

℟. Amen.

IV. Hisce conclusis, eodem vel alio die disponatur extra conventum processio solemnis, in qua captivi bini et bini

promiscue cum fratribus nostris ordinentur, et beatissimae Virginis Mariae de Mercede imago ab ipsis vel a nostris fratribus seu confratribus deferatur. In hac autem processione fratres cantare debent psalmos *In convertendo Dominum captivatem Sion, etc.*, et *In exitu Israël de Ægypto*, unum post alterum successive alternantes usque ad ingressum ecclesiae quo tendit processio; in cuius limine statim cantores incipiant hymnum: *Dei Mater Virgo*, prout in festo beatae Mariae de Mercede; quo finito cum propriis versu et oratione, si matutino tempore gerantur hi actus, celebretur missa solemnis et propria de eàdem B. Virgine Mariâ de Mercede, quae in proprio Ordinis extat, cum *Gloria* et *Credo,* tamquam pro re gravi, et cum secundâ oratione pro gratiarum actione, et post evangelium fiat concio ad populum.

v. Si autem vero iste habeatur post meridiem, praemissâ processione, solâ totum concione concludatur, in qua specialia, si qua fuerint, redemptionis gesta et captivorum pariter labores ac pressura, eorumque in fide pericula, maxime periculorum[1] et adolescentulorum, indulgentiae insuper concessae Ordinis confratribus qui huiusmodi et aliis redemptionis actibus adstiterint, expendantur.

vi. Finitâ missâ, aut concione, penes diversitatem temporis, ut praedicitur, si haec fuerint acta in alienâ ecclesiâ, revertatur processio eodem ordine, et hymni *Te Deum* modulatione, ad domum et ecclesiam nostram, et terminabitur cum versu et oratione de beatâ Virgine de Mercede; si autem in domo nostrâ contigerint, post missam eisdem hymno, versu et oratione concludatur.

vii. Post hanc vero solemnitatem in principali conventu provinciae celebratam, statim procurator generalis redemptionis exeuti curet catalogum per totam provinciam evulgandum, locisque publicis affigendum, in quo sint suo ordine descripta nomina et cognomina eorum omnium qui a captivitate liberati fuerint, unâ cum aetate, patriâ, tempore captivitatis, pretio libertatis, et subsidiis pro illis erogatis.

viii. Quibus omnibus expeditis, et captivis per dies aliquot omnibus charitatis operibus recreatis, eos omnes rosario et scapulario cum Ordinis signo muniri praecipimus, et unicuique iuxta posse viaticum dare aliquod, ut sic cum benedictione dimissi ad propria sine mendicitate valeant remeare cum gaudio. Sed quia loci distantia vel aegra valetudo eos quandoque possunt ad petendum eleemosynas cogere, singulis conferri volumus authenticum de ipsorum redemptione testimonium, unâ cum precibus ad iudices ordinarios et locorum ministros tam Ecclesiae quam saeculi, ut eos misericorditer suscipiant et dimittant, ne profugos aut vagos reputent.

ix. Redemptoribus[1] denique (qui sane praedicta omnia explere vel explenda sedulo curare debent) cum iam nihil supersit agendum, duobus mensibus excursis, barbas statim radere constituimus.

DISTINCTIO III.

*De votis et regularis observantiae disciplinis.*

Cum omnium Ordinum imago vel typus non solum fines, sed eorum etiam vota essentialia, accidentaliaque statuta referat, requiritur, ut, praestitutis nostri Ordinis finibus, de illius votis essentialibus et disciplinis disseramus.

Caput I. De voto obedientiae.

i. Qui pie volunt vivere in Christo, eiusque sectari vestigia, se ipsos abnegare debere docuit Evangelium. Hoc

1 Potius lege *puerulorum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *redemptionibus* (R. T.).

sane est iugum, quod suave et levissimum praedicamus. Hic est summus perfectionis vertex, quo dirigitur totae[1] vitae regularis intentio, et quo violenti iugi secum bello conscendunt, ut denique caelum rapiant. Proinde fratres nostri voto obedientiae se accingunt, ut ad perfectionis apicem tendentes, eo magis inveniant, quo magis bellum propriae voluntatis amittant.

II. Obedientia itaque est prompta voluntas adimplendi a superioribus imperata secundum legem divinam et ecclesiasticam, ac etiam quae continentur in regulâ et constitutionibus Ordinis, quibus semper aut latâ aut strictâ obedientiâ fratres redigantur, ut nihil sit quod sine obedientiae merito gerant. Haec enim ut praedictum votum sic Ordini eiusque regulis et praelatis subiicit, ut penitus sub lethali teneamur implere quidquid eius virtute praecipitur.

III. Praeceptum vero in regulâ et constitutionibus aut praelatorum verbis nullum intelligimus, nisi fuerit circa illa, ad quae iam aliunde tenemur ratione voti essentialis, vel divinae vel ecclesiasticae legis, vel nisi sub formali obedientiâ intimetur. Verba autem, quibus illud debent fratres concipere sunt frequenter huiusmodi: « Praecipimus in virtute formalis, aut sanctae obedientiae: in virtute Spiritus Sancti: sub poenâ excommunicationis maioris latae vel ferendae sententiae: sub interminatione divini iudicii: sub obtestatione mortis aeternae: sub maledictione, indignatione, aut irâ Dei incurrendâ »: et aliae similes comminationes et execrationes, quae suâ gravitate et tenore formale praeceptum et eius intentionem denotant: quibus tamen uti non debet praelatus, nisi materiae gravitas expostulaverit.

1 Vel *tota* vel *totius* lege (R. T.).

IV. Declaramus autem eam esse materiam gravem et praecepto formali dignam, quae directe, idest expresse, vel indirecte, idest implicite, seu etiam per se, vel ex fine, aut circumstantiis, conducit ad observantiam legis divinae aut ecclesiasticae et votorum essentialium Ordinis, ac etiam interdum regulae et constitutionum illius, ne videlicet vita regularis in communi dilabatur; cum eius observantia in communi sit de substantiâ religionis.

Caput II. De voto paupertatis.

I. Cum evangelica paupertas religiosis maxime sit necessaria, quam Deo voverunt, omnis proprietas religioso prorsus detestabilis esse debet. Quocirca nullus frater a verâ paupertate potest neque debet esse exemptus; unde sub excommunicationis maioris poenâ praesenti constitutione sancimus, ne quis fratrum professorum aliquid proprium habeat, neque pecunias, neque vasa aliqua aurea vel argentea, neque illa expendat, neque consumat, absque sui praelati licentiâ, neque rursus quidquam sine commendatoris veniâ vendat, neque emat.

II. Si quid vero ex huiusmodi bonis alicui fratri donatum fuerit ab amicis vel consanguineis, aut quibusvis aliis personis, quacumque ratione id receperit, intra spatium viginti quatuor horarum praelato proprio manifestet, ut in communi deposito custodiatur, et pariter intra dictas horas id absque licentiâ non sumat.

III. Praecipimus autem praelatis, sub poenâ privationis officii, ne a sibi subditis, ex his quae in communi deposito habent, quidquam, vel in minimâ quantitate, neque ad brevissimum tempus, sumant aut mutuo petant.

IV. Nullus religiosus possit habere annuos redditus seu census, nisi de licentiâ Sedis Apostolicae; quod si se-

cus fiat, ipsis statim privetur qui habuerit, et conventibus, quibus ex vi constitutionis pertinent, applicentur.

v. Neque superioribus liceat bona aliqua stabilia tamquam propria regularibus fratribus concedere, etiam ad usumfructum. Fratres tamen itinerantes, pecuniam portare poterunt, ita sane, ut, quamprimum ingressi fuerint proprium monasterium in quo sunt moraturi, intra praedictas horas omnia et singula commendatori suo vel praelato omnia et singula manifestent.

vi. Attendant autem fratres nostri, quod singulis annis semel omnia, quae in usu retinent, commendatoribus suis exponant et realiter exhibeant, eorum dispositioni relinquendo, et specialem licentiam utendi eis accipient a praelato.

vii. Procuratores poterunt suum habere marsupium, quatenus ad sumptus conventus fuerit necessarium. Quicumque vero frater seu procurator bona Ordinis quaecumque seu pecunias receperit, eorum omnium reddat suo commendatori atque conventui rationem. Magister autem generalis aut provincialis, omnium quae receperit, definitorio capituli pariter rationem sunt reddituri.

viii. Similiter vicarii generales Indiarum tenentur reddere rationem omnium quae in ministerio sui officii receperint: itaut nullus in Ordine nostro remaneat, quin eorum omnium, quae ipse receperit, computum et rationem reddat. Qui vero contrarium fecerit, aut contra seriem harum constitutionum proprietarius repertus fuerit, sciat se esse socium Iudae, et biennio activâ et passivâ voce privandum, et poenis proprietario ex iure taxatis subiacere. Et in eo casu liberam habeat commendator potestatem auferendi bona aut pecunias proprietarii, in quibus deliquit, eaque conventui applicare, seu fratribus indigentibus distribuere, ut bene praelato placuerit. Quod si quis (quod Deus avertat) proprietarius mortuus fuerit, sepulturâ careat ecclesiasticâ et extra coemeterium ad campos sepeliatur.

ix. Insuper in cellis fratrum nolumus praelatos admittere aliqua supellectilia serica, aurea, argentea, aut alioquin pretiose elaborata et contexta, non picturas, laminasve profanas, seu nobilibus seu deauratis limbis circumdatas, sed devota solum et quae mentem ad Deum erigant, non inficiant; nullum item pretiosum scrinium seu quod pro maiestate saeculi vanitatem sapiat. Neque plures iterum sellas, sed paucas et humiles. Nulla tandem ad genus utensilia quae vel artis elegantiâ vel nobilitate materiae regularem paupertatem et honestatem dedeceat.

x. Ne autem dilecta paupertas in fratrum cordibus excedat, pro inventario conficiendo praelatis subiungimus ut capitulum instituant, in quo eosdem ad omnem proprietatem ex mentibus relegandam et iuxta voti professionem solam paupertatem affectu et opere prosequendam graviter et religiose praeveniant. Ipsis vero fratribus sub formali praecepto obedientiae praecipimus, cuiuscumque conditionis, officii vel qualitatis extiterint, ut singulis annis sub feriâ quintâ maioris hebdomadae, aut festo S. Andreae, seu alio forsan die, secundum consuetudinem provinciarum, inventarium faciant de his omnibus quae apud se habeant concessa ad usum a religione vel praelatis: in quo clare, distincte et manifeste omnia recenseant et exponant de praesenti habita, vel ad eorum usum quomodolibet pertinentia, et quidquid circa illa tam ratione voti quam alicuius iustitiae vel debiti ne-

cessarium duxerint adnotare. Quae quidem ita declarari praecipimus, ut toto corde praelato subiicere curent, sicut in inventario et resignatione omnium ad usum concessorum factâ ob mortis intuitum, ut si illâ fratrem subito praeoccupari contingat, pie munitus paupertate decedat.

XI. Hoc itaque inventarium sic accurate factum subscribant fratres ipsi et obsignatum commendatori tribuant ut in communi deposito servetur. Ulterius etiam ordinamus ut fratres non tantum sua bona utensilia modo dicto signata (ob finem inferius exponendum) praelatis et religioni subiiciant, sed simul eis vere et realiter manifestent, a quibus et novam illis utendi facultatem accipiant.

XII. Neque ab his actibus excipimus fratres nostros ad episcopatum vel ad aliam quomodolibet dignitatem assumptos, quibus similiter constituimus, ut, priusquam Ordinem deserant, simile inventarium et resignationem faciant de omnibus quae ad usum receperint a praelatis et retinent in effectu. De quibus si praelati consentiant aliqua extra Ordinem eos deferre secum, fiat cum praeviâ declaratione, pactione et obligatione authenticâ quamprimum ea reddendi ipsi Ordini. Instrumentum vero huiusmodi pactionis apud conventum filiationis eorum maneat in deposito scripturarum, ut tempore opportuno virtute illius possit exigi quidquid ex praedictis non fuerit solutum. Nihilominus tamen si praedictam solutionem ad obitum usque distulerint, et illà ultra non expeditâ decesserint, ad bona spiritualia et suffragia pro illis Ordinem non teneri decernimus.

XIII. Non dissimilia fratribus aegrotantibus praecipimus, videlicet, ut, instante sumptione viatici, si non sit periculum in morâ, praefatum inventarium et abdicationem ab omnibus sibi ad usum concessis ante viaticum faciant adstante indeficienter confessario ab ipso de licentiâ praelati assignato; in hoc autem postremâ paupertatis alienatione ita se destituant universis bonis ad usum, et sic illa religioni subiiciant, ut veros se ostendant amatores inopiae, nihil sibi omnino retineant, nil silentio praetereant, Ordinemve latere praesumant; si quid debeant, vel ipsis debeatur, exponant; ne quid quoquomodo praetermittant, quod conscientiam redigat in angustias; summopere tandem caveant ne illos spes aliqua vitae decipiat, quominus omnia totâ sinceritate cordis adimpleant.

XIV. Finitum itaque inventarium cum confessario subscribant, quod deinde obseratum sigillatumque commendatori et depositariis tradatur, qui foris id pariter subscribentes ad commune depositum referant, ubi usque ad fratris obitum custodiatur; quo superveniente, non quidem clauculum, sed solemniter volumus aperiri a praelato coram depositariis et supradicto confessario, qui omnem reserationem eius in ipso inventario referant et subscribant, quo possit authentice constare de bonis usualibus defuncti, et debitis, si quae fuerint, ut de inventis apud illum cum aequitate solvantur, et residua iuste distribuantur eis, ad quos iure communi et nostrarum constitutionum sine dubio pertineant.

XV. Proinde igitur declaramus non posse infirmum fratrem ab invaletudinis initio de iis, quae ad usum habet, disponere in beneficium conventus, vel in manibus praelati etiam magistri generalis locare, nec in favorem Ordinis reponere, aut reservare, atque adeo multo minus alicui personae saeculari

committere aut concedere, sed omnia in inventario palam scribere et manifestare, ne iniuriam faciat partibus ad eius utensilia ius habentibus ex aequitate et iustitià vel ex nostrarum constitutionum dispositione; qui vero secus egerit, ex nunc proprietarium declaramus.

XVI. Ad hoc autem universis fratribus ab aegrotationis exordio usum bonorum omnium sibi a superioribus concessum interdicimus, nisi ad ea dumtaxat quae ad morbum sublevandum ipsis opus fuerint, ita videlicet, ut, si aliquid absolute vel sub conditione obitus alicui donaverint, aut valetudinis intuitu sibi reddendum tribuerint, similiter declaramus in proprietatem incidere: quocirca universis superioribus in virtute Spiritus Sancti et sanctae obedientiae praecipimus ne praedictis ad id licentiam indulgeant.

XVII. Procuratoribus denique cuiuscumque domus nostrae negotia gerentibus omnino praecipimus ne aliquando de redditibus et quibuscumque aliis bonis pro suo munere iam receptis quidquam penitus apud se retineant, sed quamprimum commendatori et depositariis manifestent ac tribuant ut deposito conventus inferatur, sub poenà gravioris culpae ad superioris arbitrium.

Caput III. De voto castitatis.

I. Sicut regularis vita paupertate et obedientià perficitur, ita castimoniae voto decoratur. Ut ergo discant fratres quantum eos votum castitatis adstringat, illud esse sciant novam quamdam obligationem, quam sibi quisque imponit ad omnem continentiam sub onere sacrilegii servandam, unde iam eis licebit agnoscere quantis vinculis post votum teneantur ad pudicitiam; quam si temerent, non eorum tantum frangitur Deo facta promissio, sed etiam lex divina et interdum humana; idcirco solertissime studeant ut mentis et corporis puritatem custodiant, qui in uno crimine tot reatus inveniunt.

II. Ut autem ab omni se diabolicà fraude tueantur, statuimus in primis et in Christi visceribus suademus ne ab eorum oculis et manibus decidant consilia sancti patris nostri Augustini quibus in regulà eos salubriter ad observantiam pudoris instituit. Quando enim in vià procedunt, simul eis ambulare praecipimus, et, cum pervenerint quo tendunt, simul inviolabiliter stare, ut alter alterum quem vereatur testem semper habentes suam invicem pudicitiam custodiant. In incessu et statione nihil gerant quod pudorem non sapiat aut eorum sanctitatem dedeceat. Oculos semper a saeculi vanitatibus avertant, et ita dimissos ferant, ut aliquando non incidant in obiecta feminarum, ubi laqueum inveniant, quas etsi videre non prohibeantur, eas tamen appetere vel ab ipsis appeti velle criminosum est. Non dicant vel existiment se habere animos pudicos, si habeant oculos impudicos et libere undequaque vagantes, quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius; eorum semper sint casta et pura alloquia, gestus non fracti nec soluti, aures non otiosis, non scurrilibus, non inhonestis intentae, sed sensus et omnes eorum actus ita compositi, ut interiorem animi puritatem redoleant; feminarum consuetudinem et familiaritatem maxime vitent, nec etiam inter piissimas nimis de se vel ipsis credendo sub pietatis colore versentur; quas proinde caventes nonnisi rarissime breviterque visitent, imo tantum cum sola urgeat necessitas, aliter enim non reputent non decere, nec sine magno discrimine admitti.

III. Nullus frater profana cantica,

nec impura poëmata, nec libellos de rebus amatoriis, vel qui petulantiam resonent, quacumque ratione componat, legat, cantet, neque apud se retineat, sub poenâ gravioris culpae; verbis etiam lubricis, aequivocis, aut vanissimis amasiorum fabellis nemo utatur, alioquin a praelato puniatur ex merito; feminarum insuper tripudia, ludos scenicos, aliaque festiva et inania saeculi spectacula velut Babylonis idola severissime vitari praecipimus.

Caput IV. De voto redemptionis.

I. Super tria praedicta vota essentialia, quae omnibus religionibus sunt communia, quartum sibi Ordo noster adhibuit circa redemptionem captivorum, vi cuius sic ad animarum lucra et libertatem spiritualem totam dirigit redemptionem sensibilem, ut, pro redimendis animabus a periculis abnegandae fidei et damnatione perpetuâ, omnes suos fratres vinculis, sanguini vel etiam morti subiiciat.

II. Sed quia haec Ordinis charitas plus indiget expositione quam legibus, idcirco ne lateat fratres quod qualeque sit huiusmodi votum, illud esse declaramus promissionem quamdam voluntariam et absolutam redimendi captivos a vinculis mentis et corporis, tam auro vel argento, quam sui traditione in pignus, si necesse fuerit, pro salute animarum et fidei abnegandae periculis.

III. Ex hac ergo declaratione primo intelligimus omnes fratres nostros ita redemptioni fidelium captivorum esse alligatos, ut non solum ad eam exequendam in effectu debeant esse perpetuo dispositi si ab Ordine mittantur, sed etiam ad colligendas eleemosynas, aut quaecumque alia gerenda (si ad id a praelatis eligantur), sine quibus redemptionis actus ad effectum duci non possit; qui enim fini se obligat, media pariter necessaria cogitur adimplere: sciant autem, ut in his debeant ex toto rigore praelatis obtemperare, haud istis necessum esse ut formali utantur praecepto, sed sufficit simplex et pura voluntatis expressio, cum in materiam incidat iam aliunde ratione huius quarti voti obligantem.

IV. Declaramus insuper hoc votum essentiale, quia nostrum Ordinem inseparabiliter in suâ specie et substantiâ constituit ex vi primaevae institutionis, quam sanctus patriarcha noster Petrus Nolascus voti obligationem continere voluit et expressit, a totoque Ordine sic intelligi, sicut ita perpetuo professi sunt patres nostri et opere compleverunt.

V. Nec putare debent illa verba *si necesse fuerit* voti absoluti rigorem evacuare, aut aliquam speciem voti conditionati constituere, quo aliquod illis praebeatur effugium. Per illa enim sicut absolute vovemus institutum redimendi, et omnes eius actus necessario suppositos ante sui traditionem in pignus, ita pariter absolute promittimus in obsequium fidei tradere nosmetipsos pro captivis in eius abnegandae periculo constitutis. Ad hoc quippe implendum nulla est interposita conditio, quam possit expectare votum, sed est protinus exequendum, ubicumque periclitatur fides, et nostrâ solum traditione redimitur. Unde fratres praedicta verba non ut conditionem accipiant, sed potius ut expressionem et declarationem, quod nempe votum Ordinis, praeter redemptionem absolutam captivorum, tendit ulterius etiam absolute ad eam perfectissimam charitatem, ut fratres nostri, per sui traditionem, fidem et animas redimant a necessitate et periculo, et hoc semper et ubique sine ullâ conditione proficiant[1].

1 Videtur legendum *perficiant* (R. T.).

vi. Ex naturâ huius voti iterum declaramus valde oportere fratres nostros esse iugiter obsequio fidei devictos, et se in eius actibus exercere, crebroque de illâ explicitam professionem facere, ut, cum casus adveniat quo tam heroice pro illâ se devovere, et usque ad mortem tradere oporteat, nullo moerore tepescant, sed se audacter et valide obiiciant. Inter fideles[1] insuper commorantes, dum pignoris tempus impletur, aut redemptioni incumbunt, si de fide postulati, vel etiam (ut saepius contingit) de ipsius abnegatione pulsati, seu pro illâ et munere suo carceribus et aerumnis afflicti fuerint, cogitare debent ad quam sortem illos Dominus vocare dignatus sit, ut suae dilectionis et fidei pugiles constitueret.

vii. Demum pro captivis, tam vivis quam defunctis, orare illis omni studio praecipimus, ut, quos auro et argento redimere non possunt, saltem orationibus eorum vincula satagant dissolvere, et in purgatorii cruciatibus adiuvare.

Caput V. De silentio.

i. Cum ad observantias vitae regularis properemus, quae legis divinae et votorum sunt antemurale et custodia, primo in silentio incidimus, quia iuxta Prophetam est revera custos iustitiae, et, ut ait B. Iacobus, ita per silentium religiosi efficimur, et qui non fraenaverit linguam suam, eius sit vana religio.

ii. Silentium ergo semper habeant fratres nostri in ecclesiâ, in choro, dormitorio, refectorio et claustro. Post completorium vero ubique libere[2] praecipimus a signo quod hyeme pro silentio fiet horâ octavâ, aestate autem horâ nonâ, quo etiam tempore a prandio usque ad vesperas silentium esse statuimus.

iii. Praedictis autem horis, facto cum cymbalo conventuali signo, universis fratribus iniungimus, ut confestim ad proprias cellas se recipiant, ubi altius et profundius non a verbis solum, sed ab aliis sensuum locutionibus et actibus se abstineant, et super illius diei gestis cum Deo et corde loquentes, examen conscientiae faciant de iis omnibus, quae negligenter et indebite perpetraverint, si quae vero invenerint deploranda veniam a Domino impetrent. Quibus actis, et non aliter, audeant se recipere in requiem.

iv. Si fratri in refectorio res aliqua opus fuerit, eam signo, seu brevi, et submissâ voce postulet, ne lectoris verbum, nec pabulum mentis impediat: infirmi et decumbentes vel hospites in hospitio non adstringuntur silentio, illius tamen temporibus ita inter se sint remissa et moderata colloquia, ut nullo strepitu silentibus officiant.

v. Fratres itinerantes in mensâ silentium teneant, vel saltem vitent tumultuosa colloquia; ille vero qui maior aut dignior in ordine fuerit, poterit loqui, si libeat, et ceteris praestare licentiam extra refectorium. Cum episcopis autem et magnatibus aliquando convivantes silentium reverenter et religiose custodiant, quod quidem rumpere non audeant cum sibi per eosdem non liceat. Magister, aut eius locumtenens, cunctis fratribus secum prandentibus, provincialis, eius vicarius, vel visitator duobus tantum, et uni denique commendator poterunt indulgere silentium. Fratres in confessione culparum de fractione silentii se humiliter accusent, et iuxta meritum puniantur commendatorum arbitrio.

Caput VI. De disciplinis.

i. Ut antiqua vitae regularis observantia non excidat, quam hactenus Ordo sustinuit, firmiter stabilimus ut in vigiliis quae ieiunantur, et per totum Adventum et Quadragesimam, in Quatuorque Temporibus, si fiat officium de feriâ,

1 Videtur legendum *infideles* (R. T.).
2 Vel lege *vigere* vel *tacere* aut simile (R. T.).

fratres nostri disciplinas virgarum recipiant. Modus vero in illis servandus hic erit: finito completorio, et recitatis *Pater noster* et *Ave Maria*, et *Credo*, praeparent se omnes fratres, sicut moris est, ad suscipiendam disciplinam, detectis scilicet humero vel scapulis; quo facto dicant *Confiteor Deo*, praelatusque, aut eius vicarius, vel, illis absentibus, hebdomadarius stans in medio dicat *Misereatur vestri*, etc. Deinde incipiat psalmum *Miserere mei* tenendo manipulum virgarum in manu, quo dorsum fratrum verberare incipiat, et sic prosequetur usque ad *Gloria Patri*, eos percutiendo in singulis versibus alterne a choro et ipso recitandis: finito psalmo subiungatur ab omnibus *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, *Kyrie eleison*, et praelatus dicat *Pater noster;* quo tacite recitato, adiiciat:

℣. Et ne nos inducas in tententionem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos, Domine,
℟. Deus meus, sperantes in te.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

II. Dum autem psalmus, versus et oratio recitantur, circumeat praelatus, vel vicarius eius, aut hebdomadarius, ordines fratrum utriusque chori, incipiendo a parte superiori quae est in dextero, et prosequendo ab inferiori parte sinistri, donec psalmus cum versibus et oratione finiantur; si autem adeo magnus sit fratrum numerus, ut unus se cito expedire nequeat, vicarius, vel alter ex antiquioribus, incipiat a superiori parte chori sinistri donec fratrum ordines semel tantum uterque decurrat.

III. Hanc utique antiquam et regularem Ordinis observantiam sic inviolabiliter praefatis diebus exerceri desideramus, ut praelatum eam praetermittentem, aut ferentem praetermitti, dignissime reddamus ab officio suspensum per sex menses. Praeter has virgarum disciplinas a praelatis infligendas, alias a se ipsis recipere volumus fratres nostros, ut etiam se ipsos viriliter castigationibus emendent.

IV. Singulis itaque sextis feriis totius anni, atque etiam quartis tempore Adventus et Quadragesimae, peracto completorio, si adhuc dies superest, paulisper spectatâ nocte, omnes fratres conveniant in ecclesiâ vel choro, et ibi communem exerceant disciplinam; recitantibus interea praelato, vel eius vicario, et conventu alternatim praedictum psalmum semel et iterum, vel secundum domorum consuetudinem, cum versibus et oratione praefixis ab ipso praelato dicendis; alias autem disciplinas, quibus ultro et privatim fratres afficiuntur, si prudenter et cum discretione fiant, non solum laudabiles reputamus, verum et salubriter suademus.

Caput VII. De ieiuniis.

I. Sane per medium corporis alitur vita mentis, quam pinguiorem facimus, quo plus squallore languescimus. Ne ergo fratres nostri a sobrietate deficiant, sic eos in ratione victus instituimus. Primo enim a Pascha usque ad primam feriam secundam exclusive quae diem Omnium Sanctorum immediate subsequitur, et a die Natalis Domini usque ad dominicam Quinquagesimae inclusive, bis eos refici constituimus, exceptis tamen diebus Rogationum, sextis feriis, vigiliâ Pentecostes, ieiuniis Quatuor Temporum, et iis quae ab Ecclesiâ vel Ordine nostro fuerint instituta, vel in dioecesibus aut locis intra praefata tempora observentur.

II. A feriâ vero secundâ inclusive, quae diei primae novembris et festo Omnium Sanctorum proxima succedit, usque ad Natalem Domini exclusive, et pariter a feriâ secundâ Quinquagesimae inclusive usque ad Pascha Resurrectionis Domini exclusive, continuum teneant ieiunium, et, servatâ consuetudine Ecclesiae comedendi post vesperas in Quadragesimâ, reliquis diebus prandeant nonâ dictâ, exceptis tamen in utroque tempore diebus dominicis.

III. Praeter haec autem ieiunia aliaque per annum quae sunt de praecepto Ecclesiae, ieiunandum est etiam in diebus Rogationum, et omnibus sextis feriis, exceptâ illâ in qua festum Natalis Domini inciderit; insuper et in vigiliis omnium festorum beatissimae Virginis Mariae, tam Ordinis quam Ecclesiae, in vigiliâ quoque sancti patris nostri Petri Nolasco, ac denique diebus illis, quibus, consuetudine aliquâ vel constitutione locorum aut dioecesum, fuerint indicta ieiunia.

IV. Quoad qualitatem victus, in omnibus ieiuniis observantiam sic enixe disponimus. Primo enim in Quadragesimâ fratres nostri a lacticiniis aliisque cibis in eâ prohibitis abstineant. Circa alia vero ieiunia firmiter stabilimus, ut in omnibus per annum ab Ecclesiâ constitutis, vel in dioecesibus aut locis lege aliquâ vel consuetudine firmatis, in feriâ secundâ et tertiâ Quinquagesimae, unde incipit Quadragesima nostra, et per totum etiam Adventum Ordinis, atque omnibus sextis feriis per annum, quadragesimali cibo reficiantur, praeterquam tempore paschali, vel ubi pisces commode haberi non possint. Quam tamen exceptionem ad eas provincias, regiones et loca non extendimus, ubi apud saeculum aliquae de praedictis ieiuniis sub cibo quagragesimali lege vel consuetudine serventur.

V. Fratres tamen itinerantes omnia ieiunia de praecepto Ecclesiae, aut aliter speciali lege vel consuetudine obligantia, quantum sit possibile, semper observare praecipimus, nec victum quadragesimalem dimittere. In reliquis autem diebus ieiunii, praeterquam in Adventu Ordinis, bis eos refici sustinemus, modo alimentum quadragesimale non deserant.

VI. Quando dies sancti patris nostri Petri Nolasci aut aliud praecipuum festum in feriam sextam inciderit, praelatum in ieiuniis dispensare posse concedimus, sicuti et cum debilibus, vel quovis alio labore aut litterarum studio occupatis.

VII. Mortificationes publicas et voluntarias a fratribus in refectorio fieri, modo sint prudenter et cum benedictione praelati, permittimus et laudamus. Denique feriâ sextâ maioris hebdomadae in pane et aquâ semper inviolabiliter ieiunabitur.

I. Tempore vel die ieiunii horâ congruâ ad collationem cymbalo conventuali a vicario pulsetur; congregatis autem fratribus, refectorarius campanellâ refectorii signum faciat ut intrent. Quibus ingressis, lector dicat: *Benedicite*, et hebdomadarius benedicat dicens: *Largitor omnium bonorum benedicat potum servorum suorum;* conventus vero respondeat *Amen*. Dum lector legit, poterunt fratres bibere, et finitâ lectione, signo vicarii, praelati aut praesidentis, dicat ipse praelatus aut vicarius, vel, eorum absentiâ, hebdomadarius ad quem ex officio pertinet: *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, et conventus respondeat: *Qui fecit caelum et terram*, ac deinde omnes pariter egrediantur. Qui sero ad hanc observantiam veniens introire velit, nullam spectet praelati aut praesidentis licentiam. Caput VIII. De collatione.

II. Si vero aliquis collationi non in-

terfuerit, nec biberit cum communitate et cum benedictione et veniâ superioris, posteaque bibere voluerit, postulet a maiori licentiam et collationem seu observantiam in eâ bibendi cum benedictione compleat et merito.

Caput IX. De cibo.

I. Horâ competenti ante prandium vel coenam pulsetur a vicario ad primum signum conventuale cymbalum, quo audito conveniant omnes fratres ad vestibulum refectorii seu locum qui dicitur *De profundis* suas undequaque sedes habentem, ubi, si lavacrum extiterit, debito ordine manus abluant, ac denique sedeant expectantes cum omni modestiâ et silentio secundum signum minime dandum nisi cibus fuerit paratus; illo autem facto, surgant omnes, et praelato, aut eo qui praeest, psalmum *De profundis* incipiente, illum alternis versibus pro benefactoribus defunctis prosequantur; quo finito refectorii nolam, in signum ingressus, refectorarius pulset, cum vero iam intraverint, praelatus signum faciat, atque hebdomadarius benedictionem inchoët dicens *Benedicite*, et conventus respondeat *Benedicite*, et prosequantur benedictionem iuxta ritum et formam Ecclesiae.

II. Nemo fratrum in conventu existentium, praeter servitores, lectorem, domusque custodes, in primâ mensâ deficiant, nisi prius obtentâ licentiâ. Quotquot autem remanserint, comedant in secundâ, itaut tertiam facere non liceat. Inceptâ primâ mensâ, nullus refectorium ingrediatur absque licentiâ praelati, aut qui eius loco praesideat; non ministretur cibus maioribus aut ministris, qui non apponatur conventui, nisi valetudinarii sint quibus aliqua ciborum et condimenti diversitas permittitur, vel quibus aliàs harum constitutionum iure fuerit indultum; frater non mittat cibum ad fratrem, excepto praelato, aut de licentiâ et permissione illius; ceterum sibi data ex utroque latere assidenti poterit impartiri.

III. Commendatores conventuum semper in refectorio comedant, et reficiantur de communi cibo conventui praeparato. Refectorio etiam infirmariae atque hospitum receptores intersint, nisi assistentia infirmorum aut hospitum eos extra illud comedere cogat, vel aliunde praelatus ex aliâ simili causâ rationabiliter dispensaverit.

IV. Nunquam incipiant comedere fratres in refectorio nisi praevio signo praelati, neque surgant a mensâ donec prandium vel coena finiatur, paríterque fiat signum ab ipso. Quod si praelatus aut eius vicarius non adfuerit, dignior ex parte hebdomadae sacerdos signum faciat. Si ante finem commestionis fratrem aliquem urgeat necessitas egrediendi, non id nisi adeptâ licentiâ superioris dictive praesidis exequatur.

V. Dum fratres comedunt, semper unus lector aliquo spirituali et frugi pabulo mentes eorum reficiat, ne solae fames[1] sumant cibum, sed et aures esuriant verbum Dei. Quid autem legendum sit, praelatus aut consuetudo decernat; regula tamen sancti patris nostri Augustini omnibus sextis feriis indeficienter legatur. In omnibus vero lectionibus ita sit lector assiduus et in pausis[2] frequens, ut neque eas nimiâ festinatione interiiciat, neque longo silentio protrahat, sed quantum sufficiat, et paululum quiescat alitus. Conclusâ refectione, ad praelati signum dicat lector *Tu autem, Domine, miserere nobis*, et fratres respondeant *Deo gratias*, et ad cymbali pulsationem singuli surgant a mensâ. Hebdomadarius autem, sibi

1 Forsan *fauces* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *paucis* pro *pausis* (R. T.).

iterum dato signo a praelato, incipiat gratiarum actiones, quas prosequatur conventus iuxta eumdem Ecclesiae ritum.

vi. Temporibus quibus fratres bis reficiuntur, carnibus utantur, diebus scilicet dominicis, tertiis et quintis feriis. In sextis vero, piscibus et cibo quadragesimali vescantur, cum exceptionibus tamen superius declaratis, et licet iam in sabbatis ex praecepto Ecclesiae a carnibus abstineamus; quia tamen in quibusdam provinciis et regionibus aliquam piam super hoc vel omnino contrariam consuetudinem novimus, idcirco propter honorem beatissimae Virginis Mariae matris et fundatricis nostrae, in dictis regionibus, provinciis et locis fratribus nostris absolute praecipimus ut in die sabbati penitus ab omni esu carnium abstineant; aliis denique diebus, scilicet feriâ secundâ et quartâ, pariter a carnibus temperent, iuxta usum et consuetudinem nostrarum provinciarum in Ordine.

vii. Nulli fratri, ubi conventum habuerimus, liceat extra illum comedere, nisi de licentiâ praelati, quam raro concedi volumus. Tempore ieiunii duae portiones ministrentur fratribus iuxta qualitatem temporis et ieiunii, quibus insuper apponatur obsonium ex leguminibus, oleribus, aut victu eiusmodi confectum. Patimur subinde praelatum eis quidquam aliud adhibere, prout opus esse iudicaverit, domùsque facultas permiserit; cui item praecipimus, ut in die[1] Natalis Domini tribusque sequentibus, in festo Epiphaniae, ac triduo Pascatis et Pentecostes, atque etiam in sancti patris nostri Nolasci et beatae Virginis Mariae de Mercede solemnibus, in huiusmodi celebritatum honorem, portionem duplicem ultra solitam universis fratribus clargiatur, praemittens aliquod edulii genus quo mensam incipiant, et postremo superaddens pulmentum quo illam finiant. Haec autem cibariorum ratio (uno praedictorum tantummodo ferculorum adempto) in solemnitatibus etiam Circumcisionis, Corporis Christi, Assumptionis et Conceptionis beatae Mariae Virginis, triumque nostri Ordinis sanctorum Raymundi Nonnati, Petri Paschasii et Armengaudi ab ipso omnino servetur.

viii. Nec solis fratribus hanc praefatis diebus humanitatem fieri desideramus, sed et pauperibus ad domus nostras accedentibus, quibus non tantum diebus singulis eleemosynam, frangendo panem esurientibus cum Propheta, verum etiam in celebritatibus istis largiorem charitatis alimoniam erogari praecipimus.

ix. Si commendatores seu praelati conventuum a refectorio frequenter abfuerint, vel fratrum quempiam, sive praesentatum, sive magistrum, crebro abesse permiserint, officio et commendâ priventur.

Caput X. De vestitu.

i. Fratres nostri vestes laneas et omnino albas semper et ubique ferant in honorem puritatis beatissimae et immaculatae Virginis Mariae matris nostrae, ac signum interni candoris animi quem in moribus profiteri tenemur; non lineis, sed laneâ tunicâ utantur ad carnes, nisi in valetudinis gratiâ praelatus dispensaverit; reliqua vero interiora indumenta, dummodo etiam sint semper et omnino alba, poterunt esse linea, lanea, seu pellicia, quibus superindui posse concedimus tunicam laneam usque ad genua honestatis causâ demissam.

ii. Superior tunica sit rotunda, et nullatenus pro parte anteriori aperta, et ita longa ut fluat circa plantas pe-

[1] Edit. Main. legit *dies* (R. T.).

dum; scapularium tantisper sit brevius cappâ tunicae aequalis; caputium ita breve omnibus esse praecipimus ut pro parte anteriori medium pectoris parumper aut pene nihil excedat, et cuspis eius a posteriori vix a cintorio transeat, pars vero, quae caput operit, ita praedictae sit magnitudini congrua, ut facile capiti vel humeris semper composita adhaereat, nec supra dorsum et scapulas hinc inde prae magnitudine decidat.

III. Frater autem, qui profanis quomodolibet indumentis utatur, et tam interius quam exterius non omnino albis, aut in materiâ, formâ vel arte saeculum redolentibus, seu praedictae constitutioni adversantibus, reclusioni sex mensium et poenae gravioris culpae subiaceat.

IV. Omnes fratres nostri extra domum scuto vel stemmate Ordinis in cappâ seu scapulario, sub poenâ gravis culpae, semper insigniti procedant: tunicam exteriorem subter scapularium praecingant zonâ nigrâ ex coiro, quam nunquam mutent in laneam, lineam vel olivatam, nec arte aliquâ curiosam, sed sit simplex, et ita longa, ut iuxta scapularii mensuram pendeat.

V. Chirothecas et ocreas omni tempore etiam viatoribus interdicimus; lacernâ, modo sit penitus alba, ad iniuriam frigoris et pluviae propulsandam equitantibus se munire permittimus. Ad operiendum caput etiam itinerantes semper utantur galero nigro et honesto; et aliud quodcumque saeculare operimentum, quamvis et album, maxime vitent.

VI. Commendatoribus insuper enixe praecipimus ut omnibus suis fratribus tam interius quam exterius necessaria indumenta suppeditent. Qui autem ab aliquo postulatus concedere recusavit, puniendus veniat in capitulo provinciali ad arbitrium definitorii et magistri. Ipsis tamen et universis praelatis localibus specialiter praecipimus, sub poenâ privationis vocis activae et passivae in capitulo, quamvis sint praesentati aut magistri, ut[1] in suo triennio habitum novum et integrum universis suis conferant fratribus professis tam presbyteris quam clericis et laicis absque ullo discrimine, neque eos veteri aliquâ ratione destituant, de quo testimonium authenticum sibi a conventu exhibitum deferant inviolabiliter ad capitulum, quo eos hanc constitutionem complevisse probetur. Quibus denique similiter iniungimus, ut nihil indumenti sibi parare audeant ex bonis conventus, nisi illud etiam communiter fratribus dispensaverint, sub poenâ privationis officiorum et vocis activae et passivae

Caput XI. De lectis.

I. Ne in lectulis aut stratis praeter naturae debitum studeamus refoveri deliciis, universis fratribus constituimus ut nunquam nudi dormiant, sed tunicâ, caligis, ac zonâ praecincti, neque in dormitorii cellis et ubilibet intra claustra cum duobus linteaminibus iaceant, sed uno contenti sint, cum illud habere valuerint; qui autem in praedictis cellis duo postulaverit aut habere praesumpserit, uno die in pane et aquâ ieiunet.

II. Singuli fratres singulas habeant cellas in dormitorio, et quilibet eorum in proprio lectulo singulariter cubet, sub poenâ gravioris culpae minime a praelato relaxandae. Tegumentis laneis desuper utantur, et super cultras foeno vel paleis et ad summum lanâ refectas, aut super alia viliora et asperiora stramina recumbant; ceterum extra monasterium iacere poterunt, sicut eis fuerit stratum, ne gravamen inferant hospitibus.

1 Edit. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

III. Nemo, excepto magistro Ordinis, habeat specialem locum ubi iaceat separatum a cellulis dormitorii, nisi propter rerum custodiam, ut sunt commendatores et sacristae, quibus extra dormitoria conventus eorumque cellarum ordines in aliâ peculiari eo tantum fine pernoctare concedimus. Huiusmodi vero custodes secum habeant honestos fratres ad custodienda praedicta; hospitalibus[1] autem secundum iudicium commendatoris provideatur. Praesenti denique constitutione firmiter prohibemus, sub poenâ gravioris culpae minime relaxandae, ne frater aliquis, ubi conventum habuerimus, extra illum pernoctare audeat quavis ratione vel causâ.

Caput XII. De rasura.

I. Fratres rasuram et tonsuram capitis in eudine, non nitorem, aut cultum, quin potius abiectionem et quasi decus reputent. Hinc ergo universis expedit ut eam sibi modeste adhibeant non ad placitum oculi, sed ad contemptus et humilitatis arbitrium. Rasura itaque sit desuper non modica, neque in omnibus corona aequalis, sed, iuxta magnitudinem capitis, sic rasa per circuitum, ut inter ipsam auriumque summitatem tres tantum digitos capilli defluant. Barbae etiam ita abradantur, ut nihil faciei neque mento promineat.

II. A Pascha usque ad festum Omnium Sanctorum habeatur rasura quintadecimâ quaque die; alio vero tempore semel tribus hebdomadis; aut iuxta consuetudines provinciarum, ita tamen ut propter festa solemnia per dies aliquot eam differri vel praeveniri liceat. Ad illam autem ita omnes fratres indispensabiliter suo ordine accedant, ut nemo tonsorem a communi rasurâ, ut in cellâ radatur, distrahere possit.

Caput XIII. De infirmis.

I. Nulla sane salubrior regularibus disciplina, quam manus Domini, cum ab ipso tangimur et corripimur. Haec autem, licet de his non sit quae ultro eliguntur aut praecipiuntur ab Ordine, libenter tamen excipiatur a fratribus, ut, castigationes huiusmodi in omni patientiâ et longanimitate sustinentes, fructum inde cum gaudio reportent et possideant. Praelatis vero ante omnia districte praecipimus ut infirmis fratribus opportunâ ac debitâ sacramentorum collatione provideant, summo studio operâque nitentes, ut, quam primum in languorem inciderint, vel intra unius ad summum, sive duplicis diei spatium, poenitentiae susceptione ad secundam post naufragium tabulam confugiant; in gravi deinde vitae discrimine constituti, adhibito (si non sit morae periculum) medici consilio, sacram Viatici refectionem percipiant; ac denique instante mortis articulo, priusquam sensibus destituantur, salutifero Extremae Unctionis praesidio muniri contendant.

II. Cunctis fratribus in Domino commendamus ut debita infirmis officia charitatis exhibeant, et maxime commendatores, quibus ita specialiter incumbit infirmos recreare, ut citius convalescant iuxta regulam sancti patris nostri Augustini; unde, sub poenâ privationis officii vocisque activae et passivae, eisdem praecipimus, ne quovis titulo vel praetextu necessaria tam ad victum quam medicamentum atque honestum etiam lectulum fratribus denegare audeant.

III. In domibus nostris sit infirmaria vel locus specialiter deputatus, ubi iaceant et comedant fratres aegrotantes et debiles; huic autem praefici debet unus frater presbyter charitate et prudentiâ sollicitus, quem obedienter in omnibus adiuvet alius frater laicus aut clericus: si vero infirmaria non fuerit, atque infirmus in propriis cellis decum-

1 Forsan *hospitibus* (R. T.).

bere oporteat, nihilominus commendator sub eisdem poenis eumdem fratrem presbyterum et socium similiter ad aegrotantium curam semper et ubique designet; ex quibus ille maior, hic minor infirmarius sit et dicatur, omniaque infirmorum obsequia simul respective perficiant. Ceterum, ut impensius aegris fratribus inservire valeant, et in nullo ministerio ipsis deficere, sub inflictis poenis commendatoribus praecipimus, ne, dum aegrotis actu ministraverint, ratione aliquâ illos impediant, seu quocumque conventus munere distrahant.

IV. Insuper, ut praedicitur, infirmarius maior, post ea quae opus fuerint aegrotantibus custodire ac de illis suo tempore providere, locum specialem habeant[1], ubi universa utensilia et alia quaecumque pro eorum curâ et recreatione reposita sint; cuius quidem loci duae sint claves, quarum unam habeat commendator, alteram vero praefatus infirmarius maior.

V. Sed ne ibidem custodita dispereant, commendatori praecipimus, sub poenâ privationis vocis activae, ne inde vel minimam supellectilem aut quidquam aliud extrahant pro hospitibus, sive alio quocumque fine vel causâ, neque id dictus permittat infirmarius. Quod ut firmius servetur, statuimus ut haec omnia infirmorum bona infirmarius accurate conscribat in libro speciali quamprimum fuerint illis applicata (ut suo loco dicetur) aut alioquin quovis modo comparata. Quem utique librum visitator in suâ visitatione iudicet, et si praedicta bona graviter invenerit a commendatore dissipata, vel in usus hospitum conversa, illum ipso facto ab officio absolvat, atque infirmarium etiam pro merito permissionis respective corripiat.

VI. Cum infirmorum solatium sint piae fratrum visitationes, quibus ad sufferentiam illiusque mercedem exigantur[1]; idcirco universis commendatoribus primo subiungimus ut singulis diebus indispensabiliter omnes suos infirmos visitent, et cum ipsis non solum fratris, sed et patris et pastoris officium exerceant; reliquis autem fratribus in Christo consulimus ut hoc frequenter charitatis munus obire non desinant, illud Apostoli praeseferentes: *Quis infirmatur et ego non infirmor?*

VII. Ægrotantes poterunt vesci carnibus semper de consilio medici et benedictione praelati, prout eorum exegerit infirmitas. Nulli religioso, quantumvis male habenti, causâ infirmitatis detur licentia exeundi ad saecularium domos, ut ex eâ ibidem recreetur; qua de re conscientiae praelatorum onerantur. Si commendatorem infirmari contigerit, in cellâ, ubi bona domûs custodiuntur, poterit curari. Fratribus leprosis intra septa sui conventus seorsim ab aliis medela adhibeatur, quae si ob domus angustiam, aliamve legitimam causam, inibi exerceri non possit, de licentiâ magistri seu provincialis ad aliam domum Ordinis ad hoc idoneam transferatur.

VIII. Quilibet autem frater, qui in aegritudinem deciderit, per se vel per aliam personam a praelato benedictionem postulet ad sui curationem. Qui tandem gravi imbecillitatis incommodo tenuive valetudine non laboraverit, neque ciborum langueat fastidio[2], ieiunia neutiquam praetermittat, nec specialem quaerat victum, sed communi refectioni subiaceat. Fratres valetudinarii et senes iam confecti semper et ubique baculos gestare poterunt, quos reliquis omnino interdicimus.

1 Videtur legendum *habeat* (R. T.).

1 Forsan *erigantur* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *fastidia* (R. T.).

Caput XIV. De minutione.

I. Minutionem quater in anno fieri posse permittimus iuxta textum canonis de statu monachorum, cap. *Cum ad monasterium*: primam in mense septembris, secundam post Natale Domini, tertiam post Pascha, et quartam circa festum S. Ioannis Baptistae.

II. Declaramus autem fratres non teneri praedictis temporibus aut per annum uti minutione, nisi de consilio medici; qui vero sine illo voluerit minutionem facere, nequeat eam eligere, nisi in praefatis anni stationibus.

III. Minuti extra refectorium in infirmariâ comedant, triduoque prout debilitas exigat recreentur. Causâ vero minutionis poterunt vesci carnibus, si expedire visum fuerit, exceptis diebus ab Ecclesiâ prohibitis. Hoc autem tempore minutos choro et silentio non adstringimus.

Caput XV. De capitulo quotidiano.

I. Praecipua totius vitae regularis exercitatio ea est, quam in capitulis culparum exequimur, ubi nos ipsos de negligentiis contra regulam et constitutiones perpetratis humiliter accusamus, et salubriter a praelato correcti observantiores evadimus. Cum itaque ab observantiâ aut omissione huiusmodi capituli integritas vel ruina regularis disciplinae dependeat, eapropter universis commendatoribus in Christi visceribus, imo sub eius irâ et indignatione, et sub poenâ privationis officii ac utriusque vocis, enixe praecipimus, ut ad minus qualibet feriâ sextâ vel opportuniori die cuiuslibet hebdomadae praedictum capitulum post completorium celebrent.

II. Congregatis igitur fratribus, et in capitulo vel choro ordine suo sedentibus, dicat praelatus *Benedicite, patres: Dominus sit vobiscum;* et omnes paulisper inclinati respondeant *Amen;* deinde proponat fratribus, quibus quantisque officiorum vinculis teneantur orandi pro SS. D. Papa et felici statu Ecclesiae, pro rege et regni prosperitate, pro statu et praelatis Ordinis, pro benefactoribus eius vivis atque defunctis, et etiam pro captivis, quibus specialiter ex instituto adstringimur, tam in vinculis quam in purgatorio constitutis.

III. Hac itaque monitione praemissâ, surgat praelatus et dicat: *Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen sanctum tuum vitam aeternam;* et chorus respondeat *Amen*, et subscripti alternis versibus psalmi recitentur:

Ps. CXXII, *Ad te levavi oculos meos*, etc.

Ps. CXXIX, *De profundis clamavi*, etc.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Oremus pro domino Papa:

℟. Dominus conservet eum et vivificet eum et beatum faciat eum in terrâ, et non tradat eum in manibus inimicorum eius.

℣. Salvos fac servos tuos et ancillas tuas,

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Requiescant in pace,

℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, praetende super famulum tuum Papam nostrum et super cunctas congregationes illi commissas spiritum gratiae salutaris; et, ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuae benedictionis infunde.

Praetende, Domine, famulis et famulabus tuis dexteram caelestis auxilii, ut te toto corde perquirant, et quae digne postulant assequantur.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo regi nostro cum prole regiâ, et dirige eos secundum clementiam tuam in viam salutis aeternae, ut te toto corde perquirant, et quae digne postulant assequantur,

et te donante tibi placita cupiant, et totâ virtute perficiant, et magistrum nostrum generalem et provincialem et Ordinem nostrum et nos famulos tuos ab omni adversitate custodi.

Fidelium, Deus, omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas, *etc.*

IV. Hisce peractis, praelatus novitios omnes egredi faciat a capitulo, ut liberius possit proponere, arguere et increpare quae ad honestatem et correctionem fratrum communiter vel particulariter viderit expedire. Qua de re ipsi enixe suademus ne vereatur interdum singulorum culpas publicas et graves signanter corripere, neque, ut unius crimini et rubori parcat, totam communitatem vagâ suspicione commaculet, et fratribus rerum ignorantibus ansam praebeat male in se invicem cogitandi; quae enim iure vel facto sunt publica, si prudenter oporteat, ipse reus designatus publicâ obiurgatione reprehendat.

V. Post haec autem, ut ad iudicium de culpis regularibus et manifestis defectibus procedatur, et propriâ accusatione innotescant, quae praelatus singula possit salubriter emendare, dicat ipse fratribus: *Dicite culpas.* Quo audito, surgant ordine suo, incipiendo ab inferioribus primi aut secundi chori, iuxta dispositionem praelati, qui, prout libuerit, inchoare, chorum eligere, fratresve regulariter vocare poterit. Cum autem frater steterit ante praelatum, flectat genua et dicat: *Pater veniam peto;* praelatus vero: *Surge, frater:* qui surgens, et stans parum inclinatus, confiteatur culpas, et se accuset de defectibus manifestis contra constitutiones et regulam commissis, dicendo sic in genere, vel alioquin expressius: « Quod in omnibus non observo regulam beati Augustini, nec constitutiones Ordinis, non custodiendo silentium, nec recitando attente et devote horas et divinum officium, tarde surgendo, et male legendo, et in essentialibus non obediendo corde et opere, nec paupertatem spiritus amando, nec honeste vivendo, nec ferventer Deum diligendo, ideo dico meam culpam, et peto misericordiam Dei et vestram ».

VI. Si vero culpa talis sit, ut nedum verbo, verum etiam opere, correctione indigeat, praeparet se frater ad illam, quam praelatus, seu ille qui praeceperit, infligat. Culpas autem, de quibus et quando in hoc capitulo se ipsos possint fratres amplius et ferventius accusare vel debeant, in cap. I dist. V declarabimus. Nemo tandem in capitulo loquatur, nisi culpas dicendo, vel superiori ad interrogata respondendo, nec alio stante et loquente praesumat ad loquendum assurgere.

VII. Etiamsi novitios ab huiusmodi capitulis arceamus, non propterea ab hac disciplinâ eos prorsus excludimus; quin potius desiderantes ut in eius tyrocinio hac etiam institutione proficiant, illorum magistro praecipimus ut in novitiatu semel quoque in hebdomadâ cum ipsis et reliquis professis clericis indeficienter simile habeat capitulum, quo simul omnes correctionibus et humilitate aedificet.

VIII. Finitis vero culpis, prosternant se omnes et dicant *Confiteor Deo,* deinde praelatus stans dicat: *Misereatur vestri,* etc. *Absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus, Amen.* Deinde surgant omnes, et praelatus dicat: *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit caelum et terram.* Et sic solvitur capitulum, iunioribus praecedentibus.

DISTINCTIO QUARTA.

*De accedentibus et quomodolibet recipiendis ad Ordinem.*

Ad configurandam spiritualem Ordinis ideam ex institutis et votis praecedentibus conceptam, iam viva saxa deligimus, quae disciplinarum tunsione polita et fraternis charitatis nexibus apta ad fastigium perfectionis exurgant.

Caput I. De examine vocationis et qualitatibus nostrum Ordinem ingredientium.

I. Non credere omni spiritui, sed unumquemque probare diligenter an ex Deo sit, S. Ioannes apostolus monuit. Cuius sane documento instructi, universis commendatoribus constituimus, ut, quando aliquis nostrum Ordinem aggreditur et eius habitu indui postulat, assumpto secum magistro novitiorum vocationem eius uterque caute et subtiliter perscrutentur, quo scilicet spiritu, qua mente regularem vitam eligat, quem sibi finem proponat, num zelo melioris frugis et ut Deo liberius famuletur, an potius levitate vel humano aliquo affectu ducatur, vel an saeculi inopiam et aliquas sui status aerumnas effugiat: quae quidem ab eo prudenter extorqueant.

II. Rursus eum interrogent, quare nostrum potius Ordinem et institutum prae ceteris eligat, ubi plane ei arduas nostrae charitatis et professionis semitas exponant. Ordinis austeritates et vota pure et simpliciter detegant, et quartum praecipuae quo debeat animam suam tradere pro captivis usque ad sanguinem et interitum.

III. Et antequam procedatur ulterius, semel et iterum moneant ut sacramentorum frequentiâ et simplici observatione Deum pulset, quatenus, si expediat, hanc sibi voluntatem firmare dignetur; est enim fidelis et nulli se denegat humiliter postulanti. Interim vero attendant sollicite an haec impleat, et quid inoperetur[1] dilatio, quae in falsâ vocatione solet frangere motum, in verâ tamen urgere ferventius.

IV. Sed quia sunt aliqui defectus ita patentes ad sensum ut ob praestantiam et decentiam statûs protinus eos debeamus advertere, nolumus iisdem labentes[1] de vocatione aliisve defectibus agitari, nec aliquod ulterius de ipsis examen fieri, sed solo primo sensuum iudicio depelli ac omni expectatione vacuos illico a commendatore dimitti.

V. Unde cunctis sequentibus ingressum nostri Ordinis denegamus, caecis videlicet, vel altero carentibus oculo, aut valde oculorum lumine laborantibus, claudis, gibbosis, graviter deformibus, caduco morbo seu alio habituali patenti et aeque gravi languentibus, spadonibus etiam et habentibus membrum aliquod principale mutilatum, et stolidos demum et fatuos ab ingressu Ordinis interdicimus, praecipientes commendatoribus, sub poenâ privationis officii et vocis utriusque, ne alicui de praedictis habitum concedere audeant, nisi aliunde appareat aliqua notabilis religionis utilitas quae honeste vincat deformitatem aut morbum, simulque cum eo dispensetur in scriptis a provinciali vel generali magistro.

VI. Cum itaque postulator habitûs ab omnibus huiusmodi defectibus et maculis immunis apparuerit, satisque de verâ vocatione fuerit comprobatus, statim mittatur ad examinatores pro huiusmodi negotio a provinciali deputatos, et eum non semel, sed iterum et tertio de arte bene legendi latine, de mentis acumine, ingenii dexteritate, et quam sit in grammaticâ sufficiens, omni aequitate censeant; qui, si illum ita deficientem ingenio et latinitate reperiant, ut non eam sufficientiam calleat litterarum, qua ad sacros ordines postulat Concilium

1 Videtur legendum *in eo operetur* (R. T.).

1 Forsan *laborantes* (R. T.).

Tridentinum, ipsum omnino reprobent; si autem habilem invenerint, iusto indicio suscipiant. Quam utramque censuram non soli praelato deferant, sed etiam capitulo conventus veraciter exponant; quocirca eorum conscientias strictissime oneramus. Cum proceribus autem et viris perillustribus, aut magnae fortunae bonis seu arte aliquâ insigni pollentibus, unde commodum ingens religioni proveniat, poterunt dispensare magister aut provincialis in scriptis, et non aliter, de exactâ grammaticae sufficientiâ, itaut sit satis non dubium specimen proficiendi tempore quod supersit ad sacros ordines suscipiendos.

VII. Admissâ igitur a conventu huiusmodi approbatione examinatorum, eligatur ab eodem per suffragia secreta unus frater idoneus prudentiâ et fidelitate commendabilis, qui sub nomine informantis procedat ad informationem de moribus et vitâ, et omnibus aliis conditionibus, quas iuxta decreta Pontificum et constitutiones nostras habere debet quicumque accedit ad Ordinem; pro quo munere fideliter obeundo, praeter poenas gravissimas quibus infra constringitur, iurare ulterius volumus praefatum informantem in manibus praelati se id peracturum secundum Deum et propriam conscientiam.

VIII. Huic ergo, sic iure et fidelitate munito, praelatus cum conventu praebeat commissionem cum interrogatorio a se et duobus et aliis de capitulo subscriptam et pariter signatam, ac omni iuris auctoritate publice roboratam. Ipse vero informans non statim procedat ad inquisitionem publicam; sed, honori consulens ac decori parentum et consanguineorum, prius cum discretione ac silentio cuncta interroganda serventur, in quibus, si aliquod impedimentum sufficienti et timoratâ personarum attestatione sibi revelatum fuerit, ab omni statim inquisitione recedat. Sin autem nihil invenerit receptioni contrarium, publicam informationem aggrediatur ante vel post ipsam receptionem iuxta diversitatem personarum, ut statim dicetur. Quam rite et debite, quovis tempore factam, ac demum clausam et signatam, praelato tribuat, et ipse, congregato capitulo, reserari et legi faciat, ut de illâ censeatur an sit bene vel male confecta, et habilitas postulantis ad ingressum agnoscatur.

IX. De maioribus sexdecim annis semper fiat informatio authentica ante receptionem, nisi periculum sit in morâ; in quo casu, iuxta specialem dispositionem aut moderationem super hoc Clementis VIII, sufficere volumus praevium iuramentum commendatori praestitum a postulante, quod nullis impedimentis ex eo singulariter interrogatis sit inhabilis ad nostrum Ordinem ingrediendum. modo ante professionem fiat plenaria informatio de illis.

X. Quod utique iuramentum, quandocumque fieri contingat, semper adnotari praecipimus in libro receptionum conventus, et a commendatore subscribi, et pariter a iurante cum duobus testibus per illum in suâ subscriptione relatis et subscribendis. Circa minores autem sexdecim annis, licet sit melius semper de illis ante receptionem inquirere, nullam tamen praecise informationem praeviam et iuridicam aut iuramentum exigimus, nisi inquisitionem secretam. Ceterum probationis tempore illam fieri authenticam, et professionem antecedere praecipimus. Qualitates autem vel impedimenta, quae iuxta omnia iura et respective pro singulis recipiendis professurisve examinanda sunt ab informante, ita in sequentibus ordinamus.

XI. Primo enim inquirat de moribus

et anteactâ vitâ, de patriâ et legitimitate parentum. Quocirca strictissime constituimus ut decretum ex motu proprio S. D. N. Sixti V exequatur, quod nullus ex sacrilego aut incestuoso concubitu usque ad tertium consanguinitatis aut affinitatis gradum procreatus ad habitum in aliquâ religione admittatur (sub professionis nullitate alibi exprimendâ), nisi solummodo in fratrem conversum aut laicum, omni seclusâ ascendendi ad altiorem gradum in Ordine. Alios vero illegitimos, spurios vel naturales, etiam aliâs legitimatos, pariter ab Ordine prohibemus, nisi prius de illorum vitâ et moribus ac de universis aliis requisitis ad Ordinem fiat accurata discussio, et alioquin receptio illorum ex fide dignis testimoniis universae religionis commodo et utilitati appareat profutura. Qua de re in generali seu provinciali capitulo maturâ deliberatione habitâ, et unanimi definitorii provincialis vel generalis consensu ad habitum approbentur.

XII. Nihilominus tamen sic recepti, ad gradus, honores et dignitates Ordinis perpetuo sint inhabiles, nisi a S. Sede Apostolicâ indulgeantur. Poterit autem definitorium provinciale aut generale in capitulo congregatum, cognitâ tamen prius ex[1] expressâ in dispensatione specie illegitimitatis, cum iis, etiam ad praefatos honores, gradus et dignitates obtinendas, dispensare, praeterquam ad magistratum Ordinis et provincialatum; quam dispensationem et eius causam authentice in librum Ordinis referendam esse decernimus. Circa fratres vero alterius Ordinis, an et quando debeant ad nostrum admitti, cap. III seq. specialiter declarabitur.

XIII. Deinde salubriter in Domino constituimus, ne quis ad habitum quacumque ratione vel causâ admittatur, qui originem ducat a maurorum genere, saracenorum, hebraeorum vel etiam haereticorum aut aliorum quomodolibet a fide nostrâ aberrantium, et propter quam directe vel indirecte fuerint a S. Inquisitione puniti, quod tamen sic accipimus ut maurorum illustrium et haereticorum sobolem eo usque vitemus donec generationum tractu, vel aliter, haec labes et nota deleta sit, et habitus fidei firmatus, ita videlicet ut quod apud vulgus nullam infamiam aut notam vilitatis seu despectionis patiantur, neque eorum affinitates caveant vel abhorreant aliae stirpes ingenuae; reliquis autem supra quartam etiam generationem ingressum ad Ordinem intercludimus, si quomodolibet innotuerit et non sit penitus abolita eorum infamia vel labes.

XIV. Ulterius ab Ordine nostro prohibemus omnino criminosos, vel furto, latrocinio, homicidio, vel quocumque alio simili aut maiori crimine, eiusve publicâ punitione, iure vel facto infames. Item si sint coniugati, et a iuribus matrimonii canonice non soluti, si sint vel fuerint servi, si tenentur ingenti aere alieno supra vires facultatum suarum, si reddendis rationibus ita fuerint obnoxii, ut ex huiusmodi causâ lis vel molestia eis iam illata fuerit, vel quam inferri timeatur.

XV. Illum insuper, qui ratione abiecti muneris et officii sit in republicâ infamis, qui occultâ aliquâ infirmitate gravi et contagiosâ aut incurabili laboret, qui sit lunaticus vel ebrius, qui semel a nostro novitiatu vel alterius Ordinis fuerit expulsus, vel aliâs de iure ab ingressu Ordinis quomodolibet sit prohibitus, nullo modo ad habitum nostrum recipiendum esse, firmiter constituimus.

XVI. Si quis autem informans de supradictis omnibus conditionibus et re

1 Videtur legendum *et* pro *ex* (R. T.).

quisitis examen non fecerit, vel aliquod in eo negligenter aut malitiose praetermiserit, sive contra illa quidquam praelatus aliquis attentaverit, quocumque tempore id innotuerit, illos voce activâ et passivâ, omnibusque officiis, dignitatibus et honoribus perpetuo privatos et ad haec imposterum inhabiles declaramus.

XVII. Comperto igitur pulsantem nullo de praefatis impedimentis vel aliis hucusque praemissis ineptum esse ad habitum, praecipimus commendatori, ut, si ille futurus sit laicus, nequeat ipsum inducere, nisi praeviâ licentiâ in scriptis magistri vel provincialis, sub poenâ privationis officii; si vero clericus, servetur consuetudo provinciarum; quando autem magister aut provincialis per se ipsos aliquem ad Ordinem admittere et induere constituerint, nunquam id per se solos absolute faciant, nisi de consensu et suffragiis eiusdem conventus, ubi praedictum pulsantem induendum esse decreverint.

XVIII Sed ut in re tanti momenti omnis adhibeatur aequitatis industria, praecipimus universis praelatis, sub poenâ suspensionis ab officio per sex menses, ut neminem proponere possint conventui, qui per suffragia admittatur ad habitum, nisi pridie capitulum singulatim moneri et citari fecerit omnes fratres habentes ad hoc suffragium. Sequenti vero die eos capitulariter congregabunt sono cymbali conventualis post vesperas, aut matutinas, vel quando fratres adesse domi frequenter consueverint, et non aliter; ex quibus duas ad minus tertias partes habentium suffragium debere capitulo interesse, firmissime constituimus. Si autem praelatus aliquid secus fecerit, puniatur ad arbitrium provincialis aut generalis capituli. Tunc autem, si maior suffragantium pars de admissione consenserit, manebit postulans ad habitum approbatus; sin autem, omnino repulsus, et nullatenus conventui amplius proponatur.

XIX. Quocirca declaramus omnes presbyteros et clericos nostri Ordinis iam sacris initiatos suffragium habere in praefatis capitulis receptionis ad habitum et professionem emittendam.

XX. Tertiarii denique utriusque sexus non admittantur ad Ordinem, neque induantur habitu, nisi de expressâ in scriptis licentiâ provincialis aut magistri, et praeviâ informatione de moribus et vitâ, factâ et approbatâ a praefato Ordinario et sui conventus capitulo.

Caput II. De forma interrogandi testes ad informationes praedictas.

I. Cum informans iuxta praedicta processerit ad interrogationem testium, istos debet eligere de antiquioribus populi, unde novitius vel suscipiendus ad habitum ortum duxerit, ab ipsisque iuramentum exigere, quod in omnibus, de quibus fuerint interrogati, sine aliquâ subreptione, obreptione, vel offectu veritatem ostendent, quos pariter moneant vi iuramenti adstringi ad occultos etiam ignominiosos que defectus illius, de quo interrogandi sunt, sub poenâ periurii aperiendos. Hac ergo nominatione et iuramento praemissis, sic unumquemque interrogabit:

Primo, ut dicat quam aetatem habeat, et an sit consanguineus N. novitii vel postulantis habitum in conventu N., an inimicitiam aut simultatem exerceat cum ipso, vel parentibus eius, et avis tam paternis quam maternis, an eum comprehendat aliqua iuris exceptio, qua prohibeatur, ut testimonium reddat de praedicto:

Secundo, an cognoscat praefatum N. novitium aut postulantem habitum in conventu N., et sibi noti sint parentes eius, et avi paterni et materni; an sciat praedictum N. filium esse legitimum

ipsorum, et ut talem vulgo reputatum et habitum; quod si respondeat esse illegitimum, ulterius de specie illegitimatis interroget, an sciat esse naturalem vel spurium, an autem incestuosum aut sacrilegum, natumve de eiusmodi parentibus et avis usque ad tertium gradum:

Tertio, an sciat et noverit praefatum N. non esse de genere iudaeorum, maurorum, haereticorum, aut a sanctâ Inquisitione punitorum causâ fidei directe vel indirecte, et tam remote quam proxime, vel in quocumque gradu ducat genus a praedictis, vel ab aliis quomodocumque iudiciali notâ, punitione publicâ, iure, vel facto, seu abiecti muneris turpitudine infamibus, qui ut tales dedecore, ignominiâ, et foedae sobolis maculâ sint vulgo notati:

Quarto, an noverit praedictum N. ad ingressum Ordinis esse liberum, et neque servum, neque originem trahentem a servis, neque ligatum vinculo matrimonii, neque tali illius sponsione quae religionem ingredi prohibeat, an parentes habeat gravi vel extremâ inopiâ laborantes:

Quinto, an sciat praefatum N. esse virtutis studiosum, et pravis moribus non corruptum, neque crimen aliquod perpetrasse, ut furtum, homicidium, aut aliud simile iure vel facto publicum:

Sexto, an sciat praedictum N. non contraxisse debitum quod dissolvere nequeat, nec implicatum esse ratiociniis, quorum causâ lis aliqua vel contentio ipsi possit inferri aut illata sit, vel quam pariter in Ordinem derivandam fore timeatur:

Septimo tandem, an illi sit notum praefatum N. bonâ frui valetudine, nullamque habere infirmitatem occultam, aut contagiosam.

II. Quibus omnibus ab informante susceptis, et pariter ratificatis a testibus, atque ab iis, et informante subscriptis, reliquisque de iure servatis, claudenda est informatio, et capitulo domus praesentanda, ut praedicitur.

Caput III. De non recipiendis fratribus alienae professionis.

I. Ut autem de fratribus alienae professionis ad nostrum Ordinem suscipiendis specialiter et expressius maneat declaratum, statuimus et ordinamus, quod nullus de praedictis, cuiuscumque qualitatis aut conditionis extiterit (exceptis nobilibus militaribus), possit ad nostrum Ordinem admitti. Quocirca taxatur magistri generalis ac etiam nostri procuratoris generalis in Urbe potestas, ne unquam ad transitum huiusmodi fratrum valeant praestare consensum, sub nullitate receptionis ac etiam professionis ipso facto; sicut, eâdem ratione, et ut quisque in suâ vocatione contineatur, praefatis magistro generali et Urbis procuratori restringitur eadem potestas praebendi consensum super transitum nostrorum Discalceatorum ad nostrae Observantiae familiam.

II. Si autem aliquis de praedictis aliâ viâ legitime receptus fuerit, infra decem annos a suâ receptione in commendatorem nullatenus assumatur, neque in Ordine nostro aliquam administrationem exerceat.

III. Quod si quis Mendicantium, aut quicumque alius de fratribus antedictis, ad Ordinem nostrum vel familiam fuerit translatus, et professionem emiserit regularem, transferri nequeat deinceps a nostro Ordine ad alium absque Sedis Apostolicae licentiâ, specialem et expressam mentionem faciendo de statuto et ordinatione factis a Martino V, ut constat ex eius Bullâ plumbeâ et originali quae extat Salmanticae, in qua pariter decernitur irritum esse et inane quidquid secus, scienter vel ignoranter, a quocumque, quavis auctoritate, fieri contingat.

Caput IV. De potestate et forma tradendi habitum.

i. Cum initiare ad Ordinem et illius habitum tradere sit actus potestativus, proinde, ne defectu facultatis sit aliquando irritus vel inanis, praesenti constitutione declaramus ad habitum conferendum habere canonicam potestatem primo et immediate commendatorem domus ad quem[1] postulator accessit et ubi capitulariter est admissus; magister autem generalis et provincialis, eorumque visitatores in actuali visitatione, tanquam potestate superiores, simili facultate fruuntur, praeviâ tamen approbatione conventus. Vicarium vero commendatoris ab hoc actu seclndimus, quem nihilominus praesidentibus in capite concedimus. Verumtamen habitum laicis vel tertiariis conferendi, vel praesidenti in capite, imo neque commendatori ius aliquod permittimus, nisi de licentiâ, magistri generalis vel provincialis in scriptis.

ii. Admisso igitur postulante, admonendus est a magistro novitiorum, ut habitum omnino humilem, et interiora indumenta penitus alba, et tunicas laneas sibi praeparari faciat cum lectulo, insuper mensulâ, lucernâ, aliisque paucis et modestissimis utensilibus pro cellulâ. Quibus iam paratis, et praestitutâ die, qua ille induendus est novo homine et mutandus in virum alterum, suadendus est ab eodem magistro, ut sacrâ confessione et communione se muniat ad remissionem omnium peccatorum, quam pro eo die sanctissimus Paulus V indulsit a Deo impetrandam. Accedente vero horâ traditionis habitus, praedictus magister eum in omnibus ab ipso agendis et praelato respondendis sollicite instruat, totum insuper et integrum habitum prope apponendum curet. Quibus vel aliis etiam pro suo munere constitutis, et congregato capitulariter conventu sono campanae in choro vel ecclesiâ, seu alibi, etiam sedente praelato, intrat ipse magister novitiorum secum ducens induendum nondum rasum, quem ad praelati pedes genuflexum statuet. Cum autem ab eo interrogatur *quid petis*, statim ille parum profunde inclinatus respondeat: *misericordiam Dei et vestram*. Deinde manens genuflexus, sermonem et verba praelati audiat devote et attente.

iii. Is vero ferventer et graviter arduam illam viam quam ingreditur exponat, quam sit difficilis, quam laboriosa, quam aerumnarum sentibus[1] et mortificationum tribolis consita, quam nihil propriae voluntatis includat, non delicias, non requiem, sed famen, sitim, vigilias, et perpensam inopiam; verum, licet initio sit amara, fit[2] tamen usu et consuetudine ac divino subsidio in medio suavior, et tandem in fine felicior, cum laborantibus in eâ bravium[3] aeternae beatitudinis praeparatur.

iv. His et aliis a praelato expositis, interroget induendum, an velit perseverare in vocatione suâ, vel plus amare saeculum, quam Ordinem eligere? Quo respondente: *Volo amplecti Dei famulatum, et Beatissimae Virginis Mariae filium institui*; dicat statim praelatus, *Dominus qui incepit, ipse perficiat*, et conventus repondeat: *Amen*. Deinde surgit praelatus, et exuit eum saeculari habitu (pallio videlicet), et interea dicit *Exuat te Deus veteri homine cum omnibus actibus suis*, conventus vero respondeat, *Amen*. Deinde praelatus, sumens habitum religionis in manus, dicat: *Ego, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, et auctoritate apostolorum Petri et Pauli, et quae est mihi ab Or-*

1 Aptius lege *ad quam* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *sensibus* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *sit* pro *fit* (R. T.).

3 Pessime ed. Main. legit *brachium* (R. T.)

*dine commissa, trado tibi habitum novitiorum Ordinis nostri. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, et respondeat conventus: *Amen.* Quando autem induit scapularium dicat *Induat te Deus novo homine, qui secundum Deum creatus est in iustitiâ, sanctitate et veritate*, et chorus respondeat: *Amen.* Post haec se prosternente novitio, cantor incipit hymnum *Veni creator Spiritus*, etc. Quo finito, dicat praelatus:

℣. Emitte Spiritum tuum, Domine, et creabuntur,
℟. Et renovabis faciem terrae.
℣. Salvum fac servum tuum, Domine,
℟. Deus meus, sperantem in te.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis,
℟. A facie inimici.
℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

*Oremus.*

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere.

Praetende, Domine, famulo tuo saeculo renuntianti dexteram tuam caelestis auxilii, ut te toto corde perquirat, et quae digne postulat, assequatur. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

*Oremus.*

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, ut hunc famulum tuum benedicere digneris, cui in tuo sancto Nomine habitum sacrae religionis imponimus, ut te largiente et devotus in Ecclesiâ persistere et vitam percipere mereatur aeternam. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Tandem aquâ benedictâ aspergatur, et ad osculum pacis deferatur a magistro, atque ultimum locum habeat, tempusque probationis ei designetur a praelato iuxta decretum Concilii Tridentini, sess. XXIII, quod est integer annus, ut ipse austeritatem Ordinis, et fratres mores eius experiantur et probent, de iure enim novitius monasterium ingreditur probaturus et probandus a fratribus.

v. Si autem pluribus habitum conferri contigerit, mutanda sunt in verbis et orationibus supradictis quae rationabiliter mutari debeant. Vestes novitiorum saeculares usque ad tempus eorum professioni praefixum sub custodiâ fideli serventur. Receptio novitii scribi debet statim in libro speciali receptionibus tantum destinato, relatis anno, mense, die et horâ eâdem, et magistro novitiorum subscribentibus[1] cum duobus aliis fratribus testibus, qui quidem liber in depositum conventus includatur solertissime servandus ne pereat.

Caput V. De institutione novitiorum.

I. Ut nihil utilius in Ordine quam novitiorum instructio, ita nihil aut pondere gravius aut opere difficilius; etenim novitiatus quaedam virgultorum novella plantatio est; inde ad hortum Domini frutices eliguntur et surculi de stipitibus saeculi avulsi ac in domo Domini plantati inseruntur in bonam olivam non sine magno labore ac industriâ.

II. Haec autem sedulo considerantes, et quantum in Domino possumus boni Ordinis frugi providere cupientes, inviolabiliter constituimus, ut in qualibet provinciâ ab eius definitorio provinciali inter capitulum domus seu conventus potiores et aptiores eligantur, in quibus sancte et pie novitii nostri omnem Ordinis disciplinam ediscant, et regulariter instituantur a suis magistris, itaut in aliis conventibus probationis annum nequeant traducere.

III. Ceterum, si in aliquâ domo ad novitiatum non designatâ et assumptâ aliquis recipiatur ad Ordinem, commendator eius quamprimum illum trans-

1 Aptius *subscribenti* (R. T.).

ferat ad quemlibet[1] ex conventibus ad probationem electis, iuxta provincialis arbitrium, quod quidem a commendatore fieri praecipimus infra unum mensem a receptione, sub poenâ privationis officii.

IV. Domus autem novitiorum in huiusmodi conventibus sit locus segregatus a professorum convictu, ita sane, ut, licet fratres clerici sint etiam intra novitiatum usque ad sacerdotium, cum ipsis quoque nolumus novitios habere commercium, sed, sicut huiusmodi clericos et novitios ab omnibus aliis fratribus speciali clausurâ loci separamus, ita ipsos a se invicem propriis dormitoriis intra novitiatum dividimus, quantum facultas conventus et loci amplitudo permiserit. Ad hoc autem utriusque dormitorii cellae sint numero sufficientes, ne binos in eâdem convivere sit necesse, aut lectulos in aliquâ duplicari, sed singulae singulos habeant, ut profundius silentio et solitudini studeant vel gerant spiritualia liberius.

V. In novitiatu etiam, praeter alia communia commoda, locus deputetur spiritualibus collationibus habendis, caeremoniis et rubricis addiscendis, regularibus pariter disciplinis et culparum capitulis exercendis idoneus. Insuper et oratorium, in quo nemo aliquid agat nisi id ad quod factum est, unde et nomen accepit.

VI. Novitiatus semper sit clausus, cuiusque clavem solum habeat magister novitiorum aut socius, illique soli vel praelato liceat alicui concedere ingressum; si vero ingrediens loqui cum novitio voluerit, magistro praesente, et non aliter, alloquatur.

VII. Quoad magistrum novitiorum, pariter, ut supra, decernimus, ut in singulis praefatis domibus ab eodem capituli definitorio instituatur vir quidem religiosus, virtute, prudentiâ, doctrinâ, moribus et maturâ aetate praeditus, qui commendatori sit subiectus in omnibus. Si autem extra capitulum vacaverit, ad provincialem pertineat magistri novitiorum electio.

VIII. Hic ergo magister statim ac novitii in locum novitiatus introducti fuerint, eis prudenter suadeat, ut per generalem omnium peccatorum confessionem totius anteactae vitae conscientiam diluant, praestantiam illis religiosae vocationis aperiat, et Dei vocantis misericordiam, qua eos dignatus est a saeculi laqueis et vanitatibus eripere, pio sermone non sileat. Illos regulâ et constitutionibus informet, et ad perfectam votorum observantiam inducat, praecipue[1] vero ad ardentissimam nostri instituti et quarti voti charitatem, ut paulatim eos conformes faciat imagini Filii Dei et exemplum dilectionis eius ipsorum cordibus ingerat, obedientiam eis laudet, paupertatem extollat. Pudicitiam puris verbis insinuet et pietatem erga proximum Deo dilectissimam referat, ut singulis votorum virtutibus eorum mens et anima ferveat.

IX. Inter haec omnia catechismum christianae disciplinae saepius eis in doctrinâ sanâ et patienter exponat, humilitatem cordis eos habere doceat, et frequenter, pure et lacrimabiliter cum integritate et pudore confiteri et caelestem panem esurire, et ante sumptionem in oratione et peccatorum assiduâ deploratione se exercere, ut ad Eucharistiam diebus distinctione I, cap. VII, constitutis accedant. Confessiones eorum solus audiat magister; si tamen praelatus aliter expedire iudicaverit, ad alios confessarios, virtute, zelo et prudentiâ probatos, ducere poterit, sique[2] novi

1 Edit. Main. legit *quamlibet* (R. T.).

1 Ed. Main. legit *praecipua* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *si quae* (R. T.).

tius iustâ de causâ petierit alium confessarium, superior teneatur illum dare.

x. Ulterius debent instrui novitii ad orationem mentis et oris quotidie agendam, ad quam magister typum, ordinem et tempus praescribat, eosque pariter instituat ad conscientiam saepius in die discutiendam; libros mysticae theologiae devotos et spirituales apud se retinere et crebro legere studeant, ut in eis scientiam sanctorum ediscant, meditandi et contemplandi modos et discrimina disserant, et cuique alterum eorum statuat, prout gradus perfectionis et necessitas postulaverit. Vitas etiam Patrum et Sanctorum Ordinis lectitandi consuetudinem ingerat. De quibus omnibus in loco ad eadem destinato cum magistro vel socio quotidie per dimidiam ad minus horam[1] collationem spiritualem indispensabiliter habeant.

xi. Quantum ad orationem vocalem, maxime incumbat ut horas canonicas in choro attente et devote persolvant, et quidquid recitent tam intra quam extra chorum non solâ voce et spiritu, sed mente pariter psallant; regulis divini officii, caeremoniis et ritibus, iuxta romanum et usum Ordinis nostri, eos diligenter imbuat, pro quibus, et reliquis ex regulâ et constitutionibus pertractandis, singulis diebus tempus speciale praestituat ab omnibus aliis occupationibus ereptum. Integrum Horarum pensum eos quotidie implere assuefaciat, ut, cum professi fuerint, propensius illud exerceant. Novitios laicos ministerium rei sacrae specialiter edoceat, et universim omne ad hoc munus comiter et devote exequendum iuxta rubricarum et caeremonialis Ordinis apices solertissime instruat.

xii. Ad devotionem, cultum et pietatem erga beatissimam Virginem Mariam invitet illos saepissime, et sic ad eius dilectionem provocet, eamque velut signaculum ipsorum cordibus infigat, ut nihil sit in ore, nihil in mente vel opere, quod Mariam non resonet, nihil eis sine Maria sapiat, nihil cum Maria displiceat, et cuncta in eius nomine aggrediantur et gerant. Qui eius officio parvo in choro non interfuerit, id privatim inviolabiliter compleat. Post coenam autem tam novitii quam professi, quinque rosarii decadas cum litaniâ lauretanâ devotissime in oratorio recitent; quibus peractis, examen conscientiae faciant per aliquam morulam ad arbitrium magistri, posteaque sibi ipsis et dormitorio benedicant antequam ad quietem se recipiant.

xiii. Singulis sextis feriis, vel aliâ eiusdem hebdomadae, culpas dicant magistro capitulariter congregato; quos autem ille aperte negligentes aut lapsos in aliquâ regulari culpâ deprehenderit, verbo et opere corrigat, non quidem acerbe vel acriter, sed suaviter et mite, ut eos ad meliorem frugem potius benignitate quam severitate inducat; quo modo in capitulo, vel ubicumque obiurgati fuerint, a superiore veniam captare debeant, instituat; aliquando etiam sine causâ tam novitios quam professos nonnullâ mortificatione prudenter exerceat, vel interdum ad punitionem praeparari iubeat, ut animi promptitudinem ad obediendum agnoscat.

xiv. Novitius se semper in suâ cellâ contineat, nec ad aliam transeat sine licentiâ magistri; nullibi oculos sublimes habeat, sed dimissos sibi aliquid danti et auferenti, aut etiam improperanti vel laudanti, se devote et humiliter inclinet; prospera et adversa unanimiter et aequâ fronte suscipiat; de re nullâ cum alio contendere audeat, nec se vel a-

1 Edit. Main. habet *hora* (R. T.).

lium proterve defendere; si fratri suo scandalum ingerat, prosternat se ad pedes eius donec illum surgere iubeat.

xv. Cum saecularibus nullo modo magister eos colloqui permittat, et cum parentibus rarissime, et a se prius obtentâ licentiâ; cum fratribus conventus nullam consuetudinem habeant, nec ad brevissimum sermonem aut moram ipsis adhaereant, sed iuxta illos submissis oculis silentes transeant, nullam penitus respondendo aut interrogando praebentes occasionem ad alloquia; multo magis eorum cellas ingredi caveant, etiam vocati nisi a praelato dumtaxat.

xvi. A domo novitiorum semper bini egrediantur, et non aliter; professos, quantum fieri possit, idem servare intendimus. Epistolas neque scribant neque mittant sive recipiant sine licentiâ magistri, qui eas primo legat. Similiter neque in refectorio, seu extra, cuiquam aliquid largiantur aut mittant, neque sibi ab aliis oblata (nisi a solo praelato) suscipiant sine veniâ ipsius magistri, qui propterea, quidquid eis opus fuerit, provideri sollicitet secundum possibilitatem conventus.

xvii. Disciplinas singulariter frequentes suscipiant, prout devotionis fervor et spiritualis necessitas exigat; verumtamen non eas imprudenter assumant, sed cum discretione et consilio magistri praeter conventuales et a constitutione praefixas; in vigiliis communionis totus novitiatus communem disciplinam accipiat, ad quam omnes magister praevio sermone accingat, aliisque dispositionibus et exercitiis praeparari studeat, ut digne ad caelestem mensam accedant.

xviii. Omnibus novitiis assignetur a praelato qui eos plano et vulgari cantu instruat, sub poenâ suspensionis ab officio per sex menses; et praeter hanc artem, ad nullam aliam scientiam nisi philosophiam seu theologiam eos quomodocumque distrahere permittimus, nisi peracto integro anno, in quo de rebus Ordinis, divino officio rite et debite recitando et perite cantando, et de constitutionibus et regulâ satis superque fuerint edocti; qua de re omnem dispensandi facultatem provinciali atque etiam magistro generali detrahimus.

xix. Novitios, tam clericos, quam laicos, ita novitiatus clausura contineat, ut in[1] receptione usque ad emissam professionem nemo inde exeat, quocumque quaesito colore vel praetextu, ad fratrum cuilibet ministrandum, tam transeunter quam permanenter, cuiusque gradus et conditionis extiterit, etiamsi fuerit praelatus; neque commune aliquod officium conventus singulatim extra novitiatum exerceant, sed bini dumtaxat aut plures; nulla rursus eis copia fiat a monasterio egrediendi, nisi ad aliquem communem actum, comitante eos semper praelato aut magistro.

xx. Si vero aliquis novitius clausuram frangat et septa monasterii etiam per brevem moram et habitu non dimisso praetereat, quacumque mente id faciat, etiamsi animo redeundi, non admittatur denuo, nisi facti vehementer poeniteat, et iterum incepto probationis anno a tempore et horâ sui reditus et novae receptionis ad Ordinem; quae omnia adnotari debent in libro receptorum, prout sic gesta fuerint, ut sciatur quod, usque dum vergat eadem hora post annum a regressu, profiteri non potest.

xxi. Sed quoniam semper saeculum expugnare novitios bello suo durissimo non dubitamus, idcirco pro illis sobrie magister invigilet, ne de omnibus sibi traditis perdat quemquam; unde,

1 Potius lege *a* pro *in* (R. T.)

si maestum aliquem taediove affectum deprehenderit, prudenter et bonis actibus a pravis suis cogitationibus avertat, iniungat illi ferventius orare, ieiunare parcius, confiteri et communicare frequentius. His enim telis diabolus deterretur et vincitur. Cum autem sic illum monuerit, forte lucrabitur collabentem; si tamen ab eo despectus perierit, sciat sanguinem eius de manu suâ requirendum esse.

Caput VI. De admissione novitiorum ad professionem.

I. Cum dicat Apostolus: *Omnia probate, et quod bonum est tenete*, proinde non omnes aut quoscumque novitios, eo solum quod novitiatum impleverint, ad professionem suscipimus, sed eos tantum, quos integer probationis annus et morum integritas idoneos ad Ordinem ostenderint, nec informatio authentica indignos aliunde prodiderit.

II. Sed ne in re tam gravi, defectu declarationis aut qualibet aliâ causâ, male fiat admissio, consentaneum inculcare duximus quae ad legitimam professionem iure communi et nostro requiramus. Primo enim nullum ad professionem admittimus, nisi completo anno XV[1] aetatis suae, et uno integro probationis, quem quidem annum, etiamsi novitius intraverit ante XV aetatis suae, declaramus canonice non incipere usque ad eius finem, quo perfecte a puncto in punctum elapso fieri debet professio; et si aliter attentetur, sit invalida et irrita iuxta sanctiones Concilii Tridentini: quae omnia constare debent per testimonia de iure legitima.

III. Insuper, antiquis nostris constitutionibus inhaerendo, irritam et inanem declaramus professionem eorum, quos ad eam praelatus admiserit inconsulto conventu et absque maioris partis sui capituli consensu; qui tamen praelatus sine illo, aut sine praedictis conditionibus Concilii Tridentini, quemquam ad professionem ausus fuerit admittere, officio et dignitatibus ac voce activâ et passivâ maneat perpetuo privatus.

IV. Similiter iuxta motumproprium Sixti V ab Alexandro VII in constitutionibus nostri Ordinis confirmatum, inaniter et irrite ipso facto profiteri statuimus eos omnes qui ex sacrilego aut incestuoso concubitu usque ad tertium consanguinitatis vel affinitatis gradum fuerint progeniti. Poterunt tamen ii de licentiâ magistri generalis aut provincialis, iuxta motum eiusdem Sixti, ad professionem conversorum admitti, si alioquin bonâ indole et morum honestate sint praediti, nec eos aliquod iuris seu nostrae constitutionis impedimentum afficiat. Praelatus vero, qui huiusmodi natalium defectus habentes ad professionem vel etiam receptionem scienter admiserit, vel informans in informationibus simulaverit, gravissimis poenis a Sixto V inflictis, et in superiori parte iam declaratis, severissime plectendos esse denuntiamus.

V. Sub eâdem insuper nullitate professionem nostram interdicimus universis alienae professionis fratribus, nisi de nobilibus Ordinum militarium extiterint, iuxta decreta SS. Pontificum Urbani VIII et Alexandri VII, ac nostri pariter Ordinis instituta, superius quoque in cap. III huius dist. ordinata. Quicumque autem praedictis in hoc capite conditionibus aut defectibus laborantes ad professionem nostram accesserint, et obreptitie ac[1] subreptitie, id est affectatâ falsitate vel tacitâ veritate, illam emiserint, quocumque tempore id appareat, protinus ab Ordine nostro expellantur ut inaniter ipso facto professi.

VI. Praelatis vero praecipimus, sub excommunicationis sententiâ ipso facto

1 Edit. Main. legit *ab* pro XV (R. T.).

1 Potius lege *aut* (R. T.).

incurrendâ, ut, quando novitius vocatur ad professionem suscipiendam, protestentur illi non esse mentem eorum conventus nec Ordinis consentire ad ipsam, si contagiosam, occultam aut incurabilem aliquam infirmitatem, servitutem, coniugium, alienae pecuniae obligationem, seu genus ab hebraeis supra quartam etiam generationem, vel mauris, sive a S. Inquisitione directe vel indirecte fidei causâ punitis, aut ab aliis quomodocumque notâ dedecoris inustis, celaverit, dum tamen labes, macula et infamia omnino extincta non sit.

VII. Rursus declaramus professionem in Ordine nostro debere semper fieri solemniter in manibus praelati.

VIII. Si ab Ordine nostro novitius aliquis repellendus sit, praelatus, expositâ prius capitulo causâ expulsionis, de consilio ipsius tonsuram radat, et habitu illum exuat dicens : *Ego, auctoritate Domini nostri Iesu Christi et auctoritate apostolorum Petri et Pauli ab Ordine mihi traditâ, exuo te habitu novitiorum nostri*[1] *Ordinis, et ab illius observantiâ te absolvo, et restituo te in priorem statum saecularem in quantum ego possum. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

IX. Verumtamen praelato consulimus, ne sit ubique facilis in expellendis novitiis, nec nimis pium se praebeat in ipsis retinendis. Qui autem, frigescente vocatione, voluerit repetere saeculum, non statim dimittatur, donec eum aliquo interiecto tempore pii fratres exhortentur, ut, si forte levitate aliquâ vel diabolicâ fraude deceptus in hac cogitationem inciderit, ad perseverantiam excitetur. Si tamen admonitus renuerit, suo relinquatur arbitrio, et, si nondum fuerit sui iuris, benigne parentibus aut tutoribus tradatur.

X. Cum vero in suâ vocatione perseveraverit, intra duos menses professioni proximos, proponendus est a praelato, capitulo, ut per suffragia secreta probetur aut reprobetur ad illam ; prius tamen procedendum est ad informationem et testimonium, quod de illius (etiam laici) habilitate et aptitudine reddere debet coram capitulo magister novitiorum ; cui praecipimus in virtute obedientiae, ut, quos expertus fuerit in novitio defectus professionis merito refragantes, absque ullo studio animique affectione patefaciat : an illum videlicet durum et protervum in obediendo notaverit, an superbum, rixosum, inquietum et seminatorem discordiarum, an stupidum, rudem habentem, an corporis habitudine vel indolis pravitate observantiis regularibus adversum vel incommodum, an turpi vitio a naturâ seu inveteratâ consuetudine subiectum, ob aliumve quemcumque notabilem defectum professione indignum. Qui autem his et similibus seu corporis seu animi morbis de more laboraverit, nullatenus ad suffragia admittatur, sed confestim de consilio capituli reiiciatur a praelato. Quod si undequaque dignus appareat, statim per secretos calculos ad approbationem vel reprobationem procedatur, ubi fratres, iuxta testimonium magistri novitiorum et proprium quod fecerint de novitio iudicium, eum omni aequitate repellant vel suscipiant.

XI. Demum huiusmodi novitiis, iam ad professionem admissis, denuntiamus, quod, si intra duos praefatos menses, et non antea, quidquam de suis bonis habitis vel habendis disponere voluerint, libere id faciant, praemissâ licentiâ Ordinarii, iuxta dispositionem Concilii Tridentini.

CAPUT VII. De professione eiusque solemnitatis formâ.

1. Cum iam dies advenerit, qua novitius profiteri debeat (sive id sit in

[1] Edit. Main. legit *nostris* (R. T.).

ecclesiâ post offertorium, sive in choro aut capitulo), constituatur a magistro genibus flexis ante praelatum, cui sub excommunicationis sententiâ praecipimus, ut, prius quam ab eo novitius professionem et vota suscipiat, singulorum substantiam et vincula ei graviter exponat: quid nempe illum obliget votum obedientiae, paupertatis et castitatis, et praecipue quartum speciale nostri Ordinis, ex visceribus primaevâque institutione ipsius emanans, vi cuius fratres nostri absolute promittunt redimere captivos, et ulterius et aeque absolute se tradere in pignus et quaecumque vitae discrimina pro periclitantibus in fide, quos iam argento vel auro redimere non potuerint.

II. Post haec debet illi própônere omnia incommoda et asperitates Ordinis, quodque eas observare debet, prout in constitutionibus continetur. Quibus sic expositis, interroget professurum, an ipse, bene perpensis, eligat potius manere in religione, quam ad saeculum reverti; quo asseverante, surgat praelatus dicens: *Dominus qui incepit, ipse perficiat;* et fratres respondeant: *Amen.* Postea vero illum exuat caputio, cappâ et scapulario sub his verbis: *Exuat te Deus veteri homine cum omnibus actibus suis*; et chorus respondeat: *Amen.* Ad haec insuper benedictionem habitus in hanc formam adhibeat:

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam,

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine, exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Domine Iesu Christe, qui regimen nostrae mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensae largitatis tuae abundantiam, ut hoc genus vestimentorum quod sancti patres ad innocentiae et sanctitatis indicium ferre sanxerunt, ita bene † dicere digneris, ut qui hoc usus fuerit, te induere mereatur: Qui vivis et regnas, etc.

Deinde aspergatur aquâ benedictâ. Tunc flexis genibus novitius ter dicat hunc versum: *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam, et non confundas me ab expectatione meâ.* Et ter respondeat conventus: *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. Gloria Patri, etc.* Postea induat eum praelatus vestibus benedictis, dicens: *Ego, auctoritate domini nostri Iesu Christi, et autoritate Apostolorum Petri et Pauli, et auctoritate ab Ordine mihi commissâ, do tibi habitum professorum Ordinis nostri. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Et quando incipit induere dicat: *Induat te Deus homine, qui secundum Deum creatus est in iustitiâ, sanctitate et veritate.* Tunc prosternatur novitius, et praelatus dicat:

*Oremus*

Deus misericors, Deus clemens, cui bona cuncta placent, sine quo nihil sanctum inchoatur, nihilque boni perficitur, adsint nostris precibus aures pietatis tuae, et hunc famulum tuum, cui in tuo sancto Nomine habitum sacrae religionis nostrae imposuimus, a mundi impedimento et saeculari desiderio defende; et concede ei, ut in hoc sancto proposito devotus persistere, et remissione peccatorum captâ, ad electorum valeat pervenire consortium. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde dicat. *Psalm.* CXXXII.

Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum.

Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron.

Quod descendit in oram vestimenti eius: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in saeculum. *Gloria Patri.*

Quo finito, praelatus incipiat litanias, et conventus respondeat ut sequitur:

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de caelis Deus, miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, ora pro nobis.
Sancte Michaël, ora pro nobis.
Sancte Gabriel, ora pro nobis.
Sancte Raphaël, ora pro nobis.
Omnes sancti Angeli et Arcangeli, orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate pro nobis.
Sancte Ioannes Baptista, ora pro nobis.
Omnes sancti Batriarchae et Prophetae, orate pro nobis.
Sancte Petre, ora pro nobis.
Sancte Paule, ora pro nobis.
Sancte Andrea, ora pro nobis.
Sancte Iacobe, ora pro nobis.
Sancte Ioannes, ora pro nobis.
Sancte Thoma, ora pro nobis.
Sancte Iacobe, ora pro nobis.
Sancte Philippe, ora pro nobis.
Sancte Bartholomaee, ora pro nobis.
Sancte Matthaee, ora pro nobis.
Sancte Simon, ora pro nobis.
Sancte Thaddaee, ora pro nobis.
Sancte Mathia, ora pro nobis.
Sancte Barnaba, ora pro nobis.
Sancte Luca, ora pro nobis.
Sancte Marce, ora pro nobis.
Omnes sancti Apostoli et Evangelistae, orate pro nobis.
Omnes sancti discipuli Domini, orate pro nobis.
Omnes sancti Innocentes, orate pro nobis.
Sancte Stephane, ora pro nobis.
Sancte Laurenti, ora pro nobis.
Sancte Vincenti, ora pro nobis.
Sancte Petre Paschasi, ora pro nobis.
Sancte Petre Armengaude, ora pro nobis.
Sancti Fabiane et Sebastiane, orate pro nobis.
Sancti Ioannes et Paule, orate pro nobis.
Sancti Cosma et Damiane, orate pro nobis.
Sancti Gervasi et Protasi, orate pro nobis.
Omnes sancti Martyres, orate pro nobis.
Sancte Silvester, orate pro nobis.
Sancte Gregori, orate pro nobis.
Sancte Ambrosi, orate pro nobis.
Sancte Augustine, orate pro nobis.
Sancte Hieronyme, orate pro nobis.
Sancte Martine, orate pro nobis.
Sancte Nicolae, orate pro nobis.
Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate pro nobis.
Omnes sancti Doctores, orate pro nobis.
Sancte pater noster Petre, ora pro nobis.
Sancte Antoni ora pro nobis.
Sancte Benedicte, ora pro nobis.
Sancte Bernarde, ora pro nobis.
Sancte Dominice, ora pro nobis.
Sancte Francisce, ora pro nobis.
Sancte pater Raymunde, ora pro nobis.
Omnes sancti Sacerdotes et Levitae, orate pro nobis.
Omnes sancti Monachi et Eremitae, orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena, ora pro nobis.
Sancta Agata, ora pro nobis.
Sancta Lucia, ora pro nobis.
Sancta Agnes, ora pro nobis.
Sancta Caecilia, ora pro nobis.
Sancta Catharina, ora pro nobis.
Sancta Anastasia, ora pro nobis.
Omnes sanctae Virgines et Viduae, orate pro nobis.
Omnes sancti et sanctae Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis Domine.
A damnatione perpetuâ, libera nos Domine.
Ut regularibus disciplinis nos instruere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut praesentem fratrem conservare et visitare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut statutum nostrum roborare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut nos in tuo sancto servitio conservare digneris, te rogamus, audi nos.
Fili Dei, te rogamus, audi nos.
Fili Dei, te rogamus, audi nos.
Fili Dei, te rogamus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Christe, eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum Domine,
℟. Deus meus, sperantem in te.
℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto,
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis,
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Deus, qui non mortem peccatoris, sed per poenitentiam et emendationem vitam semper inquiris, te suppliciter deprecamur, ut huic famulo saecularibus actibus renuntianti large pietatis tuae gratiam infundere digneris, quatenus castris tuis insertus, ita tibi militando stadium vitae praesentis percurrere valeat, ut bravium aeternae remunerationis te donante percipiat. Per Christum, etc.

*Oremus.*

Deus, qui renunciantibus saeculo mansionem praeparas in caelo, dilata huius sanctae Congregationis temporale habitaculum caelestibus bonis, et praesta, ut fraternâ teneantur compagine, charitatis unanimes, continentiam praeceptam custodiant, sobrii, simplices et quieti, professionis domus in Ordine tuo sibi datum fuisse gratiâ cognoscant, concordet eorum vita cum nomine, ut professio sentiatur in opere. Per Dominum, etc.

*Oremus.*

Deus, qui nos a saeculi vanitate conversos ad aeternae vocationis accendis amorem, pectoribus nostris purificandis illabere, et gratiam nobis, qua in te perseveremus, infunde, ut protectionis tuae muniti praesidiis, quae te donante promisimus, impleamus, ut, nostrae professionis executores effecti, ad ea, quae credentibus in te dignatus es premittere, pertingamus.

III. Deinde surgat novitius, et professionem a se vel ab alio conscriptam publice faciat, et legat in hac formâ: « Ego frater N. filius ex legitimo matrimonio N. et N., in loco (urbe vel oppido) N. natus et procreatus, facio professionem, et promitto obedientiam, paupertatem et castitatem observare Deo et beatissimae ac immaculatae Virgini Mariae atque beato parenti nostro divo Petro Nolasco, et tibi N. commendatori huius domus N. regalis Ordinis ipsius Immaculatae Virginis Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum vice reverendissimi patris nostri magistri generalis et successorum eius, secundum regulam sancti patris nostri Augustini, et constitutiones praedicti Ordinis, prout in eis continetur, eroque obediens tibi et successoribus tuis usque ad mortem, et in saracenorum potestate in pignus, si necesse fuerit, ad redemptionem christifidelium detentus manebo ».

IV. Exinde vero prosequatur in haec verba: « Quam professionem sponte et libenter emitto, peracto iam integro probationis anno, et praemissis omnibus requisitis iuxta Concilii Tridentini decreta et praedicti Ordinis constitutiones, quae omnia rite et legitime in me processerunt, et debite facta sunt; in cuius

rei testimonium, hanc canonicae professionis attestationem feci, et propriâ manu subscripsi ».

v. Hic autem memoret conventum ubi profitetur, et annum Domini, diem, mensem et horam, ac etiam annum fundationis et revelationis Ordinis ab Immaculatô[1] Fundatrice nostrâ, et postea se subscribat; quae omnia contestari debet praelatus et alii duo fratres pariter subscribentes; liber autem professionum semper in deposito conventus diligentissime custodiatur.

His rite peractis, dicat praelatus:

℣. *Confirma hoc, Deus, quod operatus est in nobis,*

℟. *A templo sancto tuo quod est in Hierusalem.*

vi. Deinde donet ei communem societatem professi, manus suas claudens, et dicens: «Omnes quamvis per gratiam baptismi fratres simus in Christo, et unum Patrem habeamus in caelo, si eius praeceptis, prout possumus, obsequimur, procul dubio tunc maxime unimur, quando orationibus et beneficiis invicem nosmetipsos copulamus; quemadmodum et in primitivâ Ecclesiâ, quibus cor unum erat et anima una, quorum vitae amore plures accensi, possessiones et facultates rerum vendentes, congregatis cum Matre Iesu in unum pretia deferebant gaudentes, quae accepta Apostoli tradebant omnibus ut opus erat; sicque iste, ut proficiat in Domino, ipso inspirante, et eorum exemplo communitus, nostris optat iungi consortiis. Idcirco damus ei communem societatem vivendi nobiscum, quantum a Domino possumus promereri et nostrum est elargiri, quatenus cum electis a remuneratore omnium bonorum valeat praemia repromissa percipere. Per Christum, etc. *Amen.* »

1 Coniunct. *et* abiicimus (R. T.).

vii. Tandem vero ipse praelatus cum reliquo conventu suscipiant illum ad osculum et amplexum pacis tamquam fratrem sibi iam cohaerentem, quem iterum ad pedes ipsius redeuntem... admonet ut gratias Deo referat pro tanto munere adepto, et ei designet postremum locum inter professos sui status.

Caput VIII. De regimine professorum eorumque promotione ad sacros ordines.

i. Post professionem itaque, ne fratrum adolescentia sine recto et severo moderamine diffluat, nec eis sub propriâ cellâ proprium nutum et libitum relinquamus, eapropter statuimus ut professi nostri debeant esse sub potestate magistri novitiorum donec ad presbyteratum ascendant, ut illos eo tempore novitiatus contineat cum dormitorio et cellulis, quantum fieri possit, a novitiorum convictu separatis. Inde autem non egrediantur nisi cum licentiâ magistri vel socii, qui eorum vitam dirigere, et cum novitiis virtute et timore Domini regularibusque disciplinis instruere debent. In choro ad omnes horas eos non sedere permittimus, sed stantes pariter cum novitiis recitare vel canere.

ii. Laicorum etiam educationi providentes, pariter constituimus ut professi laici per septem annos a professione subiaceant magistro novitiorum, qui similiter, quantum potuerit, eorum curam sustineat et regularibus imbuat disciplinis, ac praesertim catechismum catholicum quamfrequenter ipsis ut rudioribus et illiteratis aperiat.

iii. Strictissime autem praelatis praecipimus, ut neminem ad sacros ordines promoveant, nisi decursis a professione tribus annis, et non aliter. Licentiam vero ad ordines suscipiendos nullam posse praelatum praebere declaramus, nisi provincialem in suâ provinciâ, et pro toto Ordine magistrum generalem; quibus iterum in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne cuiquam ex

fratribus nostris tribuant licentiam, vel eos permittant ad sacros ordines promoveri, nisi iuxta formam Concilii Tridentini, et cognitâ prius eorum sufficientiâ, debitâ aetate, morum honestate, et litterarum peritiâ a se vel examinatoribus comprobatâ; quibus sub eodem praecepto subiungimus ut in hoc examine se fideliter et exacte gerant. Ipsique, vel praelatus a quibus examinatus fuerit ordinandus, referant capitulo conventus quae circa eius habilitatem aut inhabilitatem compererint. Capitulum vero (ex illis tantummodo congregatum, qui sacris sunt initiati, eâdemque solemnitate et conditionibus, quas pro recipiendis ad Ordinem et professionem ordinavimus) procedat ad probationem per suffragia secreta, quam utique omni aequitate facient iuxta sufficientiam sibi a praelato vel examinatoribus declaratam, et iuxta mores et dignitatem vitae quam in ordinando fuerint experti; quorum si maior pars ordinando faveat, maneat approbatus; sin autem, repulsus donec de suis se defectibus corrigat et reddat habilem ordinibus. De his quidem omnibus commendator per litteras testimoniales certiorem faciat magistrum vel provincialem, ut rite et canonice suas litteras dimissoriales expediat.

IV. Obtentâ igitur iam licentiâ, strictissime praecipimus commendatori, ut, qui sacris ordinibus initiandus sit, per decem dies continuos non patiatur egredi de conventu nec cellâ, nisi ad actus conventuales et spiritualia communitatis exercitia, quibus ulterius alia superaddat, ut se ad novum statum condigne disponat, et indulgentiarum beneficia, quae Paulus V per dictorum se dierum spatium praeparantibus indulsit, assequatur.

V. Fratres clerici, qui sine licentiâ magistri generalis aut provincialis, eorumve locatenentium, seu falsatis vel suppositis eorum litteris, si qui[1] etiam quibuscumque aliis subreptitie suffulti sacros ordines susceperint, careant spe dispensationis in Ordine nostro ad illorum exercitium, et habitu exuti a magistro generali vel provinciali de consilio duorum praelatorum mittantur ad triremes per tres annos; de quarum tamen poenâ magister in capitulo generali cum eius definitoribus ex iustis solum et rationalibus causis poterit dispensare.

VI. Si frater laicus statum clericalem, et consequenter minores et sacros ordines suscipere intendat, nullo modo ad id indulgeri, nec facultatem a provinciali quacumque ratione obtinere valeat, nisi consultâ prius sacrâ Congregatione regularium, et cum illius expressâ approbatione, sub poenâ excommunicationis ac privationis vocis activae et passivae nec non officiorum et dignitatum, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, aliave in posterum obtinenda; in quo etiam taxatur potestas magistri generalis, sub eisdem poenis.

VI. Quod si frater aliquis laicus absque praedictis licentiâ et approbatione sacris ordinibus initiari ausus fuerit, confestim damnetur ad triremes per sexennium, quarum poenam sic severe infligimus, ut praelatos omnes, eam non exequentes, a divinis in utroque foro suspendamus.

Caput IX. De monialibus.

I. Cum omnibus utriusque sexus Deum in Ordine nostro colentibus debitores simus, nonnulla monialibus nostris conferre statuta decrevimus, ut de illis etiam quantum possumus provideamus; eas igitur omnes, quae subsunt nostro Ordini, ipsius magistro generali et provinciali subiicimus, quibus sit cura, ut illae regulam sancti patris nostri Au-

1 Edit. Main. habet *quae* (R. T.).

gustini sine offensione custodiant, necnon antiqua documenta et constitutiones sanctimonialium nostri Ordinis cum modificationibus aut reformationibus constitutionum particularium cuiuscumque provinciae vel conventus; in reliquis autem ad omnium illarum regimen et directionem pertinentibus canones Ecclesiae sedulo observari praecipimus.

II. Rursus declarando sancimus, ut solum ad magistrum Ordinis vel provincialem, seu utriusque locum tenentes, privative licentiam ad ingressum et professionem nostrarum monialium, in scriptis semper expediendam, conferre pertineat. Quocirca diligenter caveant, ne, quae ad chorum admitti postulant, ingressum assequantur, nisi perite noverint latine legere, ut debite Horas et divinum officium persolvere sufficiant. Iisdem quoque conditionibus, aliis de iure communi et suarum constitutionum particularium requisitis diligenter invigilent; quibus rite cognitis et examinatis, per se vel alios a se designatos, illas ad habitum et professionem suscipiant.

III. Cum et visitationes facere ad eos consequenter pertineat, similiter constituimus ut per se quoque, aut visitatores idoneos, earum monasteria semel in triennio visitent. Ulterius electionibus commendatricium praesideant, vel alios Ordinis fratres delegent, industriâ, zelo et prudentiâ praeditos, qui totam electionem peragant et conducant secundum decreta Concilii Tridentini, sessione XXV, cap. VI et VII.

IV. Insuper ordinamus, ut in definitorio capituli provincialis cuiuslibet provinciae eligantur confessarii pro singulis sanctimonialium domibus Ordini subiectis, viri quidem provectae aetatis, et sensuum potius canitie vel maturitate pollentes, literis etiam et prudentiâ decori, quibus severe praecipimus, ne aliquando clausuram monialum ingrediantur, nisi dum casus urgeat a iure permissus; quo tamen eveniente, nunquam solos eos ingredi patimur, sed cum uno socio viro similiter probato, qui ab eorum latere nunquam recedat, sed semper alter ab altero videatur.

V. Praeter hos autem, nemo ex aliis Ordinis fratribus, cuiuscumque conditionis existat, praedictam clausuram ingredi praesumat, quin facultatem a magistro generali vel provinciali in scriptis obtineat, quos enixe monemus ne in eâ elargiendâ nimis facile se praebeant et proclives, sed in casibus a iure et apostolicis constitutionibus dumtaxat praefixis, sub poenis et censuris in illis contentis.

VI. In conventibus denuo erigendis nullam monialium suffragium habere volumus pro electione commendatricis, nisi elapsis ab eorum constructione duodecim annis: interea tamen pertineat electio ad magistrum generalem vel provincialem, quibus inerit potestas eam faciendi de monialibus ipsius conventus vel alterius nostri Ordinis, prout magis expedire iudicaverint, quae quidem electio de triennio in triennium est semper agenda.

VII. Etiamsi moniales nostrae institutum et votum redemptionis opere adimplere non valeant, quia tamen mens et animus sunt satis ad meritum, et ferventis cordis oratio aliquando vincula contrivit, idcirco universis nostri Ordinis monialibus constituimus, ut in orationibus et spiritualibus exercitiis specialiter orent pro captivis et redemptoribus, eorum maxime, dum in redemptionis actu versantur, pro quibus, a dimissione illius usque ad regressum, eamdem deprecationem in choro facere praecipimus; prout superius distinct. II cap. VII ordinatum est.

VIII. Quocirca eisdem severissime praecipimus ut in suis ecclesiis capsellam arculamve habeant, in quam fideles pro redimendis captivis eleemosynas inferant; tandem in id iuste incumbant, ut sacrista seu alia persona singulis diebus praefatam eleemosynam exigat.

Caput X. De susceptione et regimine tertiariorum.

I. Monialibus utcumque directis, expedit etiam ut tertiarios non praetermittamus, de quorum pietate bonum in Christo odorem ab ipso religionis limine plerumque suscepimus. Ut illis ergo, cuiuscumque sexus extiterint, non sine delectu et consilio Ordinis pateat ingressus, praecipimus commendatoribus et praelatis localibus, ne unquam tertiarium aliquem vel tertiariam instituant, nisi praeviâ in scriptis magistri generalis vel provincialis facultate.

II. Circa tertiarias autem non claustraliter viventes nullam omnino licentiam a praedictis magistro et provinciali dispensari volumus, nisi prius fide digno testimonio eis constet de morum integritate et rei familiaris copiâ, quae victui sufficere possit, cum reliquis qualitatibus ad id iure requisitis.

III. Sub dictis ergo conditionibus, et non aliter, praefatus magister aut provincialis licentiam tribuant praelato locali ut possit eiusmodi feminas induere. Huic autem stricte praecipimus, ut tam in istis, quam in aliis cuiuscumque[1] sexus tertiariis induendis, servet omnino Breve Apostolicum SS. domini nostri Innocentii XI Ordini nostro expeditum, quod incipit *Nuper pro parte, etc.*, datum Romae die XXX septembris MDCLXXX, ubi statuitur non licere superioribus localibus Ordinis delegare auctoritatem conferendi habitum praedictis tertiariis, sed hoc pertinere ad ipsos privative; posse tamen semel indutos per se ipsos regere et instituere, vel, si mallent, aliquem fratrem Ordinis designare, virum probum et spectabilem, qui eos inserviat in iis quae observare debent.

IV. Omnibus vero tertiariis utriusque sexus, tam intra quam extra claustra degentibus, salubriter constituimus, ut primo regulam sancti patris nostri Augustini prae manibus habeant, et prout congruat statui inviolabiliter observent; ulterius etiam constitutiones pro ipsorum modulo et conditione contextas ad observantiam ducant, et super omnia sic praelatis obediant, ut, iuxta suum propositum aut simplicem votorum professionem, pie et laudabiliter vivere censeantur, et dignam retributionem promereant a Domino. De his ergo debet eos impense praemonere director illorum, et plus minusve huiusmodi regularis disciplinae observantias et obligationem commendare, secundum eorum distinctionem et vitae ab ipsis propositae differentiam.

V. Universis tamen pium onus pro captivis orandi subiungat, quia illorum redemptio est specialis finis Ordinis nostri, cuius habitum seu professionem qui quomodocumque susceperit, eorum subsidio respective se consecrat, ut pro illis redimendis, quantum possit et se adstrinxerit, elaboret, aut saltem pretium orationis impendat.

VI. Praeterea director tertiariis omnibus claustraliter viventibus declaret eos in huiusmodi pietatis praemium cunctis potiri gratiis, indulgentiis, peccatorumque remissionibus fratribus professis nostri Ordinis indultis, absque ullo penitus discrimine, iuxta formam et tenorem Bullae in eorum favorem a SS. Innocentio XI specialiter expeditae, quae incipit *Cum sicut*, sub datis Romae die VIII augusti MDCLXXXI; claustraliter vero non viventibus indulta edisserat et gratias ipsismet ab eodem Innocentio XI

1 Forsan legendum *utriusque* (R. T.).

concessas iuxta Bullae seriem *Nuper pro parte* incipientis sub datum ibidem die XXII eiusdem mensis et anni.

Caput XI. De confraternitatibus scapularii nostri Ordinis, deque institutione sodalitatibusque earum.

I. Quamquam ab antiquis temporibus, ex constitutionibus apostolicis, usus semper viguerit praefatam confraternitatem erigendi, ipsique alias extra Ordinem aggregandi; dudum tamen SS. Clemens IX in suâ Bullâ, quae incipit *Insuper eminenti*, sub datis Romae VII idus septembris anno Incarnationis Domini MDCLXVIII, sui pontificatus II, de integro facultatem indulsit tam magistro generali nostrae observantiae, quam etiam vicegenerali eiusdem Excalceatae familiae, eorumque respective procuratoribus generalibus, in perpetuum, ut utriusque sexus confraternitates, tam sub invocatione B. Mariae de Mercede, quam aliâ quavis nuncupatione, ubique locorum erigere et instituere valeat, illasque sic erectas et institutas illius archiconfraternitatibus aggregare, ipsisque communicare omnes eius gratias, privilegia et indulta, servatâ tamen formâ a SS. Clemente VIII super huiusmodi erectionibus et aggregationibus constitutâ.

II. Ex his autem ubicumque erigenda sit confraternitas nostri habitus sub invocatione B. Mariae de Mercede, tam in ecclesiis Ordinis, quam extraneis, semper id fiat de consensu, auctoritate et litteris magistri generalis Ordinis, vel eiusdem procuratoris generalis in Urbe, qui quidem consensus et litterae in capite libri ipsius confraternitatis intexantur.

III. Ut igitur in confraternitatibus erigendis forma a Clemente VIII praescripta servetur, praedictus primo magister aut procurator satagere debet ut ante omnia facultas ex Ordinario loci, ubi confraternitas sit instituenda, comparetur, cuius litteris testimonialibus sibi liquido constet de approbatione illius, et eius christianae pietatis, et statutorum quibus exercere intendit; secundo cavere debeat ne inibi, alibive locorum ad tria milliaria circumiacentium, alia prius confraternitas erecta sit, licet super hac distantiâ, ob iustam causam ab Ordinario loci approbatam, dispensare, et in loco viciniori novam institutionem facere possit; tertio ea tantum confraternitati, quam erigit, privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias et indulta communicare debet, quae Ordini nostro seu archiconfraternitati in specie sunt concessa, non autem, quae per extensionem vel communicationem indulta; neque insuper hanc communicationem faciat sub generali formâ, et ad instar, sed expresse et in specie singula privilegia et spirituales gratias referendo, prout specialiter continentur in Bullâ SS. Innocentii XI, quae incipit *Exponi nobis*, sub datis Romae, die XXIII decembris, anno Domini MDCLXXVII, et sui pontificatus III, aut in aliis quae nunc aut pro tempore emanaverint.

IV. Ad institutionem autem huiusmodi confraternitatis in ecclesiis nostris, semper a quibusdam discretis fratribus, unà cum futuris solidalibus, aliqua prius condantur statuta seu leges, quibus rècto ordine iuxta finem eius et pietatis officia dirigatur, inter quae id minime praetermittendum quod scilicet praelatus domus, vel frater alius ab ipso designatus, sodalium congregationibus intersit tamquam eorum director et voto gaudens decisivo in omnibus.

V. Et ne, quod in nostri Ordinis beneficium a Summis Pontificibus concessum fuit, ipsi aliquando noceat, ordinamus ut magister confraternitatem nostram in alienis ecclesiis praesertim regularium non instituat nisi sub hac expressâ conditione, quod, si noster Ordo

domum in eodem loco temporis decursu fundaverit, institutio confraternitis in alienâ ecclesiâ facta eo ipso penitus expiret, et nullius reddatur valoris, quin potius magister novam tunc erectionem in ecclesiâ nostrâ, servatis servandis, facere possit. Haec autem omnia sic firmare studeat, ut, tam superiores ceterarum ecclesiarum in quibus instituenda fuerit confraternitas, quam ipsi confratres, iuramento promittant, se numquam directe neque indirecte nec per alios impedimento fore, quominus nos, si occurrat occasio, novum monasterium acquirere valeamus, imo expresse protestentur se ad id, quatenus opus fuerit, ex nunc pro tunc suum praebere consensum.

vi. Ceterum, quia et erectio nostrae sodalitatis scapularii, et aggregatio alterius ad illam, semper debet cedere in beneficium redemptionis, ut in illam utraque, iuxta mentem et verba praefati Clementis X, sedulo incumbat: idcirco tam sodalibus nostrae Confraternitatis de Mercede, quam alterius isti aggregatae statuimus, ut primo sodalem aliquem designent, qui diebus festis petat eleemosynam pro captivis in ecclesiis ad praedictas confraternitates respective pertinentibus; secundo, ut singulis diebus omnes sodales utriusque sexus ter orationem dominicam et toties salutationem angelicam recitent pro patientiâ et fortitudine captivis fidelibus impetrandâ; tertio, ut confratres nostri ieiunent sabbatis omnibusque vigiliis festorum beatae Virginis Mariae, praecipue revelationis et apparitionis eius ad nostri Ordinis fundationem.

vii. Qui ergo confrater esse voluerit rite et recte susceptus, et bonorum omnium spiritualium, quae nostrae sodalitati scapularii ex dispensatione apostolicâ sunt concessa, fieri particeps, in libro confraternitatis conscribi debet, et scapularium ab aliquo superiore Ordinis vel ab eo potestatem habente benedictum, unâ cum scuto, suscipere, iuxta formam sequenti capite tradendam, illudque iugiter deferre, quamquam, eo amisso usuve consumpto, possit aliud non benedictum assumere. Potestas autem ad benedictionem scapularii praestandam sit privative penes omnis Ordinis praelatos, hoc tamen servato discrimine quod magister potest illud pro totâ Ecclesiâ benedicere; provincialis pro totâ provinciâ; et uterque pariter benedictionem et traditionem eius delegare; praelatus vero localis non ab benedictionem, sed ad traditionem dumtaxat illius, suam facultatem subdelegare valeat. Insuper, ut sodales actu consequantur indulgentias et gratias nostrae confraternitati concessas, debent opere implere omnia pietatis opera, quae pro singulis assequendis constituta sunt a Summis Pontificibus.

*Caput XII. De suscipientibus ex devotione scapularium et recipiendis ad beneficia Ordinis et formâ utriusque servanda.*

i. Si aliquis ex devotione habitum nostrum vel scapularium cum Ordinis signo gestare voluerit, prius illud benedicatur a praelato vel ab eo potestatem habente, qui simul induat postulantem, et utrumque fiat ut sequitur:

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam,

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Domine Iesu Christe, qui regimen nostrae mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensae largitatis tuae abundantiam, ut hunc habitum, quem sancti patres ad innocentiae et sanctitatis indicium ferre sanxerunt, ita bene†dicere digneris, ut, qui usus fuerit, te induere mereamur. Qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

Deinde aspergat habitum aquâ benedictâ, et eo postulantem induat dicens:

*Ego, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, et apostolorum Petri et Pauli, et mihi ab Ordine commissâ, do tibi habitum religionis nostrae, propter devotionem quam geris ad sacratissimam et immaculatam Matrem Dei Mariam, et Ordinem eius suo nomine fundatum, cum quo in praesenti gratiam Spiritus Sancti adipisci valeas, et in futuro saeculo gloriam aeternam, quae praemium est electorum. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Postea dicatur hymnus *Veni Creator Spiritus*, (vid. distinct. IV, cap. IV).

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur,

℟. Et renovabis faciem terrae.

℣. Salvum fac servum tuum,

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, ut hunc famulum tuum (*vel* famulam tuam) bene † dicere digneris, cui in tuo sancto Nomine habitum sacrae religionis nostrae imponimus, quem ex devotione cupit portare dum vitam duxerit in humanis, ut, te largiente, et devotus (*vel* devota) in Ecclesiâ persistere, et vitam percipere mereatur aeternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

II. Si quis vero desiderat fraternitatem nostram, et beneficiorum Ordinis nostri participem fieri, constituatur flexis genibus ante praelatum, qui stans dicat: *Ad te levavi, etc. Gloria Patri, etc.* ut in distinct. III, cap. XV; deinde *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster.*, etc.

℣. Et ne nos inducat in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum,

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Praetende, Domine, famulo tuo (*vel* famulae tuae) dexteram caelestis auxilii, ut te toto corde perquirat, et, quod digne postulat, assequatur. Per Christum, etc.

*Et ego auctoritate Domini nostri Iesu Christi, et apostolorum Petri et Pauli, et potestate mihi ab Ordine commissâ, do tibi participationem in omnibus quae Dominus dederit fieri per fratres nostros, sive sint missae, orationes, ieiunia, vigiliae, disciplinae, praedicationes, vel alii labores, maxime redemptionis captivorum, ad quam noster Ordo dicatus est, sive alia quaecumque bona, ad quae omnia et singula te recipio. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Similis forma in benedicendo, tradendoque habitu confratres fieri volentibus observetur.

## DISTINCTIO QUINTA.

### *De culpis et transgressionibus regularibus earumque poenis.*

Sicut Dominus primo plantavit paradisum, deinde vero hominem a se conditum in eo posuit qui operaret et custodiret illum, et tertio tandem poenâ mortis deterruit, si legem sibi latam frangeret, nec iuxta loci sanctitudinem viveret: ita nos pariter ab initio in primis tribus distinctionibus paradisum religionis nostrae in totâ substantiâ et integritate plantavimus, in quartâ vero fratres posuimus qui operentur et custodiant disciplinam eius, nunc autem, cum ad quintam accedimus, eam de transgressionibus et poenis usque ad exilium et repulsam ab hoc paradiso instituimus.

I. Audito hîc nomine culpae, caveant fratres, ne per illud culpam essentialem aut theologicam semper intelligant, quae mortaliter aut venialiter laedat; nomen enim culpae in praesenti, si consideretur ut pura transgressio simplicis constitutionis aut regulae, solum usurpari debet pro culpâ legali, quatenus respicit poenam legis, cui nos omnes etiam sine verâ culpâ subiicimur. Alia vero transgredi possumus, quae ex qualitatibus vel materiâ ad culpam essentialem pertineant.

Caput I. De culpis regularibus et poenis earum in genere.

II. Culpas autem huiusmodi in quatuor genera dividimus, videlicet in levem, gravem, graviorem et gravissimam. Illam quidem levem appellamus, quae ex levi aut veniali malitiâ committitur, vel est tantum pura regularis transgressio ex solâ inadvertentiâ cum fragilitate et absque ullâ speciali malitiâ procedens. Reliquas vero vel dicimus graves ex solo maiori pondere materiae a regulâ tantum seu constitutionibus simpliciter ordinatae, etiamsi absit malitia et vera ratio culpae, vel eas graviores aut gravissimas nuncupamus ratiône adiuncti praecepti contemptûs, seu gravis malitiae, secundum magis et minus ex lege divinâ vel ecclesiasticâ provenientis.

III. Et licet ad haec quatuor genera culparum omnis transgressio regulae, constitutionum, votorum, et quorumque praeceptorum reducatur, eo quod materia sit semper ex se vel circumstantiis levis, gravis, gravior aut gravissima; non omnes tamen, sed aliquas[1] tantum sub distinctis generibus immediate constituimus, non solum quia eas diligentius vitari intendimus, sed eo maxime, ut praelati ad earum similitudinem pro reliquis poenas inferant, ubi non fuerint a lege taxatae, et cum opus fuerit eas prohibere sub poenâ gravis, gravioris aut gravissimae culpae, mensuram in exemplis habeant unde poenas prudenter et prohibitiones addiscant.

IV. Tandem itaque, ut circa poenas culparum inferius designandas, et universim omnes alias quae sunt in nostris constitutionibus dispersae aut a praelatis imponendae, recta ratio habeatur, ut tam iure quam prudentiâ delinquentibus inferantur, decernimus et declaramus, quod nullis poenis in constitutionibus seu alibi inflictis (nisi sit poena excommunicationis latae sententiae) sit aliquis in Ordine obnoxius usque dum praelati declaratio superveniat.

Caput II. De levi culpâ.

I. Cum de parvis transgressionibus agimus, quas vel nulla aut levis malitia perpetrat, non omnes quidem ad censuram ducimus, sed quas specialiter regularis observantia commendat, et magis vitari intendimus, unde levis culpa est. Si quis mox, ut signum factum fuerit, non statim relictis omnibus ad chorum devote et festinanter Deum laudaturus se conferat; si quis in choro legendo cantandove offenderit, et non statim coram omnibus humiliter se prostraverit; si quis divino officio non intentus, vagis oculis et motu incomposito aliquam mentis levitatem ostenderit; si quis in ecclesiâ, refectorio, aut dormitorio silentium fregerit, vel strepitum aliquem concitaverit, seu ibidem riserit, sive aliis fratribus causam ridendi praebuerit; si quis lectiones vel alia quae in choro legere aut cantare debuit, non satis ea praeviderit.

II. Item levis culpa est si quis eleemosynas redemptionis exigendo, sive inter saeculares quomodocumque versando, otiosa locutus fuerit vel commiserit; si quis in vigiliâ Natalis Domini non interfuerit mature capitulo, ut, praenuntiatis redemptionis nostrae exordiis, Deo Redemptori nostro mente et corpore gratias referat; si quis dormitando in choro se non sobrium ac devotum insinuet.

III. Insuper levem culpam dicimus, si quis altaris vel ecclesiae ornamenta seu libros non advertenter et accurate tractaverit; si de concessis ad usum alicui fratri nonnulla pauca sine ipsius licentiâ acceperit; si quidquam utensilium fregerit vel emiserit[1]; si quid cibi aut potus effuderit, aut de huiusmodi quidpiam sine benedictione sumpserit;

1 Edit. Main. legit *aliquos* (R. T.).

1 Forsan *amiserit* (R. T.).

si quis horam, qua in conventum debet venire, protraxerit; si communi refectioni aliquando non adfuerit; si commune mandatum leviter impositum praeterierit.

IV. Denique levem culpam incurrit, qui vestes suas aut libros loco statuto non deposuerit ordinate, vel eis negligenter usus fuerit; si quis leve mendacium dixerit; si quis litteras scribat vel recipiat sine speciali licentiâ praelati; si quis de victu et vestitu querimoniam fecerit.

V. De his ergo aliisque similibus fratres se in capitulo accusent, et aliis[1] humiliter veniam postulantibus, iniungatur a praelato aliquis psalmus in poenam, quem flexis genibus recitent, vel quod terram aut pedes fratrum humiliter deosculentur; qui autem de illis non se accusaverint, maiorem poenam subeant, iuxta superioris arbitrium. Sciant tamen omnes, qui hanc humilitatem impleverint, lucrum indulgentiarum assequi a Paulo V apostolicâ dignatione dispensatum.

Caput III. De gravi culpa.

I. Gravis culpa est, si quis ultra modum cum aliquo in iudicio contenderit; si frater cum fratre intra vel extra monasterium litem habuerit; si quis alicui fratri aliquam non gravem contumeliam obiecerit; si quis in alium fratrem se verbis inordinatis invexerit; si quis ieiunia Ordinis sine iustâ causâ violaverit; si quis ad communes disciplinas non convenerit; si quis ab oratione mentali semel atque iterum abfuerit; si quis ad capitulum quotidianum non accesserit; si quis silentium non tenere in consuetudinem duxerit.

II. Rursus gravem culpam statuimus, si quis sibi concessa vel donata suscipiat sine praelati licentiâ; si quis rem parvi momenti sibi collatam celaverit; si quis oculos ad vana saeculi immodeste direxerit; si quis indumenta vel aliud aequalis seu maioris ponderis ex concessis ad usum alicui fratri propriâ auctoritate sibi applicare praesumpserit.

III. Insuper gravis culpa est, si quis aliquid cum iuramento sine necessitate negaverit vel protulerit; si quis immodestum sermonem, vaniloquium aut scurrilia dixerit, vel (quod gravius est) in usu habuerit; si quis leve mendatium de industriâ profudisse repertus fuerit; si quis aliquid dixerit vel egerit quo fratres iuste, non tamen graviter, offendantur; si quis in officio, cui praepositus est, negligenter se gesserit, ut sunt commendatores, procuratores, clavigeri, aut alii quicumque, qui munus sibi impositum levi expleant sollicitudine; si quis fratri praeteritam culpam (levem scilicet aut gravem), pro qua iam satisfecerit, exprobaverit; si quis cum feminâ vel suspectâ vel in loco suspecto locutus fuerit.

IV. Ulterius ut gravis culpae reum puniri statuimus, si quis, cum licentiâ praelati egressus a monasterio, ultra terminum assignatum moram fecerit; si quis de viâ veniens eâdem horâ benedictionem a praelato non susceperit; si quis interiorem laneam tunicam sine dispensatione praelati, si vestes insuper laneas et omnino albas, etiam iter faciens, non induerit; si quis in ipso itinere vel ubicumque extra domum signum Ordinis vel sursum non gestaverit; si quis cum fugitivis et apostatis, quamdiu poenitent, consuetudinem et familiaritatem habuerit; si quis, ubi conventus Ordinis adest, extra illum pernoctare ausus fuerit.

V. Amplius gravis culpa sit, et severissime vindicanda, si quis publice pilam, publice vel privatim talos, ludifolia aut alia sortiludia de iure prohibita, seu quoscumque profanos ludos exercuisse repertus fuerit.

1 Forsan *illis* (R. T.).

VI. Adhuc culpam gravem dicimus, si quis molestiam, iniuriam aut quodcumque aliud damnum, sibi a fratribus illatum, parentibus, cognatis vel amicis quasi pro solatio aperuerit; si quis petitiones et litteras, quae pro negotiis conventuum mittuntur ad superiores, subscripserit, nisi prius in capitulo pleno legantur, ibique publice subscribantur ab omnibus; si quis aliquam de his gravibus aut levibus culpis in se vel alio proterve defenderit.

VII. Pro his ergo et similibus culpis, qui veniam sine proclamatione exoraverit, correptione susceptâ, vel etiam disciplinâ adhibitâ, si iuxta qualitatem culpae praelato placuerit, tres dies in pane et aquâ ieiunet; proclamatus autem et in confessione[1] obduratus, si sit aliunde convictus, iuxta duritiam sui cordis districtius a praelato puniatur.

Caput IV. De graviori culpa.

I. Ad graviorem culpam sequentia crimina ducimus. Primo enim si quis peccatum lethale commiserit; si quis latro domesticus vel ebrius deprehensus fuerit; si quis in patres maiores aut stirpem alicuius fratris turpe quidquam vel indecorum obiecerit, vel eadem in iudicium Ordinis deferat, quae testimonio nostrorum fratrum probare nequiverit; si quis de bonis sibi collatis, sive ad usum permissis, quidquam in materiâ gravi praelato celaverit; si quis ieiunia ab Ecclesiâ locis seu dioecesibus instituta temere violaverit; si quis litteras cuiuscumque ad se non directas resecare, legere aut abscondere audeat, nisi fuerit praelatus illius ad quem diriguntur; si quis in curiâ saeculari pro causâ alienâ testimonium cum iuramento perhibeat sine licentiâ praelati, et potissime si pretio, odio vel amore id praestiterit; si quis praeceptum obedientiae a praelato vel constitutionibus impositum praeterierit; si quis votum castitatis temeraverit.

II. Ad hanc etiam culpam trahimus si per contumaciam vel manifestam rebellionem suo praelato fuerit inobediens, vel cum eo proterviter contendere ausu temerario praesumpserit; si quis pro declinandâ obedientiâ sibi vel alteri iniungendâ seu positâ, vel pro conventualitate assequendâ seu mutandâ, vel pro impetrando officio, dignitate aut gradu, sive pro aliis quibuscumque a praelatis Ordinis obtinendis per se vel alium favores extra Ordinem procuraverit.

III. Id genus praeterea sunt, si praelatus infirmis fratribus, quae medicus praeceperit et eorum valetudini fuerint necessaria, non opportune providerit; si quis sine voce vel munere ad capitulum generale vel provinciale accesserit sine speciali licentiâ in scriptis a magistro vel provinciali respective concessâ; si quis, scribens ad capitulum de his quae ad statum Ordinis aut alicuius domus monere conveniat, vera non scripsisse convictus fuerit; si commendator, rationem reddens in capitulo de domo sibi creditâ, definitorium falsâ narratione deceperit; si quis aditum feminis ad clausuram patefecerit, easve deduxerit aut intrasse permiserit; si quis sine licentiâ praelati a monasterio egrediatur.

IV. Iterum culpa gravior est, si quis bona Ordinis, ad curam sibi tradita, dissipaverit; si quis ab statutis, ordinationibus et correctionibus Ordinis vel commendatorum obedientiâ ad alium iudicem appellaverit, vel etiam si praelatos legitimos et ordinarios recusatione depulerit; si quis, extra viam iuris, exemptionem ab Ordinis obedientiâ vel correctione procuraverit; si quis fratrem vel Ordinem nostrum in aliquod apud alias quascumque personas diffamaverit;

[1] Videtur legendum *in inconfessione* (R. T.).

si quis arma offensiva habuerit vel portaverit; si quis in sententiam excommunicationis rite latam scienter inciderit.

v. Qui ergo huiusmodi culpas commiserit, si de his proclamatus sponte confiteatur et veniam obsecrans immanitatem sui sceleris lacrimabiliter planxerit, vapulet iuxta qualitatem suae resipiscentiae et criminis, et per duos menses incarceratus, omnibus sextis feriis in refectorio super nudam terram ieiunium panis et aquae sustineat; aliis vero diebus, sicuti ceteri fratres reficiatur. Quod si inconfessus et renuens legitime convincatur, praedicta severius augeatur poena, iuxta discretionem praelati.

vi. Si autem poena carceris minuatur, et praelatus ei communem societatem indulgeat, nihilominus praedictam abstinentiam eodem modo indeficienter compleat, donec praefati duo menses finiantur, et sit interea omnium novissimus in conventu, et qui ob culpam perpetratam non erubuit membrum fieri diaboli, ad tempus (ut resipiscat) a consortio ovium Christi maneat segregatus, per quod in eam humilitatem deveniat, ut, quatenus seiungitur a societate fratrum, ita angelorum consortio se agnoscat indignum. Ipse vero, quamdiu in hac poenitentiâ versatur, nullo fungatur officio, nisi transactis praedictis duobus mensibus, neque in aliquo vocem habeat, nisi in accusatione sui. Illis vero elapsis, et peractâ huiusmodi poenitentiâ, ad pristinum statum reducatur.

vii. Quoniam autem, praeter dicta crimina, sunt alia nonnulla sub genere gravioris culpae designanda, quae, ob specialem sui malitiam, speciales quoque poenas exigunt ultra superius declaratas, idcirco sequentia addere constituimus. Si quis enim gesta nostri Ordinis, punitiones, aut alia quae prudenter decet signari silentio, in medium proferat et aperiat, graviorem culpam commisisse declaramus, et, praeter communem poenam, de cetero huiusmodi proditorem[1] Ordinis ab universis eius consiliis et electionibus perpetuo depellimus. Si quis fratrem a carcere extraxerit, aut instrumentum porrigat quo illum et vincula incarceratus fregerit, eiusdem culpae reum facimus, eisdemque poenis obnoxium, quas merebatur extractus. Si quis ulterius conspirator extiterit, quoad vixerit, ad aliquam administrationem temporalem aut spiritualem nostri Ordinis sit ineptus. Si quis sigillis provinciarum aut Ordinis utatur, et cum illis litteras magistri aut provinciarum confingat, omni voce activâ et passivâ sit perpetuo privatus, nec illi ad honores ulterius litterae faveant, quas temerarie[2] praesumpsit. Si quis denique usurariam artem seu mercaturam vel negotiationem aliquando instituerit, praeter excommunicationem, suspensionem et alias poenas a iure inflictas, graviorem culpam cum poenis eiusdem incurrere declaramus, et aliis insuper ad arbitrium praelati pro criminis qualitate subiicimus.

Caput V. De gravissimâ culpa.

i. Ante omnia, gravissima culpa est incorrigibilitas illius qui nec culpas veretur admittere, nec poenas recusat ferre, vel ex earum saepius repetitâ inflictione prudenti iudicio cognoscitur non proficere. Item gravissima culpa est, si quis manus in praelatum iniecerit; si quis diabolicâ temeritate feminas ad malum et turpem finem in clausuram induxerit, vel ibi cum aliquâ turpiter egisse auxiliove fuisse deprehensus fuerit; si quis secreta et consilia, quae in capitulis versantur, saecularibus aut aliis quibuscumque detexerit, unde damnum seu infamia aut Ordinis divisio proveniat;

1 Edit. Main. legit *proditorum* (R. T.).
2 Forsan *temerare* (R. T.).

si quis collector eleemosynarum redemptionis, indulgentias Romanorum Pontificum ab Ordine non obtentâ[1] populis praedicare praesumpserit.

II. Frater autem qui scelera praedicta commiserit, vel alia quaecumque a praelatis, quando fuerit opus, sub hoc genere costituta, detrudatur in carcerem tempore sex mensium ferreis vinculis morandus, vel diutius, iuxta meritum criminis et praelatorum prudentiam; unde omnibus quartis et sextis feriis sub eisdem vinculis extractus ad conventuale prandium ducatur, ut coram fratribus in medio refectorii ieiunet in pane et aquâ, et dignam flagellationem suscipiat; si fuerit clericus totum illius caput ad instar laici tondeatur, et sic maneat toto tempore quo poeniteat; si vero fuerit presbyter, et ratione aliquâ poena vinculorum et carceris ex parte ipsi dimittatur, sit tamen a celebratione et sacrorum ordinum exercitio suspensus omni tempore pro suo luendo crimine in hac nostrâ constitutione praefixo; excarceratus autem, cuiuslibet ille conditionis extiterit, per duos menses caputio et scapulario intra monasterium exutus incedat. Clericis vero et laicis addimus ut praefatis duobus mensibus sint in conventu novissimi.

III. Sed quia in his etiam, sicut in gravioribus, ultra relata crimina, sunt alia sceleratioria, quae ex sui magnitudine graviores poenas a iure taxatas habent, vel paefatis exigunt ab Ordine severiores, hac de causâ decernimus gravissimam esse culpam si quis bullas seu instrumenta Pontificum confingere attentaverit, aut illis confectis usus fuerit; si quis etiam falsam pecuniam excusserit vel in usum populi iniquâ fraude disperserit; et, ut plura id genus scelera uno verbo amplectamur, culpam gravissimam ducimus omne illud crimen, quod apud saeculum poenam capitis promeretur, necnon illud quod iure communi aut nostrarum constitutionum triremibus dignum sit.

IV. Illis igitur, qui talia perpetraverint, debite prius et rite convictis, et ante omnia praefatis macerationibus iam correptis, poenam ipsarum triremium assignamus pro tempore a praelatis decernendo iuxta gradum et qualitatem criminis, quam magister aut provincialis cum duobus definitoribus aut praelatis iudicialiter inferat, non quidem per expulsionem ab Ordine, sed per habitus expoliationem. Sic autem damnatus, elapso iam tempore poenitentiae, tenetur ad Ordinem regredi et suis praelatis praesentari, quem et isti similiter tenentur suscipere et conventualitatem assignare, ut inter fratres habitu communi indutus communi consortio perfruatur. Volumus tamen ut inter ipsos sit insuper antiquitate posterior et perpetuâ infamiae irregularitate obstrictus, quam ex suo delicto vel poenâ contraxerit, et ita quidem irremissibiliter, ut solâ auctoritate apostolicâ valeat relaxari.

V. Qui autem ita damnandus sit ad triremes, si ante definitivam sententiam earum iam expleverit incarcerationem et alias poenas culpis gravissimis superius designatas, nihilominus in carcere detineatur, donec illa fuerit lata a praelato eâdem formâ ut superius.

**Caput VI.** De crimine apostatae et fugitivi.

I. Declaratis huiusmodi, et aliis sequentibus specialiter providere decrevimus ut specialem immanitatem criminum ostendamus et quam severe vindicari debeant, cum essentialem professionem et totam eius substantiam prostituant. Quicumque igitur suae vocationis oblitus in apostasiam inciderit, aut habitum temere dimiserit, vel, eo etiam retento, ab Ordine fugam arripuerit, ipso facto

1 Vel *obtentas* vel *non obtentâ licentiâ* (R.T.).

sciat se esse excommunicatum, in quam ex nunc ipsum declaramus incursum.

II. Praeter has, insuper poenas gravissimae culpae superius illatas ipsis superaddimus, cum distinctione tamen exequendas iuxta diversitatem criminum et circumstantias eorum. Ceterum, qui temere habitum dimiserit[1], praeter omnia praedicta, sit etiam in conventu novissimus, et propriam antiquitatem non obtineat donec per magistrum Ordinis aut provincialem cum eo fuerit dispensatum, modo dispensatio non fiat nisi duobus post annis a regressu ad Ordinem; et detracto inviolabiliter toto tempore apostasiae quo profugus et alienus ab Ordine permanserit.

III. Quod si secundo apostataverit, vel aufugerit, dicta poena duplicetur; et pariter idipsum fiat singulis vicibus quibus talia commiserit. Si vero in se reversus ad religionem suâ sponte redierit, et humiliter ad pedes praelatorum veniam exoraverit, illum tamquam prodigum ad domum patris revertentem benigne suscipiant, et mitius cum illo se gerant, nec cum omni acerbitate praedictis poenis subiiciant, sed eas, iuxta humilitatem, lacrymas, poenitudinem, et labis etiam magnitudinem, temperent.

IV. Ut ergo huic Ordinis malo et ipsis eius desertoribus[2] praelatis, ut apostatas et fugitivos nostri Ordinis, si quos noverint evagari, diligenter inquirant, et persequantur per se et per fratres sibi subditos, et ubique captos ad Ordinem reducant. Quem autem praelatus comprehenderit, vinctum in carcere sui conventus detineat, aut in alium intra Ordinem tutius servandum transferri faciat, et interea certiorem de illo provincialem reddat, ut conventum ipsi designet, ubi, iuxta decreta Urbani VIII, poenitentiam facere, et poenas solvere debeat.

V. Cum autem apostata ex alienâ provinciâ fuerit, id generali magistro et provinciali, cuius ille sit subditus, denuntiet, ut ad eumdem poenitentiae finem de assignatione conventus et illius in eum conductione provideant. Si vero praelati apostatas et fugitivos susceperint, vel eos, ut praedicitur, sibi notos exactâ sollicitudine non requirant, gravissimas se noverint poenas ipso facto incurrere, auctoritate SS. Urbani VIII a sacrâ Congregatione Concilii Tridentini severissime latas, tam privationis officiorum actualium, quam vocis activae et passivae, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, et cum reservatione ad Sanctissimum.

VI. Si quis insuper cum feminâ fugam ceperit, aut secum bona Ordinis direpta vel expilata detulerit, puniatur sicut ille qui bis Ordinis desertor extiterit.

VII. Qui vero septa monasterii frangens, et ab illo in effectu recedens, veram apostasiam vel fugam inceperit, et paulo post revertatur, licet brevitas temporis nec veram tollit apostasiam aut fugam, vel excommunicationis incursum, atque adeo absolvendum esse ab illâ censeamus; nolumus tamen ut ita graviter puniatur ac ceteri, nec poenis gravissimae culpae subiaceat, sed tantum gravioris, quas adhuc attemperare poterit praelatus iuxta temporis morulam, et revertentis humilitatem et lacrymas.

VIII. Ne ergo haec et alia crimina, ob processus defectum vel praelati silentium, impunita maneant, omnibus praelatis, etiam magistro generali, districte praecipimus, ut contra huiusmodi criminosos, ac etiam proprietarios, incorrigibiles et quoscumque alios graviorem et gravissimam culpam committentes, processus et causas diligentissime in-

1 Edit. Main. legit *dimiserint* (R. T.).

2 Aliqua desunt, ex. g. *provideatur, committimus* (R. T.).

struant et perficiant usque ad definitivam sententiam, iuxta formam regularibus praescriptam; finitos autem, custodiri et servari provideant in archivio communi cuiuslibet provinciae usque ad obitum delinquentis. Quod non tantum eo fine instituimus ut praedicta crimina rite et recte secundum iura puniantur de facto, sed etiam ut post eorum punitionem, si castigatus nova crimina adiiciat, vel in iam correcta relabatur, constare posset de illius incorrigibilitate, si ulterius procedendum sit ad expulsionem, vel an gravius plectendus ex occasione relapsûs; post obitum vero delinquentis omnes dicti processus comburantur.

IX. Quocirca volumus, ut nec provincialis, nec magister Ordinis tales criminosos possint a delicto absolvere, eorumve processus et causas suspendere, sed illas ad definitivam usque sententiam ducere et duci facere rite et debite concludendas ad praefatos fines, processuumque custodiam. Quod si generalis vel provincialis huic ordinationi non pareant, in proxime sequenti capitulo corrigantur.

X. Qui iuxta regularium formam iuridice fuerint convicti de triplici apostasiâ, vel fugâ, cum iam in primâ et secundâ processerit debita correctio, confestim pro tertiâ fugâ vel apostasiâ triremium sententiam subeant per tres annos.

XI. Fratribus autem praecipimus ut cum apostatis et fugitivis, dum in domibus nostris poenitent, nullam familiaritatem instituant.

XII. Tandem qui semel apostataverit, de cetero ad nullum officium vel administrationem temporalem aut spiritualem admittatur, nisi per provincialem aut magistrum post quatuor annos a regressu ad Ordinem cum eo fuerit dispensatum.

Caput VII. De crimine proprietatis.

I. Ut proprietatis iniquitas, quae est omnium malorum radix et origo, ex fratrum cordibus deleatur, et haec evangelicâ dilectione paupertatis incaleant, commendatoribus universis, sub poenâ privationis officii per sex menses, statuimus, ut, die iam superius in hac nostrâ constitutione praefixo ad inventarium de concessis ad usum praelato resignandum, congregato capitulo, fratres suos de perfectâ rerum temporalium abdicatione ferventer admoneant, illisque pariter infligant vel denuntient excommunicationis sententiam iure huius nostrae constitutionis illatam, aliasque de iure poenas adversus hanc execrabilem proprietatis malitiam et cordis cupiditatem incussas, quam eisdem et esse sacrilegium et veram furti foeditatem includere prudenter exponant.

II. Si quis autem de proprietate convictus fuerit, praeter gravioris culpae poenas et excommunicationis maioris sententiam illius[1] superius impositas iuxta decreta Concilii Tridentini, eum per biennium voce activâ et passivâ privatum declaramus: pecunias vero aut alia quaecumque bona illius, qui de proprietatis crimine convictus fuerit, commendator apprehendat, statimque moneat magistrum et provincialem, ut de illis prudenter et cum aequitate provideant, attento iure domus vel cuiuscumque alterius, ad quem ex aequo pertineant.

III. Frater insuper qui per se vel alium mercaturam aut usuram instituit, seu etiam ille qui bona et res conventus aut Ordinis furtive et quomodolibet iniuste alienaverit, tamquam vere proprietarium praesenti constitutione declaramus, et poenis eiusdem criminis subiicimus.

IV. Qui autem proprietarius (quod Deus arceat) e vitâ decesserit, tamquam Iudae

1 Vel *illis* vel *illi* legendum (R. T.).

socius sepulturâ ecclesiasticâ privatus, in campo sepeliatur.

Caput VIII. De appellationibus et recusationibus frustratoriis.

i. Cum naturae humanae conditio prona et facilis sit ad malum, et plures sui status et professionis immemores litigia et discordias occasione appellandi anxie perquirant, ut sub querimoniarum, supplicationum et appellationum velamento evagandi ansam arripiant, et sub sanctitatis praetextu bona Ordinis in detestabiles usus consumant in nostrae religionis iacturam et divinae maiestatis offensam, praesenti constitutione in virtute Spiritus Sancti et sub excommunicationis sententiâ praecipimus, ne quis capitulo, vel extra in aliquo loco, quacumque dignitate in Ordine, statu vel conditione sit praeditus, audeat ab statutis, ordinationibus, correctionibus vel obedientiâ magistri generalis, provincialis, definitorii, aut cuiuscumque praelati alium iudicem (salvâ semper auctoritate apostolicâ) appellare, vel per viam appellationis aut cuiusvis querimoniae eorum iudicio non acquiescere.

ii. Transgressor vero huius dispositionis ut poenam gravioris culpae absque spe relaxationis incurrat constituimus, quam si forte sustinere renuerit, ex nunc pro tunc ipso facto excommunicamus, rursus etiam illum in carcerem includi praecipimus, inhabilemque ad omnem administrationem spiritualem vel temporalem manere in perpetuum. Qua de poenâ solus per se magister vel provincialis cum definitorio, et praeviâ correctione, ac validis poenitentiâ gemitibus, dispensare possit.

iii. Quod si in eam vesaniam audaciamque devenerit, ut ad profana saeculi tribunalia confugiat, et ad illa, quovis praetextu aut quaesito colore, causas Ordinis et earum appellationes deferat, quicumque ille fuerit, et quavis conditione, dignitate vel gradu insignitus, se noverit incursurum in excommunicationis sententiam a sanctissimo Clemente VIII in huiusmodi audaces severissime latam, solique Romano Pontifici citra mortis articulum reservatam, necnon in privationem perpetuam utriusque vocis, officiorum et dignitatum, ac etiam inhabilitatem ad illa, ipso facto et absque declaratione aliquâ: quas poenas non dissimiliter participant omnes illi qui directe aut indirecte favent et consulunt praefato recursui.

iv. Similiter etiam praecipimus ut nemo ex nostris fratribus in suis causis iudicialibus praelatos Ordinis legitimos et ordinarios recusare valeat, nisi iusta adsit et gravissima ratio, quam recusator probare teneatur, nec illa valorem habeat priusquam esse rationabilem censeatur per duos patres, ab eo videlicet eligendos qui praelati recusati superior fuerit immediatus. Probatio autem a recusante fiat intra terminum a praedictis patribus sibi designatum. Interea vero, dum intra illum de iustâ recusatione agitur, praelati recusati causas, quae apud illos versantur, omnino suspendant. Si autem recusator in probatione defecerit, voce activâ et passivâ maneat per decennium privatus, et biennio sub poenâ reclusionis et gravioris culpae de suâ levitate et temeritate poeniteat.

Caput IX. De impetrantibus favores et litteras deprecatorias pro captandis honoribus.

i. Cum in electionibus ad officia et collationibus dignitatum Ordinis summopere cavere debeamus ne haec eadem per favores extraneos aut potentum deprecationes et litteras extorquentur a fratribus, unde vel Ordo eiusque regimen obturbetur, seu deprimatur aequitas, vel praelati in arcto positi pendeant, a favoribus autem amoventes deprecantium in se vel Ordinis indignationem concitent; idcirco sub formalis obedientiae praecepto statuimus et ordinamus, ut nemo ex nostri Ordinis fra-

tribus ab aliquâ personâ extra illum, quacumque dignitate, gradu, vel eminentiâ praecellat, neque a communitate aliquâ populi, vel urbe, seu quolibet alio senatu, congregatione vel coetu, per se, vel alium, aut alios, preces vel litteras deprecatorias, comminatorias, monitorias, commendatorias, aut quascumque alias, ad magistrum generalem, provincialem, capitulum, vel eius definitores, seu etiam ad Ordinem quovis modo directas, pro dignitate aliquâ, officio, aut alio quocumque honore obtinendo, quomodolibet impetret, vel impetrare contendat.

II. Si quis autem aliquid de praedictis, tam in genere quam in specie, hac viâ procuraverit, vel etiam obtinuerit, necnon qui dictis favoribus aut litteris impetrandis auxilium dederit, aut eorum quoquo modo impetrationem participaverit, ac etiam qui illis oblatis et minime conquisitis usus fuerit, praeter poenam gravioris culpae, privatus maneat voce activâ et passivâ, ac omnibus honoribus, gradibus et officiis obtentis, et cum perpetuâ inhabilitate ad illa, quas poenas ipso facto incurrendas declaramus; universis vero praelatis praecipimus, ne illas unquam aliquâ ratione modificent, nec praefatis litteris aut favoribus quomodolibet acquiescant.

III. Quod si frater aliquis extra praedicta pro quavis aliâ gratiâ, ut conventualitate, studio, impunitate culpae, aut similibus, praefatos favores applicaverit, unde praelatorum regimen et regularis vitae semita disturbetur, gravioris culpae poenis sine relaxatione etiam a magistro subiaceat.

Caput X. De culpa et poenis incorrigibilium.

I. Qualiter huiusmodi scelerati probari et agnosci debeant, satis iure communi, et praecipue decretis sacrae Congregationis Concilii auctoritate SS. Urbani VIII editis, luculenter instruimur, ut non solum de illis disciplinis regularibus rite et canonice vindictam sumat, sed etiam ut vel ad eos tempus iusto iudicio a communi societate separatos, quo poeniteant, vel a se perpetuo repellat, ut gregem Domini non inficiant.

II. Cum ergo aliquis ex suae proterviae et indurationis merito sit repellendus ab Ordine, id minime fiat, nisi vere iuxta iuris communis dispositionem censeatur incorrigibilis, et penes dicta decreta sacrae Congregationis Concilii per unum annum in ieiunio et poenitentiâ in carcere probetur. Quo elapso, si non melioris frugis evaserit, quin potius in eadem aut nova et similia scelera dilabatur, tunc quasi putre membrum a religionis corpore praecidatur, ne in illud morbus accrescat; fiat tamen iudicio solius magistri Ordinis de consensu et assensu sex patrum de gravioribus religionis, quos, iuxta concessionem Alexandri VII, fore decernimus in singulis provinciis totius Ordinis quatuor definitores provinciales et duos definitores generales, vel, istorum defectu, duos electores generales eiusdem provinciae, ita videlicet ut in quacumque provinciâ generalis extiterit, in ipsâ cum praedictis patribus et definitoribus seu electoribus illius de quocumque fratre Ordinis possit ferre sententiam.

III. Probatio autem de his omnibus sic rite et canonice fiat: si quis enim in causis inferius designandis deliquerit, conficiendus est legitime processus ad formam regularibus constitutam et per sententiam puniendus; quod si secundo in idem, vel aliud simile, aut gravius delictum inciderit, facto denuo processu, per novam sententiam corripiatur et pariter moneatur, ut ab huiusmodi criminibus resipiscat, sub poenis incorrigibili debitis; si tertio tandem deliquerit in praedictis, instructo iterum alio

processu, et sententiâ latâ, ad poenas incorrigibili designatas condemnabitur, et potissime ad carcerem per unum annum.

IV. Ut ergo scelera pateant, de quorum repetito lapsu, et tandem de incorrigibilitate reus convinci debeat, denuoque repelli, sequentia maxime designamus[1], videlicet apostasiam vel fugam, expilationem vel dissipationem bonorum redemptionis et Ordinis, frequentes cum aliis fratribus contentiones et rixas cum gravi percussione violentâ, et praecipue si haec eadem conspiratio insuper vel seditio in praelatos exerceantur, partialitates et divisiones in conventibus quasi more castrorum agere vel fovere, clausurae violationem, carnis lapsum cum quolibet complice patratum, falsam accusationem seu testimonium falsum litterarum apostolicarum, vel etiam superiorum Ordinis confictionem, rapinam et furtum, ebrietatem, ingressum ad monasterium monialium, veneficium, vel alia id genus flagitia et enormia scelera saepius iterata, et correctionibus non emendata.

V. Statim igitur ac pro istis rite et debite fuerit frater expulsus, debet magister Ordinis sententiam in eum latam notam facere dioecesano loci, et eum pariter habitu clericali indutum illius iuri et obedientiae subiicere, ipsum autem expulsum de sequentibus admonebit: primum, per expulsionem non relaxari illius vota Ordini nostro essentialia et ab ipso in professione emissa, sed suspendi dumtaxat, in his videlicet quae status expulsorum non patitur; in illis vero quae non repugnant, adstringi omnino ad eorum observantiam: secundum, si fuerit sacris initiatus, manere suspensum ab omni ordinum exercitio, obligari tamen ad recitationem officii: et tertium, teneri in conscientiâ se se corrigere et convertere in bonam frugem, ut dignus fiat qui ad misericordiam et Ordinis consortium denuo suscipiatur.

VI. Ipsis tamen praelatis in Christi visceribus suademus, ut antequam gravissimum et extremum expulsionis remedium experiantur, memores sint paternae charitatis et mansuetudinis, quam ex officio et Christi imitatione profitentur, nihilque intentatum relinquant, quo animas fratrum sibi creditas lucrari et a profundo malorum eripere omni studio et dilectione contendant, ne, si ob hanc negligentiam in vitiorum barathrum decidant et aliquando pereant, ex illorum manu Dominus istorum sanguinem exigat.

VII. Ut autem litibus caveamus, quas ex huiusmodi expulsionibus oriri forte contigerit, praesenti constitutione sancimus, ut litteris sive expulsionis sententiae ista clausula inseratur: « Omnia nihilominus iura, actiones et successiones, tam ex iure communi, quam ex privilegiis seu statutis Ordinis, occasione suae professionis ipsi Ordini in genere aut alicui provinciae, congregationi, seu conventui ipsius in specie qualitercumque pertinentia, eisdem reservamus, et in nullo penitus derogamus ».

Caput XI. De absolutione apostatae, vel cuiuslibet excommunicati.

I. Cum absolvendus fuerit apostata, vel alius quicumque excommunicatus, ab huius censurae vinculo, se humiliter, flexis genibus, praelato submittat, vel ei cui vicem delegaverit, habeatque nudum dorsum, et scapularium super caput et facie; praelatus vero, aut absolvens, teneat virgas, seu aliud flagelli genus in manu, quo illum verberare debet; et dum ipse cum conventu psalmum *Miserere mei* alternis versibus recitat, ad finem cuiusque versus nudam scapulam verberet; in conclusione vero psalmi

1 Pessime edit. Main. legit *sententia . . . designatus* pro *sequentia . . . designamus* (R. T.).

dicatur *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster*, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum, Domine,
℟. Deus meus, sperantem in te.
℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Praesta, quaesumus, Domine, huic famulo tuo dignum poenitentiae fructum, et Ecclesiae tuae sanctae, a cuius integritate deviavit, restitue, ut peccatorum remissorum veniam consequendo reddatur innoxius.

Deus cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut, quem delictorum et excommunicationis catena constringit, miseratio tuae pietatis absolvat. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Post orationes autem huiusmodi recipiat iuramentum a praedicto fratre, quod erit obediens praeceptis Ecclesiae et Ordinis eiusque superioribus universis. Deinde dicat, *Confiteor Deo, etc.* Absolvens autem adiiciat:

*Misereatur tui, etc. Indulgentiam, etc. Et ego, auctoritate Dei Patris Omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et auctoritate qua fungor, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, quo teneris propter apostasiam*, vel *violentam manuum iniectionem*, vel *propter contumaciam* (semper exprimendo causam), *et ab omnibus transgressionibus, excessibus seu omissionibus regulae et constitutionum nostrarum, quantum ego possum; et quod non possum, suppleat et perficiat omnipotens Sacerdos et Summus Pontifex Iesus Christus; et restituo te societati fratrum nostrorum, et communioni et unitati fidelium Christi, et dispenso tecum in omni irregularitate quam incurristi. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

Et postea iniungat praelatus poenitentiam, ut sibi visum fuerit. Quod si excommunicatio non sit ob delictum publicum, omnia praedicta fiant omnino secrete.

Caput XII. De incarceratione criminosi.

I. Cum poena carceris sit frequens in constitutionibus nostris, et quanto ea sit severior, tanto maiori studio charitatis indigeat, propterea fratribus declaramus eam non esse ita de se infligendam, ut excludat miserationis et lenitatis officium.

II. Ab hoc ergo in qualibet provinciâ communibus expensis per eius provincialem a conventibus erigendis constituantur carceres, cum omni genere vinculorum, in quibus scelerati fratres detineantur vincti et compediti, aut tantum inclusi, iuxta meritum criminis. Qualitas autem loci plus ad securitatem quam immanitatem accedat. Sit etiam sufficienti lumine conspicuus, et[1] diuturno tempore incarceratus recitare valeat divinum officium et libros spirituales legere, quorum usu et consuetudine salubriter et fructuose tempus insumat. Quapropter praelatis iniungimus, ut semper incarcerato, si horis canonicis fuerit adstrictus, Breviarium apponi faciant, cum aliquibus de praedictis libris spiritualibus aut sanctorum vitas continentibus, et illum moneant ut in his legendis versetur, et divini officii pensum non desinat.

III. Ulterius ipsis praecipimus, ut semel ad minus in hebdomadâ illum adeant et visitent, ac omni qua potuerint consolatione permulceant, mentem eius erigant ad poenitentiae fructum, ac labores ac poenas inflictas toleranter, gratis et fructuose ferendas: quod si per se exequi non valeant, fratrem aliquem ex gravioribus adhibeant, qui sit potens charitate, consilio, et loco sui praedictas visitationes impleat.

IV. In necessariis ad vitam sit etiam diligens praelatus, ut nihil deficiat, ne-

[1] Aptius lege *ut* (R. T.).

que potus aut cibi patiatur inopiam, neque in his aut aliis nimis aerumnose tractetur; lectulus sit ei stratus, non maiori curâ quam suae congruit poenitentiae vel crimini, sed ut miserationem decet et exigit fraterna dilectio.

v. Praecipue vero eidem praelato subiungimus, ut, debito intentus charitatis officio, statutis temporibus poenitentiae sacramentum ab incarcerato suscipiendum curet. Quoad missam vero audiendam diebus festis similiter ordinamus, ut, ubi secure et tuto id valeat impleri, aut decenter in ipso carcere fieri, hunc illi fructum nullâ ratione prohibeat.

Caput XIII. De modificatione poenarum.

i. Quamvis equidem multa sint, quae in superioribus culpis, excessibus seu criminibus, aut aliis etiam in hac nostrâ constitutione dispersis, observare canonice iubeat sublimis auctoritas Ordinis, quaeque statuta districtius exequenda praecipiant: tamen, quia defectus praesentium temporum et languentem humanae conditionis statum consideramus, quibus non solum mentes, sed etiam corpora deficiunt, fragilitate humanâ et fomite praevalentibus; eapropter, Salvatoris nostri exemplo inhaerentes, qui semper misericorditer agit et figmento nostro compatitur, praesenti constitutione ordinamus, ut ad poenas, contra praedictas culpas et crimina expressas, tam declarandas et exequendas, quam modificandas, mitigandas, commutandas et relaxandas, potestatem habeat magister in toto Ordine, provincialis in suâ provinciâ, et commendator in commendâ, quibus ex iure nostrarum constitutionum conceditur haec facultas, ubicumque ab ipsis vel a iure restricta non fuerit.

ii. Hanc autem sic intelligimus, ut, ubi poena minime relaxanda, vel sine spe relaxationis, aut aliis verbis similibus denunciatur, potestas magistri aut definitoris generalis et provincialis excludenda non veniat, nisi prohibeatur expresse, cum tantum per illa inferiorum praelatorum potestatem restringere censeamus. Ipsos tamen, quibus haec insit dispensandi vel relaxandi facultas, monemus in Domino, ut nunquam facile et pro solo libitô, sed rationabiliter et iustâ semper ex causâ dispensent aut modificent, et impletâ prius maiori parte poenitentiae ipsi delinquenti assignatae, signisque doloris et manifestae correctionis praecedentibus.

iii. Quoniam autem, etsi culpas omnes aequâ lance studeamus appendere, et eas poenis aequalibus vindicare, nunquam tamen unius esse ponderis invenimus, nec, etiamsi pares sint, parem poenam exigunt, ob discrimina personarum, quas iustitia distributiva respicere oportet; ideo praelatorum discretioni subiungimus, ut, si in praedictis quatuor generibus culparum, aliisve specialibus criminibus, reatus fiat gravior aut levior, ratione circumstantiae quae malitiam eius nimis augeat vel minuat, hanc semper tamquam primam inter rationabiles causas praeseferant, ut vel poenam legis in suo rigore exequantur, vel augeant aliquando, aut etiam modificatione vel relaxatione demulceant.

iv. Si vero differentia sit in personis, tanto rationabilius poterit commutari poena, quanto reus insignior et excellentior extiterit: non solum quia in istis levis poena eo redditur gravior, quo fuerit conditio nobilior, etiam ex hac parte maior et minor in ipsâ poenae diversitate coaequantur; sed etiam quia regularibus expedit, ut vel haec Ordinis fulcra non vilibus omnino poenis de honestate corruant, vel ut eorum flagitia non prodantur ex toto, sed, quantum liceat, abscondantur a parvulis, ne suo exemplo plus scandalo noceant, quam

exactae castigationis strepitu proficiant. Talibus ergo, cum deliquerint, poenam de honestate in alias eorum praecellentiae consonas commutari consulimus.

DISTINCTIO SEXTA.

*De exercitio et professione litterarum.*

Supra montem Christum iam mole religionis erectâ, litterarum lucernam accendimus, quam ex instituti debito amplecti compellimur, non solum quia cum reliquis proximorum saluti et instituendis populis mancipemur, verum etiam quod, ob speciale professionis vinculum, cum paganis et gentilibus, fideique desertoribus, et in eâ saepe nutantibus frequentissime versamur, inter quos oportet fratres nostros iuxta Apostolum amplecti eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potentes sint exhortari in doctrinâ sanâ, et eos qui contradicunt arguere, necnon et illis rationem reddere cum de rebus fidei saepenumero postulantur.

Caput I. De studiis eorumque professoribus in communi.

I. Ut ergo iuxta praemissa nostri Ordinis professionem impleamus, et nulla sit in eo domus, ubi aliqua pia litterarum disciplina non vigeat; praesenti constitutione decernimus ut in singulis provinciarum capitulis designentur a definitorio omnia studiorum genera, quae singulis domibus secundum earum possibilitatem expediant, itaut in magnis et praecipuis constituantur doctrinae scholasticae, expositivae, et moralis theologiae aut philosophiae, prout opportune conveniat; in paucis autem collationes ad minus et conferentiae theologiae moralis et expositivae inviolabiliter habeantur.

II. Praecipue vero in qualibet provinciâ unam saltem domum praefixam esse statuimus, quae sit, et gaudeat iuribus collegii pro studiis duntaxat sacrae theologiae, ubi sub uno rectore et studiorum regente lectores et fratres studentes, expeditius quam alibi, sanctae disciplinae dent operam, et uberiorem capiant ex eâ proventum.

III. In praedictis domibus et collegiis pro sacrâ theologiâ designatis constituantur duo lectores matutini, et tertius vespertinus, cum uno magistro studentium; quartus autem non addatur nisi forsan pro legendis artibus, ubi haec studia liceat quoque constitui. Quibus superaddimus unum fratrem regentem, qui curam studiorum sustineat, eaque moderetur, quemadmodum stabilitur inferius.

IV. In nullâ domo studia praedicta tam artium quam theologiae permittimus, nisi sufficiens auditorum numerus suppetat, quem in utroque ad minus senarium ex fratribus Ordinis postulamus.

V. Provincialis[1], ad quem attinet praedictos fratres ad artes seu theologiam addiscendas eligere, vel etiam magister, si id aliquando ex causâ legitimâ sibi assumpserit, nullo modo eos ad studia praefata deputet, nisi prius per testimonium ab examinatoribus conventus exhibitum sibi manifeste de illorum sufficientiâ et capacitate liqueat; quos enim in grammaticâ non sufficienter informatos invenerit, nullo modo ad artes audiendas mittat, nec similiter, quos in artibus non satis instructos deprehenderit, auditores theologiae constituat; sed illos eo transferat, ubi sufficientes reddantur huiusmodi facultatibus, a quibus eos omnino reiiciat, donec ad illas respective probentur idonei.

VI. Ut autem disciplina in praefatis auditoribus nullâ distractione frigescat, commendatoribus statuimus, ut nulli eorum in diebus lectionis licentiam a domo egrediendi concedant, etiam cum suis lectoribus, nisi ad conclusiones pu-

1 Edit. Main. legit *Provinciali* (R. T.).

blicas: nec similiter praedictis diebus ad communes recreationes eos procedere permittant[1], nec ipsis lectionem quacumque ratione prohibeant.

vii. Insuper constituimus, ut nullus frater mittatur ad collegium pro audiendâ theologiâ, nisi per unum annum in aliâ domo auditor illius extiterit. Cum autem eligendus sit, fiat semper praevio examine et oppositione publicâ coram praelato superiori, exponendo scilicet per dimidiam horam quaestionem vel materiam aliquam de artibus sibi ante vigintiquatuor horas, et non amplius, sortitam, et ulterius per dimidiam respondendo argumentis in illam obiectis a suis oppositoribus, vel, eorum defectu, ab his quos praelatus superior designaverit; qui illum, si approbatus manserit, poterit ad collegium mittere.

viii. Praefato denique praelato constituimus, ut, nullâ ratione vel causâ, novitiorum aliquem ad studium artium vel theologiae suscipiat, nisi iam unum annum in novitiatu expleverit, ut superius dist. iv cap. iii sancivimus.

Caput II. De studiorum regente.

i. Cum studiorum pondus, et eorum recta ratio, ab uno directore, et eo quidem sollicito, pendere debeat, et praecipuâ curâ moderari, ut litterarius ager sub eo cultore floreat: eapropter, considerantes frequentissime commendatores sui conventus regimine nimis implicatos ac distinctos[2], nec, quantum expedit, curis pariter studiorum intendere posse; praesenti constitutione statuimus, ut in singulis collegiis ac domibus ad disciplinas sacrae theologiae designatis, et non alibi, unus frater speciatim eligatur a definitorio capituli provincialis cuiusque provinciae, qui, nomine regentis, in praemissis domibus et collegiis sit omnibus studiis tam theologiae quam artium praepositus, cuius officium uno solo triennio concludatur, a capitulo scilicet in capitulum; quod si extra capitulum vacare contigerit, eius electio ad provincialem eiusdem provinciae pertineat.

ii. Et quoniam huiusmodi officium in debitâ auctoritate constituere intendimus, ad eius electionem virum semper praestanti ingenio ex graduatis exigimus, qui sit magister vel praesentatus in litteris florens et assiduus, ac de illarum fruge zelator, necnon et ab aliis curis et occupationibus expeditus: si autem inter praedictos non facile suppetat, eligatur de lectoribus iubilatis; alioquin fiat regens collegii aut domus studiorum antiquissimus in lecturâ lector inter omnes eiusdem collegii vel domus.

iii. Munus regentis debet esse praecipue, studiis sibi commissis invigilare, eaque omni sollicitudine promovere, itaut, quaecumque illis noceant, prudenter avertat, quae vero profutura sint, ad meliorem frugem pro viribus curare non desinat. Debet etiam prae oculis habere quae scripta sunt in constitutionibus nostris, et ea quae in dies emanaverint a capitulis generalibus, et a provincialibus, et a magistro generali, a provinciali, a visitatoribus, ad rectam studiorum rationem, et dare operam ut ea diligenter serventur.

iv. Ad eius insuper sollicitudinem accedit, quod lectores quicumque suo muneri officiose intendant, quod lectionibus dictandis sint horis sibi competentibus assidui, quod conferentiis quotidianis et conclusionibus, tam mensalibus quam hebdomadalibus, quotiescumque in nostris domibus exerceantur, assideant, et ad alias extra Ordinem confluant, eisque debitam vicissitudinem reddant; illos autem, quos in his aliisve negligentes

1 Edit. Main. legit *permittat* (R. T.).
2 Forsan *distractos* vel *distentos* (R. T.).
1 Videtur legendum *deferant* (R. T.).

offenderit, poterit ad lectiones, conferentias et conclusiones vocare, et simul admonere prudenter ut munera sua in omnibus legitime compleant; quod si non acquieverint monitioni, rem commendatori deferat, aut etiam superioribus praelatis, prout magis expedire iudicaverit.

v. De cetero autem regentibus facultatem impertimur, ut studentium omnium in litterarum usu et executione defectus corripere et obiurgare valeant, ac ipsis etiam poenitentias vel abstinentias aliquas infligere, quas tamen, si in refectorio fieri oporteat, praelato notas faciat, cui sane consulimus ut semper regentis partibus faveat, quo magis eius magisterium auctoritate fulciat. Quod si venia danda sit delinquenti, eam consulto regente largiatur.

vi. Cum habendae sint conclusiones publicae quae typis mandari debeant, nullus lector id audeat exequi, nisi prius eas regenti subiiciat, ut recenseat, approbet et subscribat, in quibus si novitates a divi Thomae doctrinâ et sensu devias invenerit, omnino prohibeat et deleat, nec ratione aliquâ, sub poenâ privationis a munere, defendi permittat.

vii. Conferentiis, seu collationibus, theologiae vel artium, singulis diebus non feriatis inviolabiliter assistat, in ipsis et conclusionibus publicis argumenta distribuat, eaque, si necesse fuerit, resolvat, et ipso loquente omnes sileant. Ad lectionem in conferentiis dicendam fratrem studentem eligat, servatâ tamen in his omnibus auctoritate praelati, cui praesenti semper aequum ducimus haec munia cum omni comitate deferri, et eo solum annuente regentem suscipere et exequi.

viii. Si commendator in disciplinâ litterarum promovendâ fuerit negligens, et earum fructum quovis modo impediat, id regens protinus provinciali aut visitatori aperiat, vel etiam deferat ad provinciale capitulum, ut damno adhibeant medelam.

ix. Ulterius ad regentem pertinet ut determinatas horas auditoribus, tam vere quam hyeme, iuxta provinciarum consuetudinem, ad studendum praefigat, et pro antelucanis unus sit ex illis excubitor, qui reliquos a somno excitet, et ipsis omnibusque lectoribus lumen accendat, prout fuerit in domibus consuetum. Ad hoc autem diligenter studeat, ut illis tribuatur oleum, et reliqua necessaria pro studio, ut atramentum, pennae, papyrus, et alia similia, de quibus sic illis praelatus large provideat, ut nunquam studia ex praemissorum penuriâ tepescant. Similiter curae habeat regens bonam aulae dispositionem, itaut fenestrae ad pluviam propulsandam sint bene munitae, nec vento facile pateant.

x. Recreationes autem, quando sint studentibus indulgendae, fiant semper opportuno tempore, et de licentiâ praelati, quam solus ab eo postulabit regens. Quocirca declaramus, quod, licet omnis res litteraria, eiusque acta ordinare, ad regentem pertineat; ceterum in praecipuis, et iis quae possunt concurrere cum aliis conventualibus actis, aut eorum opportuna tempora invertere, semper praelatus consulendus est a regente, ut inter ipsos res litterariae cum aliis conventus oneribus temperentur, et ita pro singulis eligatur tempus, ut se invicem non impediant, aut importune fiant. In absentiâ regentis antiquior primusque lector munus eius suscipiat; ubi vero lectura tantum artium sit constituta, curam et regimen studiorum lectori subiungimus.

xi. Regens denique, si non fuerit magister, eius gratiâ fruatur quantum ad mensuram refectionis et victus, eique ne-

cessarium oleum ad studium praebeatur. Pro se autem, praeter unam missam omnibus sacerdotibus semel in hebdomadâ concessam, alias duas celebrare poterit.

Caput III. De lectoribus creandis et oppositione ad lecturas.

I. Quia ex rectâ institutione lectorum pendet maxime proventus et utilitas litterarum, praesenti constitutione decernimus, ut nullus ad oppositionem lecturae tam artium quam theologiae admittatur, nisi decursis in integrâ philosophiâ tribus annis completis, prout inferius declarabitur, ac quatuor integris pariter in theologiae disciplinâ peractis, et nisi conclusiones utriusque facultatis publice defenderit secundum consuetudinem provinciarum a capitulo provinciali approbatam.

II. Oppositiones autem pro qualibet lecturâ obtinendâ ita inviolabiliter praemittimus ante institutionem lectoris, ut tam in artibus quam in theologiâ non possit aliquis in lectorem eligi nisi factâ oppositione in concursu generali et publico, a provinciali vel magistro seu ab ipsis potestatem habente convocato, et nisi duo graduati de numero ad minus praesentes extiterint.

III. Modus vero oppositionis ita sit, ut quisque videlicet ex oppositoribus ante vigintiquatuor horas, et non amplius, materiam lectionis eligat, et pro libito suscipiat ex tribus punctis vel capitulis per sortem sibi ex Aristotele vel Magistro sententiarum, iuxta qualitatem lecturae, propositis; quo tempore elapso, confestim in arenam descendat, et per unam horam publice coram provinciali, aut etiam magistro, vel eorum potestatem habente, et reliquo concursu, punctum, materiam vel caput sibi sortitum exponat, ut per aliam horam argumentis oppositorum satisfaciat.

IV. Hoc itaque examine peracto, provincialis, vel magister, vel quicumque alius oppositionem celebrans, convocatis omnibus graduatis de numero, ac etiam lectoribus iubilatis, qui conventui collegiove adfuerint, et eius similiter praelato, cum ipsis ineat consilium circa sufficientiam oppositorum; quibus auditis, per se decernat eos, qui in primo aut secundo gradu manere debeant approbati ad lecturam pro qua decertaverint; itaut ipse provincialis vel magister, aut alius ab ipsis potestatem habens, ad eas, quae tunc vel pro tempore vacaverint, possit de ipsis, et non aliis, eligere quem maluerit, servatâ tamen qualitate et gradu approbationis, iuxta gradum et qualitatem lecturae vel loci. Secretarius vero approbatos et reprobatos in provinciae libro conscribat, ut, qui valeant lectores eligi, publice constet.

V. Si quis vero sine aliquâ ex praedictis solemnitatibus creatus fuerit lector, ex nunc declaramus lecturam eius nullius esse roboris et valoris, et annos, quibus legerit, ad gradus obtinendos non debere computari pro merito.

VI. Declaramus adhuc praedictum examen seu oppositionem debere in eâdem materiâ fieri, ex cuius genere fuerit lectura providenda, itaut non sufficiat approbatio ad lecturam artium, ut quis censeatur approbatus ad lecturam theologiae, aut e converso.

Caput IV. De officio et munere lectoris.

I. Sic institutis lectoribus a provinciali vel magistro, decernimus et statuimus lectores artium teneri per tres annos completos continuo legere et interpretari omnes libros Aristotelis in hac lecturâ iuxta consuetudinem comprehensos, ita scilicet ut in omnibus tribus annis legat per ordinem summulas et logicam cum isagoge Porphyrii, et libros praedicamentorum, deinde libros physicorum, cum reliquis de generatione et corruptione, de animâ, mundo, caelo et metheoris.

II. Cursum vero incipiant a die Exaltationis S. Crucis, usque ad festum Nativitatis sancti Ioannis Baptistae, a quo die usque ad initium alterius curriculi intermissionem concedimus, ut auditores hoc tempore cum lectoris auxilio praeterea[1] reminisci, et inter se conferre valeant. Quocirca conferentias his etiam feriis quotidie lector cum illis exerceat. Formam legendi sic esse decernimus, ut in quolibet die lectivo, acceptâ prius a discipulis lectione praecedenti, mane et vespere legant per unam horam; et per dimidiam, quae legerint, exponant. Horâ autem consuetâ, et a commendatore et regente praestitutâ, conferentias diebus singulis sine dispensatione habeant, et conclusiones semel in hebdomadâ, cum totius scholae assistentiâ, minime praetereant. In quolibet vero curriculo unum ad minus ex auditoribus magis idoneum ad publicum actum accingant, et defendat, et ad publicos extra Ordinem etiam indeficienter conveniant.

III. Lectores autem theologiae et mane et vespere semper unam horam in legendo et exponendo lectionem insumant, conferentiis quotidie habendis, et in aliquâ ex eorum materiis alterne versandis omnes intersint, sabbatinas disputationes in singulis septimanis habeant, eisque indispensabili alternatione praesideant. In quolibet etiam curriculo publicum actum instruant et defendant, nec ab extraneis unquam abesse, et in illis arguere praetermittant, quotiescumque ipsis servanda ratio vicissitudinis obtingat. Cursum theologiae incipiant a primâ die post festum S. Lucae, et usque ad dominicam SS. Trinitatis sine ullâ intermissione legant: ita tamen ut materiam semper compleant.

IV. In doctrinâ, stylo et electione materiae semper debet lector se conformare discipulorum necessitati et ingenio, ita ut eos magis utilibus et intelligibilibus imbuat: a superfluis et inanibus omnino abstineat. Sciat utique in antiquis esse sapientiam, ac proinde vocum novitatibus non adhaereat, nec opiniones a communi sensu devias sectetur, longos tractatus nunquam instituat, sed eos ita clare et breviter absolvat, ut in singulis curriculis materiam perfecte finire valeat.

V. Universis lectoribus enixe praecipimus, ut, iuxta antiqua Ordinis decreta saepius in capitulis generalibus iterata, semper in omnibus et per omnia doctrinam divi Thomae secundum sensum et expositionem thomistarum ita doceant, ut, si in aliquo ab eâ recesserint, ipso facto provincialis eos lecturâ destituat; maxime tamen studeant, ut circa mysterium Conceptionis beatissimae Virginis Mariae semper illud in eam partem et sensum suscipiant et exponant, unde nitorem eius et immunitatem ab omni labe didicimus et profitemur.

VI. Statuimus etiam, ut in qualibet domo totius Ordinis, vel etiam collegio ubi vigeat disciplina theologiae, duo lectores matutini semper legant materias theologiae scholasticae: tertius vero theologiae moralis, scholastico tamen more, tractatum vel materiam subcursus reprobatione instruat.

VII. Lectores tam artium quam theologiae semper in aulâ vel loco publico legant; quod si secus fecerint, curricula eorum et annos non approbamus ad meritum.

VIII. Ut autem omnis lector, dum actui lectionis incumbit, inopiâ temporis non laboret, decernimus ut toto lecturae tempore sit omnino liber ab assistentiâ chori, praeterquam diebus festis et solemnitatibus a lectione feriatis ad missam maiorem et vesperas, et ad

1 Forsan *praeterita* (R. T.).

omnes matutinas cantandas, ad missam beatae Virginis in sabbato, ad orationem mentalem vespere et mane, et denique ad capitulum quotidianum, et non ultra. Pro se missam unam celebrare potest praeter assignatam a constitutione. Oleum pro studio cuicumque lectori a conventu tribuatur. Locus eorum ad invicem in actibus et functionibus litterariis sit penes antiquitatem lecturae.

IX. De cetero constituimus, ut, iuxta decretum capituli Optensis a SS. D. N. Innocentio XI confirmatum, qui, decursis omnibus lecturae curriculis, iam pro magisterio meritum adimpleverint, gaudeant titulo lectoris iubilati, et omnibus immunitatibus, quas praesentatis de numero et iustitiâ concedimus, excepto suffragio in capitulo provinciali, sitque locus eorum novissimus inter illos tam de lecturâ quam pulpito, ita ut praecedant omnes praesentatos de gratiâ, servatis tamen apud ipsos iubilatos ordine et antiquitate lecturae.

X. Lectores, qui ad provinciam Italiae mittantur a magistro cum facultate legendi, aut designati fuerint in aliquâ illius provinciae lecturâ, omnino declaramus habiles, ut, rite probatis eorum annis, et lecturae curriculis in praefatâ Italiae provinciâ peractis, gradus obtinere valeant in propriis.

Caput V. De magistro studentium.

I. Ubertatem litterarii fructus desiderantes, ne in defectu culturae languescat, hac de causâ decernimus, ut in qualibet domo vel collegio ad disciplinam theologiae designatis, praeter tres lectores praedictos, alius constituatur, qui sit magister studentium, ad quod munus nullatenus assumatur, nisi iam per triennium lecturam artium laudabiliter impleverit, ut ulterius in oppositionibus generalibus pro lecturâ theologiae per unam horam lectionis alteramque argumentorum legitime decertaverit, simulque approbatus fuerit, et ut talis in provinciae libro susceptus.

II. Huius autem sit munus indispensabile omnibus teologiae conferentiis assistere, et alternatim cum singulis theologiae lectoribus eorum materiis et opinionibus praesidere, quorum sensui et iudicio in illis defendendis acquiescere et consentire debeat. In conclusionibus vero sabbati, et extra ordinem, eamdem vicem praesidendi et arguendi cum praedictis lectoribus sortiatur. Horis studio designatis diligenter visitet auditores, et si quos negligentes invenerit, regente non adstante, puniat aut puniri faciat.

III. Praeterea omnibus diebus feriatis intra curriculum dubium vel quaestionem litteralem Sacrae Scripturae, eodem more et formâ qua solet casus conscientiae, proponat, ad quam omnes de scholâ confluant, et pro libito magistri studentium respondeat obiectis unus de studentibus ab eo designatus, cui praesideat ipse, et tandem resolvat dubium.

IV. Qui sic ergo in hoc munere fuerit plausibiliter operosus, omnes annos pro gradibus promerendis comparet, tam si revera eos legendo peregisset, modo procedat informatio legitima de illis prout de reliquis lectoribus fieri constituimus. Praeter hoc autem, ius habeat ad primam lecturam, quae proxime vacaverit in conventu aut collegio ubi munus istud obierit, eisdemque gratiis et exemptionibus gaudeat, quibus ceteri lectores actuales theologiae.

V. Et licet pro studiis artium magister studentium semper fuerit hactenus solitus institui, de cetero praecipimus, ut tantum designetur in domibus artium studio destinatis absque ullâ prorsus a choro et altari exemptione.

Caput VI. De magistris et praesentatis.

I. In qualibet provinciâ non plures quam duodecim magistros theologiae suscipimus, neque amplius quam viginti-

quatuor praesentatos de lecturâ. His autem gradibus, quos de numero dicimus, neminem insigniri liceat, nisi qui exacte et legitime omnia illorum merita et requisita compleverit, prout in his constitutionibus ordinantur.

II. Quocirca praesenti constitutione enixe observari praecipimus decretum capituli generalis Optensis a SS. D. N. Innocentio XI confirmatum, quod nullus ad gradum praesentaturae de lecturâ promoveri valeat, nisi decursis integreque paractis octo annis lecturae actualis, inclusis[1] pariter quos forsan egerit in magisterio studentium, itaut iam per triennium unam ad minus artium lecturam compleverit; reliquis autem theologiam sacram ad octavum usque docuerit, aut magister studentium extiterit. Similiter etiam quod nullus ad magisterium assumatur, nisi, ultra praedictos octo annos, alios septem in sacrae theologiae lecturâ consumpserit.

III. Lectorem autem illum qui de licentiâ Ordinis in universitate approbatâ oppositionem fecerit, et in eâ cathedram obtinuerit, ubique praedictos annos is tam in artium lecturâ, quam theologiae, ex toto vel parte, peregerit, nullâ ratione excludimus, imo gratius admittimus, et approbamus idoneum ad gradus praesentaturae et magisterii obtinendos, perinde ac si praedictos annos intra Ordinem complevisset.

IV. Pari modo constituimus praemissos annos debere esse completos, singulisque materiis et curriculis respondentes. Itaut unus annus non possit complecti duos cursus, tam theologiae quam artium. Quod si aliter eveniat, eos neutiquam ad surreptionem graduum pro merito computamus.

V. Ut ergo omnium annorum lecturae cuiuslibet legitima ratio habeatur, eorum probationes et informationes immediate fieri constituimus in actu visitationis ab ipsis provincialibus vel visitatoribus, ita scilicet, ut primo fiant privatim in scrutinio secreto, et deinde publice per testimonia sanioris partis conventus. Quod si ad istas authentice conficiendas provinciali aut visitatori tempus in visitatione deficiat, ille tantum, et non visitator, relinquat aut mittat commissionem religioso sibi probato et idoneo, qui eas, ut praedicitur, perficiat.

VI. Illae vero ita legitimae factae debent praesentari definitorio capituli provincialis et ibidem examinari, et pariter cum secretâ informatione conferri quam provincialis aut visitator in visitatione susceperit, ut ex istâ et illis fiat a definitorio iudicium, cuius est privative informationes intra capitulum, easque probare et repellere.

VI. Ipsas insuper fieri decernimus de triennio in triennium, in singulisque capitulis praesentari; quod si haec praesentatio ultra unum capitulum protrahatur, maneat irrita, annique lecturae non computentur ad provisionem graduum. Statuimus praeterea, non quamlibet informationem huiusmodi approbationem a definitorio capituli factam sufficere, ut quis maneat expositus, aut iure promotus ad gradum aliquem obtinendum. Illam ergo tantum esse volumus declarationem ad expositionem gradus sine dispensatione requisitam.

VIII. Unde, cum ex decreto Pauli V huiusmodi expositio seu praesentatio semper fieri debeat in vacatione determinatâ per definitorium provinciale intra capitulum provinciale congregatum, ad quod privative attinet, et ex hoc necessario sequatur, gradus extra capitulum vacantes usque ad aliud proxime futurum manere suspensos; idcirco, ne pro his dilationibus quidquam incommodi

1 Edit. Main. legit *inclusi* (R. T.).

provincia sustineat, consulto et deliberate statuimus, ut praedicto definitorio liceat intra capitulum hanc facultatem exponendi seu praesentandi ad gradus quemcumque ex approbatis a se ipso magistro generali cedere, ut ex ipsis extra capitulum provinciale exponat quem maluerit.

IX. Ex eodem Pauli V decreto, ad magistrum generalem, loco et vice capituli generalis, quoslibet supradicto modo expositos ad gradus promovere, eosdemque in ipsis confirmare privative pertineat. Qua etiam facultate gaudere volumus priorem Barchinonae, aut alium, qui tempore vacationis magistratûs in vicarium generalem totius Ordinis successerit.

X. Ordinamus ulterius, ut praedicta requisita ex parte promovendi ad gradus praesentaturae vel magisterii minime suppleri valeant per alia merita et exercitia vel obsequia religioni praestita, cuiusvis ea qualitatis extiterint; quod si quis in posterum, praefatis absque requisitis et conditionibus, tales gradus susceperit, eos irritos nulliusque roboris declaramus.

XI. Nec gradum eius, qui etiam per longum tempus a provinciâ discesserit (nisi forsan maneat adoptatus in aliâ), mox quasi vacantem cuiquam providere, vel eum quovis modo in numerum subrogare. Si quis tamen gradum ita susceperit, nullitati et privationi vocis activae et passivae illum de facto subiicimus.

XII. Praeter dicta vero duodecim magisteria de numero et lecturâ, et viginti quatuor praesentaturas etiam de numero et cathedrâ, alias etiam sex praesentaturas pro praedicatoribus admittimus, quas dicimus de pulpito, de quibus inferius capite de praedicatoribus est dicendum. Extra praefatos etiam gradus, quos fratribus ex eo quo[1] et pro suo munere laborantibus impertimur; si quis gradum aliquem per Breve Sedis Apostolicae obtinere voluerit, nunquam id intendat, nisi de licentiâ magistri, nec eâ obtentâ gradum assequi valeat, quin prius eius narratio in definitorio provinciali examinetur, et ibidem de subreptione et obreptione fuerit ab omnibus absoluta, omnique vitio pura iudicetur.

XIII. Deinde vero, ut quis ad collationem et confirmationem praedictorum graduum de gratiâ perveniat, firmiter constituimus, ut, iuxta praedictam bullam Innocentii XI saepius relatam, necessario et inviolabiliter sufficientiae illius rigorosum et praevium fiat examen, exponendo scilicet per unam horam punctum aliquod seu quaestionem theologiae scholasticae, moralis seu expositivae ante horas vigintiquatuor a se pro libito electam ex tribus sibi sorte propositis ex Magistro sententiarum, aut ex sacris Bibliis, et per aliam horam expositis argumentis satisfaciat. Quae omnia fieri debent solemniter in concursu publico coram provinciali, qui deinde, cum duobus saltem magistris de numero, et totidem praesentatis de numero et cathedrâ, ad approbationem promovendi per secreta suffragia procedat, et iuxta eorum maiorem partem admittatur vel reprobetur.

XIV. Eos tamen ab hoc examine excipimus qui iam aliàs ex merito lecturae fuerint approbati a capitulo provinciali ad praedictos gradus, vel saltem iam praefatum examen subierint in publicis oppositionibus ad lecturam theologiae, et ad illam pariter manserint approbati.

XV. Omnes magistri et praesentati, quos de numero seu lecturâ praediximus, vocem habeant in omnibus actibus et electionibus capituli provincialis, praeterquam in eius definitorio, nisi alio-

1 Potius lege *ex aequo* (R. T.).

quin ibi eâ gaudeant ex munere. Magistris tribuatur socius, qui ad commune conventus servitium non deputetur, et per eumdem e domo egredi volentes licentiam a commendatore petant. Ultra communem, duas pro se missas in hebdomadâ celebrare poterunt; super communis refectionis mensuram, eius medietatem illis ubique superaddimus; ipsos item ab omni officio altaris absolvimus, nisi in festis et solemnitatibus praecipuis; neque in tabulâ hebdomadae ad aliquod munus designari possint.

xvi. Quantum vero ad residentiam in choro, iisdem magistris denunciamus, eos vi gradus specialiter esse ad studium sacrae theologiae scholasticae, moralis, mysticae vel expositivae destinatos, iuxta quas, tum scribendo, tum concionando, tum confessiones audiendo, debent populos instituere, ad quorum profectum sunt vere facti et appellati magistri; quapropter, dum huiusmodi laboribus specialiter actu et assidue pro suo munere intenderint, eos, quantum ad chorum, eisdem lectorum actualium gaudere immunitatibus declaramus. Praesentati vero, ultra communem missam, alteram pro se celebrare valeant in hebdomadâ, et eos pariter ab officio altaris absolvimus. In reliquis autem servetur omnibus graduatis, tam de lecturâ quam pulpito, rationabilis consuetudo provinciarum a capitulis generalibus approbata; et praeter illam et praefata, nulla ipsis alia privilegia permittimus.

xvii. Super quibus insuper declaramus magistros et praesentatos de gratiâ, modo dicto creandos, in his quoque respective privilegiis et immunitatibus contineri, ita tamen ut, quantum ad locum, praesentati de gratiâ sint posteriores praesentatis omnibus de lecturâ et pulpito, quos dicimus de iustitiâ. Circa magistros autem pariter ex gratiâ institutos observari praecipimus decretum capituli generalis Optensis a SS. Innocentio XI confirmatum, videlicet in hac formâ: «Quod nullus ad seriem magistrorum de numero ascendat, quinimo nec praesentatis de lecturâ locum auferat, sed illis sint ubique posteriores, et immediate sedeant ante praesentatos de pulpito; excipimus tamen illos, qui ex praesentaturâ de cathedrâ et numero sint ad magisterium assumpti, quos ad Ordinem etiam magistrorum de lecturâ referri decernimus, ita ut locum post eos omnes immediate semper obtineant».

*Caput VII. De forma graduandi magistros et praesentatos.*

i. Cum, ex concessione SS. Alexandri VII, magister Ordinis per se vel alium a se subrogatum facultatem habeat promovendi suos fratres ad gradus doctoris et baccalaurei, sicut in qualibet universitate approbatâ, ideo constituimus, ut ipse, pro confirmatione seu collatione magisterii, designet aliquem (si per se non conferat) ex magistris iam confirmatis et graduatis in promotorem ad talem gradum sub formâ constitutionis istius conferendum, a quo promovendus in magistrum gradum doctoris theologiae solemniter recipiat intra quatuor menses a receptione confirmationis illius, secus enim maneat magisterio privatus. Praesentatus autem sive a magistro sive a provinciali ad id iam pridem per se facultatem habentibus a constitutione nostrâ ad gradum baccalaurei eâdem solemnitate promoveatur; ante promotionem vero suffragium non habeat in capitulo provinciali. Quam constitutionem etiam ad praesentatos de pulpito extendimus, nec non ad magistros et praesentatos de gratiâ.

ii. Forma autem graduandi magistrum est huiusmodi. Promotor habeat annulum et pileum nigrum paratum, ac sedens expectet promovendum, qui, flexis ad pedes promotoris genibus, interrogatur ab

eo, *Quid petis?* et respondeat humiliter: *Peto promoveri ad gradum doctoratus et magisterii sacrae theologiae.* Promotor: *Promittis tenere, servare, docere et defendere doctrinam sanam et catholicam iuxta determinationem sanctae matris Ecclesiae Romanae?* Promovendus: *Promitto et spondeo in hac formâ:*

« Ego N. firmâ fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: *Credo in unum Deum,* etc.[1] Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item Sacram Scripturam, iuxta eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrae Scripturae[2], admitto, nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novae legis a Iesu Christo domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria: scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illa quoque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et iustificatione in sacrosanctâ Tridentinâ Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in missâ offerri Deo verum et proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis, atque SS. Eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem unà cum animâ et divinitate domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem Ecclesia Catholica *Transubstantiationem* appellat. Fateor etiam sub alterâ tantum specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi constanter teneo. Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis curari; similiter et Sanctos unà cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas firmiter assero. Imagines Christi et Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem atque venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesiâ relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro. Cetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis conciliis, ac praecipue a sacrosanctâ Synodo Tridentina tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab Ecclesiâ damnatas, reiectas et anathematizatas ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti spon-

1 Hic refertur per extensum symbolum fidei Nicaeno-Constantinopolitanum (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *sacram Scripturam* (R. T.).

te profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, seu illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo et iuro: sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia. *Item* iuro quod, quatenus per sanctam Sedem Apostolicam licebit, tenebo, tuebor, defendam, praedicabo, atque docebo animam beatissimae Virginis Mariae in primo instanti suae creationis et infusionis in corpus, praeveniente Spiritus Sancti gratiâ, intuitu meritorum Iesu Christi Redemptoris, a peccato originali reservatam et immunem fuisse, et in hoc sensu festum Conceptionis eius ab Ecclesiâ celebrari ».

Promotor dicat: « Quoniam sapientiam vocasti amicam, et amator factus formae illius quaesisti eam tibi sponsam assumere, ecce Deus dat tibi eam sponsam, ut semper tecum sit et cor tuum possideat. In signum ergo accipe annulum in manu tuâ. Accipe, inquam, annulum in signum foederis et ingenuitatis verum. Et ego, auctoritate apostolicâ per litteras nostri reverendissimi patris generalis mihi commissas, instituo, creo, facio te doctorem et magistrum in sacrâ theologiâ, doque tibi potestatem et facultatem publice legendi, docendi et interpretandi, exponendi et declarandi sacram theologiam. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti ».

Deinde surgat et faciat promovendum sedere in suâ sellâ dicens: « Promoveo te ad gradum magisterii sacrae theologiae annumerans te consortio doctorum et magistrorum dictae facultatis: ita collocet, et sedere te faciat Dominus cum principibus, ut solium gloriae teneas ».

Deinde imponit pileum seu biretum capiti eius, dicens: « Accipe pileum seu biretum nigrum cum flosculo candido in signum magisterii; sic ornet te Deus coronâ gloriae ». Deinde elevet, et dans ei osculum dicat: « Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni; crescere te faciat Dominus in millibus, et benedicat tibi in saeculâ saeculorum. Amen ».

III. Forma graduandi baccalaureum: Promovendus, flexis genibus ante magistrum generalem vel provincialem suum, faciat professionem fidei, ut supra; qua finitâ, dicat promotor: « Ego, auctoritate apostolicâ mihi commissâ, promoveo te ad gradum baccalaurei sacrae theologiae tamquam benemeritum et valde condignum ».

Caput VIII. De praedicatoribus.

I. Ut autem munus praedicationis in religione fulgeat, et simul fratres habiles instituantur ad huiusmodi exercitium; idcirco decernimus, ut nemo ad illud assumatur, nisi per duos saltem annos sacram theologiam audierit, ac diaconatus ordine initiatus existat. Cum vero eligendus sit a provinciali (ad quem attinet), semper id fiat praemisso rigoroso examine coram ipso et examinatoribus conventus, cui provincialis adfuerit, et in sensibus Sacrae Scripturae, fideique mysteriis exacte probetur instructus. Sine hoc vero examine nullus audeat munus praedicationis exercere, neque sine licentiis superiorum iuxta Concili Tridentini decretum.

II. In quolibet conventu duos praedicatores conventuales admittimus, et non amplius, qui huic labori cum merito et iure ad praemium infra designatum incumbant. Quod si plures instituantur, nominationes posteriorum inanes omnino reddimus, quantum ad iura merendi. Illis ergo praecipua sit cura praedicare per loca ditionis suae ad poscendas et colligendas eleemosynas pro captivis,

cum litteris tamen patentibus suorum provincialium. In quo labore per duodecim annos exerceri debeant, itaut illis non reputetur ad gradum, nec suppleri valeant aliis meritis, nisi vere et integre huiuscemodi officium perquamdiligenter expleverint modo et formâ hic et superius dist. II cap. II praescriptis. Praeter hoc insuper eos teneri volumus ut conciones conventus, iuxta ordinem et dispositionem commendatoris, habeant, et conscientiae casum alterne proponant et resolvant quotidie ab initio Adventus Ordinis usque ad dominicam Trinitatis.

III. Qui vero actu in hoc praedicationis munere laboraverint, gaudeant exemptionibus ab officio chori et altaris, a matutinis mediâ nocte dicendis, et Primâ: insuper missam unam pro se celebrare possunt ultra concessam a constitutione. Et tandem, completis duodecim annis praedicationis, immunes etiam ab officio hebdomadae declaramus, non tamen a residentiâ chori, quam eos de cetero integre sectari praecipimus.

IV. Cum pro his, qui praefatae praedicationis officium compleverint, sex praesentaturas iam pridem Ordo instituerit, in qualibet provinciâ eas neminem posse obtinere decernimus, nisi peractis, ut iam praemissum est, duodecim annis in praedicationis exercitio, praeviâque informatione de illis ab ipso provinciali seu visitatore factâ, sub eisdem formâ et tempore, annorumque nullitate in capitulo praesentandâ, quae superius de lectorum informationibus decernuntur. Definitorium vero capituli ius habeat privativum eas approbandi, ac etiam exponendi praedicatores ad praedictos gradus, et hanc quoque facultatem cedendi magistro, sicut in gradibus de lecturâ sancivimus.

V. Ipsis vero praedicatoribus iam graduatis easdem immunitates, indulta et privilegia concedimus, quibus gaudent omnes praesentati de lecturâ, vocemque similiter activam vel passivam in capitulo provinciali, et in electione definitorum provincialium et definitorum, electorum generalium, et ceteris actibus capituli, praeterquam in eius definitorio, nisi ad illud aliunde pertineat.

Caput IX. De confessionibus et confessariis.

I. Per professionem litterarum eo maxime ducimur ut discamus scientiam sanctorum, mysticamque theologiam, qua in Poenitentiae foro ductores animarum efficimur, et lepram a leprâ discernimus. Unde, cum in confessariis nostris sufficientiam desiderantes quae decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, firmiter stabilimus, ut nullus frater in Ordine nostro confessiones audiat saecularium, neque fratrem[1] alterius Ordinis, nisi prius a magistro vel provinciali fuerit approbatus, quibus enixe constituimus, ut ad munus huiusmodi eos tantum fratres eligant, qui litteris, vitâ et sanctitate fuerint commendabiles; praeter has autem licentias ab Ordine, nullus frater confessiones saecularium audire praesumat, nisi illam etiam obtineat a dioecesano, vel eius vicario, vel ab alio cui[2] huiusmodi confessiones audiendi iure possit facultatem vel curam animarum iniungere. Caveant autem dicti confessarii, ne aliquid a poenitentibus exigant, imo neque suscipiant, illud Evangelii adimplentes: *gratis accepistis, gratis date*.

II. Quilibet commendator in suâ commendâ idoneos fratres assignet, et satis sibi probatos, qui aliorum fratrum confessiones audiant; omnes tamen conventuales teneantur suis commendatoribus ad minus semel in anno confiteri, et ab ipso communionem suscipere in missâ solemni feriae quintae maioris hebdomadae.

1 Videtur legendum *fratrum* (R. T.).
2 Videtur legendum *qui* (R. T.).

III. Fratres autem, sive conventuales, sive hospites in conventu commorantes, nullis aliis confessariis confiteantur, nisi tantum illis, quos pro conventu praelatus designaverit. Extra conventum vero, et ubicumque nostrorum confessariorum copiam non habuerint, confiteri poterunt extraneis confessariis a suis respective superioribus approbatis.

Caput X. De totius Ordinis provinciarumque historiographis.

I. Agnoscentes utilitatem historiae, quae antiquorum patrum exemplis praesentium saepe mores effractos instituant[1], propterea ordinamus ut in capitulo generali, quoties opus fuerit, eligatur vel confirmetur unus historiographus pro toto Ordine, qui omnes res eius et gesta vitasque praecipue venerabilium patrum praecellentiumque virorum memoriae tradat, atque inceptam semper historiam novis voluminibus et tractatibus adaugeat; similiter et in qualibet provincià alius etiam in eius capitulis provincialibus nominetur, qui totius provinciae res fideliter referat et digerat, unde et generalis historiographus totius Ordinis historiam concinnare valeat.

II. Volumus autem, ut, qui nominati fuerint ad officium huiusmodi, sint ad illud genio naturaeque facilitate proclives, sacris etiam et humanis litteris praestantes: ante collationem muneris aequum erit, ut a provinciali aliisque viris rerum exprimentum fiat, ut cum discretione eligatur, qui proposito et intentione utilior videatur et commodior.

III. Dum ergo generalis chronographus hoc in opere laboraverit, fratrem amanuensem semper apud se habeat, ab omni conventus onere liberum oleum etiam, papyrum et cetera suo muneri necessaria ei a praelato tribuantur; si non fuerit magister, gaudeat, quoad victum, mensurà et portione magistri; si autem magister existat, eadem victus ratio designetur ei quam patribus provinciae praefiximus.

IV. Expensae vero, quibus pro scriptis praelato mandandis indigeat, illi inviolabiliter conceduntur ab Ordine iuxta magistri generalis dispositionem, cui enixe suademus, ut totis viribus omnia, quae super hoc fuerint elaborata, semper iuris comiti contendat. Duas insuper missas, praeter indultam a constitutione, generali chronographo perpetuo concedimus in singulis septimanis.

V. Historiographus autem provinciae, si propriam et specialem historiam provinciae ordinare et accedere constituat, id fiat expensis provinciae, nisi eas aliunde ipse vel praelati provideant; quod si non faciat, mittat singulis annis ad magistrum Ordinis universa, quae digna relatu invenerit et elaboraverit, ut generalibus chronicis inserantur.

VI. Immunitates, quibus gaudere debet, sint una missa praeter communem in singulis septimanis, oleum, papyrum, reliquaque ad scribendum necessaria, et tandem partes magistri quoad victum.

Caput XI. De bibliothecario.

I. Cum bibliotheca sit communis disciplina fratrum et officina litterarum, unde quis praeter inopiam de omnibus edoceri valeat, eam, quantum fieri possit, omnibus facultatem[1] praecipimus esse instructam, maxime vero in domibus studiorum. Pro custodià autem et culturà illius fratrem unum pervigilem et libris omnino deditum constituat praelatus, cui omnino bibliotheca et librorum numerus tradatur, de quibus, cum postulatus fuerit, rationem reddere debeat. Ad hoc vero fit duplex inventarium, quorum alterum in conventu depositum includatur, alterum vero apud ipsum maneat bibliothecarium, itaut in fine utriusque, et quotiescumque librorum mutatio fiat in qualitate vel numero, subscribat sem-

1 Forsan *instituat* (R. T.).

1 Forsan *facultatibus* lectio imperfecta (R. T.).

per praelatus cum depositariis et bibliothecario.

II. Huic ergo fratri subiungimus, ut librorum species sic discretis componat ordinibus, ut secundum diversitates facultatum sint ad invicem separati; qui pertineant ad unam scientiam et facultatem, simul in uno vel pluribus pluteis per suas cellas et ordines componat, titulo facultatis desuper addito, et signatis voluminibus propriis numeris, ut per eos facile inveniantur in tabulâ.

III. Praeterea studere debet, ut, pro nitore et munditiâ librorum, fenestrae contra pluviam et ventum praecludantur, ut locus everratur frequenter, et a voluminibus pulvis et tineae saepe numero excutiantur, clavis bibliothecae servetur semper apud ipsum, sitque perpetuo paratus ad illam aperiendam studere volentibus, et ibi interim assistendum per se vel fidelem socium sibi creditum et a praelato designatum, nec quisquam alius specialem clavem obtineat praeter bibliothecarium.

IV. Ipse ulterius in id maxime incumbat, ut non solum libri non pereant, sed potius ut in dies accrescant; omnium illorum ita debet esse conscius, et[1] praecipuos saltem in aliquâ facultate semper comparari curet; quod quidem commutatis aut venditis libris duplicatis fieri poterit. Ceterum, cum id agi oporteat, nunquam exequatur pro libito, nisi cum assensu commendatoris et provincialis in scriptis.

V. Sed ut omnis nostri Ordinis bibliotheca fideliter conservetur, librique ullâ negligentiâ decrescere vel disperdi nequeant, praecipimus, in virtute Spiritus Sancti et sanctae obedientiae, sub poenâ excommunicationis maioris ipso facto incurrendâ, ut nullus frater, cuiuslibet qualitatis aut conditionis extiterit, possit nec audeat librum aut libros quoscumque, vel quolibet excogitabili praetextu seu causâ, ex bibliothecâ extrahere nec ad hoc valeant praelati facultatem concedere, sub eisdem poenâ et praecepto.

1 Potius lege *ut* (R. T.).

VI. Qui vero frater libros sibi ad usum concessos communi bibliothecae tradere voluerit, poterit libere ex ipsis dumtaxat aliquem seu quos velit pro suo studio deducere. In conventibus autem exiguis, ubi pauci fuerint libri, eos praelatus in suâ cellâ custodiat, de quibus poterit tradere quos frater aliquis ad studendum postulet, relictâ tamen memoriâ in chirographo, ut eos debito tempore reddat.

VII. Ut denique bibliothecarius praemissa omnia diligentius expleat, illumque sui muneris nunquam taedeat, ordinamus ut omni tempore, quo illud obierit, si non fuerit praesentatus, gaudeat omnibus gratiis, immunitatibus et exemptionibus praesentati, praeter vocem et locum. Si vero praesentatus existat, omnia pariter privilegia illi concedimus, quibus magistri fruuntur, excepto loco dumtaxat.

### DISTINCTIO SEPTIMA.

*De electionibus ad officia, et potestatibus electorum.*

Ordinis vineam essentialibus iam disciplinis institutam, fratribusque quasi vitibus plantatis[1], poenarum vallo munitam, et litterarum torculari instructam, nunc tradimus religiosis agricolis, quos in praelatos assumimus, ut apti, adhibitâ regiminis culturâ, fructum eius Domino referant tempore opportuno.

Caput I. De capitulo generali, eiusque tempore et convocatione.

I. Magistri generalis officium in Ordine nostro non amplius quam sex annorum spatio concluditur, itaut illud nunquam perpetuari liceat, sicut decreto Gregorii XIII et motuproprio Sixti V

1 Potius lege *plantatam* (R. T.).

praecipitur, neque rursus, qui vicem suae alternationis inferius declarandae per sexennium expleverit; eàdem iterum vergente non possit denuo in magistrum generalem assumi, sed expectari debet sequens ipsius magistratus vicissitudo.

II. Sex autem annos praedictos mobiles et ecclesiasticos intelligimus videlicet a sabbato in sabbatum ante dominicam Pentecostes, vel a sabbato in sabbatum ante tertiam dominicam octobris, quae non eodem mense vel die contingunt, unde si capitulum generale praecedens celebratum fuerit sabbato ante dominicam Pentecostes, hoc eodem sabbato sex post annis subsequens capitulum habendum sit absque dubio. Si vero ob vacationem magistratus ante sexennium expletum (ut infra constituitur) praecedens capitulum celebratum sit sabbato ante dominicam tertiam octobris, sequens in ipsum recidat post sexennium. Quod si ob eamdem causam, capitulum habeatur sabbato ante Pentecostem, capitulum immediate succedens pariter post sex annos finiatur in ipso.

III. Et quamvis aliquando (ut inferius etiam ordinatur) ad sabbatum ante dominicam Trinitatis vel quartà octobris transferatur, non propterea futurum proxime capitulum (extra casum quo haec translatio octava dierum statuitur) a praedictis sabbatis ante dominicam Pentecostes aut tertiam octobris amoveatur, sed in ipsam redire praecipimus.

IV. Ad hoc autem capitulum generale (exceptis casibus vacationis magistratus inferius assignandis) omnes eius vocales praesentis constitutionis iure convocamus, itaut vi illius omnes censeantur convocati ad unum ex praedictis sabbatis, eo praecise quod expleatur sexennium, atque adeo teneantur accedere ad domum pro eo celebrando in proxime superiori capitulo designatam; nihilominus magister generalis poterit suas litteras convocatorias ad eos opportuno tempore mittere iuxta consuetudinem religionis. Quod quidem praestare tenebitur vicarius generalis Ordinis, qui in eius locum, magistratu qualibet ratione vacante, successerit, in suis semper litteris causam vacationis declarando. Ceterum, si magister iuste sit impeditus et nequeat ad celebrationem capituli generalis accedere, praesidemque in illo nominaverit (quod dicimus in eo casu vicarium magistri), nullam is habeat potestatem convocandi, sed per se id faciat[1] magister generalis tempore superius declarato.

V. Quocumque autem sive magistro sive vicario generali Ordinis convocante, sive etiam iure tantum constitutionis convocatione factâ et suppositâ, ut praemissum est, omnes vocales ad praefatum generale capitulum venire tenentur loco et die, qui praestituti fuerint, inspectis. Si qui vero noluerint, aut fuerint impediti legitime, ius eligendi maneat apud illos qui praesentes extiterint.

VI. A die convocationis ad celebrationem capituli usque ad eius conclusionem, in quolibet Ordinis monasterio fiat quotidie supplex ad Deum deprecatio pro felici eius eventu, et pro prospero vocalium itinere. Post Nonam itaque vel missam dicat conventus psalmum: *Ad te levavi animam meam*, ut sup.[2] dist. III cap. XV; quo peracto, cantor incipiat: *Veni, Sancte Spiritus, etc.*, et deinde *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster*, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur,
℟. Et renovabis faciem terrae.
℣. Salvos fac servos tuos,
℟. Deus meus, sperantes in te.

1 Ed. Main. leg. *difaciat* pro *id faciat* (R.T.).
1 Edit. Main. habet 1 pro *sup.* (R. T.).

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuae prosperitate dispone, ut inter omnes viae et vitae huius varietates tuo semper protegantur auxilio. Per Christum, etc.

Caput II. De praeside capituli generalis, et casibus in quibus eius celebratio mutatur.

I. Vivente magistro generali sui muneris est praesidere generali capitulo, si per salutem et expeditionem liceat; quod si morbo vel aliâ iustâ causâ ita fuerit impeditus, ut ipse per se capitulo adesse non valeat, tunc praesidem ad illud mittere posse decernimus, fratrem utique nostri Ordinis idoneum et prudentem, tantoque muneri exequendo litteris et auctoritate non disparem. Hunc autem magister sub nomine sui vicarii, et non vicarii generalis, litteris opportunis sigillo suo roboratis, ad hunc tantum effectum praesidendi, constituat cum eâ potestate quam declarabimus inferius.

II. Quoniam autem praeter hunc casum potest magister Ordinis morte, promotione, renunciatione, aliisve causis ab officio deficere: consequens etiam est ut ad novam eius electionem in alios praesides incidamus, et diversis temporibus eveniat celebratio capituli, providereque debeamus singulis.

III. Cum itaque futuris temporibus magistratus Ordinis per obitum aut renunciationem, vel aliàs quovis modo, vacare contigerit, si id ante quatuor menses proximos mensi Pentecostes eveniat, capitulum generale in vigiliâ huius Paschatis celebretur. Si autem praedictus obitus magistri, vel alia vacatio (ut praemittitur), succedat intra tempus dictorum quatuor mensium ante perfectum[1] Pascha, tunc celebratio capituli generalis ad sabbatum ante dominicam tertiam octobris eiusdem anni differatur, quam scilicet non usualem sed ecclesiasticam intelligimus.

IV. Similiter si praedicta vacatio magistratus acciderit ante quatuor menses proximos dicto sabbato tertiae dominicae octobris, capitulum generale in eo sabbato dictae dominicae tertiae celebretur. Si autem intra tempus ipsorum quatuor mensium ante dictam dominicam tertiam octobris obveniat, tunc ad sabbatum seu vigiliam Pentecostes anni immediate sequentis transferatur, itaut celebratio capitulorum generalium et electio magistri semper in sabbato, et non aliâ die instituatur aut fiat.

V. Unde in hunc finem, et pro maiori declaratione huius nostrae constitutionis, statuimus, ut, si a vacatione magistratus usque ad vigiliam Pentecostes plus quatuor mensibus intercedat, itaut ante dictam vigiliam isti quatuor menses expleantur, praefatâ vigiliâ habebitur capitulum; similiter, si quatuor praedicti menses finiantur ante sabbatum dominicae tertiae octobris, non aliud sabbatum expectabit electio, sed fiet in ipso.

VI. Attamen si a vacatione magistratus usque ad vigiliam Pentecostes, vel ab ipsâ vacatione usque ad sabbatum tertiae dominicae octobris, ita pene quatuor menses interveniant, ut statim post dictam vigiliam aut sabbatum compleantur, videlicet intra sequentem hebdomadam, et ante dominicam Trinitatis vel quartam octobris, tunc celebratio capituli generalis transeat respective ad haec sabbata ante dominicam Trinitatis vel quartam octobris, et non ultra, ne propter paucissimos dies ita longe magistri prorogetur electio.

VII. Interea vero, donec magister eli-

1 Potius lege *praefatum* (R. T.).

gatur, cum ad priorem Barchinonae, vel, eius defectu, ad alios inferius suo ordine declarandos successioni[1] religionis gubernium[2] pertineat. Quicumque tamen ille fuerit, succedit etiam cum omnimodâ facultate convocandi et praesidendi capitulo generali usque ad ipsam electionem inclusive, et non amplius, sicut accidit etiam in praesidentiâ ipsius magistri.

VIII. Declaramus autem, ut omnis tollatur ambiguitas, quod, quotiescumque vacaverit magistratus Ordinis intra quatuor ultimos sexennii menses, etiamsi paucissimi dies deficiant, capitulum generale celebretur sabbato quo sexennium concluditur, itaut vicariatus generalis amplius durare non valeat quam illis praecise diebus, aut intervallo quod deest usque ad conclusionem sexennii et dictam celebrationem capituli, quod a praefixo tempore divelli nequeat, nec vicariatus ultra sexennium procedere.

IX. Post electionem vero, statim ac noviter electus fuerit canonice declaratus, ac in vere magistrum a capitulo susceptus, si praesens sit, iam de cetero transit in illum praesidentiae munus in universis definitoriis et actibus tam publicis quam privatis ipsius capituli; si vero abfuerit, idem praeses electionis, omnibus praefatis actibus praesideat, modo decreta a definitorio facta a magistro electo postea confirmentur.

X. Quod si durante capitulo prae aliquâ invaletudine magister electus nequeat praeesse actibus et definitoriis capituli, cuius est ipse caput et pars praecipua, tunc illi fas erit aliquem de vocalibus ad hanc praesidentiam eligere, et in illum transferre omnem suae vocis auctoritatem pro singulis in definitorio et reliquis actibus decernendis. Cum tamen eligatur, fiat authentice, itaut de singulis actis, electionibus et decretis definitorii vel capituli, esse rite et canonice facta, et non tamquam a corpore aut definitorio acephalo processisse, in libro Ordinis et ubique constare valeat.

1 Potius lege *successores* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *gubernio* (R. T.).

XI. Si autem casus adveniat, quod, ex temporale[1] obitu generalis electi ante absolutionem capituli, nova electio magistri fieri debeat in ipso capitulo iuxta inferius ordinanda, tunc huic electioni semper praesideat prior Barchinonensis, tamquam revera vicarius generalis, in hac etiam etsi brevissimâ vacatione a constitutionibus postulatus, cui, si fuerit absens, aut alioquin impeditus, suo ordine succedant, quos infra praesenti constitutione decernimus.

Caput III. De eligentibus et eligendis in capitulo generali.

I. Cum magister generalis, quia prima in Ordine dignitas, ius habeat praesidendi generali capitulo, idcirco primum locum et vocem semper obtineat in electionem magistri universisque actibus totius capituli electionem praecedentibus, in omnibus insuper praefatam electionem consequentibus vocem sortiatur; idipsum quoque concedimus in vicarium generalem Ordinis vel capituli praesidem illi succedenti.

II. Rursus eo, qui in Ordine nostro munus magistri generalis obierint, ita praesenti constitutione ad praefatum generale capitulum convocamus, ut absolute ad illud accedere valeant, et vocem electivam et decisivam habeant in omnibus sicut quilibet ex definitoribus et electoribus capituli, locumque magistro generali et praesidi immediatum ante omnes provinciales.

III. In qualibet provinciâ quinque sint vocales, qui votum et suffragium habeant in capitulo generali, provincialis et quatuor sibi socii post eius electionem in capitulo provinciali canonice electi, quorum duos definitorum,

1 Potius lege *extempore* (R. T.).

alios vero electorum generalium titulo gaudere constituimus. Ex his autem omnibus primum locum habeant provinciales, deinde definitores generales, quos subsequantur electores iuxta antiquitatem provinciarum.

iv. Vocales insuper, quos electores generales dicimus, tantum habeant vocem et suffragium in actibus pleni capituli, scilicet in qualificatione vocalium ante electionem, et in ipsâ electione magistri et designatione domus capitularis, non autem in aliis congregationibus, quas definitorium ad differentiam capituli nuncupamus.

v. Prior autem Barchinonensis, etiamsi non sit vicarius generalis neque praesideat capitulo, vocem habet non solum in electionibus illius, sed etiam in definitoriis subsequentibus, et locum post provinciales vicariosque provinciales immediatum; vocem tamen in omnibus ante illos omnes obtineat.

vi. Deinde, qui in Romanâ Curiâ strenue et cum approbatione communi in officio procuratoris generalis se gesserint per quinquennium, seu magistri seu solius praesentaturae gradu praefulgeant, vocem habent in capitulo generali proxime celebrando dumtaxat, et non tantum in electionibus pleni capituli, verum etiam in omnibus eius definitoriis, usque ad absolutionem et finem ipsius, ex decreto capituli generalis Optensis a SS. D. N. Innocentio XI confirmato.

vii. Cum, temporibus opportunis et casibus a constitutione nostrâ praevisis et ordinatis, possit, in defectu alicuius de praedictis electoribus aut definitoribus, novus alius verâ et canonicâ electione a definitorio provinciali substitui, super hoc ipso declaramus, iuxta decreta praesentis[1] capituli generalis Optensis, hanc substitutionem solum esse intelligendam et posse fieri aliquo[1] ex praedictis suffragiis certo et determinate vacare contigerit in effectu, non autem ob solam contingentiam vel casum quo forte in itinere aut in ipso capitulo quovis modo impediri possit aut deficere. Quod ut immutabiliter impleatur, et non ita late via pateat multiplicandi suffragia, nec pluribus quam par est temere et sine causâ determinatâ adire capitulum liceat, praesenti constitutione praecipimus, nullum electorem aut vocalem, in locum alterius subrogatum, posse de cetero admitti in generali capitulo ad aliquem eius actum, nisi exhibito semper et realiter praesentato authentico testimonio in ipsâ sui creatione a definitorio provinciali concedendo, prout inferius in hac ipsâ distinctione cap. xxii ordinatur, quo evidenter constat[2] de defectu determinato et legitimo impedimento illius qui ad talem vocem habendam in capitulo generali electus fuerit in suae provinciae provinciali capitulo.

viii. Quantum vero ad eligendos eos qui vocem passivam habeant in congregatione generali, statuimus primo ad magistrum generalem non quoscumque de Ordine esse semper habiles, sed inter eius provincias et regna sequentem servandam fore alternativam, ita videlicet, ut semel sit ex totâ coronâ Aragoniae, Galliae, Italiae, regnique Navarrae; semel vero ex totâ coronâ Castellae et Portugalliae, inclusis provinciis Vandaliae, et Indiarum occidentalium ac etiam orientalium congregatione seu domibus.

ix. Quod quidem intelligendum est de filiis dictarum provinciarum seu congregationum aut domorum, qui in eisdem vere professionem emiserint, nec

1 Forsan *praefati* vel *praecedentis* (R. T.).

1 Videtur legendum *casu quo* (R. T.).
2 Aptius lege *constet* (R. T.).

solâ adoptione sint filii. Huiusmodi enim nullatenus tali alternativâ gaudere posse decernimus, nisi tantum in concurrentiâ earum provinciarum, congregationum aut domorum, ubi primam et veram filiationem habuerint.

x. Haec ergo, quae de electoribus et eligendis ordinavimus, sic esse firma desideravimus[1], et sic stabiles eorum voces, ut tam activâ quam passivâ privari aut destitui non valeant a vicario generali Ordinis toto tempore vacationis magistratus, ut amplius declarabitur inferius. Quod si ratione alicuius delicti, vel ob alias causas, aliquis de praedictis eo tempore appareat active vel passive inhabilis, et suffragandi actione ex tunc iure communi vel harum constitutionum carere videatur, res deferatur ad capitulum generale, ubi, accurate discussâ, decidatur.

xi. Si autem magister generalis electus mortem obierit ante absolutionem eiusdem capituli, ubi creatus extitit, non ideo iudicamus expletam et evacuatam alternativam suae partis et provinciarum, quin imo secundum eamdem nova fieri debet electio magistri ex personis eiusdem partis et provinciarum. Unde in hoc casu nullam vacationem magistratus contingere declaramus, itaut Ordo expectare debeat officium vicarii generalis per menses quatuor, aut amplius.

xii. Ex dictis ergo provinciis, quae iuxta ordinem praefatae alternativae actualem sortem et concursum habeant in capitulo generali, unus frater de universâ eorum ditione vel ambitu eligendus est a capitularibus, sive praesens sive absens sit a capitulo, in quo nihil aliud considerare debent, nisi quod aetate sit maturus, et sensibus, doctrinâ et religione praeclarus, morum suavitate acceptabilis, disciplinae regularis amator, et in arte gubernandi iam probatus, diligens, zelator et prudens.

1 Forsan *desideramus* (R. T.).

xiii. Post celebratam electionem magistri, eligantur etiam in eodem capitulo per definitorium generale vicarii generales Indiarum et procurator generalis Urbis, et quos oporteat constitui pro rebus totius Ordinis in curiis regum, iuxta modum et formam inferius in hac distinctione cap. ix et x designandam; in eodem denique pleno capitulo eligatur domus pro celebratione capituli generalis proxime succedentis, cum alternatione et qualitatibus in huius distinctione cap. xi statuendis.

Caput IV. De electione magistri generalis et formâ in illâ servandâ.

i. Instructo capitulo, vocales omnes, quos iam in vigiliâ electionis vel sabbati supponimus domum capitularem ingressos, iuxta inferius cap. viii ordinanda, in ipsam sono campanae conveniant, communiterque procedant ad obedientiam praesidi exhibendam, quos ille benigne suscipiat, et opportuno tempore vicarium capituli sub hoc nomine instituat, qui iurisdictionem ordinariam habeat supra omnes capitulares et alios fratres ad capitulum concurrentes. Talis autem vicarius eligendus est a vocalibus illius provinciae in qua celebratur capitulum generale, vir quidem industrius, providus et pacificus.

ii. Eâdem autem die et vigiliâ sub vesperum congregentur capitulariter praedicti vocales a praeside iuxta morem; et factis commemoratione et precibus pro SS. D. N. Papa, pro felici statu et incrementis Ecclesiae, pro regibus catholicis, pro benefactoribus Ordinis et fidelibus captivis, vivis atque defunctis, prout superius distinctione iii cap. xv de capitulo quotidiano ordinatur, electionis praeses patribus electoribus brevem et piam orationem faciat, quae et de fine convocationis disserat, et ad electionem magistri generalis se-

cundum Deum et canonice peragendam hortetur, ac simul de meritis eligendi, et quâ debet praestare virtute, prudentiâ, doctrinâ et zelo observantiae regularis eos ferventer admoneat.

III. Hac vero oratione peractâ, ad examen vocalium et legitimas eorum voces canonice discutiendas procedat. Et primo per formalem obedientiam et excommunicationis maioris poenam ter illis praecipiat, ut, si quis aliquem vocalium legitimo impedimento vel censurâ ecclesiasticâ innodatum in capitulo adesse cognoverit, ratione cuius in electione suffragari non liceat, confestim prodat et nullatenus latere sustineat. Quod si aliquis reperiatur vel censurâ ecclesiasticâ vel alio impedimento iuris nostrarumve constitutionum inhabilis, idque sufficienter probetur, factâ de eo accuratâ discussione a capitulo generali, ab ipso decidatur et declaretur, et e capitulo protinus eiiciatur, itaut in hac primâ congregatione aut sessione sic maneant vocales de suae vocis legitimatae[1] iusto examine comprobati, ut ad futuram die sequenti electionem sub certo numero statuantur.

IV. Sequenti die, primo diluculo, et ad auroram, omnes vocales legitimâ voce ad electionem suscepti in capitularem locum conveniant, ibique a vicario conventus includantur; quibus locum electionis ingressis, celebratur in eo missa de Spiritu Sancto (quam etiam in toto Ordine eàdemque die et horâ cantari praecipimus); ut[2] post illam concio litteralis ad electores latino sermone habeatur, hortando eos ad rectam et bono communi utilem electionem; qua finitâ, flexis genibus concinatur hymnus *Veni, Creator Spiritus,* et eo cantato, surgat praeses et dicat: *Emitte Spiritum tuum*, etc.

1 Forsan *legitimitate* (R. T.).
2 Potius lege *et* (R. T.).

*Oremus.*

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum, etc.

Et sic ulterius ad sequentia procedatur.

V. Magister generalis, seu qui eius defectu praesideat, similiter ut pridie, sub formali praecepto et poenâ excommunicationis moneat excommunicatos, suspensos et interdictos, vel alioquin suffragium et vocem legitimam non habentes (si qui sint in praefato conclavi, aut quos adesse cognoverit), ut illico recedant vel prodantur, cum de iure interesse non valeant; quocirca illis protestari debet non esse de mente ipsius aliquem illorum admittere. Si autem occulte se ingesserint, nolumus eorum voces sive suffragia approbare, aut per eas electioni canonicae derogare, seu quovis modo inferri praeiudicium.

VI. His itaque praemissis, omnes electores adiurari debent a praeside singulatim per Deum et eius sancta Evangelia suis manibus tacta in hanc formam: « Iuras, quod secundum Deum et propriam conscientiam, ac in animae tuae periculum, eliges in magistrum Ordinis fratrem, quem revera regulari observantiae et publicae utilitati indicaveris meliorem et magis idoneum regimini? » Elector vero dicit: *Iuro.* Quo iuramento peracto, omnes etiam singulatim accedunt ad mensam in qua erit coram praeside vas aliquod praeparatum, et secreto in illum schedulas iniiciant, quas quidem, tam in hac quam aliâ qualibet electione canonice faciendâ, non teneantur electores a secretario capitulari petere, sed ipsi eas infra vel extra capitulum ad proprium nutum valeant conscribere prout maluerint. Si

autem intra capitulum aliquis elector ita langueat, ut nequeat electioni assistere, capitulum nominet duos vocales, qui, ad cellam eius advenientes, accipiant ab eo suffragium clausum et signatum, illudque ad capitulum deferant, et eodem secreto in vase reponant.

VII. Postquam omnes vota sua et suffragia in vas praefatum immiserint, tunc praeses capituli cum duobus definitoribus ex toto capitulo dignioribus coram secretario vota et singulas schedulas scrutentur, et computent an vocalium numero coaequentur. Tunc autem si maior pars medietate eligentium in aliquo fratre convenerit, scrutinium et electio publicetur ut canonica a praedicto secretario capituli, qui fidem de omnibus praestabit in scriptis.

VIII. Is autem secretarius vel notarius huiusmodi capituli semper debet eligi ex fratribus nostri Ordinis, et nullatenus saecularis, praestito prius secreti et fidelitatis iuramento, cuius quidem muneris est fidem reddere et authentice litteris consignare universa electionis acta, et quaecumque gerantur et decernantur in capitulo.

IX. Si vero maior pars eligentium (ut praedicitur) in uno fratre non conveniat, secundo, tertio, si fuerit opus, ad nova suffragia et scrutinia procedatur, donec maior pars medietate eligentium in unum conveniat et electio fiat canonica: quod si intra duos dies non elegerint, praecipimus in virtute obedientiae commendatori domus, vel eius vicario, ut panis et aqua tantum electoribus ministretur, donec magistrum generalem eligant ex se ipsis aut aliis absentibus nostri Ordinis, iuxta alternativas superiori capite declaratas.

X. Ut autem in electionibus, quae a maiori parte capituli fiunt, omnis incertitudo validitatis evitetur, decernimus, quod, si eligatur religiosus extra gremium capituli, sufficiat pro maiori parte numerus suffragiorum excedens partem alteram in unâ, ut, ex quadraginta uno vel quadraginta, vigintiunum. Et si eligatur religiosus de gremio capituli, tunc ad certitudinem validitatis necessarium sit aliud suffragium, ut, ex quadraginta uno vel quadraginta, vigintiduo.

XI. Si autem in aliquâ schedulâ inveniant scrutatores subscriptionem aliquam vel signum, quibus persona eligentis innotescat, vel si nihil in eâ sit scriptum, aut suffragium inepto tribuatur, non ideo praeiudicium patiatur electio, si alioquin sufficienti suffragiorum numero facta sit, ut praedicitur, sed talis schedula subscripta, signata vel alba, seu in favorem inepti reposita, separetur, et pro suffragio cassato vel potius deposito reputetur, et solum habeatur ratio reliquarum ad scrutandum numerum canonicae electioni sufficientem, iuxta maiorem partem eligentium.

XII. Cum autem inter scrutandum aliqua forte vel plures inveniantur schedulae supra numerum vocalium, scrutinium inane reputamus; atque adeo, relicto priori ut penitus cassato, ad aliud procedatur. Denique vero, cum iam legitima evadat electio, omnes schedulae coram toto capitulo protinus comburantur.

XIII. His itaque peractis, et publicatâ electione per secretarium capituli, statim, antequam novus magister obedientiam suscipiat a capitulo, debet coram praeside et electoribus secretarioque praedicto per Deum et crucem et eius sancta Evangelia suis manibus tacta, iuramentum facere de sequentibus. Praeses interroget: « Iuras quod secundum Deum et propriam conscientiam et constitutiones nostri Ordinis ipsum reges et moderaberis, omni odio et amore postpositis? »

Electus vero respondeat: *Iuro.* Praeses iterum: « Iuras, quod Ordinis instituta et constitutiones eius servabis ac servari facies, et ea pariter exequêris, quae pro parte provinciarum Ordinis a tuis praedecessoribus approbata et reservata fuerunt? » Respondeat electus: *Iuro.* Praeses adhuc: « Iuras, quod fideliter et omni studio exequêris, quae ad redemptionem captivorum pertinent, nec in aliquo, iuxta constitutiones huiusmodi, praedictae redemptionis bona, quovis colore vel praetextu, in propriosvel alios usus convertes, aut converti permittes?» Respondeat electus: *Iuro.* Praeses autem: « Iuras, quod omnia bona Ordinis tibi credenda fideliter attrectabis, et de illis et quibuscumque aliis ad Ordinem pertinentibus et tuae dispositioni committendis semper in capitulo exactam rationem reddes? » Electus vero: *Iuro.* Praeses tandem: « Iuras, quod observabis capita concordiae initae cum nostrâ familiâ Discalceatâ circa ministerium redemptionis prout in eâ continetur? » Electus respondeat: *Iuro.*

XIV. Haec est forma iuramenti perpetuo et iviolabiliter a magistro generali electo praestandi; qui si omnia vel praedictorum quidquam iurare recusaverit, electio sit nulla, nec ipse pro magistro generali suscipiatur. Si vero iuraverit, omnes confestim ad illum accedant, et genuflexi humiliter obedientiam exhibeant; quo facto, incipiatur hymnus *Te Deum laudamus*, et procedatur ad ecclesiam, locorum ordine servato prout in capitulo, cuius tamen praesidi magister electus adhaerebit ad extra; et ubi accesserit ad altare, ibi prosternatur, et praeses electionis dicat:

℣. Salvum fac servum tuum, Domine,
℟. Deus meus, sperantem in te.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut famulum tuum, quem ad regimen animarum elegimus, dono tuae gratiae prosequaris, ut te largiente cum ipsâ tibi nostrâ electione placeamus.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere.

Concede nos famulos tuos, quaesumus, Domine Deus, perpetuâ mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosâ Beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitiâ et aeternâ perfrui laetitiâ. Per Christum, etc.

Quibus ita finitis ducitur magister electus ad chorum, ibique in sede suâ se commendat orationibus fratrum, et populo publicatur electio.

XV. Tandem ergo de consensu magistri electi et capituli constituantur procurator vel procuratores qui praedictam electionem Pontifici Maximo exhibeant, ut illam approbare et confirmare dignetur, quippe cui Ordo noster est immediate subiectus. Si quis vero huiusmodi electioni rite et recte (ut praemittitur) factae[1] ausus fuerit contradicere vel obstare, vel ab eâ quomodolibet appellare, illum praesenti constitutione excommunicamus, et suffragiis tam in vitâ quam in morte, et officiis in Ordine nostro perpetuo privamus.

XVI. Magister generalis, qui praefato modo canonice electus fuerit, suum statim officium exercere incipiat sub titulo generalis electi, sitque caput et praelatus generalissimus in toto Ordine, cui omnes provinciales atque eorum provinciae cum omnibus et singulis totius Ordinis fratribus obtemperare teneantur Postquam vero a Sede Apostolicâ fuerit confirmatus, palam id notum faciat et denunciet suis provinciis, ac deinceps

1 Edit. Main. legit *facta* (R. T.).

absolute nomine et titulo magistri generalis utatur.

Caput V. De officio et potestate magistri generalis.

I. Generalis magister universalem habeat potestatem in toto Ordine, illam videlicet quae supremis praelatis cuiuslibet Ordinis est de iure communi vel privilegiis concessa et in posterum concedenda, ad omnia quae ex peculiari statuto nostri Ordinis non sunt illi prohibita, et ad curam seu administrationem totius Ordinis tam spiritualiter quam temporaliter exercendam. Unde per se solum in omnibus et singulis eam potestatem habeat in toto Ordine, quam provincialis in suâ provinciâ, et commendator seu praelatus quisque localis in suâ commendâ vel domo; insuper eam quae ad rationem sui officii ex iure communi aut privilegio ex nostrisve constitutionibus expectare potest. Verumtamen inferiorum praelatorum ministerio non se immisceat nisi ob eorumdem defectum, vel cum prudentia et rationabilis[1] causa id postulaverit, semper tamen inferiores illi parere teneantur.

II. Cum igitur ipsi incumbat, tamquam generali pastori et antistiti, Ordinem visitare et proprias oves cognoscere, propterea ipsius conscientiae consulendo praecipimus in Domino, ut in utroque triennio totum Ordinem et omnia illius monasteria per se vel idoneos fratres (si ipse non valeat) omni studio visitare non desinat. In suâ autem visitatione se omnibus iustum et mitem exhibeat, ac regularis observantiae amatorem, nunc verbo, nunc baculo, vel ferreâ etiam virgâ corripiens, si necesse fuerit, ut omnes sibi subditos, quantum sit possibile, in bonam frugem et severam Ordinis disciplinam inducat.

III. Omnimodam autem potestatem habeat modificandi, rationabiliter et ex causâ ut superius praemittitur, poenas hac constitutione inflictas, exceptis tamen casibus ab eâ praefixis.

IV. Ipsius insuper est potestatis gradus Ordinis confirmare, ac reliqua per se exequi quae olim agebantur in capitulo generali intermedio iuxta Pauli V et Urbani VIII decreta, quibus equidem insistentes praefatum generale capitulum intermedium de cetero celebrari omnino prohibemus.

V. Ad eum etiam privative pertinet adoptiones et filiationes fratrum unius provinciae in aliam constituere; si quae autem commendae vacaverint in provinciâ ubi reperitur, potest eas pro libito conferre, dum tamen provincialis eiusdem provinciae commendatorem prius non elegerit. Unde inter ipsos super hoc in praedicto casu praeventionis iura constituimus. Similiter in provinciâ, cui magistrum adesse contigerit, si definitorium provinciae habendum sit, illud convocare potest, et ei pariter praesidere, atque habere suffragium; in electione prioris Barchinonensis, si electionis tempore in eâ domo fuerit inventus, non dissimilem potestatem habere decernimus ut convocet et praesideat pariterque vocem habeat.

VI. Ad magistrum quoque privative attinet sententiam expulsionis ferre iuridice in criminosos incorrigibiles eâ formâ quam superius declaravimus.

VII. Item magister generalis debet apud se habere duo sigilla, videlicet magnum et parvum, in quorum primo sit incisa imago revelationis Ordinis cum eiusdem scuto et stemmatibus, istoque versiculo per limbum: *Redemptionem misit Dominus populo suo;* in secundo autem sint tantum praedicta religionis stemmata; quo ut vere minori utatur in rebus minoribus, illo vero in maioribus tantum, quae pro rei maiestate sic postulant; ad perpetuamque rei memoriam

[1] Edit. Main. legit *rationabili* (R. T.).

subiicimus, ut in fine omnium litterarum suarum seu scripturarum testimonialium anno Domini apponat etiam annum fundationis Ordinis his verbis: *A descensu vero et apparitione beatissimae et immaculatae Virginis Mariae ad fundationem nostri Ordinis anno N.*, quam pariter ab universis aliis praelatis observari praecipimus, ut antiqua Ordinis consuetudo ab ipsius limine inducta non pereat, tantaeque Matris dignationi istud vel levissimum obsequium deferamus.

VIII. Magister generalis potest ulterius praesidere capitulis generalibus et provincialibus per se ipsum vel suum vicarium ad id ab eo specialiter deputatum, et vocem quidem habeat tam ipse quam eius vicarius in omnibus electionibus, ordinationibus et definitoriis usque ad absolutionem utriusque capituli.

IX. Properante iam tempore electionis provincialis, poterit ipse magister convocare ad celebrationem capituli provincialis, mittendo immediate suas litteras ipsi provinciali, qui illas continuo manifestet capitulariter conventui ubi adesse contigerit; ipsas vero deinde mittat illico ad omnes alios conventus ut cunctis vocalibus innotescant.

X. Ulterius in concurrentiâ capitulorum provincialium potest magister quodlibet eorum anteponere vel postponere per tres menses a complemento triennii, ut uni et alteri interesse possit, dummodo nullum a die sabbati distrahat. Quod etiam praestare valeat quamvis non sit concurrentia capitulorum, sed unicum dumtaxat celebrandum, si alioquin sibi visum fuerit expedire. Ultra tamen dictos tres menses non possit magister generalis capitula provincialia anteponere nec postponere.

XI. Adhuc ad magistrum pertinebit, ut vere Ordinis patrem, si praesens fuerit electionibus, electores dirigere, eos modeste, pie et religiose monendo, hortando et instruendo atque etiam vage suadendo ad eligendum personam digniorem et magis idoneam, ipsius utcumque virtutes regimini necessarias capituli disserendo. Si autem non interfuerit, id ipsum per litteras ad capitulum seu electores missas eâdem charitate, quae nunquam agit perperam, praestare licebit.

XII. Quod si electores in provinciali capitulo congregati intra tres dies a primo exclusive ad electionem designatam de personâ eligendâ non convenerint, vel electio non sit facta iuxta sacros canones, constitutiones et decreta Ordinis, atque adeo sit iure cassanda, tunc ius eligendi provincialem devolvitur in magistrum, qui illum confestim eligere teneatur.

XIII. Magister generalis debet etiam confirmare electionem vicarii generalis nostrae Recollectionis (si fuerit canonica) intra dies quindecim a primo praesentationis, et patres praedictae familiae intra tres menses a die electionis tenentur praesentare illam magistrò generali pro eius confirmatione obtinendâ, ex concordiâ inter utramque familiam a Gregorio XV confirmatâ.

XIV. Similiter debet electiones provincialium rite factas confirmare, vel defectum earum ostendere, atque etiam prioris Barchinonensis si sit quoque canonice celebrata; in qua tamen si conventuales de personâ eligendâ non convenerint intra mensem, ius eligendi devolvitur in generalem magistrum, qui vicarios provinciales in quibusdam casibus inferius cap. XV huius dist. exprimendis creare possit; sicuti et in provinciâ, quae ob provincialis decessum regitur per vicarium provincialem ab eo relictum, designare vicarium generalem,

quem pro nullâ extra hunc casum provinciâ nominare valeat. Hinc tamen excipimus Hispaniae, Galliae Italiaeque provincias. Dicto namque magistro in Hispaniâ residenti potestatem facimus ut pro Galliâ et Italiâ vicarios generales instituat. Dum vero in Galliâ commoretur vel Italiâ, eamdem facultatem habeat ad eligendum vicarium generale pro Hispaniâ.

xv. Licet iure constitutionis pristinae magister generalis de aliquibus dispensare possit cum fratribus, illis interdum concedendo nonnullas exemptiones, gratias et immunitates, nihilominus tamen, quia plura et ingentia damna ex hac liberalitate provenire compertum est, eam in posterum praedicto magistro interdicimus, eique solum permittimus declarare fratres aliquos illis immunitatibus et exemptionibus gaudere, quae solent appellari reales, et quibus ratione officii, gradus vel antiquitatis quadraginta annorum in Ordine gaudere possunt iuxta constitutiones huiusmodi et decreta Pontificum seu capitulorum generalium.

xvi. Pro expensis autem sui muneris, et pro vestiariis, aliisque sumptibus Ordinis, singulae provinciae teneantur singulis annis praefato magistro persolvere eam pecuniarum quantitatem quae pro earum diversitate et facultate fuerit a consuetudine stabilita cum approbatione generalis capituli, ita tamen ut, sive plus, sive minus, nulla provincia, vel etiam congregatio, seu viceprovincia, excludatur a solutione praedictâ.

xvii. Sciat autem magister generalis quod circa huiusmodi religionis bona meram ei tantum administrationis potestatem concedimus intra Ordinem supra iis quae ad bonum Ordinis spectant, eaque ideo ut communia, non vero ut privata respiciat; nullâque insuper ratione aut praetextu bona, provincialibus commendatoribus aut quibuscumque fratribus ad usum concessa, sibi quomodolibet determinet vel assumat. Imo reddituum omnium oppidi de Algar et quarumcumque contributionum, tam pro vestiariis praedictis, quam alioquin sibi concessarum, in capitulo generali proxime futuro, vel, si ante illud deserat officium, provinciali et definitorio provinciae ubi repertus fuerit rationem reddere teneatur, ita ut animalia, quae officio deserviunt, cum pecuniis aliisve rebus ad illud pertinentibus, iisque post redditam rationem supervenerint, novo magistro electo resignet pro usibus sui muneris, vel dicto provinciali et definitorio tradat, qui ea magistro eligendo custodiant.

xviii. Super omnia vero, ipsius interest pro viribus laborare ut in omnibus redemptio captivorum ferventer exerceatur a fratribus, eiusque eleemosynae omni studio colligantur, fideliterque serventur, ita videlicet, ut suis temporibus sic omnes integrae fidelium liberationi proficiant, quod nullâ ratione aut praetextu cuiuscumque privilegii aliquam vel minimam partem aliis quibuscumque usibus applicet, seu applicari permittat.

xix. Quâ de re omnem ignorantiam propellere desiderantes, ipso magistro, ut universis praelatis Ordinis, eiusque fratribus, strictissime, et sub excommunicationis sententiâ ipso facto incurrendâ, praecipimus, ut enixe observent et observare faciant decretum et statutum editum in capitulo generali Barchinonae MDXX, ob aliquorumque ignorantiam aut dubia saepe in succedentibus confirmatum et expresse declaratum, prout nunc expresse reproducimus et declaramus, circa renuntiationem, seu potius non admissionem cuiusdam tunc recen-

tis Bullae sanctissimi Leonis X de anno MDXVI, et eiusdem confirmationis a Clemente VII de anno MDXXV, quantum ad usum bonorum redemptionis indifferentium, ita ut, quaecumque ab ipsis concessa facultas praedicto magistro vel Ordini circa distractionem alicuius partis illorum, nunquam censeatur admissa, imo quamprimum, et saepius, ut praedicitur, ab ipsis magistro et Ordine renunciata, neque tunc in eius praesentatione aut aliquando suscepta, sicut eam ut talem nunc iterum declaramus, et iuxta pristinam constitutionem nostram nullatenus a praefato magistro vel quibuscumque aliis exequendam, sub praedictis poenis et omnibus aliis superius dist. II cap. III latis, ubi cuncta circa praedictas eleemosynas non aliò distrahendas prohibita iuxta praesentem declarationem et decreta superius memorata esse et fuisse semper intelligenda denunciamus.

XX. Pro his ergo magister debet impensius omnia quantum liceat impedimenta superare, ut capitulo generali ac etiam provincialibus semper intersit, ubi praedictis maxime et aliis quae ad bonum Ordinis attinent ad oculum valeat providere, ne gregibus sibi traditis propter sui absentiam in capitulis minus diligenter a reliquis eorum pastoribus consulatur.

XXI. Ulterius provinciis magis desolatis, vel minus sibi sufficientibus, debet esse favorabilior in concedendis fratribus idoneis et utilibus, sive ad legendum, sive ad praedicandum, sive ad alia Ordinis obeunda negocia, iuxta utilitatem Ordinis, aut fratrum transferendorum, vel etiam provinciae, a qua vel ad quam traslatio huiusmodi fuerit facienda; nunquam tamen sub huius facultatis praetextu fratrem aliquem traducat de vocalibus unius provinciae in aliam intra duos menses ante capitulum provinciale illius a qua dimittitur. Quod nec alio tempore faciat, nisi rationabiliter urgeat. Contentiones quoque (si quae fuerint inter provincias) debet prudenter dirimere, et a mutuis eas iniuriis et vexationibus praeservare.

XXII. Magistri generales post impletum officium maneant ipso facto magistri de numero; in quâlibet totius Ordinis provinciâ, ubi reperiantur, in omnibus capitulis tam generalibus quam provincialibus, eorumque definitoriis extra vel intra capitulum celebrandis, vocem habeant decisivam et electivam in omnibus; honorem paternitatis reverendissimae non amittant; post praelatum conventus locum semper obtinent immediatum; ubicumque voluerint, conventualitatem possunt eligere de licentiâ magistri, et ibidem socium penitus ab omni conventus onere liberum illis dare praecipimus; in reliquis gaudent omnibus privilegiis et exemptionibus quibuscumque aliis a constitutione concessis, ita ut iuxta supremam dignitatem praeteritam amplior eis honor deferatur in singulis.

*Caput VI. De successione in vicarium generalem Ordinis, vacante sede magistri, et de potestate illius.*

I. Ut haec successio clarius in singulis eventibus statuatur, primo et ante omnia decernimus magistrum generalem posse ubique et quovis tempore renunciare magistratum per se vel procuratorem, coram tamen provinciali et electoribus ac definitoribus generalibus eius provinciae cui adesse contigerit. Qua renuntiatione factâ, et authentico testimonio per secretarium Ordinis attestatâ, ex tunc protinus sedem magistri vacare, et ad illum, qui iure harum constitutionum sit vicarius generalis in Ordine, totum eius regimen devolvi, perpetuo stabilimus. Cum autem magister generalis ad aliquam ecclesiam seu episcopatum eveniat promoveri, non statim sedes magistri vacua censeatur, nec suc-

cessorem ad officium vicarii generalis vocatum illud posse confestim assumere, quousque de praeconizatione in consistorio romano, et confirmatione a Sanctissimo, authentico liqueat testimonio.

II. Adhuc sedes magistri vacare potest vel per decessum, privationem, aliasve causas de iure praemissas; quacumque autem eveniente, sic successionem eius constituimus. Cum prior nostri conventus Barchinonensis, sive sit confirmatus sive non confirmatus, semper esse debeat caput et vicarius generalis totius Ordinis, quoties magistro viduetur, et sedes vere vacaverit; idcirco decernimus, ut, quacumque ex praedictis causis vacare contigerit, commendator domus, ubi evenerit (si tamen provincialis eius provinciae non adsit, cui praesenti actionem istam deferimus), nuntium specialem auctoritate et industriâ praestantem instituat cum authentico testimonio a secretario deficientis magistri recepto de veritate et causâ vacantis[1], et illum primo mittat ad praefatum priorem Barchinonensem, ut illud ipsi suoque conventui notum faciat, ac nomine totius Ordinis in successionem inducat.

III. Quod si tunc temporis non sit prior electus in praedicto conventu, universis eius fratribus denunciamus, ut, intra spatium vigintiquatuor horarum a puncto notificationis, priorem de more constituant. Quod si secus fecerint, vel prior inventus aut electus aliunde fuerit impeditus, succedat provincialis, aut vicarius provincialis in capite provinciae capitularis ad proxime generale capitulum designatae. His vero deficientibus, succedat commendator domus pro eodem proxime celebrando capitulo generali praefixae. Qui si etiam fuerit impeditus, transeat successio ad digniorem definitorem generalem eiusdem provinciae capitularis. Et his quoque impedimento constrictis, ad digniorem electorem generalem ipsius.

IV. In his autem omnibus rite ac de iure implendis, ita nuntius praefatus sit prudens et industrius, ut ex singulis ante dictis, quae in praefato priore aut aliis post illum vocatis successionem impediant, authenticum testimonium semper accipiat, prout de iure opus fuerit; et illud secum deferens, transeat de uno in alium, donec perveniat ad expeditum et habilem, cui vacationem sedis et ipsius successionem in illâ notam authentice faciat, ac sigilla conferat magistratus.

V. Hic[1] vero, quicumque fuerit, convocatis illico fratribus illius domus ubi reperiatur, et in capitulo congregatis, praedictam vacationem sedis suique in eâ successionem cum omnibus testimoniis hanc et illam rite adstipulantibus manifestet, et tunc ab omnibus solemniter obedientiam accipiat coram tali nuncio, qui etiam de his postremis actibus fide dignam attestationem recipiat, in qua et aliis superioribus semper notabit diligenter annum, mensem, diem et horam possessionis officii vicarii generalis et notificationis eiusdem, itaut possit omnibus constare iuridice de legitimitate successionis.

VI. Sed cum hos omnes sui vicariatus tempore possibile sit deficere, aut impediri canonice, ac proinde novâ successione sit opus; propterea statuimus, ut, si prior Barchinonensis sit vicarius generalis, et aliquâ causâ ex praedictis deficiat, simili modo, ut superius, notum faciat authentice per nuncium, si accidat extra Barchinonem, alioquin intra illam a secretario praecedentis capituli generalis intimetur praefato conventui, ut fratres eius intra periodum viginti-

1 Forsan *vacantiae* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *his* (R. T.).

quatuor horarum ab instanti vacationis vel eius notitiae novum priorem eligant, qui pariter succedat in vicarium generalem Ordinis; quod si non fecerint, aut electus sit etiam (ut praemittitur) impeditus, tunc, sumpto per nuncium aut secretarium praedictum authentico testimonio totius rei gestae, transeat ipse vel nuncius ad provincialem seu vicarium provincialem provinciae capitularis, aut alium successive vocatum (ut praedicitur), ipsique notam faciat successionem.

VII. Si vero vicarius generalis deficiens non sit prior Barchinonensis sed alius de vocatis post illum, tunc pertineat praedicta successio ad primum ex omnibus praedictis, qui tunc temporis non fuerit impeditus, ita videlicet ut a provinciali revertatur, et secundo quaerat priorem Barchinonensem, si iam eius impedimentum cessaverit, ratione cuius transivit ad provincialem. Quod si ita non sit, vel prior non eligatur intra spatium praefatum, iterum revertatur ad successionem provincialis, aut alios suo ordine vocatos, ut supra; de quibus omnibus eadem et eodem ordine observanda intelligimus si quisquam eorum sit vicarius generalis et deficiat.

VIII. Sic successione magistratus in vicarium generalem pro tempore vacationis legitime inductâ, quamprimum talis vicarius litteras suas patentes tam obedientiae quam convocationis ad capitulum generale celebrandum transmittat ad omnes provincias, ad quas opportune pervenire valeant ante praedictum capitulum, et hoc primum esse volumus suae potestatis indicium.

IX. Prior itaque Barchinonensis, aut, eius defectu, quicumque alius de praedictis ad hanc successionem assumptus, dum officio vicarii generalis fungitur, ita sit revera totius Ordinis caput, ut supremam et eamdem in omnibus habeat potestatem et vices quae inerant ipsi magistro, ac proinde gaudeat facultate et auctoritate sufficienti tamquam supremum caput totius Ordinis ad confirmationem graduum conferendam sicut ipse magister, et prout superiori distinctione cap. VI amplius declaratur.

X. Illi tamen nullatenus liceat aliquem ex vocalibus capituli generalis proxime celebrandi mutare, vel privare, aut novos eligere, neque etiam nominare vicarium provincialem; quod si tempore sui vicariatus provincialem aut eius vicarium deficere contigerit, succedat absolute in vicarium provincialem quem inferius cap. XX de illius successione in vicarium ordinabimus, unde, quantum ad hoc, ipsi electores, quos magister generalis quomodocumque deficiens reliquerit, permaneant immutabiliter in ordine, itaut sit in eodem statu usque ad electionem futuram, sicut fuerat ante vacationem sedis.

XI. Insuper si tempore sui vicariatus aliquod capitulum provinciale obtigerit celebrandum, nec illud celebrare poterit, nec ab alio quovis modo celebrari, etiamsi compleatur triennium, sed prorogari omnino constituimus in aliam dominicam in *Cantate* proxime futuram post generale capitulum, itaut provincialatus ad quadriennium in hoc casu producatur, ne utique in electoribus capituli generalis aliqua mutatio contingat, ut inferius amplius de omnibus provinciis et Indiarum praecipue declarabitur in huius distinctionis cap. IX.

XII. Prior autem Barchinonensis, vel, eius defectu, quicumque in vicarium generalem successerit, si, quando huiusmodi officium suscipit, fuerit solum praesentatus, ipso facto transeat in magistrum, dummodo annos lecturae pro magisterio adimpleverit; si vero fuerit

iam magister de numero, maneat post officium cum exemptionibus et gratiis exprovincialibus debitis cum praecedentiâ ad reliquos magistros suae provinciae, et immediate sedeat post omnes exprovinciales, qui sunt vel pro tempore fuerint.

Caput VII. De vicario magistri et eius potestate.

I. Non solum in vacatione sedis magistri in vicarium generalem totius Ordinis incidimus, sed interdum etiam, propter infirmitatem aut aliud rationabile impedimentum ipsius magistri, ad alios vicarios ab eo specialiter nominandos oportet ipsi facultatem concedere, quos et in potestate debeamus instruere.

II. Statuimus ergo, magistrum, si ita impeditus sit ut capitulo generali vel provinciali interesse nequeat, unum posse idoneum et prudentem nostri Ordinis fratrem sub titulo vicarii magistri ad capitulum mittere cum litteris opportunis suo sigillo roboratis. Cum autem fuerit in capitulo, et illud iam sit congregatum sono cymbali, ut assolet, in vigiliâ ipsius praedictas litteras praesentare tenetur; quarum virtute, acceptâ a vocalibus obedientiâ, ex tunc eamdem habeat potestatem in ipso capitulo generali vel provinciali, quam ipse magister si praesens adesset, atque eadem illi obedientia et honor a commendatoribus et universis fratribus capituli deferantur, quae ipsi magistro exhiberentur, et quidquid per ipsum vicarium et definitorium generalis vel provincialis capituli ipso durante definitum aut ordinatum fuerit, roboris obtineat firmitatem. In utroque autem capitulo semper, ut vere caput et praeses illius, primam habeat vocem in omnibus; quamprimum vero praesidentia eius expiraverit, eo quod succedat in munus magister electus, immediate post ipsum sedeat, in singulisque sequentibus definitorii et capituli actibus vocem habeat; iisque peractis, potestas praedicti vicarii protinus ipso facto cessabit.

III. Declaramus tamen, quod praedicti vicarii, seu etiam provinciales, qui in absentiâ magistri capitulo provinciali praesident, non gaudeant iure devolutionis quantum ad electionem provincialis, quam in casibus infra dicendis soli magistro concedimus; sed eis evenientibus tantummodo possit vicarium provincialem subrogare, donec, delatâ devolutione ad magistrum, ipse provincialem in provinciâ constituat; in reliquis autem electionibus eiusdem capituli et definitorii provincialis, si devolutiones eveniant, quas alibi etiam magistro praesidente committimus, eas quoque praedictis vicariis aut cuilibet alteri praesidenti concedimus, si videlicet electores, post tria scrutinia de discordiâ praemoniti, adhuc in quarto dissideant, ne capitulum moram patiatur, vel maneat imperfectum.

Caput VIII. De definitorio capituli generalis et quibus suffragiis, ordine et potestate constituatur.

I. In definitorio generali primam semper vocem et locum habeat magister generalis electus, tamquam eius caput et praeses noviter constitutus; etiam voce gaudeat generalis absolutus, seu quisquam ex ordine electionis praesul, qui generali electo immediatus assideat, salvâ magistratus antiquitate; sequantur et vocem obtineant, qui iam in Ordine generales extiterint; deinde provinciales aut vicarii provinciales secundum ordinem suarum provinciarum. Prior autem Barchinonensis locum teneat post dictos provinciales vicariosve provinciales immediatum, vocem attamen ante illos omnes primam habebit; postea succedat procurator generalis in Urbe, et tandem definitores generales, prout suarum provinciarum antiquitas postulaverit. Etiam in definitorio secretarium generalem includimus, sine voce

tamen si alioquin illâ non gaudeat, ut de omnibus definitionibus, decretis et electionibus fidem faciat.

II. Omnes itaque praedicti sunt ex quibus componitur definitorium generale, et vocem tam electivam quam decisivam habent in omnibus eius actibus et statutis; locum autem et ordinem, quem eis designamus, etiam extra definitorium in actibus pleni capituli vel conventualibus et domesticis observare praecipimus.

III. Huius autem definitorii potestas, cum sit suprema et altior in Ordine, vim habeat legislativam tam directive quam quam coactive super omnes eius fratres et praelatos, itaut ab eius correctionibus et censurâ nullus penitus sit immunis, unde in omnibus et singulis, quae pro toto nostro Ordine fuerint constituenda, mutanda vel diminuenda, laudanda, approbanda, declaranda et confirmanda, nec non punienda aut moderanda, dispensanda vel indulgenda, ita se habeat definitorium praedictum, ut illa omnia ordinet, constituat vel destituat, mutet, addat, seu minuat, laudet, approbet et confirmet, puniat, seu etiam moderetur, dispenset vel indulgeat, et firmiter quaecumque decernat, iis tamen exceptis de quibus constitutiones extiterint a Sede Apostolica confirmatae, quas nihilominus declarare poterit, et quicquid per hanc congregationem seu definitorium fuerit generaliter constitutum, ordinatum et declaratum universe, in toto nostro Ordine observetur, et insuper vim constitutionis habeat, si per tria continua capitula generalia statuatur.

IV. Tandem vero, ut quae in definitorio sunt agenda et decernenda Deo semper auspice fiant, statuimus, ut, quoties habendum sit, ante omnia invocetur gratia Spiritus Sancti, et dicatur antiphona *Veni, Sancte Spiritus*, cum aliâ de beatâ Mariâ Virgine, ut moris est, cum versibus et orationibus consuetis.

Caput IX. De electione, officio et potestate utriusque vicarii generalis Indiarum.

I. Constituto definitorio generali, prima electio, quae ab illo assumitur, est circa vicarios generales Indiarum, haec enim celebratur per suffragia secreta praedicti definitorii, quam tamen poterit assignare magistro, et in illum se compromittere, ut intra vel extra capitulum, et quoties vacatio contingat, praedictos vicarios nominet, et ut etiam a definitorio vel a se nominatos, ex iustâ causâ iureque servato, destituat. Eorum regiminis metam quinquennium esse statuimus, nisi, ob moram successoris, ut prorogetur necesse sit, ut ordinatur inferius.

II. Quomodocumque autem fiat electio, semper debet esse praefati vicarii ex Castellae Vandaliaeque provinciis, quarum scilicet non adoptione sed verâ professione sint filii, etiamsi alterius nationis existant. Eorum quidem unus eligatur, ut visitet et exerceat potestatem sibi traditam in Peruanis provinciis; alter vero in iis, quas Ordo habet in Novâ Hispaniâ et Guatemala, cum insulis et locis illi adiacentibus et unitis.

III. Quod tamen ita faciat, ut uterque vicarius per vices suas eligatur alterne ex praefatis Castellae Vandaliaeque provinciis, ita videlicet, ut, si vicarius generalis Peruanus sit semel ex provinciâ Castellae, in sequenti vice idem vicarius generalis eligendus sit ex provinciâ Vandaliae, et nullo modo duo vicarii generales Peruani aut Novae Hispaniae sibi immediate ex eâdem provinciâ succedant.

IV. Quamprimum ergo ad quamlibet suarum provinciarum quisque de praedictis vicariis perveniat, in qualibet earum domo poterit publicare litteras sui muneris, quarum virtute fratres omnes, quibus notificatae fuerint, illum suscipere et tamquam legitimo praelato obe-

dire teneantur: sed, ut omnibus et singulis provinciis sui regiminis praefatae litterae pateant, unum transumptum authenticum ad eas transmittat, quo pariter a singulis agnoscatur et suscipiatur ut verus pastor et visitator earum.

v. Sed, ne super potestate huiusmodi vicariorum aliqua dubitandi rimula relinquatur, eam in omnibus esse generaliter ordinariam, magistro tamen subditam, declaramus, a quo poterit limitari, si expediat, sicut in multis ab his nostris constitutionibus cohibetur.

vi. Ad eos maxime pertinere decernimus visitare et reformare praedictas Indiarum provincias, et, cum opus fuerit, ad debitam observantiam reducere, iuxta regulam et constitutiones Ordinis nostri, corripientes et punientes excessus, transgressiones et crimina fratrum.

vii. Ipsos etiam potestate instruimus convocandi capitula provincialia secundum statuta constitutionum huiusmodi, eorumque electiones confirmandi, irritasque faciendi in praefatis provinciis, cum ita de iure secundum formam hìc statim constituendam fieri oporteat; praecipimus tamen illis, sub poenâ excommunicationis maioris latae sententiae perpetuaeque privationis vocis activae et passivae, ne unquam faciant aut permittant se eligi in provinciales earumdem provinciarum, neque, si eligantur, consentiant; quodsi contrarium fiat, talem electionem ex nunc pro tunc ducimus inanem; electus vero contra constitutionem istam, a magistro vel definitorio capituli generalis corripiatur, nullatenusque recedat impunis, sed debitis poenis cum severitate correctus.

viii. Etiamsi, ut praemissum est, huiusmodi vicariorum officium quinquennio concludamus, ipsos tamen nolumus illud dimittere quousque successor accedat. Quare subditis eorum universis, in virtute sanctae obedientiae et sub poenâ privationis a voce activâ et passivâ, praecipimus ut ab illorum obedientiâ, sub praetextu iam adimpleti muneris aut quinquennii, non audeant quovis modo deflectere, donec alius in officio successerit. Nullus ex praedictis vicariis generalibus a provinciis sibi creditis recedat quousque successori suo exactam rationem de omnibus illis officioque reddiderit; qui vero a suis provinciis et officio discessisse, non redditâ prius successori suo praefatâ ratione, repertus fuerit, voce activâ et passivâ privatus maneat. Ratio autem residentiaque praedicta ad magistrum generalem deferatur, et usque dum ab isto declaretur immunis, illum ad omne religionis officium inhabilem declaramus.

ix. Ipsis iterum enixe praecipimus, ut in nullâ penitus provinciâ ex sibi subiectis quacumque ratione vel causâ nominare possint, mittere, aut constituere commissarium generalem, aut quocumque alio nomine delegatum, sed earum regimen suis provincialibus relinquat; quod si casus et causa gravis accidat, quae suam praesentiam et visitationem poscat, aut tempus eas visitandi pro munere immineat, nec ad eas accedere valeant, poterunt pro illis nominare vel mittere visitatorem aut visitatores, qui in omnibus se gerant et observent universa quae infra distinctione sequenti, cap. v alibi de visitatoribus stabilitur. Si vero contra praesentem constitutionem aliqua (ut praemittitur) nominatio contingat, nullius fore roboris declaramus.

x. Quocirca observari constituimus sanctionem iam aliàs memorati capituli generalis Optensis a SS. Innocentio XI confirmatam, qua praecipitur, ut, instante ratione vel causâ, quibus necesse sit in praefatis Indiarum provinciis visita-

torem (ut praedicitur) institui, non possint praefati vicarii generales illum eligere nisi virum auctoritate et maturâ discretione praeditum, atque gradu saltem praesentaturae insignitum. Nec item valeant huiusmodi officium, aut quodlibet aliud, sive dignitatem, vel administrationem et honorem suis conferre sociis, aut aliis quibuscumque fratribus alienigenis, etiamsi in dictis provinciis iam adoptione gaudeant, nisi peracto et adimpleto integro quinquennio a die adoptionis illorum.

xi. Cum autem, per se vel alium, provinciam aliquam visitaverint, non possunt ad se revocare fratres doctrinarios ad visitationem extra suam doctrinam, nec ipsi ita vocati tenentur adire, sed in eisdem doctrinis debent praedictam visitationem suscipere et rationem praefatis vicariis generalibus aut eorum visitatoribus reddere, neque ab ipsis privari poterunt et a doctrinis amoveri, tam extra quam intra visitationem, nisi praeviâ iustissimâ causâ, et eâ prius actâ iuridice. Caveat tamen vicarius generalis, ne unquam doctrinarius a suâ doctrinâ recedat, usque dum successor adveniat.

xii. Quamvis huiusmodi vicarii generales possint confirmare, ut praemittitur, et annullare capitula provincialia et provinciarum electiones quae veniunt de iure cassanda, minime tamen poterunt ad hanc declarationem in iudicio procedere, nec similiter in aliis casibus suspendere vel privare provinciales, nisi per se tantum, et non per visitatorem, et quidem praeviâ causâ legitimâ, de iure actâ et conclusâ in ipsâ provinciâ, provinciales privandi, aut suspendendi, sive ad electione exturbandi. Quae omnia sic rite implenda et actuanda praecipimus, ut videlicet privatio et annullatio electionis dictorum provincialium semper fiat de consensu et assensu quatuor praelatorum seu definitorum eius provinciae, ubi dictos vicarios generales adesse contigerit; suspensio vero de duorum dumtaxat assensu, et non aliter.

xiii. Sententiam vero, sub hac formâ a praedictis vicariis et praelatis seu definitoribus latam, plenum effectum sortiri decernimus, qualibet appellatione postpositâ; et, ne provincia maneat orbata praesule, continuo cum eisdem definitoribus vel praelatis, ac de illorum assensu et consensu, eâdemque formâ, qua provincialem suspenderit aut deposuerit, vel eius electionem annullaverit, vicarium provincialem pro eo substituat.

xiv. Cum autem electio provincialis post triduum ab aurorâ sabbati adhuc discordiam patitur, itaut electores non conveniant, vel, si conveniant, non sit electio canonica, tunc ad solum magistrum, ut reliquas omnes in toto Ordine similes, devolvendam esse decernimus. Ipsis tamen vicariis, necnon praesidentibus loco illorum concedimus, ut interea per se solos vicarium provincialem substituant (ne provincia maneat sine praesule), et cum eo reliqua capituli acta persolvant. Si vero in electionibus reliquorum officiorum, quae fiunt in definitorio et capitulo, casus devolutionis eveniant, quos alibi magistro praesidenti absolute subiicimus, ipsis quoque vicariis generalibus, seu eorum loco praesidentibus quomodolibet sine restitutione post quatuor scrutinia committimus, ut in hac distinctione cap. vii declaravimus.

xv. Obeunte provinciali absque nominatione vicarii provincialis, non liceat omnino praedictis vicariis generalibus vicarium provincialem eligere, sed succedat commendator domus capitularis ubi statuta est proxima celebratio pro-

vincialis capituli, et suo ordine definitores provinciae, aut post eos dignior provinciae magister dummodo praedictos nullum impedimentum adstringat.

xvi. Vicarii generales Indiarum habent similiter suffragium in omnibus electionibus et definitoriis capituli provincialis, quotiescumque a generali magistro praesidenti capitulis vel praesidem[1] nominandi facultatem acceperint; illis autem strictissime subiungimus, ut ad praefata capitula, non alia suffragia aut vocales admittant nisi constitutionibus nostris praescripta, et prout inferius cap. xiv et seqq. huius distinctionis declarabitur.

xvii. Cum autem praedictâ auctoritate suffultus non valeat alicui provinciali capitulo interesse, ac necesse fuerit praesidem institui, illum semper eligat graduatum virum equidem ab omni ambitu et aliorum partibus alienum, ne vel ad se totam electionem alliciat, vel, partes alterius agens, provinciam et capitulum dividat, et concordiam ubique desiderabilem frangat, qui mittitur zelator eiusdem. Is eamdem vocem in capitulo, quam vicarius generalis si adesset, obtineat.

xviii. Et ne superfluis sumptibus et contributionibus graventur dictae provinciae Peruanae et Nova Hispania, statuimus ut in posterum pro vestiariis magistri generalis minime fiant contributiones ibi fieri solitae, sed tam pro dictis vestiariis quam pro sumptibus procuratoris generalis in Urbe, et negotiis ab eo gerendis, praesenti constitutione designamus medietatem illarum contributionum quae in dictis provinciis fiunt et fieri consueverunt pro vestiariis vicariorum generalium, itaut tales exactiones seu contributiones in duas partes aequales dividantur, quarum una mittatur magistro generali, altera vero vicariis generalibus pro sui officii sumptibus deputetur.

xix. Quibus denuo enixe praecipimus, sub poenâ excommunicationis maioris latae sententiae, ac privationis utriusque vocis perpetuo subeundae, ut, peractis suis officiis, praefatam rationem reddant magistro, et deinde proximo generali capitulo de omnibus praedictis contributionibus ac aliis quibuscumque bonis quae toto sui regiminis tempore, tam titulo et ratione praemissis, quam quolibet officii iure, receperint.

xx. Ipsis tamen interdicimus ne suos secretarium et socium ordinem sedendi frangere, et locum inter fratres sibi non debitum patiantur assumere. Et, ne quidem[1] de cetero pendeat a solâ comitate vel libito, perpetuo observari praecipimus, quod, si socius aut secretarius cuiuslibet vicarii generalis Indiarum fuerit graduatus suae propriae provinciae, praesideat omnibus magistris de numero, sitque exprovincialibus immediatus; si vero in suâ provinciâ graduatus non fuerit, locum obtineat immediatum ante omnes praesentatos de numero; toto videlicet tempore quo uterque praefatis muneribus respective gaudent, et solum in provinciis ubi illa exerceant, et non ultra.

Caput X. De electione et officio procuratoris generalis in Romana Curiâ.

i. Post electionem utriusque vicarii generalis Indiarum procedat definitorium ad electionem seu nominationem procuratoris generalis in Urbe, secundum formam superiori capite declaratam, per suffragia scilicet praedicti definitorii, aut nominationem ab eo traditam et compromissam magistro. Hanc autem legi alternationis provinciarum non adstringimus; sed, undecumque sit generalis, potest dictus procurator ex totius Ordinis fratribus institui, prout melius

1 Forsan *capituli vel praeside* (R. T.).

1 Potius lege *id* (R. T.).

ad eius negotia iudicatum fuerit expedire.

II. Huius munus est causas omnes negotiaque peragere, quae habuerit Ordo apud Romanam Curiam, atque ea totis viribus promovere; cui pariter iurisdictionem et facultatem concedimus ad comprehendendum, puniendum et corripiendum omnes eos fratres, qui sine licentiâ in scriptis a magistro concessâ reperti fuerint in Romanâ Curiâ, quam adire nemini licere patimur sine praedictâ licentiâ, neque eam a magistro concedendi[1], nisi cogat iusta et urgentissima causa.

III. Huiusmodi procurator Urbis, vir utique debet esse praestantissimus litteris et prudentiâ decorus, morum suavitate, sensu et virtute praeditus, atque in rebus tractandis industrius. Huiusmodi Ordo noster provideat de sufficientibus expensis ad victum, et omnibus pariter quibus munus eius indigeat. Non possit generalis magister eum absolvere, revocare aut suspendere, nisi propter delicta, quibus ipso facto iustam de iure mereatur a dictâ procuratione repulsam. Si vero post factam nominationem tale procuratoris officium per mortem, renunciationem, privationem, vel aliâ legitimâ causâ vacaverit, ius eum noviter eligendi penes magistrum Ordinis maneat.

IV. Is qui per quinquennium strenue et laudabiliter in hoc munere procuratoris se gesserit, vocem semper habeat tam electivam quam decisivam in omnibus definitoriis, actis et electionibus proxime dumtaxat futuri capituli generalis; et si praeterea ante expletum praedictum quinquennium sit aut fiat praesentatus, maneat post illud cum gradu magistri et cum praecedentiâ ad omnes qui in suâ provinciâ ad talem gradum fuerint promoti post finem praedicti quinquennii, modo habeat aliunde omnia requisita iuxta constitutiones Ordinis et decreta apostolica ad magisterium de iustitiâ obtinendum; quod si praedictis qualitatibus fuerit destitutus, locum habeat immediatum omnibus magistris de numero; et si denique ante finitum etiam praefatum quinquennium factus sit magister de numero, maneat post procurationem cum gratiis, exemptionibus et loco eorum qui fuerint provinciales, sine praecedentiâ tamen ad omnes qui tunc vel postea exprovinciales extiterint.

V. Etiamsi praedictum procuratorem generalem per totum Ordinem constituamus in Urbe, per hoc tamen non tollimus, quod, si generalis extiterit ex provinciis sub alternativâ Coronae Castellae collocatis, aut, viceversâ, Aragoniae, omnes aut singulae provinciae alternative contraria[1] possint pro se alterum procuratorem in definitorio provinciali intra vel extra capitulum eligere, et propriis expensis mittere, dum tamen in rebus obedientiae et regularis disciplinae sit subditus commendatori Romae nostri Ordinis vicarioque generali Italiae, observatis in omnibus nostri praefati Ordinis constitutionibus et statutis.

VI. Praeter procuratorem generalem in Curiâ Romanâ eâdem formâ eligantur et designentur procuratores generales totius Ordinis quibus de facto sit opus in regum curiis, tam pro rebus ipsius Ordinis, quam pro redemptione generatim. Et quia extra capitulum idipsum contingere potest, itaut in aliquâ regum curiâ oporteat pro praedictis rebus totius Ordinis et redemptionis aliquem procuratorem generalem noviter institui, vel iam institutum removere aut privari, et in eius locum alium subrogari, haec potestas relinquatur magistro, cuius nominationem deinceps ratam habere vo-

1 Aptius lege *concedendam* (R. T.).

1 Potius lege *alternativae contrariae* (R. T.).

lumus, et omnes ab eo nominatos in veros procuratores redemptionis et Ordinis respective, et prout de iure opus fuerit, constituimus, cum omni potestatis legitimaeque facultatis plenitudine, ac si creati essent a toto capitulo vel definitorio generali.

VII. Ipsorum quidem sit muneris ea omnia subire et versare negotia, quae ad senatus, tribunalia, vel iudices eius curiae, in qua respective fuerint, pertinere videantur, tam pro redemptione quam Ordine. Qui autem hoc munere funguntur, si non fuerint graduati, ex eo solum vocem electivam habeant in provinciali capitulo suae provinciae, et in ordine sedendi post omnes quomodolibet graduatos locum immediatum obtinebunt. Quod si gradum aliquem habuerint, eius antiquitatem servabunt iuxta eius confirmationem a magistro. At vero inter se ipsos, si aliunde fuerint aequales, semper alterum in loco vincat qui redemptionem procuraverit, etiamsi fuerit professione posterior.

Caput XI. De electione domus capitularis generalis capituli eiusdemque absolutione.

I. Domum capitularem pro futuro immediato capitulo generali per veram electionem omnium vocalium alternatim designari praecipimus, ita videlicet, ut, si generalis electus sit ex provinciis alternativam Coronae Aragoniae, Galliae et Italiae constituentibus, domus capitularis eligatur ex aliquâ provinciarum praefatae alternativae; et pariter si magister fuerit electus ex provinciis ad alternativam Coronae Castellae, Portugalliae atque Indiarum attinentibus, etiam domus capitularis immediate futura in aliquâ ex huiusmodi provinciis designetur, ita ut electio magistri immediate futura semper fiat in aliquâ provinciarum quae non sunt habiturae vicem et alternationem. Eam vero sic designatam a capitulo nullatenus magistro nec eius vicario mutare liceat, nisi cum, instante celebratione capituli generalis, fuerit impedita peste aut bello sive aliâ causâ simili.

II. Ubicumque autem haec domus assignetur, electores provideant, ut locus sit salubris, et quantum fieri possit vocalibus cunctis accomodatus, et non profusis sumptibus accessibilis, nullâque libertati vocalium ratione suspectus, itaut iura canonicae electionis inde violari non possint, neque annullationis sive infractionis periculum ex hac parte timeatur.

III. Ad hanc autem domum tempore capituli omnes fratres, qui vocales non sint, vel ex munere teneantur, omnino accedere prohibemus: quod ut inviolabiliter observetur, reproducimus decretum capituli generalis Optensis a SS. Innocentio XI confirmatum, etiam alioquin paulo ante memoratum, quo, ad vitanda magna et intolerabilia dispendia quae fieri possunt in huiusmodi accessibus et stationibus in domo tam capituli generalis quam provincialis per aliquos religiosos qui neque sunt vocales, nec de corpore capituli nec aliquem in eo habent actum, illis strictissime praecipitur, sub poenâ excommunicationis maioris latae sententiae trinâ canonicâ monitione praemissâ ipso facto incurrendae, et sub poenâ privationis vocis activae et passivae in perpetuum, et utrâque irremissibiliter subeundâ, et[1] nullus frater, cuiuscumque gradus aut qualitatis extiterit, adire vel ingredi praesumat domum capitularem, neque civitatem aut locum cuiuscumque capituli, nisi sit de corpore ipsius, et cum voce et actu aliquo in illo, vel de licentiâ in scriptis a generali magistro vel eius gerente personam expeditâ.

IV. Cum autem prope diem capituli vocales iam conveniunt, eos statim in

1 Videtur legendum *ut* pro *et* (R. T.).

illam ingredi praecipimus, ne indecore per diversoria cursitent aut morentur incommode. Ingressi, tam de suis viaticis solvant conventui victum, donec expensae capitulares incipiant. Nimis autem properare, aut valde immature domum praedictam ingredi omnino interdicimus sub poenâ gravioris culpae, nisi de licentiâ magistri vel praesidis.

v. Conclusis iam electionibus ac decretis praedicti definitorii generalis, totum congregetur capitulum, cui praeses orationem, brevem, piâ tamen gravitate fluentem, instituat, qua omnes ad regularem disciplinam severius observandam hortetur, ac deinde omnia definitorii generalis decreta, unâ cum sanctae Inquisitionis edicto, legi et publicari faciat, et tandem ad absolutionem capituli formâ cap. XVIII huius distinctionis subiiciendâ procedat.

Caput XII. De electione sociorum magistri generalis.

I. Cum, ita officio postulante, duos sibi socios debeat magister assumere, illi omni studio consulimus ut eos semper eligat morum suavitate praeditos, Deum timentes, Ordinis zelatores, discretione ornatos, religiosâque et amabili conversatione benignos, et nihil aliud de ipsis et suo munere quaerat, nisi solam Ordinis utilitatem.

II. Illorum sit officium, ea quae viderint vel audierint in Ordine corrigenda vel pro illius maiori bono disponenda, magistro prudenter aperire, illaque praesertim quae ad redemptionem captivorum attinent ad memoriam revocare. Si qua vero Ordinis secreta ipsis crediderit, sub districto silentio contineant.

III. Ex his autem sociis unus ad minus debet esse secretarius, et in epistolarum arte disertus, qui magis laboret in notando sententiose et breviter, quam sermonem turgidum et verba sublimia. Debet etiam Ordinis sigilla apud se retinere, litteras signare, et pertinentia ad haec in promptu habere, librosque magistri et Ordinis custodire, ad quod munus exercendum in magistri manibus faciat iuramentum contacto suis Evangelio in hanc formam. Dicat enim magister: «Iuras in animae tuae periculum, quod eris fidelis in omnibus, et quae pro bono Ordinis tam in eius visitationibus quam universo regimine fuerint tibi credita, retinebis, et secundum Deum et propriam conscientiam tuum munus in omnibus exequêris»? Secretarius respondeat: *Iuro.* Alter vero socius vir sane debet esse totius consilii, litteris et auctoritate praestans, quem possit magister de gravibus arduisque rebus consulere, sibique adiutorem adhibere, atque illi interdum, si expedierit, aliqua sui muneris agenda committere.

IV. Dum huiusmodi socii funguntur hoc munere, solius magistri obedientiam subeunt, et nulli alteri praelato subduntur. In ordine sedendi magistris omnibus eminent, et eos tantummodo exprovinciales praecedunt, et qui talium honore iure harum constitutionum sunt affecti. Cum autem ab officio recesserint, si per tres annos illud obierint, maneant cum gratiis et honoribus exprovincialibus debitis, dempto loco dumtaxat. Socios vero magistri, quos ad honorem dicimus, sic iam in posterum destituimus, ut nullam ulterius eorum electionem in omnibus provinciis permittamus, nisi tantum eorum, quos magister in exercitio constituit, ut sibi continuo adhaereant.

Caput XIII. De loco, tempore, convocatione et praeside capituli provincialis.

I. Ordinatis iam superius, quae pertinent ad capitulum generale, occurrit statim capitulum provinciale eâdem formâ et distributione ordinatum. Quoad locum ergo celebrationis eius semper in eâ domo fieri constituimus, quae in praecedenti capitulo designata fuit a definitorio provinciali, vel in suis casibus

a magistro, ut infra cap. XVII huius distinctionis statuitur.

II. Nulli penitus Ordinis fratri hanc domum capitularem aut locum eius adire neque intrare liceat sine ministerio vel voce, aut sine licentiâ in scriptis magistri vel provincialis, aut alioquin praesidis a capitulo admissi, sub poenis in hac distinctione cap. XI latis. Ceterum quisque facultatem habeat mittendi ad capitulum et scribendi litteras ad praesidem provincialem et definitores circa ea quae ad statum domus provinciae seu Ordinis expedire iudicaverit, modo veritatem profiteatur. Quod si contrarium repertum fuerit, poenâ gravioris culpae puniatur.

III. Quantum vero ad tempus praedicti capituli, semper illud sabbato ante dominicam in *Cantate* fieri constituimus, nisi per magistrum generalem, propter concursum plurium capitulorum, aut aliam rationabilem causam, transferatur vel anteponatur, iuxta facultatem sibi concessam, et superius in hac distinctione cap. V declaratam.

IV. Provincialis officium tribus precise annis concluditur a sabbato in sabbatum praedictae dominicae regulariter computandis; ita scilicet ut triennium non quidem naturalibus, sed annis ecclesiasticis constituatur: unde, si ratione facultatis praemissae anteponendi et postponendi capitula, praecedens celebratum sit diebus aliquot ante et post praedictum sabbatum, non ideo capitulum subsequens eâdem die praecedentis celebrandus est, sed ad sabbatum praefatae dominicae in *Cantate* redire debet.

V. Attamen ab his legibus omnes provincias Indiarum excludimus, quas propter vastitatem regionum climatumque varietatem suae consuetudini hactenus ab Ordine iam probatae relinquimus; ita tamen ut sabbatum capitulare, in qualibet earum, et quovis anni tempore respective designatum, sit semper initium et consumatio triennii, et terminus pariter unde sumatur facultas protrahendi seu anticipandi capitula cum vicariis generalibus, si id aliquando expedire videatur, et specialem ad hoc facultatem habuerint a magistro.

VI. Si autem contingat impleri triennium vacante sede magistri, celebratio capituli provincialis prorogabitur in dominicam in *Cantate* immediate futuram, post capituli generalis celebrationem, ut Ordo, magistratu quovis modo vacante, in eodem penitus statu consistat usque ad electionem magistri.

VII. Circa vocationem praedicti capituli decernimus, ut, properante eius tempore, possit magister generalis convocare ad eius celebrationem per litteras patentes mittendo eas immediate provinciali, quas ille continuo manifestabit et notas faciet pleno capitulo illius conventus ubi adesse contigerit, et inde ad omnes alios transmittet. Si autem magister generalis reperiatur in aliquo conventu illius provinciae ubi habendum sit capitulum, praedictae litterae convocatoriae prius notificari poterunt capitulariter dicto conventui, posteaque ad provincialem[1] mitti, qui pariter reliquis conventibus illas notas faciat.

VIII. Quod si duobus ante mensibus quam compleatur triennium, litterae convocatoriae magistro provinciali provinciae ubi habendum est capitulum notificatae non fuerint, tunc casus, et non aliter, provincialis suas litteras convocatorias publicare poterit, quas si forte neuter expediat, sciant vocales se vi huius constitutionis esse convocatos ad capitulum die quo iuxta supradicta haberi debet, et in loco a definitorio praecedentis capituli designato celebrandum.

1 Edit. Main. legit *provinciale* (R. T.).

Illos autem qui comparuerint, aliis non expectatis, ad omnes electiones et alia necessaria quae in his capitulis consueverunt fieri et decerni, sine morâ procedere posse et debere decernimus. Quibus omnibus ita robur et firmitatem adiicimus, ac si omnes in unum convenissent, absentibus non obstantibus.

IX. A die convocationis ad celebrationem capituli usque ad eius conclusionem, in quolibet provinciae monasterio fiat quotidie supplex ad Deum deprecatio pro felici eius eventu prosperoque vocalium itinere uti supra in huius distinctione cap. I stabilitur.

X. In huiusmodi capitulis primus de iure praeses sit semper magister Ordinis, ubicumque possit ad illa commode accedere et inveniri contigerit. Si autem fuerit rationabiliter impeditus, vel alia causa perurgeat, poterit ubicumque nominare vicarium et praesidem ad celebrationem cuiuslibet capituli provincialis, quod etiam facere poterunt vicarii generales Indiarum iuxta facultatem a magistro concessam, ut superius praemisimus. Quod si praedicti praesides deficiant, propriis provincialibus seu vicariis provincialibus haec munia committimus, nisi forte, gubernante vicario provinciali a defuncto provinciali relicto, adsit provinciae (ut potest) vicarius generalis pro illius regimine electus iuxta ea quae superius in hac distinctione cap. V stabilivimus, in quo casu, defectu praesidis a magistro nominati, praesideat dictus vicarius si fuerit expeditus.

Caput XIV. De electoribus et eligendis in capitulo provinciali.

I. Magister generalis, seu quisquam alius eius loco suffectus in praesidem, primam vocem habeat in capitulo provinciali; deinde provincialis vel vicarius provincialis in capite; postea qui aliquando fuerit magister generalis in Ordine, definitores provinciae, omnes magistri et praesentati de numero provinciae, tam ex cathedrâ quam praedicatione, necnon qui per Breve speciale Sanctissimi a provinciâ admissum huiusmodi gradus obtinuerint cum voce et voto in capitulo; cum hac tamen conditione,quantum ad praesentatos, quod videlicet prius in aliquâ universitate de licentiâ Ordinis, vel a magistro generali aut provinciali suae provinciae, ad baccalaureatus gradum sint promoti.

II. Etiam vocem et suffragium habeant omnes commendatores seu praesides in capite omnium conventuum provinciae. Deinde eodem gaudeant suffragio et voce in suis respective provinciis procuratores generales provinciae, tam pro redemptione quam provinciâ; quocirca firmiter statuimus procuratores generales totius Ordinis solum posse creari et institui in praecipuâ curia regnorum quae sunt sub uno principe, aliter enim dicto suffragio non gaudere. Ultra praedictos ab hac constitutione vocatos, nullus superior alios vocales instituere vel creare possit, sub utriusque vocis privatione in perpetuum et sub nullitate capituli. Omnes igitur praedicti fratres tenentur venire ad capitulum, nisi infirmitate vel aliâ simili causâ legitime sint impediti, de qua certum faciant capitulum per litteras testimoniales.

III. Commendatores autem, per tempus duorum mensium ante celebrationem capituli provincialis; non possint privari suâ commendâ, possunt tamen ab officio suspendi usque ad celebrationem capituli, in quo nihilominus votum et suffragium habebunt. Qui autem eum suspenderit, praesidem conventui perficiat.

IV. Similiter statuimus, ut intra praedictos duos menses ante capitulum nemo possit renunciare officio, ratione cuius habet suffragium in capitulo, sub poenâ inhabilitatis ad omnia Ordinis officia.

Si tamen iustâ de causâ quis renunciaverit, loco illius nominatus voce in capitulo non gaudeat.

v. Ex vocalibus autem praefatis solum patres provinciae, magistri, et commendator domus capitularis provinciae poterunt secum unum socium adducere. Cum autem vocales ad capituli locum accesserint, statim se in domum capitularem recipiant, non enim eos patimur per diversoria vagari; ita tamen ut ante celebrationem capituli non de conventus expensis, sed de suis viaticis alantur. Caveant autem, sub poenâ gravioris culpae, ne sic audeant properare, ut ante tres dies domum capitularem ingredi praeveniant, nisi de licentiâ magistri generalis aut provincialis.

vi. Si vero commendator aliquis impeditus fuerit quominus ad capitulum veniat[1], fratrem mittat aut nuncium cum litteris causam et statum domus continentibus; provincialis vero, aut vicarius provincialis, vel visitator, scripto seu verbo accedat, semper instructus de his quae in suo regimine aut visitatione reliquerit, vel digna invenerit providentiâ capituli.

vii. Circa eos qui in omnibus electionibus capituli provincialis voce gaudent passivâ, sub electionis nullitate constituimus, ut, qui eligendus sit in provincialem, debet esse totius disciplinae regularis amator, providus et discretus, ac litterarum ornamento conspicuus, simulque magister vel praesentatus illius provinciae, et ab eâ admissus, duodecimque saltem annos a professione adeptus. Deinde decernimus, ut, qui iam provincialis extiterit, aut etiam vicarius provincialis in capite per duos integros annos, non potest eligi in provincialem, nisi post completum officium duobus trienniis ab eo vacaverit.

1 Edit. Main legit *veniant* (R. T.).

viii. Definitores provinciae debent esse gradu magisterii vel praesentaturae insigniti, vel ad minus antiquitate viginti annorum a professione praestantes. Quocirca, ut nullus serpere possit error, iam[1] antiquitatem probandam fore decernimus per authenticum testimonium omni fide et iuris auctoritate roboratum: statuentes insuper, sub eâdem nullitate, ut, qui in praecedenti capitulo vel extra illud iam fuerint in definitores assumpti, in proximo sequenti capitulo denuo eligi non valeant, neque extra illud in aliorum locum substitui, donec integrum triennium elabatur.

ix. Definitores generales indispensabiliter debent esse magistri vel praesentati. Electores vero generales idipsum habeant, vel ad minus viginti annos antiquitatis a professione, quam debent etiam authentico testimonio comprobare, ut definitores provinciae, sub eâdem poenâ nullitatis electionis; sub qua similiter statuimus, ut, qui in uno capitulo vel extra illud sit electus definitor aut elector generalis, non possit ad idem officium eligi in proximo sequenti capitulo; possit tamen in eis alternare[2], ita ut fiat elector, qui prius extitit definitor et e converso. Qui tamen actu est provinciae definitor, minime potest eligi in electorem aut definitorem generalem. Commendatores et praelati locales vel gradum habeant, vel sexennii ad minus a professione antiquitatem excedant[3], ita ut in aliquâ domus vicariâ seu novitiorum magisterio saltem per triennium simul sint probati, vel actu annos lecturae seu praedicationis ad gradum aliquem de iustitiâ pomerendum a capitulo approbatos obtineant. In eligendis vero ad cetera officia nullum aliud spe-

1 Forsan *eam* pro *iam* legendum (R. T.).
2 Potius lege *alternari* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *excedat* (R. T.).

ciale requisitum exigimus, praeter ea quae in suis propriis locis pro electione ipsorum agendâ designamus.

Caput XV. De prima die capituli provincialis ac suffragiorum eius regulatione.

I. Primam diem capituli appellamus feriam sextam ante sabbatum ad electionem provincialis designatum. In mane ergo dictae feriae sextae, horâ quasi nonâ, commendator domus capituli cymbalum conventus pulsari faciat in signum inchoationis capituli, ut intelligatur ex eo iam apertum esse et inceptum, ac deinceps vocales non posse egredi domo capitulari, usque dum fiat provincialis electio. Electores autem ad praedictum signum conventualiter congregati accedant simul ad praesentiam magistri, vel vicarii generalis ab eo nominati, et, horum defectu, provincialis, ut se illi in capituli formam exhibeant, a quo etiam ex eo tempore revera suscipiantur, ut tales, cum benignitate et amore. Si vero adsit praeses missus, eius litterae a secretario provinciae in hac ipsâ capitulari congregatione legantur et ut talis exinde suscipiatur ab omnibus.

II. Sic autem inchoato et aperto capitulo, illius praeses constituat unum fratrem ex vocalibus virum prudentem, discretum et sollicitum, qui sit vicarius eiusdem capituli, sine cuius licentiâ nemo fratrum audeat egredi a monasterio, simulque diligenter provideat ut nullus maneat extra illud.

III. Eodem die ad vesperam omnes vocales congregentur in capitulo, ibique praeses commendationem faciat pro domino Papa, pro rege, pro benefactoribus Ordinis, pro fidelibus captivis, et pro felici statu Ecclesiae, super quibus enixe debet iniungere vocalibus ut in suis semper obsecrationibus praedictorum memoriam repetant; ac brevi oratione praemissâ, surgat praeses, et incipiat psalmum *Ad te levavi*, ut supra, distinctione III, cap. XV; deinde *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster, etc.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Oremus pro domino Papa,
℟. Dominus conservet eum et beatum faciat eum in terrâ et non tradat eum in animam inimicorum eius.
℣. Salvos fac servos tuos et ancillas tuas,
℟. Deus meus, sperantes in te.

*Oremus.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, praetende super famulum tuum Papam nostrum N. et super cunctas congregationes sibi commissas spiritum gratiae salutaris, et, ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuae benedictionis infunde.

Praetende, Domine, famulis et famulabus tuis dexteram caelestis auxilii, ut te toto corde perquirant, et, quae digne postulant, assequantur.

IV. Post hanc deprecationem ipse praeses aliam plane gravem et piam orationem instituat, in qua finem ad quem convenerint proponat, et simul vocales omni verborum pondere ad electionem provincialis Deo sane dignam et Ordini profecturam hortetur. Eâ autem finitâ, secretarius magistri, vel alius frater ab ipso vel praeside in notarium capituli electus, et praevio secreti et fidelitatis iuramento susceptus, referat omnes fratres defunctos eius provinciae a tempore capituli immediate praeteriti, qui semper debent esse inviolabiliter conscripti in libro capitulorum ipsius provinciae, et per illum legi fideliter: ipsisque relatis, surgant omnes et dicant *De profundis clamavi, etc.*, et in fine *Requiem aeternam, etc. Kyrie eleison, etc. Pater noster, etc.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. A porta inferi,
℟. Erue, Domine, animas eorum.

℣. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi,

℟. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

℣. Requiescant in pace,

℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Absolve, quaesumus, Domine, animas famulorum tuorum fratrum nostrorum ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloriâ inter sanctos et electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

v. In fine autem praeses piâ exoratione[1] commendet orationibus provinciae animas praedictorum fratrum, ac deinde ad censuram vel examen et probationem eorum, qui in tali electione vocem et suffragium habent, procedatur[2]. Quocirca praeses moneat ter et praecipiat[3] vocalibus universis sub poenâ excommunicationis maioris latae sententiae, ut, si quem agnoverint de praesentibus aliquo iuris communis aut nostrarum constitutionum impedimento obstrictum, ob quod capitulo interesse aut electioni seu electionibus suffragari nequeat, illico notum reddant. Si quis vero praefato modo reperiatur impeditus, a congregatione capituli eiiciatur, quousque impedimentum ab ipsâ mature et sedulo discutiatur; quae si in illud invenerit, declarabit, et innodatum protinus, quippe qui suffragio legitimo careat, a capitulo repellet. Qui autem de suae vocis legitimitate[4] et valore canonico fuerint comprobati, et sub certo numero constituti, ad futuram electionem progrediantur.

1 Forsan *exhortatione* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *procidatur* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *praeccpiat* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *legitimate* (R. T.).

vi. Si quae sunt litterae apostolicae seu regales ad capitulum directae, hae coram toto capitulo ab eius secretario referantur et legantur. Idem fiat de iis quas minister miserit aut vicarius generalis si forte capitulo non adfuerint. Aliae vero litterae vel epistolae, si fratrum Ordinis fuerint, maiori religionis commodo et utilitati providentium, definitorio reserventur. Si autem sint commendatitiae, a quocumque tam intra quam extra Ordinem expeditae, nullâ ratione aperiantur quousque finiatur capitulum.

**Caput XVI.** De secundâ die capituli provincialis, ac de provinciali aliisque hac die eligendis.

i. Diem secundam provincialis capituli dicimus sabbatum ad electionem agendam destinatum; in eo quidem omnes vocales ad auroram signo cymbali convocati simul ingrediantur capitulum, et statim dicetur missa Spiritus Sancti, quem omnes interea humiliter exorent ut eis ostendat quem elegerit, ne in humanâ ipsi electione displiceant. Hanc autem missam in omnibus provinciae domibus pariter eâdem ipsius sabbati horâ cantandam esse decernimus. Illâ vero peractâ, in capitulo omnes genuflexi invocent Spiritus Sancti gratiam, cantantes hymnum *Veni, Creator Spiritus, etc.*, ut supra, distinctione iv, cap. iii, in cuius fine surgat praeses et dicat:

℣. Emitte Spiritum tuum, Domine, et creabuntur,

℟. Et renovabis faciem terrae.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Deus qui corda fidelium, etc.

ii. Deinde, vocalibus suo ordine sedentibus, fiat concio, quam litterariam dicimus, sermone latino, ut est moris in Ordine, qua similiter praemoneatur digniorem fratrem in provincialem ita eligere ut electio sit Deo acceptabilis et

maiori bono provinciae profutura. Eâ vero finitâ, praeses capituli primo, secundo et tertio moneat pridie, sub praecepto et sententiâ excommunicationis, ut omnes (si qui sint) de iure prohibiti a presenti electione recedant, vel ut eos denuntient quicumque tales adesse sciant. Quocirca debet magister aut praeses protestari universis nullam sibi profecto incidere mentem aliquem ex praedictis ad electiones suscipiendi. Si qui forte occulte se immiserint, et impedimenta celaverint, non propterea eorum vox illegitima praeiudicium aliquod inducat electioni futurae.

III. Postea singuli electores et vocales suo ordine accedant iuraturi in manibus praesidis per Deum et Crucem et Sancta Dei Evangelia propriis manibus tacta, videlicet sub hac formâ. Praeses eos interrogat dicens: « Iuras, quod, omni odio vel amore postpositis, eliges in provincialem fratrem Ordinis et provinciae nostrae, qui ad minus duodecim annos integros professionis obtineat, et virum sane religiosum, providum et prudentem, atque etiam doctrinâ commendabilem, et vel magistrum vel praesentatum ab Ordine et provinciâ admissum, et qui denique tuo iudicio dignior appareat, et tam in spiritualibus quam etiam temporalibus praestantius provinciam moderetur et diligat[1]? » Elector autem respondeat: *Iuro.*

IV. Hoc ergo iuramento sic praestito sit statim coram praeside vas aliquod praeparatum in quod vota seu schedulae[2] secreto mittantur, ita tamen ut mittentes eas et vas ab omnibus videantur. Postquam vero praedictas schedulas et vota omnia in vas praefatum intulerint, tunc praeses cum duobus definitoribus provinciae dignioribus et secretario capituli vota omnia computent et scrutentur, et, si maior pars medietate eligentium (iuxta omnia in magistri electione tradita) in aliquo fratre convenerit, tunc scrutinium publicetur, et denuncietur electio ut canonica, et[1] secretario capituli, qui fidem de omnibus praestabit in scriptis; si autem maior pars eligentium non convenerit, secundo, tertio, et quoties opus fuerit, ad scrutinium procedatur, donec maior pars medietate eligentium conveniat, canonicaque evadat electio.

V. Si autem electores intra triduum a primo ingressu ad auroram sabbati iam praedicti de personâ eligendâ non conveniant, aut electio in eodem triduo non emergat canonica et legitima, tunc ius eligendi devolvatur ad solum magistrum generalem, qui statim, si sit praesens, per se solum debet provincialem eligere. Si vero sit absens, praeses capituli certiorem reddat magistrum de devolutionis eventu, et interim nominet per se vicarium provincialem, cum quo prosequatur et concludat capitulum, qui et provinciam gubernabit, donec magister provincialem elegerit. Verum si electio litigiosa fuerit, et non satis aperte irrita, etiam si fiat intra triduum, mittatur similiter ad magistrum, a quo iudicium pariter expectetur, et interea provincialis electus non destituatur officio, sed habeatur ut talis usque ad declarationem magistri.

VI. Si vero contingat (ut superius etiam praecipitur circa electionem magistri) ut in aliquâ schedulâ seu suffragio scrutatores reperiant aliquam subscriptionem aut signum quo deveniatur in cognitionem eligentis, vel sit omnino alba, aut in favorem inepti conscripta, non ideo praeiudicium inferat electioni; sed talis schedula, quaecumque sit, comparetur ab aliis et pro suffragio nulla re-

1 Forsan *dirigat* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *schedula* (R. T.).

1 Potius lege *a* pro *et* (R. T.).

putetur, solumque habeatur respectus ad reliquas schedulas, iuxta maiorem partem omnium vocalium.

VII. Semper numerentur schedulae antequam legantur, et si una vel plures supra vocalium numero repertae fuerint, omnes simul separentur, et relicto priori, ut prorsus inani, ad aliud scrutinium procedatur. Tandem vero, cum iam eo scrutinio et praefatis schedulis legitima electio deprehensa fuerit, omnes illae protinus comburantur coram omnibus in ipso capitulo, ita ut nulla de quocumque scrutinio maneat. Si numerus suffragiorum sit impar, servetur ad electionem canonicam idem quod in electione magistri cap. IV huius distinctionis ordinatum manet.

VIII. Peractâ igitur electione, et a secretario publicatâ capitulo, antequam ab eo suscipiat electus obedientiam, debet se sistere praesidi, ibique per Deum et Crucem et Sancta Dei Evangelia suis manibus tacta iuramentum sequens genuflexus elicere. Praeses enim illum sic interrogat. « Iuras, quod secundum Deum et propriam conscientiam et iuxta constitutiones Ordinis provinciam tibi commissam gubernabis, omni odio et amore postpositis? ». Electus autem respondeat « Iuro ». Praeses insuper: « Iuras quod eris obediens magistro generali Ordinis et successoribus eius, et quod fideliter et omni studio curam et sollicitudinem ages circa redemptionem captivorum eiusque eleemosynas colligendas? ». Electus vero: « Iuro ». Ulterius praeses: « Iuras, quod de omnibus, quae receperis quovis modo, in definitorio rationem reddes, neque relaxationem huius iuramenti ut dispensationem in aliquo a Sede Apostolicâ postulabis? ». Electus vero: « Iuro ».

IX. Hoc itaque sic dato iuramento, omnes surgant, et a capitulo processionaliter egredientes ad ecclesiam procedant cantantes hymnum *Te Deum*. Ubi prostratus provincialis electus benedictionem suscipiat a praeside eâdem formâ quam supra in hac distinctione cap. IV retulimus. Eâque finitâ, fratres ad illum suo ordine accedant, genuflexique ei obedientiam exhibeant.

X. Si autem persona electa fuerit absens a provinciâ, potest magister generalis vel praeses de consilio definitorum nominare vicarium provincialem ad regimen provinciae, et ad definitorii et capituli munia gerenda, cum omnimodâ facultate vicariis provincialibus per constitutionem concessâ, quem provincialis electus revocare non poterit, neque alterum denuo nominare, usque dum suam provinciam ingrediatur. Si autem non a provinciâ, sed solum a capitulo sit absens, nuntius mittatur ad ipsum, qui ex parte praesidis et ipsius capituli notam faciat illi authentico testimonio electionem, quam si acceptaverit, et[1] mature possit accedere ad capitulum ante conclusionem illius, eo quamprimum se conferat, ubi omnia praedicta cum ipso fiant. Si autem venire nequeat, in ipso conventu ubi adest (absens vero a provinciâ, in primâ suae provinciae domo) praedictum faciat iuramentum in manibus commendatoris, et cantato hymno *Te Deum*, praefatisque benedictione et orationibus super ipsum a commendatore recitatis, accipiat obedientiam a fratribus.

XI. Quod si munus et electionem declinaverit, et solutum sit iam capitulum, res deferatur magistro, qui vel admissionem electo iubeat, vel provincialem provinciae per se ipsum provideat. Si tamen id accidat in remotis valdeque dissitis provinciis a residentiâ magistri, et quae per vicarios generales guber-

1 Edit. Main. legit *eo* pro *et* (R. T.).

nantur, debet ab ipsis interim constitui vicarius provincialis, usque ad deliberationem magistri; ne tam longo tempore provincia suo praesule maneat viduata.

XII. Electio provincialis intra Hispaniam debet praesentari magistro generali intra sexaginta dies, aliàs sit irrita et vana, et magister generalis tenetur illam confirmare, si canonice et iuxta formam constitutionum facta sit; quod si renuerit illam confirmare, causas et defectus canonicos erga electionem vel personam electam manifestare debet. Provinciae autem Galliae et Italiae intra tempus quatuor mensium tenentur praesentare coram magistro generali electionem sui provincialis; quod si intra dictum tempus illam non praesentaverint[1], electio sit irrita et nulla. Provinciales vero Indiarum a vicario generali et postea a magistro Ordinis confirmationem petant.

XIII. Quandocumque autem nullitas electionis fuerit a magistro declaranda, aut provincialis alioquin ex causâ legitimâ deponendus, nunquam id faciat per alium, sed per se ipsum, et de consensu et assensu quatuor ex dignioribus magistris eius provinciae ubi reperiatur; quod si tantum fuerit suspendendus, duo tantum ex praedictis sufficiant.

XIV. De vicariis autem generalibus, et quibusdam aliis qui huiusmodi capitulo in absentiâ magistri praesideant, quam et qualiter facultatem habent in praedictis et aliis, iam respective in propriis locis huius distinctionis superius ordinatum relinquitur, et in sequentibus statuetur.

XV. Completâ electione provincialis, quamprimum fieri possit, ad electionem definitorum provinciae transeat capitulum. Hos quatuor in unâquaque provinciâ constitui decernimus, viros equidem discretione ac zelo ad maiorem provinciae utilitatem bonumque praestantes, et conditiones cap. XIV huius distinctionis habentes, quos eâdem formâ, scilicet per suffragia secreta et a toto capitulo eligendos esse constituimus, itaut in electo maior pars medietate eligentium convenire debeat, servarique omnia quae de aliis electionibus superius saepe decrevimus.

XVI. In ipsorum electione, si post trina scrutinia vocales admoniti, adhuc in quarto dissideant, ius eligendi migrabit in praesidem; novis autem definitoribus electis, priores subito expirant, et eorum locum recentes assumant, illique ad eum, qui aliàs ad ipsos attinet, statim revertantur. Ex quibus si forsan aliquis non graduatus extiterit, nullam amplius vocem aut ingressum habeat in aliquo actu capituli, cum iam ad illud nullâ aliâ ratione pertineat.

XVII. Quicumque autem in definitorem sit quovis modo creatus, sequens iuramentum super tacta evangelia facere debet in manibus praesidis definitorii vel capituli, qui sic illum interroget: « Iuras, quod secundum Deum et propriam conscientiam, atque omni odio et amore postpositis, quae tui sunt muneris exequêris, et non personarum sed in omnibus solius Ordinis et provinciae bono prospicies? ». Ipse vero definitor respondeat: *Iuro*.

XVIII. Post praefatam definitorum provinciae electionem, procedat immediate capitulum ad definitores et electores generales eàdem formâ creandos, viros quidem prudentiâ et religione praeditos, atque etiam conditionibus ut superius cap. XIV huius distinctionis declaratis; in his autem electionibus, si post tria scrutinia electores admoniti ulterius in quarto non conveniant, vis eligendi transeat ad praesidem illius capituli.

1 Edit. Main. legit *praesentaverit* (R. T.).

xix. Cum aliquis definitorii generalis officium denuo susceperit, iurare debet in manibus praesidis definitorii, suis[1] evangeliis superpositis, quae sequuntur: « Iuras (inquit praeses), quod secundum Deum et propriam conscientiam, atque omni cordis affectione posthabitâ, omnes tui muneris actus totis viribus implere conaberis, et nunquam in rebus decernendis eris personarum acceptor, sed solius boni totius Ordinis et regularis disciplinae zelator? ». Definitor autem: *Iuro*.

xx. Denique ab eodem pleno capitulo nominentur iudices causarum et examinatores annorum lecturae et praedicationis omnium lectorum et praedicatorum, qui eos probare voluerint, et tandem designentur calculatores rationum a quibusque fratribus in capitulo reddendarum.

Caput XVII. De tertia die capituli provincialis rebusque ab eius definitorio peragendis.

i. Die tertiâ capituli, scilicet dominicâ, seu postridie electionem, fiat solemnis processio, missaque celebretur ab ipso provinciali electo (si fuerit expeditus) de festivitate illâ, vel Sancto Ordinis, quam iam consuetudo provinciae stabilierit, vel magister sive eius generalis vicarius provincialisve absolutus designaverit, atque in eâ habeatur concio de ipso, quae simul ad institutionem electi dirigatur. In hac missâ communicare debent fratres omnes non presbyteri; sacerdotes vero capituli dictis primis tribus diebus divina celebrent pro benefactoribus Ordinis; ad vesperam eiusdem provinciae conclusiones habeantur: residuis vero diebus iuxta morem provinciarum mane celebretur officium et concio, conclusiones autem vespere; ita tamen, ut postremo die officium cum concione semper sit pro defunctis.

ii. Ab hac ergo die, vel a vespere diei praecedentis, quando id non incommode fieri possit, debent sine ullo temporis dispendio celebrari definitoria, quae intra provinciale capitulum constituuntur primo ex personâ magistri, vel alterius pro eo praesidis, et deinde ex provinciali electo, et provinciali seu vicario provinciali absoluto, ad dexteram et sinistram ipsius praesidis collocatis, et quatuor definitoribus provinciae hinc inde quoque sedentibus secundum ordinem dignitatis sive antiquitatis ad invicem, itaut graduatus non graduato semper emineat, et inter ipsos servetur qualitas graduum et antiquitas eorumdem.

iii. Qui generales iam fuerint, si huic definitorio tam intra quam extra capitulum adesse libuerit, eos omnino cum voce electivâ et decisivâ suscipimus. His omnibus additur ubique secretarius sive magistri sive praesidis capituli, sive alius quisquam ad hoc munus a praedictis electus qui fidem praestare valeat, et signare litteris universa quae ibi fuerint decernenda.

iv. Omnes ergo personae praedictae, excepto secretario (nisi fuerit etiam definitor), suffragium decisivum habeant in hoc definitorio, tam in decretis pro bono regimine et reformatione provinciae, quam in electionibus per illud agendis; quae omnia ut secundum Deum fiant, invocari debet in cuiusque definitorii initio gratia Spiritus Sancti, recitando antiphonam *Veni, Sancte Spiritus*, cum versu et oratione consuetis.

v. Deinde praeses cum praedicto definitorio, nullâ aliâ personâ cuiuslibet status, officii vel conditionis admissâ, invicem conferat quae fuerint ordinanda et agenda, ad quod praeses primo, secundo et tertio moneat, ac iuret[1], et praecipiat omnibus ex definitorio in virtute Spiritus Sancti, ut, in his quae

[1] Videtur deesse *manibus* (R. T.).

[1] Legendum *adiuret* pro *ac iuret* (R. T.).

fuerint decernenda per se ipsos, non personas vel odium in eas vel amorem accipiant, et, in corrigendis fratribus, solius disciplinae regularis zelo non livore ducantur, in conferendisque dignitatibus, solius Ordinis et domorum eius utilitati prospiciant.

vi. Hoc praecepto et adiuratione cuncti ex definitorio praeventi, procedant ad sequentia suo ordine et maturitate exequenda, ubi primum singuli commendatores resignare debent titulum suae commendae, et de illius statu integram rationem reddere per transumptum a calculorum totius triennii compendio deductum, a seque et praeside clavariisque conventus subscriptum, quod coram definitorio de verbo ad verbum legatur, ut, commendatoribus ipsis ad congregationem accersitis, eiusdem nomine praeses pro uniuscuiusque merito operosum laudet, desidem vero increpet; si quem falsa perhibuisse probatum fuerit, is poenà gravioris culpae puniatur. Si qua debita commendator aliquis in suo conventu non soluta reliquerit, eaque definitorio celaverit, ipsa per eum et depositarios, qui simulationi consenserint, solvenda esse constituimus.

vii. In praedicto transumpto pariter de receptis pro redemptione captivorum fidelem penitus rationem reddat praelatus, itaut nullus audeat venire ad capitulum sine vero et legitimo computo eorum omnium quae pro redemptione undecumque susceperit. Ad quem etiam uberius comprobandum, deferre teneatur ad capitulum transumptum dati et accepti omnium eorum quae ad redemptionem attinent, prout adest in libris redemptionis, iuxta superius distinctione i cap. iv stabilita, circa quae definitorium diligenter exploret quo fervore charitatis huiusmodi nostrique instituti impleantur officia, et, quem in iis iniuria temporum[1] invenerit, omni severitate corripiat.

viii. Deinde magister generalis, si adsit, et provincialis absolutus, aut eorum visitatores, si sint ex definitorio, proponant illi quae in visitationibus vel extra tam communi quam privatà emendatione aut reformatione digna in provinciá perscrutati fuerint, quibus sane ut definitorium de salubriori medelà provideat, rebus mature exacteque discussis, opportuna reformationis decreta super omnibus instituat.

ix. Rursus de litibus inter fratres, auditis causarum iudicibus, definitorium iudicet, easque omnino dirimat iuxta maioris partis arbitrium. Si visitator aut provincialis, seu vicarius provincialis, absolutus proclamatus fuerit, et accusatus fuerit legitime, vel de aliquo crimine convictus, corripiatur a definitorio secreto, vel, prout aequitatis ratio et culpae qualitas postulaverit, et secundum poenas a iure vel constitutione suscipiat.

x. Similiter examinatores annorum lecturae et praedicationis exhibeant sua iudicia de illis, ut ab ipso definitorio feratur sententia, eos iuxta meritum approbando, aut etiam reprobando, vel, si opus sit, exponendo ad gradus Ordinis; calculatores denique supputationem ad capitulum pertinentium non dissimiliter proponant definitorio quod sentiunt de illis, ut debitum circa eos decretum definitorium proferat.

xi. His peractis, procedat definitorium ad praelatorum localium nominationem, eos ad hoc munus eligendo, quos maiori bono spirituali ac temporali domorum secundum Deum et propriam conscientiam meliores iudicaverit, cum qualitatibus cap. xix huius distinctionis de-

[1] Forsan *incuriosum* pro *iniuria temporum* legendum (R. T.).

signatis; deinde pro redemptione peragendâ duos redemptores instituat cum conditionibus in cap. v distinctionis II stabilitis. Et si ad eam proxime perficiendam collectae eleemosynae sufficiant, tempus pariter statuat, quo debeat expediri. Quod si ex redemptoribus electis aliquem post capitulum mori vel languere contigerit, illum magister Ordinis ex eiusdem provinciae fratribus pro libito reproducat.

XII. Ulterius praedictum definitorium pro negotiis ipsius redemptionis ad totam provinciam spectantibus unum procuratorem generalem nominare debet, et alium pro rebus ipsius provinciae peragendis, quibus deficientibus quomodolibet post capitulum, a provinciali similiter designentur: decernentes, ut cuique procuratori ex praedictis, tam provinciae quam redemptionis, et tam intra quam extra capitulum creato, semper definitorium provinciae instrumentum praebeat procuratorium cum plenâ aut limitatâ facultate, quae pro opportunitate unicuique respective conveniant[1], et, quotiescumque opus fuerit, eam augeat vel cohibeat, eamdemque cum[2] habeat, ac si a toto capitulo traderetur.

XIII. Postea ab eodem stabiliantur definitorio novitiatuum domus atque eorum novitiorum magistri; utrorumque vero mutationem aut novam institutionem extra capitulum non permittimus, nisi rationabilis et gravis causa perurgeat; qua superveniente, ad id potestatem extra capitulum provinciale[3], seu vicario provinciali relinquimus, itaut de domibus novitiorum non sine definitorio constituat, de ipsorum vero magistris per se solum providere valeat.

XIV. Deinde studiorum regentes pro domibus theologiae scholasticae, uti supra cap. II distinctionis VI, instituat, et fratrem aliquem litteris et genio praestantem provinciae historiographum eligat; et, ubi conventus monialium habemus, pro illis vicarios destinet omni sufficientiâ et morum honestate conspicuos, qui earum confessiones audiant, atque illas spiritualiter dirigant.

XV. Denique praedictum definitorium eligat domum capitularem pro futuro immediate capitulo, cuius electio sic semper a praefato definitorio privative fiat, ut nulli alteri praelato compromissa relinquatur, ne, si ille obire contigerit sine designatione loci, hic vagus maneat, ignotusque vocalibus, quibus ab ipso anteacto capitulo expedit et volumus innotescere; ex tunc enim ad illum iure constitutionis convocati sunt omni tempore, etiamsi, ut possunt, convocatoriae deficiant; facultatem tamen ad eam commutandam, aliamque denuo instituendam instante tempore convocationis ad capitulum, iustâque ac rationabili causâ interveniente, praedicto definitorio et magistro generali concedimus. In quo casu, vel quolibet alio in quo domus capituli tam generalis quam provincialis mutationem subeat, non ideo iura successionis magistri vel provincialis in suis respective casibus ad provincialem provinciae capitularis aut commendatores domorum utriusque capituli pertinentia mutari permittimus, sed maneant semper apud illos ad quos iuxta priorem electionem domus capitularis attinebat.

XVI. In praedictis autem nominationibus ac decretis et quibuslibet aliis a dicto definitorio determinandis aut eligendis absque suffragiis secretis, si vota in partes aequales dividantur, praevaleat illa, cui praeses adhaereat. In ceteris vero electionibus, quas per vota secreta

1 Aptius lege *conveniat* (R. T.).
2 Vox *cum* delenda (R. T.).
3 Vel legend. vel addendum *provinciali* (R. T.).

fieri debere stabilitum manet, serventur ea quae pro casibus devolutionis in suis propriis locis sancita reliquimus.

XVII. Conclusis tandem quae in definitorio decreta et peracta fuerint, nemo vocalium, si forsan aliquos de ordinatione aliquâ vel actu turbatos inveniat, se ita in illis excuset (etiamsi non consenserit), ut socios suos calumnietur, aut prodat, auctoresque fuisse manifestet eorum de quibus turbatio querimoniaque processerit. Unde super hoc praedictis definitoribus, ut universis aliis praedictum definitorium provinciale constituentibus, in virtute Spiritus Sancti et sub excommunicationis sententiâ praecipimus, ut nullus ea, quae in definitorio versantur, alicui detegat, aut foras quomodolibet effundat, ne insuper alii fratres (sub eisdem censurâ et praecepto) ea, quae in capitulo geruntur, saecularibus aperiant.

Caput XVIII. De ultimâ die capituli provincialis, formâque absolutionis in illo servandâ.

I. Capitulum provinciale quamcitius desiderantes finiri, illud in feriam tertiam vel quartam post sabbatum electionis iuxta provinciarum consuetudinem tantummodo prorogari permittimus, ne provincia gravetur sumptibus; quibus diebus ea omnia, quae capitulo praecedenti definitorio agenda praescripsimus, ita praeses pro rerum et temporis opportunitate digerat, ut nihil intactum relinquatur. Postremo vero die praeses, congregato capitulo, brevem spiritualem devotamque habeat orationem, qua praelatos electos ad suum munus recte et fideliter exequendum graviter instruat. Deinde a secretario capituli legantur coram omnibus cuncta acta ipsius, cum decretis et statutis pro maiori reformatione provinciae a definitorio editis. Ulterius etiam publicetur edictum sanctae Inquisitionis iuxta praeceptum eiusdem.

II. Iis peractis, ad absolutionem procedatur formâ sequenti. Praeses capituli confessionem dici iubeat, quam fratres flexis genibus et in faciem parum inclinati recitent, eaque finitâ, dicat praeses *Misereatur vestri, etc.*, et statim subiungat: « Ego, auctoritate Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et auctoritate mihi commissâ, absolvo vos et omnes fratres nostro regimini commissos ab omni vinculo excommunicationis et suspensionis, et pariter dispensationem indulgeo super quacumque irregularitate (si forsan quis indigeat) atque etiam remissionem ab omnibus transgressionibus, excessibus seu omissionibus regulae et nostrarum constitutionum, quantum ego possum; et quod non possum, suppleat et perficiat summus et omnipotens sacerdos et Pontifex dominus noster Iesus Christus: et iniungo vobis in poenitentiam et remissionem omnium peccatorum quidquid boni feceritis, et specialiter iugum obedientiae et regularis observantiae disciplinam. Neque intendimus absolvere perditionis et iniquitatis filios, scilicet proprietarios et apostatas, sed per viscera misericordiae Dei nostri eos primo, secundo et tertio monemus, ut profugi et apostatae humili corde revertantur ad sinum suae professionis et Ordinis, proprietarii vero, et bonorum temporalium cupidi et amatores, ad sui voti et veram professionis inopiam redeant, et resipiscant, alioquin eos ex nunc in scriptis denuo excommunicationis sententiâ innodamus, idque declaramus. Et quia qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit, auctoritate Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, benedicimus in Christo carissimos fratres, tam absentes quam praesentes, quantum possumus; et quod fragilitas nostra non obtinet, suppleat et perficiat dominus noster Iesus Christus suâ largâ

benedictione, qui sit vobiscum in itinere vestro, et ad domos vestras sanos incolumesque reducat. Qui vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. Amen ».

III. Tunc surgentibus fratribus, cantor incipiat hymnum *Te Deum*, quem alternis versibus canentes procedant omnes ad ecclesiam; ubi, eo finito, dicat praeses:

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis,

℟. A templo sancto tuo quod est in Hierusalem.

℣. Domine, exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. Per Christum, etc.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit caelum et terram.

IV. Postea suo ordine manus praesidis osculentur, et sic absolvitur capitulum; eoque absoluto, praeses specialiter congregabit definitorium provinciale, in quo legantur litterae ad definitorium vel capitulum missae initioque non recitatae, quibus prudenter et consulto respondeant.

V. Praecipimus tandem, ut, ubicumque capitulum provinciale celebretur cui magister Ordinis non adfuerit, teneatur praeses illius, ab isto vel constitutione nostrâ designatus, omnium eius actuum, nullo excepto, fidele transumptum de verbo ad verbum authentice conscribi facere in formâ secundi originalis, ab iisdemque a quibus primum similiter subscriptum, remittere ad magistrum, ut de illius valore ac ritu plenius decernat et iudicet.

CAPUT XIX. De officio et potestate provincialis, ac de eius secretarii institutione et munere.

I. Provincialis, quamprimum canonice fuerit electus, utatur officio suo sub titulo et nomine provincialis electi ante confirmationem a magistro, eamque obtentam universae provinciae denunciet, et deinceps titulum habeat provincialis, cui omnes et singuli fratres provinciae, tam in spiritualibus quam in temporalibus obedire teneantur.

II. Sub praecepto formali obedientiae poenisque ad arbitrium magistri generalis imponendis praecipimus, ut nemo provincialis, quamvis sit magister, possit assumere titulum sibi magistri provincialis, nec illo uti in subscriptionibus litterarum officii, sed id solum praestare valeat generalis magister.

III. Provincialis in totâ suâ provinciâ eamdem potestatem habeat in omnibus et singulis, qua gaudent commendatores in suis conventibus; eam tamen nunquam de plenitudine exerceat, nec addat suo muneri, nisi negligentiae defectusque commendatorum id postulent, atque urgeat causa legitima.

IV. In triennio sui officii omnia et singula monasteria suae provinciae, per se, vel, si non potuerit, per idoneos visitatores, bis visitare teneatur, et omnibus tamquam verus pater, tam in spiritualibus quam temporalibus, discreto regimine provideat, et simul studeat singulas, si valeat, oves sibi traditas agnoscere.

V. Extra actualem visitationem poterit fratres a domo in domum transferre, vel ipsis licentiam petentibus, vel prout necessitas domorum, ratioque regiminis postulaverit. Diligenter tamen attendat, ut semper id fiat absque notâ scandali et denigratione Ordinis et fratrum, quod potissime in ipsis visitationibus observabit, in quibus, nisi causa mutationis palam publiceque perurgeat, non debet esse festinus, sed eam prudenter diffe-

rat tantisper, donec in fratris famam suspicio non pateat.

VI. Licentias in albis nunquam fratribus largiatur, aut eas commendatoribus relinquat; quas autem illis miserit pro mutandis fratribus, nisi intra dies quindecim intimentur, nullum deinceps habere valorem patimur, si denuo a provinciali seu a visitatore non reproducantur.

VII. Super his autem ita sit provincialis discretus et prudens, ut fratres periculosos aut discolos semper a conventibus parvis removeat, eosque transferat ubi melius custodiri possint, et communi exemplo observantiae regularis in meliorem frugem induci. Reliquos vero, inspectis semper eorum qualitatibus, in provinciae domos distribuat, prout maior fructus solatiumque domorum ac fratrum exegerit. Cum autem transferuntur de loco in locum, curare debet ut a commendatore, a quo recedunt, viaticum inviolabiliter accipiant secundum viae et itineris longitudinem.

VIII. Cum provincialis conventum aliquem visitandum ingrediatur, statim licentias confessiones audiendi confessariis non graduatis de iustitiâ suspendat, donec novo examine approbentur. De omnibus tamen caveat, ne quando per desidiam aut negligentiam a sufficienti peritiâ muneris excidant; et quoscumque noverit vel suspicetur inhabiles, aut in disciplinâ moralis theologiae remissos, eos proprio per se iudicio et examini cum discretione subiiciat; quos autem insufficientes invenerit, a munere subito avertat, nec amplius illud eos exercere permittat, quousque peritiores appareant, sciens de omnibus illis, ac de erroribus ex eorum ineptiâ derivatis, assertionem[1] Domino redditurum.

IX. Circa provinciam et domos debet divisiones, si quae sint, pro viribus interimere, eas et earum partes ad unitatem concordiamque ducendo; querelas etiam et lites, si quae inter conventus oriantur super eorum negociis, quamcitius terminare et extinguere; conventus novos, qui evidenter reputentur utiles, procurare; acta capitulorum litterasque magistri, quae ad reformationem expedita fuerint, ibique[1] per conventus scribi facere et legi. In absolvendis commendatoribus, qui boni reputantur, non debet esse facilis, neque propter eorum instantiam fratrumve importunitatem eos amoveat, quin potius foveat et erigat, eisdemque infensos comprimat ac deterreat. Poterit autem commendatores ab unâ in aliam commendam transferre, cum id religionis commodo expedire iudicaverit.

X. Ulterius ipsi praecipimus, ut, intra duos menses ante celebrationem capituli provincialis, commendatores suâ commendâ privare nequeat, licet eos valeat ab illâ suspendere usque ad dictum capitulum. Quocirca diligenter servare debet quae superius in cap. XIV huius distinctionis ordinata reliquimus; causas omnes, processus et informationes in triennio suo formatos suo debet successori tradere, quae nullo modo comburi aut disperdi patimur, nisi eorum sint fratrum qui iam a vitâ decesserint.

XI. Pro sumptibus et vestiariis ad suum munus attinentibus, singulis annis eam a suâ provinciâ taxationem suscipiat, quae fuerit in usu a capitulis provincialibus comprobata, nec ulterius quidquam exigere constituimus. Si quae autem expensae speciales occurrant, proportione servatâ, ex provinciae domibus colligendae, non prius eas taxet, quam consulat definitorium provinciae, ut, quid cuique domui respondeat iuxta earum mensu-

1 Forsan *rationem* (R. T.).

1 Potius lege *ubique* (R. T.).

ram, rationabili computatione deducat, taxationemque iam factam magistro remittat, eiusve personam gerentibus in remotis provinciis, quibus annuentibus, taxasque praedictas approbantibus, et non aliter, ad earum exactionem deveniat, sub poenâ privationis vocis passivae, aliisque ad arbitrium definitorii capituli imponendis in proxime futuro capitulo. Cum autem per monasteria transierit, caveat ne illa superfluis sumptibus gravet, sed moderatâ hospitalitate sit contentus ubique, ne qui domos adiuvare tenetur, earumque subsidio consulere, illas diruat impendiis.

XII. In expensis capituli provincialis ita sit moderatus et sobrius, ut gloriam lati cordis pretio domorum pauperum non emat. Sit ergo ministratio victus, qua[1] regularem modestiam deceat; quod ut in posterum certâ lege observetur, communibus obsoniis alia tantum duo moderata et qualitate similia superaddi permittimus, sub eâdem poenâ praedictâ, et quod insuper pro his excessibus nequeat augmentum mensae capitularis exigere.

XIII. Quamprimum electus fuerit provincialis, in munereque susceptus, sibi debet secretarium deligere, quem non patimur ab alio nominari; illi tamen consulimus, ut ad tale munus fratrem semper instituat, qui sit in consilio maturus, in secreto fidelis, in epistolarum arte disertus, et in zelo regularis observantiae sibi omnino conformis, isque in manibus provincialis, priusquam suum exequatur ministerium, praestet iuramentum eâdem formâ, qua supra cap. XII huius distinctionis stabilivimus.

XIV. Secretarii interest librum provinciae regere, et in eo definitorio, eorumque electiones et acta notare, visitationes pariter ab ipso provinciali factas ab initio usque ad finem in conventuum libros diligenter authenticeque referre, alias vero visitatoribus commissas curâ pervigili custodire, querulos interdum de provinciali fratres debet in tranquillitatem et bonum de illo sensum inducere, itaut inter eorum et provincialis partes semper discretum mediatorem exhibeat. Si graduatus non fuerit, infra procuratores generales vocem in capitulis habentes primus ubique sedeat, dum actu munus obierit. Quo item tempore et intra provinciam constitutus solius provincialis obedientiae subiaceat, neque in commendatorem assumi valeat.

XX. Provincialis landem, in fine sui muneris, omnium, quae in toto illius decursu receperit, tam pro suis expensis quam aliis quibusque, quovis titulo, ratione vel causâ ad suum officium pertinentibus, rationem reddat in definitorio capituli.

XVI. Circa immunitates eorum qui fuerint provinciales, ordinamus, ut socium habeant nullis conventus oneribus impeditum, qui in omnibus eos adiuvet, prout necesse habuerint; omnes missa[1] pro suâ intentione celebrare possunt; communis refectionis quantitas et mensura sit illis ubique dupla, et in reliquis magistrorum immunitatibus perfruantur. Qui vero exemptiones huiusmodi non harum vi constitutionum, sed a superioribus, vel tribus etiam capitulis generalibus indultas obtineant, illis gaudeant, excepto loco, paternitate reverendâ et mensurâ duplice victus, quae nemini ullâ unquam ratione concedi posse decernimus.

**Caput XX. De successione in vicarium provincialem et potestate illius.**

I. Cum saepissime, multisque de causis vicarium provincialem oporteat institui, operae pretium est omnes casus huiusmodi successionis exponere et ordinare, et quam ubique potestatem ha-

1 Potius lege *quae* (R. T.).

1 Forsan *missas* (R. T.).

beat qui eam obtinere contingat. Quocirca duo genera generalis vicarii provincialis agnoscimus, alium in capite et alium substitutum. Primum autem semper fratres intelligant qui non habet supra se provincialem, sed sit provinciae caput, ex defectu principalis creatum. Vicarium vero substitutum existiment, qui secundum iura harum constitutionum illius loco statuatur.

II. Declaramus autem illum appellari debere provincialem absolute, nullàque ratione vicarium, qui per veram et canonicam electionem sit a capitulo electus, [1] iure devolutionis a magistro. Provincialis electus vel confirmatus, quocumque tempore extra capitulum renunciaverit, nullatenus poterit vicarium provincialem sibi substituere, sed in regimine succedat commendator domus capitularis a provinciali capitulo designatae, vel, illo legitime impedito, dignior ex definitoribus provinciae, modo sit graduatus; alioquin transeat successio ad digniorem graduatum provinciae, quam sane ratam esse statuimus, donec confirmetur a magistro, aut alium vicarium provincialem pro libito eligat, si maluerit, similiter graduatum, cui soli hanc potestatem in hoc casu, ubicumque non fuerit limitata, concedimus, neque ullus ille [2] vicarius generalis, etiam totius Ordinis, aliquando gaudere praesumat.

III. Praedictam autem conditionem graduati ita semper in omni nominatione et successione observari praecipimus, ut [3], sive electio vicarii provincialis fiat a magistro, vel provinciali, aut alio quocumque, sive iure constitutionis eveniat, semper in graduatum insidat, et secus facta sit irrita iuxta capituli generalis

1 Deesse videtur particula *vel* (R. T.).

2 Videtur legendum *illà*, nempe potestate antedictà (R. T.).

3 Particulam *ut* nos addimus (R. T.).

Optensis decretum a sanctissimo domino nostro Innocentio XI confirmatum.

IV. Eiusdem capituli aliud decretum a praedicto similiter Innocentio confirmatum observari subiungimus, ut videlicet, provincialatu quovis modo vacante, nullus provincialis absolutus, aut qui vicarius provincialis in capite per duos annos aut amplius extiterit, possit immediate vicarius provincialis in capite a quocumque constitui, nisi duobus trienniis a provincialatu vel vicariatu decursis.

V. Insuper si provincialis extra capitulum versetur in mortis periculo, potest vicarium provincialem sub litteris et authentico testimonio relinquere, qui ei [1] succedat in omnibus suis iuribus usque ad finem triennii, et nequeat ab aliquo revocari, nisi praeviâ causâ delicti. Tunc autem magister generalis poterit (si velit) illius vicariatu durante vicarium generalem in illâ provinciâ instituere. Quod si provincialis absque praefatâ nominatione decesserit, succedat, ut a sacrâ constitutione postulatus, etiamsi alioquin habeat vicarium provincialem iam antea quomodolibet subrogatum, quem nullo modo in hoc casu succedere patimur, nisi fuerit a provinciali specialiter nominatus ut ei succedat post obitum.

VI. Quantum vero ad impedimenta, et casus quibus extra mortis articulum necesse ducimus vicarium provincialem institui, decernimus, ut, quotiescumque provincialem ab officio suspendi contigerit, ius instituendi, pro tempore suspensionis, vicarium provincialem, ad illum ipsum, qui eum suspenderit, attineat. Si autem provincialis qualibet ex causâ sit omnino impeditus ad gubernium provinciae, tunc necessario debeat vicarium provincialem sub-

1 Edit. Main. legit *si* pro *ei* (R. T.).

stituere, qui ei succedat irrevocabiliter in omni iure ipsius, atque etiam in suffragio capituli generalis. Quod si accidat omnino ad regimen impediri tempore convocationis ad praefatum capitulum, tunc vicarius provincialis ab eo nominatus in dicto capitulo suffragari nequeat; sed ad suffragium huiusmodi praestandum succedat semper, ut praediximus, commendator domus capitularis, aut alius de reliquis suo ordine a constitutione vocatis. Qui quidem pariter a nemine revocari valeat, atque in praedicto capitulo generali universisque eius actibus et definitoriis semper eamdem vocem electivam et decisivam unà cum loco possideat, ac ipse provincialis si adesset, vereque reputetur in tali capitulo tamquam eius provinciae vicarius provincialis, etiamsi solo titulo suffragandi convenerit; hoc ipsum ei quoque concedimus, etiamsi provincialis non sit omnino impeditus ad gubernium, sed ad iter agendum ad dictum generale capitulum causâ infirmitatis medicorum iudicio comprobatâ. Similiter si provincialis egredi debeat extra provinciam, vicarium provincialem, usque dum revertatur, instituat.

VII. Caveat autem magister generalis, ne, vivente provinciali, et expedito regimine, aut etiam per se substituente in casibus iam praefatis et debitis, alium vicarium illi substituat, nisi tantum eum de iure et ex causâ illum ab officio suspenderit vel deposuerit; in iis enim casibus poterit quidem providere de vicario, qui curam habeat provinciae usque ad solutionem suspensionis provincialis, vel futuram eius electionem in capitulo.

VIII. Licet provincialis (ut praemissum est) in mortis instanti nominare possit vicarium provincialem post obitum, in hoc tamen iure non succedat vicarius provincialis, etiam in capite; sed, casu quo ipse vicarius moriatur, succedat nominatus in renunciatione provincialis iuxta formam in hoc capite num. VI praefixam; in casibus autem quibus dictum vicarium impediri, suspendi, deponi vel renunciare contigerit, itaut substitutione sit opus, serventur omnia quae in similibus de provinciali praediximus.

IX. Neque insuper succedit praefatus vicarius provincialis in omnimodâ potestate ad privandum seu amovendum commendatores a suis officiis in postremo anno triennii; hoc enim tempore nullâ ratione patimur posse eos deponere aut privare, bene vero suspendere aut de domo in domum transferre, prout sibi visum fuerit expedire. Quod si commendator aliquis in ultimo praefato anno causam privationis perpetraverit, haec reservanda est capitulo provinciali, ibique discutienda et iudicanda legitime. Si vero commendatorem solâ suspensione corripiat, poterit nominare praesidem sui conventus, sine voce tamen ad capitulum, qua dictum commendatorem nolumus destituere, nisi aliunde in regulatione vocalium veniat destituendus legitime.

X. Si vicarius provincialis quomodolibet institutus vocem aliunde habeat in capitulo generali, vel sit definitor provinciae, eligatur semper alius loco illius toto tempore quo fuerit vicarius provincialis, ita scilicet, ut tam in capitulo generali quam definitorio provinciae (si accidat celebrari) nunquam deficere possit numerus completus definitorum aut vocalium.

XI. Circa immunitates et privilegia eorum qui fuerint vicarii provinciales, firmiter constituimus, ut, peracto officio, non maneant cum honoribus et gratiis exprovincialibus debitis, nisi vicarii provinciales in capite extiterint, idque per

duos annos completos obierint: circa locum vero, serventur quae inferius de ordine sedendi constituimus.

xii. Tandem, ut omnia de substitutione provincialis declarata relinquamus, praesenti constitutione decernimus, ut, si aliqua provincia ultra mare posita, aut regione longinqua, et a praecipuo illius corpore valde segregata, unum aut plures conventus obtineat, et eos per se provincialis visitare decernat, nunquam id faciat nisi in alterâ parte provinciae, quam deserit, aliquem substitutum etiam de graduatis relinquat, ne[1] maior aut praecipua portio provinciae maneat praeside destituta. Quod si conventus ultra mare constituti, aut in aliâ regione vel regno nimis longe dissiti, ita sint plures, ut ad rectam eorum gubernationem substituto indigeant, illum posse nominare provinciali concedimus, ne, pro saepe emergentibus et extemporaneis, haec illis moderatio deficiat: hos autem substitutos, quia solum sunt auxiliares provincialis, non vicarios provinciales, sed commissarios, ut praemissum est, appellari praecipimus.

Caput XXI. De definitorio provinciali extra capitulum, et definitorum provinciae officio et potestate.

i. Definitorium provinciale extra capitulum ex provinciali tantum, seu vicario provinciali, et ex illis qui fuerint generales, si provinciae adesse contingat, et ex definitoribus provinciae, praesente eius secretario ad effectum tantummodo praestandi fidem de agendis, vel alii fratres ad hoc munus a praeside nominati[2], constitui decernimus et declaramus, ita tamen ut si magister generalis intra provinciae terminos inveniatur, et illud ingredi voluerit, convocandi potestatem, praesidentiam, ac vocem tam electivam quam decisivam in eo habeat; absente, vel, si adfuerit, convocare nolente, maneat convocandi facultas penes provincialem vel eius vicarium. Huic definitorio sic constituto plenam potestatem concedimus ad ea omnia, quae iuxta huiusmodi constitutiones ad definitorium extra capitulum attinent, decernentes et declarantes ad illud privative spectare electiones definitorum et electorum generalium ac definitorum provinciae, qui quomodolibet fuerint instituendi finito capitulo provinciali.

ii. Si ergo extra capitulum aliqua de definitionibus provinciae quovis modo vacaverit, convocato solemniter definitorio provinciae ab eius provinciali, seu magistro, si adsit provinciae ipsique placuerit, novus eligatur definitor pro eo qui vacaverit: quod similiter observandum est, si aliquis definitor provinciae ab illâ fuerit absens, congregarique definitorium urgenter expediat; tunc enim pro eiuscemodi functione licebit alium definitorem loco absentis eligere, qui statim expirabit, cum res iam peracta fuerit, neque ullis postea exemptionibus perfruatur.

iii. Si quis vero definitor aut elector generalis transacto iam capitulo renuntiare aut obire contigat, vel si instante celebratione capituli generalis, aliquo iuris impedimento, aut aliâ qualibet causâ fuerit praepeditus, poterit provincialis, vel vicarius provincialis, atque etiam magister, si provinciae adsit, nullus tamen alius quicumque sit, definitorium congregare, et cum eo novum electorem aut definitorem per vota secreta eligere et substituere, etiamsi legitime impeditus suum titulum renunciare voluerit[1], absque tamen praeiudicio iuris eiusdem, si forte impedimentum cessaverit, interveneritque capitulo. Quicumque vero in electoris aut definitoris locum subrogetur ad tempus ratione impedimenti, functione iam peractâ cessa-

1 Edit. Main. legit *nec* (R. T.).
2 Legend. *vel alio fratre ... nominato* (R. T.).

1 Videtur legendum *noluerit* (R. T.).

bit, et vivente seu perseverante principali, nulla muneris privilegia retineat, praeterquam in ipso definitorio et capitulo.

IV. In dictis electionibus et quibusdam aliis a praedicto definitorio faciendis iura huius nostrae constitutionis observari praecipimus, secundum ea quae de aliis electionibus saepe decrevimus ut rite et canonice fiant, in quibus si definitorii suffragia intra tres dies a primà electionis inclusive non convenerint, ius eligendi devolvatur in praesidem; in reliquis vero a definitorio deliberandis, si in partes aequales suffragia dividantur, praevaleat ille cui praeses adhaereat.

V. Ad definitorium provinciae pertinet commune bonum provinciae pro viribus procurare, audire negotia fratrum, eorum litteras vel libellos supplices ad definitores directos suscipere, et definitorio opportuno tempore praesentare, vel secretario capituli per eum praesentanda committere. Cavendum est autem eis ne aliquid pro fratre faciant, aut in definitorio proponant et iudicent, quod vel vindictam in alium aut privatum amorem sapiat, sed ius tantum et aequitatem.

VI. Definitores tandem huiusmodi, dum in officio permaneant, omnibus exemptionibus, gratiis et privilegiis magistrorum de numero gaudere decernimus, si fòrte magistros non esse contigerit. Quantum vero ad locum, illum ordinem teneant, quem distinctione sequenti, capite de ordine sedendi statuimus.

Caput XXII. De definitorum et electorum generalium potestate et officio.

I. Proprium definitorii[1] generalis munus est maius Ordinis bonum pro viribus satagere, ad quod cum electus fuerit, postulet a definitorio et eius praeside hunc sibi laborem in remissionem peccatorum iniungi, et sic officium cum humilitate suscipiat; pro eo autem semper et ubique legitime exercendo instrui debet patentibus litteris a definitorio provinciali omni iuris auctoritate suffultis.

II. Cum ergo definitorium Ordinis ac supremam eius censuram potestatemque constituat, nunquam se agere debet ut personam privatam, sed ut publicam et regulari observantiae sedulo intentam. Unde, cum ad capitulum vel aliò procedens ad conventus Ordinis declinaverit, ita se debet parce et moderate gerere, ut fratres, apud quos diversatur, in hoc potius aedificet, habereque possit audaciam[1] in capitulo ad corrigendos excessus sumptusque inordinatos aliorum; sit etiam ubique inter fratres et extraneos in vigiliis et sobrietate strenuus, in silentio et oratione assiduus, in omni honestate atque observantiâ regulari fervidus, et ita in verbis et actibus bonum de se proferat exemplum, ut evidenter appareat quod non immerito ad tantum Ordinis fastigium sit assumptus.

III. Factus iam definitor debet diligenter evolvere acta praecedentis capituli, et cum omni consilio curâque perspicere, an illa expediat confirmari, vel imo destitui, aliave recentia condi, quibus bonum Ordinis et observantiae regularis vergat in melius.

IV. Circa officium electoris magistri, eadem illi consulimus quae de definitore praediximus, ut videlicet munus suscipiat humiliter in veniam suorum peccatorum, necnon litteras testimoniales vocis sibi collatae a definitorio provinciali recipiat, et secum ad capitulum deferat.

V. Quantum vero ad electionem, tam ipsis electoribus quam definitoribus atque etiam alteri cuicumque vocem electivam habenti subiungimus, ut a tempore sui suscepti muneris Deum orare

1 Videtur legendum *definitoris* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *possit, audacium* (R. T.).

non desinant[1], et secundum eius voluntatem atque Ordinis utilitatem, tam ipsi quam alii dirigantur. Cum autem fratres invenerint discretos, Deum timentes, rerumque et personarum Ordinis conscios[2] debet cum ipsis conferre libenter, ut per illos de iis, quae a se agenda sunt, plenius informetur. Cavendum est autem ei, ne, propter auditum et famam leviter volitantem, ad eligendum aliquem inclinetur, nisi prius digniori fide nuper comparatâ, circa personae meritum instruatur. Nec unquam sic aliquis suae menti insideat, ut, si alius postea melior appareat, non sit paratus ad vocem in eum transferendam.

VI. Ita silenter electionis acta apud se retineat, ut nihil penitus de illis aperiat, neque prodat fratres qui hunc elegerunt, aut illi adversati sunt, et similia quae possunt turbationem inducere. Potissimum vero debet esse cautus, ut, in tractatibus ante electionem faciendis ab electoribus circa personam eligendi, suâ semper conscientiâ provideat, propter occasiones interdum inde subortas denigrandi famam multorum. Unde super hoc decreta Urbani VIII de huiusmodi tractatibus non prohibendis omnino reverentes, tantum ut fiant secundum Deum sine laesione famae et cum zelo et charitate consulimus.

VII. Definitores et electores generales ita desideramus auctoritate praecellere, ut vix huiusmodi munera non nisi gravioribus dignioribusque Ordinis fratribus conferantur. Quod si definitor aliquando non magister, vel etiam elector raro non graduatus extiterit, uterque tamen, dum munus sustineat, magistrorum de numero favoribus et immunitatibus gaudeat, excepto suffragio capituli provincialis, quod neuter assequitur ratione officii, nisi illud aliunde possideat. Quantum vero ad locum et praecedentiam, eam utique retineat quae distinctione sequenti, capite de ordine sedendi, stabilitur.

De officio et potestate commendatorum.

I. Quicumque ad officium commendatoris in Ordine nostro fuerit eligendus intra capitulum, debet a definitorio constitui ut supra cap. XVI huius distinctionis stabilivimus. Extra capitulum vero, si quovis modo commendam vacare contigerit, solus provincialis, seu vicarius provincialis in capite, per se ipsum, sine definitorio, commendatorem instituet. Si tamen magister Ordinis provinciae, in qua commenda vacaverit, praesens fuerit, poterit etiam pro libito commendatorem eligere, modo non sit praeventus a provinciali praedicto. Huiusmodi autem commendator, sic denuo creatus ab altero praedictorum, eodem iure et potestate gaudeat in omnibus, ac si fuisset electus in definitorio capituli.

II. Ubicumque sit eligendus commendator, vir semper debet esse qui monasterio videatur utilior, et ad domesticum regimen, regularisque vitae cultum, zelo industriâque praestantior, et cum qualitatibus cap. XIV huius distinctionis ordinatis. Si de alienâ vero professione ad nostrum Ordinem quis[1] quovismodo transierit, nequeat fieri commendator, nisi post decem annos a nostrâ professione completos.

III. Nullus qui fuerit commendator alicuius domus, sive intra sive extra capitulum electus, possit in eâ per duo immediata triennia succedere, nisi forte aliqua notabilis fabrica ab ipso ibi incepta sic exigat: secluso enim hoc casu, praedictam elexctionem intra vel extra capitulum nullâ ratione permittimus, et si secus fiat, sit profecto inanis et irrita. Nullus etiam definitor capituli provincialis potest commendator aut praeses

1 Edit. Main. legit *desinat* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *conscius* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *qui* (R. T.).

in capite institui; quod si fiat, maneat definitione privatus, atque alius eligatur pro illo.

iv. Quicumque vero creatur commendator, debet instrui publicis et patentibus litteris, quas nunquam iter agendo relinquat. In conventibus autem habeat sigillum parvum cum scuto Ordinis, quo utatur in publicis instrumentis quae ad eius officium expedire pertineat.

v. Vicarium et officiales domus (exceptis depositariis novitiorumque magistro) confirmare poterit aut mutare. Procuratorem autem aut procuratores conventuales, tam pro redemptione quam domo, si revocare voluerit, novosque instituere, id semper fiat de consensu capituli conventualis, a quo debent suscipere iuridice procurationem et titulum.

vi. Cunctis fratribus quoad spiritualia semper ut bonus pastor invigilet, eosque in temporalibus pascat, singulisque de omnibus provideat, maxime vero aegrotantibus in re nullâ deficiat quae ad eorum recreationem et salutem assequendam medici iudicio conducat, ut iam supra distinctione iii cap. xxiii praecipimus; senibus autem et iam aetate gravatis atque impeditis ea indulgere studeat, quae inferius distinctione sequenti, cap. . . . constituimus. Infra ambitum triennii, universis suis conventualibus vestiarium praestare teneatur, prout superius abunde ordinatur distinctione iv cap. iv *De vestitu.*

vii. Sine magistri generalis aut provincialis licentiâ in scriptis aedificationes neque incipiat, neque prosequatur, neque insuper sine dictâ licentiâ quidquam sui conventus quolibet praetextu aut colore diruat, sub poenâ privationis officii et vocis activae et passivae ad sexennium.

viii. Choro semper intersit ad omnes horas officii, quavis occupatione posthabitâ, ut aliis fiat exemplum quo et verbis interdum eos ad Dei laudes sine intermissione alliciat; refectorium quoque die noctuque non deserat, quantum sui muneris patiatur angustia: quod si crebro non intersit his actibus, ab officio et commendâ deponatur, ut superius distinctione iii cap. ix manet stabilitum.

ix. A suâ domo nunquam sit notabiliter absens sine licentiâ superiorum, sub poenâ privationis officii, neque recedat ab illâ, nisi propter aliquam eius utilitatem non modicam, quae semper talis sit, ut non per alium quam per se ipsum agi et comparari valeat. Si rem vero peculiariter sibique propriam gerendam habuerit, quae illum a suo conventu proficisci compellat, semel in suo triennio per triginta solum dies posse abesse concedimus; dum tamen conventus non solvat viaticum et impendia itineris. Quod si pluribus quam triginta diebus, aliâve simili profectione indigeat, licentiam exigat a provinciali, qua instructus et non aliter viam instituat.

x. Ex rationabili causâ per quatuor dies suis subditis licentiam indulgere poterit; amplius autem omnino prohibemus, sub poenâ privationis officii. Quod si casus accidat ita extemporalis et urgens, ut provincialis arbitrium expectare nequeat, sitque in morâ periculum, tunc commendator, consultis patribus a concilio, licentiam praestare possit, valeat, ac protinus provinciale de facto certiorem reddat.

xi. Ut autem nullus commendator sit negligens in bonis conventus et redemptionis debitâ ratione tractandis, illis enixe praecipimus ut diligenter et accurate observare studeant quae circa eorum computa et rationes fidelemque custodiam ac depositum inferius, distinctione sequente cap. xi *De depositis,* et alibi forte praescripsimus.

XII. Ipsis praeterea subiungimus ut nullo modo missarum stipes expendant, neque illas a communi deposito educant, nisi prius fuerit omnis earum celebratio completa. Praeter illas autem quae sunt de iure constitutionis, unam relinquat liberam omnibus suis presbyteris singulis hebdomadibus, quam ipsis per totum Ordinem suae intentioni concedimus. Quas autem, praeter istam, aliis fratribus elargimur, [1] in propriis iam capitulis constituimus.

XIII. Cuilibet ulterius commendatori praecipimus, sub formali obedientiâ et poenâ privationis utriusque vocis per tres annos, ut nullo praetextu per se solum audeat expendere vel recipere aliquid ad monasterium pertinens non praesentibus depositariis, quorum absentiâ ad praedicta teneatur vocare aliquem ex senioribus conventus. Quod ut inviolabilibus periodis impleatur, sub praefatis poenis eidem iniungimus ut singulis septimanis indispensabiliter computa faciat, non quidem privatim, solique procuratori associatus, sed publice, adstantibusque depositariis, sacristâ, dispensatore conventus, eiusque procuratore, atque etiam procuratoribus redemptionis, quotquot in eâ domo resideant, sono cymbali vocatis; quos omnes huiusmodi computationibus necessario adesse compellimus.

XIV. Commendatores observare tenentur motumproprium Urbani VIII circa bona Ecclesiae non alienanda. Quod si quis contra facere praesumpserit, alienationes, omnes et singulas, inanes ducimus, praesentique constitutione irritas declaramus. Dissipatorem autem huiuscemodi bonorum Ordinis, qui talia perpetrare attentaverit, non tantum damnamus ad poenam gravioris culpae sine relaxatione subeundam, verum et omni curâ, administratione et commendâ Ordinis nostri ipso facto hac nostrâ constitutione privamus.

XV. Commendatores itaque, quomodolibet constituti, non possunt intra triennium per aliquem deponi, nisi dissipatores bonorum Ordinis reperti fuerint, vel publicum scandalum vel quaevis[1] altera privationis causa a nostris constitutionibus designata processerit, ac de ipsis sint prius de iure convicti. In quo casu magister Ordinis provincialis, vicarius provincialis, aut visitator, eos deponere poterit, eâ tamen conditione ut semper id fiat a praedictis de consilio duorum commendatorum aut definitorum provinciae, seu ab uno commendatore cum definitore. Magister autem in suis respective casibus praedictos commendatores aut definitores adhibeat modò dicto ex personis eius provinciae ubi repertus fuerit. Si tamen provincialis, aut eius vicarius, seu visitator, aliter in praefatâ depositione processerit, gravissimam correctionem subeat in provinciali capitulo. Ceterum absolutionem ab eis factam secus ac praedicitur, etsi revera culpabilem, non tamen invalidam ducimus, neque substitutionem aut novam commendatoris electionem ut inanem reputari permittimus, sed factam subsistere, ut urgentioribus incommodis occurramus.

XVI. Quod si commendator aliquid commiserit, quo in constitutionibus nostris poenâ suspensionis afficitur, illamve promereatur superioris iudicio, tunc superior per se solum, absque praedictorum praelatorum seu definitorum consilio, ac strepitu iudiciali reiecto, secundum sui ipsius prudentiam, pro casibus emergentibus praedictam suspensionem, dummodo sex mensium spatium non excedat, infligere possit.

1 Particulam *ut* delemus (R. T.).

1 Edit. Main. legit *quavis* (R. T.).

XVII. Item ipsius interest in magnis solemnitatibus, absente magistro vel provinciali, altaris officium assumere, sepelire fratres, infirmis sacramenta ministrare, aliaque similia peragere. Communibus actibus semper intersit, capitula et collationes spirituales cum fratribus habeat, unde eorum profectus et morum cultura proveniat. Curam etiam habeat ut mandata et ordinationes visitationum et capitulorum generalium et provincialium debitâ observatione vigeant. Singularitates in cibo vel epulationes superfluas omnino caveat.

XVIII. In ieiuniis et abstinentiis nunquam toti conventui dispensationes indulgeat, exceptis casibus a constitutione praevisis; officialium negligentias corrigat, ac de iis, quae ab illis sunt facienda, frequenter admoneat et instruat; caveat insuper, ne ab[1] ipsis, ratione officiorum, ea quae sunt Ordinis negligantur, nisi quantum propter officium compellantur, vel de licentiâ rationabiliter eis permissum fuerit.

Caput XXIV. De officio et potestate praesidis et vicarii.

I. Circa praesides, qui in omni eventu possint et debeant institui ut commendatoribus succedant aut subrogentur, primo statuimus ut nullus commendator, qui domi sibi commissae resideat et eam per se gubernare valeat, qualibet ratione praesidem sibi substituat. Quod si aliquando cum debitâ licentiâ peregre proficisci voluerit, vel alioquin mora futura sit diuturnior, ex suo conventu unum fratrem magis idoneum in praesidem subrogare[2] usque ad adventum suum, nisi aliter provinciali expedire videatur. Tandem nominationem facere poterit, cum processerit ad capitulum provinciale, et nominatus gubernabit usque ad personalem possessionem commendatoris electi, nisi aliter etiam ipsi provinciali videatur, cui super hoc semper facultatem huiusmodi nominationes reformandi concedimus.

II. Si vero commendatoris obitus immineat, huic pariter potestatem tradimus, ut opportune ante decessum possit sibi praesidem substituere, qui post illum teneat gubernium, donec praelatus superior eidem conventui aliter provideat de commendatore vel praeside; quod si ita subito decedat, ut nominare non valeat, aut aliàs quomodocumque sine nominatione propriâ vel praelati[1] superioris a munere deficiat, tunc dignior in conventu ad eiusque regimen expeditus succedat in locum ipsius sub nomine praesidis, donec praelatus superior aliter, ut supra, providere decernat.

III. Declaramus autem, quod, si commendator ad capitulum provinciale quomodolibet non accedat, maneat nihilominus in regimine sui conventus, donec noviter electus de illo possessionem personalem accipiat, nisi aliter novus provincialis, aut eius vicarius, de praeside constituat.

IV. Quocirca, ut omnis ambigendi locus praecludatur, praesidem alios[2] in capite, interinos alios nuncupamus. Praesidem in capite esse vere et absolute praelatum cum potestate omnimodâ praelati localis, primumque in universis conventus actibus locum possidere declaramus. Illum vero dici et esse praesidem in capite intelligimus et statuimus, qui a praelato superiori tamquam talis per speciales litteras constituitur, qui tamen ab ipso pro nutu poterit amoveri per novam electionem commendatoris, sive alterius praesidis; dummodo id non fiat intra duos menses ante capitulum provinciale, nec hoc

1 Praeposit. *ab* nos addimus (R. T.).
2 Deest verbum *poterit* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *praelatis* (R. T.).
2 Potius lege *praesidis, alium* (R. T.).

tempore suffragia mutentur pro libito, sed serventur ea quae superius in hac distinctione cap. XIV praemisimus.

V. Reliquos autem praesides, aliter a quocumque quomodolibet institutos, subrogatos et interinos dicimus, sine nomine quidem et sensu praelati, inter quos, qui ab aliquo praelato quomodocumque non stabiliter, sed ut interinus nominatus fuerit, eam potestatem habeat in utroque regimine, quam ipsi delegaverit aut concesserit praelatus instituens, cum limitationibus tamen in his nostris constitutionibus ordinatis.

VI. Ille vero qui solo iure constitutionis absque aliquâ nominatione successerit, ultra limitationes tam commendatoribus quam praesidentibus in capite et interinis iam aliunde hîc et alibi a praedictâ constitutione factas, nequeat in conventu quidquam immutare, neque etiam de arduis extemporaneis urgentibusque decernere, quae superioris praelati non valeant expectare consultum et directionem, nisi de consensu directorum patrum. In reliquis autem non limitatis, omnis ubique praeses usualem cursum ordinariae potestatis directivae et coactivae suscipiat in utroque regimine. Hic autem praeses interinus, si fuerit vicarius, in suo loco permaneat; secus autem sedeat immediate ante illum (quem sane tunc vicarium permanere permittimus), nisi alioquin locum superiorem obtineat.

VII. Constitutis commendatoribus, ad unumquemque pertinet, quamprimum domum sibi creditam verâ et personali possessione obtinuerit, unum fratrem in vicarium eligere, virum utique religiosum et prudentem, ac viribus omnino validum, qui ipsum adiuvet in omnibus sui muneris, et non propterea nomen aut sensum praelati se habere praesumat. Hunc autem debet ipse commendator instituere cuiusmodi potestatem eum velit habere, sive in praesentiâ, sive in absentiâ sui, et non ultra se extendere. Declaramus tamen, quod, etiamsi paucos dies aut brevem moram commendator non longe sit absens, praedictus vicarius sub hoc nomine vices eius in omnibus gerat quantum ad ea quae ad domesticam gubernationem attinent in utroque regimine, ne vel ad horam fratribus legalis moderatio cum potestate directivâ et coactivâ deficiat; quae vero commendatoris adventum expectare valeant ab ipsoque[1] sunt illi restricta, vel aliunde huiusmodi constitutionibus tam vicariis quam praesidibus inferius limitata, nullo modo ab illo exequenda permittimus. In urgentibus autem nihil omnino decernat sine consilio et assensu discretorum patrum. Deficientibus in choro aut refectorio praelato vicario seu praeside, dignior sacerdos ex parte hebdomandarii praesideat, necnon licentiam intrandi et exeundi concedat.

VIII. Vicarius etiam de illis quae utilia sunt conventui, sive spiritualia sive corporalia, pie apud commendatorem debet intercedere; si qua his fratribus gravamina faciat, ipsi prudenter ostendere; quae autem per se corrigere valeat non ea importune commendatori denuntiare, sed tantum illi graviora deferre. Quoad locum vero, vicarius omnibus praesentatis de numero perpetuo immediatus emineat. Duas missas ultra communem vicariis omnibus elargimur, quas pro suâ possint intentione celebrare, et denique ab officio chori et altaris sint absoluti, quandiu in munere existant.

Caput XXV. De dignitatibus sine licentia non recipiendis.

I. Cum fratres (etiam extra Ordinem) possint ad plura officia, beneficia, gradus et dignitates diversimode promove-

1 Male edit. Main. legit *ab ipso quae* (R. T.).

ri, ut ea quidem cum merito et religiose suscipiant, illis salubriter constituimus, ut nemo, absque speciali licentiâ magistri aut provincialis, officium aliquod, gradum, beneficium aut dignitatem assumat. Quod si secus fecerit, praesenti constitutione suffragiis et omnibus beneficiis spiritualibus Ordinis nostri privamus. Fratri etiam, qui in dignitate constitutus, vel quavis aliâ causâ extra Ordinem vivens, habitum et instituta Ordinis non servaverit, suffragia Ordinis similiter interdicimus.

II. Si quis autem huiusmodi beneficia, gradus et dignitates, vel alioquin, sine illis aut rationabili causâ, vitam degere extra Ordinem favoribus procuraverit, eosque praesertim ab extraneis personis obtinuerit, poenae gravioris culpae ipso facto subiaceat.

DISTINCTIO OCTAVA.

*De statu et regimine omnium provinciarum Ordinis et domorum eius.*

Quia neque commune, neque particulare provinciarum et domorum regimen, neque officia opportune et satis complecti potuimus, ea omnia in praesenti distinctione digerimus, ubi quaeque hactenus desiderata subdidimus.

Caput I. De communi provinciarum regimine.

I. Omnes Ordinis provinciae singulos habeant provinciales et quatuor definitores illius, et pro capitulis generalibus duos definitores generales et totidem electores, atque etiam pro singulis domibus proprios praelatos locales, qui commendatores appellantur, exceptis tantum ad regimen collegiorum electis, quibus rectorum nomen permittimus, et ad Barchinonensis conventus gubernium destinato, quem[1] prioris nomine[2] datura[3] ob causas cap. IV distinctionis sequentis[4] assignandas inviolabiliter gaudere decernimus. Illi autem omnes eligantur ut in distinctione superiori praediximus. Quocirca declaramus ea omnia intelligenda esse de provinciis veris ac formatis, non autem de congregationibus aut provinciis nominalibus, quae adhuc in veras provincias erectae non sunt; has enim infra sub speciali regimine constituimus.

II. Circa numerum graduatorum, quos singulis provinciis designabimus, similiter declaramus, quod omnis congregatio, donec talis extiterit et in veram provinciam non erigatur, nullam vim habeat ad graduatum aliquem postulandum; quae autem iam fuerit vera provincia, ita magistrorum et praesentatorum numeros in praedictâ distinctione VI praefixos, et conditiones ad eos ibidem appositas observari praecipimus, ut nullâ excogitabili ratione praefata liceat statuta transcendere, quamobrem taxatur capitulis provincialibus potestas exponendi atque etiam magistro confirmandi gradus sine conditionibus a constitutione ordinatis; et si aliter conferantur, ipso facto sint irriti, etiamsi provincia sit exigua, numerisque graduatorum cum statutis conditionibus non sufficiens.

III. Quod si in regionibus aliquibus, tractu temporis Ordinem propagari contingat, et fiat aliqua domorum aggregatio ab illis provinciis separata, quae non sit adhuc in veram provinciam erecta, sed tantum congregatio specialis, ut ea quam Ordo possidet in regionibus Maragnonis coronae Portugalliae, illam, quaecumque sit, si non habuerit aliunde specialem formam regiminis a Sede Apostolicâ indultam, veluti congregatio Parisiensis, ita constitui et gubernari praecipimus, ut ipsi videlicet magister Ordinis unum commissarium generalem praeficiat, cum eâ facultate ordinariâ

1 Edit. Main. legit *quam* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *nomen* (R. T.).
3 Vox *datura* praeter rem esse videtur (R. T.).
4 Potius lege *huius distinctionis* (R. T.).

aut delegatâ sibique semper subiectâ, quae visa fuerit expedire iuxta illius distantiam a se ipso.

IV. Commendatorum autem electionem, ac reliquas[1] cuiuscumque congregationis regimen spectantia, ita fieri constituimus, ut praedictus commissarius generalis de triennio in triennium per litteras convocatorias congreget capitulariter in conventu a se designato omnes commendatores aut praesides duce[2] congregationis ad sabbatum dominicae in *Cantate*, nisi alia fuerit constituta dies, iuxta qualitatem regionis, et in eorum capitulari coetu novi commendatores eligantur pro triennio immediate sequenti per suffragia secreta omnium vocalium; in quibus, si post tria scrutinia praemoniti, etiam in quarto non conveniant, in ipsum commissarium devolvantur electiones, sicut et in aliis per suffragia secreta ordinavimus; si qua vero statuenda videantur pro bono regimine congregationis mature ab omnibus decernantur, et unà cum electionibus praedictis totoque processu capituli et statu congregationis mittantur authentice ad magistrum, ut, quae viderit confirmanda, confirmet, et iuxta sibi relata ipsam dirigat, in meliusque promoveat.

V. In reliquis autem, quae praedictis non opponantur, eam regere studeat praefatus commissarius iuxta constitutiones nostras, potissime vero cultum litterarum pro viribus instituat, et ad disciplinas artium et theologiae dignos lectores postulet a magistro, seu eligat ex suis fratribus, quos idoneos habuerit, servatis per omnia, quae dist. VI circa institutionem lectorum stabilita reliquimus, ut subsidio litterarum in dies congregatio procedat in melius, et viris, qui eam promoveant, decoretur.

1 Aptius lege *reliqua* (R. T.).
2 Quid pro *duce* legendum nescio (R. T.).

VI. Quantum ad transitum de unà provincià in aliam, statuimus, ut, si hoc fiat per adoptionem fratrum, solus magister generalis et nullus alius praelatus etiam vicarius generalis totius Ordinis eam concedere valeat; quandocumque autem a magistro concedatur, semper consilium utriusque provincialis, a quo et ad quem, adhiberi praecipimus. Quod si transitus praedictus non sit ad permanentiam, sed ad tempus pro aliquo negotio gerendo, vel si alioquin fratrem aliquem extra suam provinciam transferre conveniat, non solum magister, sed etiam vicarii generales in suis respective provinciis illam poterunt ordinare et praebere licentiam sine praedicto concilio.

VII. Si quis autem frater sine facultate et authentico testimonio magistri, aut alicuius vicarii generalis (intra sibi delegatam iurisdictionem) in aliam provinciam quomodolibet transmigraverit, tamquam fugitivus tractetur a provinciali et commendatoribus illius, et ad provincialem suae provinciae remittatur.

VIII. Eàdem ratione statuimus, ut nullus frater suam provinciam deserens ad Romanam Curiam vel regiam aut regale pretorium quolibet praetextu se conferat, sine speciali mandato aut licentiâ in scriptis capituli generalis vel magistri, nec similiter in terram Saracenorum transeat absque praedictâ facultate etiam in scriptis magistri vel capituli generalis aut provincialis, ut suo loco praediximus. Qui autem secus attentaverit, tamquam fugitivum in virtute Spiritus Sancti corripiendum esse praecipimus, et a commendatore, qui eum sic indebite vagantem agnoverit, in compedibus detinendum, magistroque vel eius provinciali denuntiandum, ut ab eo puniatur iuxta qualitatem delicti.

IX. Praeterea omnibus provinciis sit

commune electionis privilegium, earumque capitula intra certum terminum praesentare magistro pro confirmatione obtinendâ, vel etiam vicariis generalibus ad eam facultatem habentibus. Si enim electio et capitulum provinciale celebretur in Hispania sine personali praesentiâ magistri, debet illi praesentari intra sexaginta dies, alioquin sit inanis et irrita, atque in ipsum devoluta magistrum, qui profecto illam confirmare tenetur si canonice fuerit celebrata, secundum iura et constitutiones huiusmodi, vel eius defectum ostendere.

x. Provincias autem Galliae et Italiae ad eamdem praesentationem magistro faciendam intra quatuor menses teneri decernimus, sub poenâ nullitatis et devolutionis praedictae, et eumdem pariter magistrum earum capitula et electiones debere confirmare aut infirmare, ut praedicitur. Congregationem autem Parisiensem, quantum ad suum capitulum et electionem vicarii generalis, eidem legi et praedictae confirmationi magistri et devolutioni subiicimus. Confirmationem vero provincialis Indiarum suis respective vicariis generalibus sub formâ superiori distinctione cap. IX praescriptâ committimus.

xi. Tandem universis et singulis provinciis duo sigilla conveniunt, quibus earum provinciales in suis litteris utantur, alterum parvum cum solo scuto et stemmatibus Ordinis pro rebus exiguis et communibus, alterum vero magnum cum eisdem stemmatibus in calce et aliquâ imagine alicuius de festivitatibus B. Virginis Mariae, vel, earum defectu, alicuius de Sanctis Ordinis in eius arcâ[1] praecipuâ, prout in capite sequenti ad unamquamque provinciam designabimus, cuius quidem signaculum patentibus officiorum aliisque litteris eiusdem ponderis apponatur.

**Caput II. De singulis provinciis specialibusque sigillis earum.**

I. In Hispaniarum regnis Castellae et Aragoniae, ubi primum fundatus extitit Ordo noster, quatuor sunt provinciae; quarum prima est Aragoniae constituta ex conventibus ipsius regni Aragonum et principatus Catalauniae, atque etiam regni Navarrae et Sardiniae, detractis conventibus Tarraconae et Dertusae ex Cataloniâ, et Turoli et Sarrion ex Aragoniâ, qui simul cum domibus regni Valentiae, Maioricae et Oran provinciam Valentiae constituunt.

II. Regnum Castellae dividitur in alias duas provincias sub nominibus Castellae et Vandaliae, quarum localis discussio[1] fiat et sit a flumine quod dicitur Luadiana, a quo quidem loca omnia versus Vandalium sita Bethicae provinciae subiaceant, quae vero a praedicto flumine versus Castellam tendunt, ad provinciam Castellae pertineant, cum iis pariter quae ad Gallaeciam, Cantabriamque, et regnum Legionis attinent, cum locis terrisque adiacentibus.

III. In regno Lusitaniae ex monasteriis quae Ordo possidet in Maragnione apud Indiam orientalem constituta est quaedam congregatio, et quasi viceprovincia sub uno commissario generali moderata; si qua vero alia in praedictâ India erigantur, ad eamdem congregationem et commissarii generalis moderationem spectare decernimus, donec domorum numerus ad formalem provinciam provinciasve erigendas sufficiat.

IV. Deinde regnum Galliae unam habet provinciam, quae Gallica nominatur, et unam congregationem ab eâ separatam, quae Parisiensis dicitur. Ex conventibus autem Romaniae regnorumque Neapolis et Siciliae, aliorumque locorum

1 Videtur legendum *areâ* (R. T.).

1 Forsan *distinctio* (R. T.).

adiacentium, provincia una consurgit, quae appellatur Italica.

v. Post provincias Europae sequuntur, quas Ordo habet in America; ubi primum incidimus in provinciâ S. Dominici; et procedentibus per terrarum tractus versus Occidentem, occurrit provincia de Mexico et Guatimalae, deinde Limensis et Cuzcuana; post eas vero Chilensis et Tucumana, et postrema Quitensis. Quibus iam omnibus commune regimen superius ordinavimus, et propria quibusdam in sequentibus statuemus. Si quae autem aliae domus vel coetus fratrum Ordinis alibi per totum orbem nunc aut pro tempore extiterint, ut in insulâ Hiberniae, directioni et providentiae magistri subiaceant.

vi. Quantum attinet ad sigilla, provincia[1] Aragoniae habeat pro stemmate imaginem Conceptionis Beatae Virginis Mariae matris ac fundatricis nostrae, in cuius honorem fuit Ordo noster ab ipsâ fundatus et erectus in civitate Barchinonae, et illius puritatis signum candenti habitu decoratus; in limbo autem praefati sigilli sit versiculus iste: *Tota pulchra es, amica mea.*

vii. Sigillum vero provinciae Castellae imaginem Assumptionis eiusdem Beatae Virginis contineat, cum hoc versiculo incisum: *Assumpta est Maria in caelum;* provincia Valentiae mysterium Purificationis eiusdem cum his verbis: *Lumen ad revelationem gentium;* provincia Vandalica eiusdem Praesentationem in templo cum hac inscriptione per gyrum: *Respexit Dominus humilitatem ancillae suae*; provinciae vero Galliae sit pro sigillo Nativitas cum hac litterâ: *Nativitas gloriosae Virginis Mariae*; Italiaeque provinciae Visitatio cum hoc versu: *Benedicta tu inter mulieres.*

viii. Ulterius provincia S. Dominici assumat imaginem S. Petri Paschasii, sic inscriptam[1]: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis;* provincia Mexicana Desponsationem Beatae Mariae sub his verbis: *Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph;* provincia Guatimalae effigiem S. Raymundi Nonnati, cum hoc versu: *Suscepisti me de utero matris meae;* provincia Limensis imaginem sancti patris nostri Petri Nolasco cum litterâ: *Maiorem charitatem nemo habet*; provincia Cuzcuana divi Petri Armengaudi effigiem hoc versiculo insculptam: *Suspendium elegit anima mea;* provincia Chilensis habeat pro signaculo Patrocinium B. Mariae, idest imaginem eius filios sui Ordinis sub pallio protegentis; littera vero: *Beata es Maria, patrona et mater nostra;* provincia Tucumana Expectationem eiusdem, cum isto versiculo: *Expectans expectavi Dominum;* et tandem provincia Quitensis imaginem ipsius B. Virginis Dolorosae, his verbis circumscriptam[2]: *Tuam ipsius animam gladius pertransivit.*

ix. De praedictis etiam congregationibus ordinamus, ut Parisiensis, quae est in Gallia, suscipiat in sigillum Annunciationem praedictae B. Virginis cum hoc versu: *Ave, gratia plena;* congregatio vero Maragnionis imaginem Sanctae Mariae ad Nives quasi apparentis in nubibus super collem rigentibus cum hac litterâ: *Candidiores Nazaraei eius nive.* Quae quidem signa, etiamsi in veras provincias erigantur, semper et ubique retineant. Universis vero praelatis stricte praecipimus, ut praefatis sigillis, prout unicuique provinciae seu congregationi statuuntur, in litteris publicisque instrumentis obsignandis utantur.

x. Declaramus autem quod per hunc

1 Edit. Main. legit *provinciae* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *inscriptum* (R. T.).
2 Edit. Main legit *circumscriptum* (R. T.).

ordinem litterae, quo praedictas provincias nominavimus, non intendimus ipsis derogare suum proprium locum et sedem, vel iura antiquitatis earum violare, sed ea omnia illaesa relinquere, incolumi similiter consistente iure ac possessione praecedentiae, qua Vandaliae provincia fruitur respectu provinciarum Indiarum et primaevis suae institutionis decretis.

Caput III. De speciali regimine aliquarum provinciarum.

I. Quoniam in Ordine nostro sunt aliquae provinciae vel congregationes[1], quae in aliquibus specialiter gubernantur, expedit quidem ad earum regimen certis quoque et perpetuis legibus in nostris constitutionibus concludamus.

II. Primo enim provincia Aragoniae cum plura regna contineat, electionem provincialis in eâ per alternationem perpetuam fieri constituimus, id quod antehac servatum est, ita videlicet ut uno triennio sit provincialis ex Cataloniâ vel Sardiniâ, in sequenti vero immediate ex regno Aragoniae sive Navarrae eligatur, dummodo reperiantur personae cum meritis ad tale officium a constitutione praefixis.

III. Praedicta autem alternativa debet accipi non penes originem et filiationem saeculi et naturalem, sed iuxta filiationem conventus in quo patuit ingressus in Ordinem, ita quidem ut qui habitum suscepit in conventibus Aragoniae vel Navarrae, poterit esse provincialis in Aragoniae alternativâ, etiamsi natione sit ex Cataloniâ vel Sardiniâ, sive e converso.

IV. Rursus, ut omnis occasio praeiudicii cuicumque parti penitus evellatur, decernimus et declaramus quod nemini faveat adoptio seu nova filiatio in conventibus alicuius partis, ut illius alternativâ gaudere valeat, sed semper pensari debet secundum filiationem ex reali habitus susceptione in conventibus alternativae concurrentis.

V. Circa definitores vero provinciae quos praefatum elegit Aragoniae capitulum, decernimus ut una saltem definitio semper tribuatur alicui ex patribus principatus Cataloniae. Cum autem provincia nonnullos habeat conventus ultra mare in insulâ Sardiniae, quos facile provincialis gubernare et proxime suis necessitatibus occurrere casibusque emergentibus providere non sufficit, propterea constituimus ut dictus provincialis eò dirigat unum fratrem idoneum, qui sit commissarius provincialis in praedictâ insulâ, cum litteris et sufficienti potestate instructus ad libitum, ut domos eius gubernare valeat.

VI. Quantum ad provincias Castellae et Vandaliae, decernimus etiam et ordinamus, quod, licet in duas sint revera divisae, collegia tamen Complutense et Salmanticense, in provinciâ Castellae contenta, debeant esse utriusque provinciae communia, ita videlicet ut collegium Complutense tres fratres ex provinciâ Vandaliâ, quinque vero Salmanticense in collegas admittere et alere teneantur; quod si ultra praefatos numeros alii mittantur ad illa, eos non teneantur sustentare collegia, sed propriis expensis alantur. Hos tamen omnes provincialis Castellae poterit ab uno collegio traducere in aliud, vel etiam ab studio repellere, si expedire iudicaverit, et provincialis Baeticae, ad quem pro utroque collegio huiusmodi pertinet designatio, in eorum locum alios subrogare: quoscumque autem fratres haec duo collegia undecumque in collegas susceperint, denuo per annum[1] fratrem a praedictis respective collegiis deputatum probandos esse de genere denunciamus,

[1] Edit. Main. legit *congregatio* (R. T.).

[1] Videtur legend. *alium* pro *annum* (R. T.)

iuxta bullas SS. Pii IV utriusque collegio respective concessas.

vii. Ulterius in regno Galliae congregatio, quae dicitur Parisiensis, erecta auctoritate apostolicâ, donec in provinciam evadat, sub illis legibus conservandam esse decernimus, quas illi Sedes eadem Apostolica ordinaverit; in reliquis autem, huiusmodi constitutionibus omnino subiaceat.

viii. Adhuc provinciam Italiae, quae utcumque de fratribus naturalibus et non paucis de Hispaniâ constituitur, sic in electionibus provincialis moderandam esse decernimus, quod videlicet in eâ servetur omnino decretum SS. Pauli V, datum Romae apud S. Mariam Maiorem die xii iunii mdcxix, pontificatus sui anno xv, in quo praecipitur ut praedicta electio provincialis praefatae provinciae iure alternationis constituatur inter praedictos fratres Hispanos ex unâ parte, et reliquos fratres Italos ex alterâ, secundum consuetudinem haetenus in eâ servatam, ita nempe ut ad fruendum praedictâ alternativâ sufficiat Hispanis fratribus adoptio per quinquennium integrum in eâ provinciâ a solo magistro generali concessa. Illos autem quos eò magister ipse non miserit, perpetuo ab universis eiusdem provinciae honoribus abdicamus, etiam si aliunde praefato adoptionis tempore gaudeant.

ix. Parem vicissitudinem inter praedictos observari praecipimus quantum ad electiones definitorum et electorum generalium, ita videlicet ut semper in capitulis quaelibet pars et alternativa unum ex se definitorem atque electorem generalem sortiatur; quam etiam divisionem et sortem inter ipsos pro definitoribus provinciae statuimus, servatâ tamen etiam ad haec officia praefatâ conditione adoptionis. Commendatores autem S. Ursulae Neapolis et S. Annae Panormi semper eligi debent de Hispanis, quibus domus consignatae sunt. Commendator vero Romae secundum consuetudinem eligatur.

x. Et quoniam apud Indias Occidentales in provinciâ Quitensi quantum ad provincialis officium similis viget alternandi consuetudo inter Hispanos scilicet et eius regionis indigenas ab ipsâ Hispaniâ oriundos; idcirco pariter constituimus, ut praedicta alternatio intelligenda sit quatenus ex utrâque parte suppetat vir habilis iuxta constitutiones nostras ad provincialatum praedictum; et, quantum ad Hispanos, quod similiter praecedat quinque annorum adoptio, statuimus, et nunc denuo declaramus de universis honoribus et dignitatibus ab huiusmodi fratribus Hispanis in praedictâ et reliquis Indiarum provinciis impetrandis.

xi. De omnibus insuper provinciis Indiarum, quantum ad vocales inde ad generale capitulum accedentes, firmiter constituimus, ut, quia longa et vastissima sunt ab illis regionibus itinera, tam provinciales quam definitores et electores generales earum provinciarum, etiam expleto suae electionis triennio, per unum amplius annum suâ gaudere voce in capitulo, modo non superveniat in eâdem voce successor in sequenti immediato post electionem praedictorum electus. Quae omnia, ut sine litibus eveniant, fidelibus instrumentis de tempore electionis eorum esse comprobanda praecipimus, iuxta decretum capituli generali Catalaunibus a Clemente VIII confirmatum, die viii novembris mdxciv.

Caput IV. De speciali regimine domus nostrae Barchinonensis quantum ad electionem prioris.

i. Cum nostra domus Barchinonensis sit profecto totius Ordinis caput, in qua revera processerunt illius initia; idcirco, hanc eius antiquitatem et dignitatem attendentes, atque pristinam eius consuetudinem perpetuo observari deside-

rantes, praesenti constitutione irrevocabiliter stabilimus, ut praelatus praefatae domus non commendator, sed prior sit appellandus, cuius electio per fratres eiusdem domus canonice debeat celebrari per vota secreta et iuxta formam Concilii Tridentini; sic autem electus prior suo munere per triennium et non amplius utatur, quod quidem semper computari volumus secundum annos naturales et integros ab ipsâ die electionis, nisi in casibus specialibus inferius assignandis.

II. In illa vero vocem habeant omnes conventuales praedicti conventus Barchinonensis, dum tamen sint sacris initiati, et quatuor annos a professione antiqui, atque etiam praefata conventualitas in ipsâ domo sit saltem unius mensis proximo[1], antequam prioratus per mortem aut aliâ qualibet causâ vacaverit.

III. Decernimus autem et ordinamus praedictos fratres conventuales, prioratu vacante, vocem electivam habentes, non debere tantum esse filios eiusdem domus Barchinonensis, sed sufficere conventualitatem praedictam cum conditionibus declaratis, ut in eâ electione suffragari valeant, sive fuerint filii eiusdem domus, sive filii et habitatores assignati in totâ provinciâ Aragoniae.

IV. Praedicti ergo fratres, sicut praemittitur, ad eligendum idonei, eligant et constituant in priorem ex se aut ex aliis domibus totius provinciae Aragoniae, qui sit religione, moribus et doctrinâ ita praecellens, ut non solum praedictam domum, sed totum etiam Ordinem suo tempore et casibus gubernare sufficiat; pro quo statuimus ut vel magister de numero provinciae existat, vel saltem praesentatus, etiam de numero et lecturâ in eâdem provinciâ; et electio secus facta sit irrita.

1 Corrigat, si opus sit, lector scius (R. T.).

V. In huiusmodi electione, si adsit magister Ordinis vel provincialis vel eius vicarius, semper alter eorum, qui fuerit inventus, praesideat et suffragium habeat in illâ[1]; quod si uterque concurrat, praesidentia deferatur magistro, si eam non malit provinciali relinquere; si uterque vero sit absens, praesidere debeat superior seu vicarius eiusdem conventus, vel, eius defectu, frater ex totâ communitate professione antiquior. Statuimus autem, quod electio dicti prioris ad illos tantum ex praefatis electoribus attineat, qui personaliter fuerint praesentes in illâ, sicuti fit in electione magistri; quod si quis maiorem partem medietate eligentium habuerit, ille sit et reputetur tamquam prior electus. Hanc autem electionem facere teneatur praefatus conventus intra unum mensem a vacatione prioratus. Quo elapso, si adhuc non elegerit, tunc magister Ordinis, iure ad se devoluto, de priore provideat.

VI. Factam iam prioris electionem statim magistro Ordinis explorandam confirmandamque mitti decernimus. Unde conventus confirmationem postulans, numerum pariter et nomina omnium vocalium, et simul quot eorum suffragia electus habuerit, per authenticum testimonium referat eidem magistro.

VII. Exinde prior electus, consultis patribus a consilio, superiorem seu vicarium sine morâ constituat, qui possit corripere delinquentes, curamque conventus et fratrum sollicite gerat, secundum quod ipse prior illum instruxerit et permiserit.

VIII. Officium praedicti prioratus ita praecellit in Ordine, ut, vacante sede magistri, semper sit primus ad successionem et substitutionem vocatus, modo et formâ iam alibi constitutis, ubi et de plenitudine suae potestatis, et cuiuslibet alterius qui potest esse vel fuerit vica

rius generalis, satis superque decrevimus, unde per dictum[1] officium nullo modo vacare permittimus durante spatio ac tempore vicariatus generalis, etiamsi triennium talis prioratus expleatur. Tunc ergo, quia in ipso capitulo generali etiam post factam electionem magistri adhuc prior Barchinonensis (sive sit vicarius generalis sive non) vocem et locum possidet usque ad finem capituli, propterea constituimus ut praefatus mensis, intra quem dicti conventuales priorem eligere tenentur, excurrere non incipiat nisi a die authenticae notitiae consummationis capituli ab eius secretario attestante.

IX. Cum autem prior Barchinonensis praedictus iure constitutionis, vacante sede magistri ante expletum sexennium, in officio vicarii generalis totius Ordinis cum plenâ iurisdictione succedat, decernimus et statuimus, ut, si, quando dictum vicariatum adierit, fuerit solum praesentatus, ipso facto propter dignitatem officii supremique totius Ordinis magisterii in quo succedit, magister habeatur, sit et nominetur, modo lecturae curricula, a constitutionibus ordinata pro simili gradu, cum approbatione definitorii suae provinciae iam confecerit.

X. Antiquitas autem huius magisterii ut certum ubique locum obtineat, inter magistros suae provinciae computari debet a die qua vicariatum generalem assumpsit; si vero magister de numero suae provinciae prius extiterit, exemptionibus provincialis (perinde ac si esset functus praefato munere) gaudeat cum praecedentiâ ad exteros[2] magistros suae provinciae, et loco immediato post eos qui provinciales fuerint et postmodum futuri sunt; inter illum autem et exprocuratores generales Romanae Curiae servetur ordo, quem infra in cap. XIX *De ordine sedendi* statuimus.

Caput V. De visitatione provinciarum earumque domorum.

I. Cum magister Ordinis intra tempus sui regiminis teneatur, per se vel per alium, totum Ordinem visitare, et provincialis itidem bis totam provinciam in suo triennio, aut quoties compellatus fuerit specialiter a fratribus vel postulet rerum eventus; non importunam[1] ducimus formam visitationis ab ipsis vel suis visitatoribus faciendae iuris et aequitatis legibus instituere.

II. Primo enim magister ingrediens visitare alicuius provinciae domos, debet simul visitationem provincialis aggredi, unde, si antequam accedat ad domum capitalem provinciae, ubi provincialis adest, aliquas occurrentes domos in viâ visitare oporteat, in ipsis etiam de regimine et reliquis ad provincialem spectantibus disquirere incipiat secundum formam inferius tradendam.

III. Insuper a provinciali de fratrum moribus debet inquirere, ac fratres ipsos in singulis domibus interrogari si quid emendatione dignum habeant circa bonum utilitatemque provinciae revelandum. De quibus omnibus eius communem visitationem simul et particulares domorum peragat et concludat.

IV. Si visitationes istas non per se magister adimpleat, debet semper eum visitatorem eligere qui sit aetate, litteris, religione ac moribus approbatus, cui auctoritatem suam in scriptis conferat, quatenus ad omnia praedicta gerenda sibi expedire videatur. Is insuper debet esse zelo, prudentiâ et benignitate praeditus, verumtamen qui potens sit irrumpere iniquitatem, ne vel fortitudine nimis terreat, vel victus suavitate non adeat[2]; quae omnia similiter provinciali vicariove provinciali subiun-

1 Forsan *praedictum* pro *per dictum* (R. T.).
2 Videtur legendum *ceteros* (R. T.).

1 Potius lege *importunum* (R. T.).
2 Videtur legendum *audeat* (R. T.).

gimus. Visitator autem institutus semper sibi eligat unum fratrem in secretarium, qui de omnibus visitationis actibus fidem reddat, iuramentum secreti et fidelitatis ipsi prius visitatori perhibeat.

v. Cum vero praelatus aut visitator ab eo missus domum visitandam ingreditur, debet suscipi, iterantibus exhibenda[1] prout inferius cap. XVIII praecipitur. Susceptus autem statim visitationem incipiat, nisi ita sit longo itinere vexatus, ut aliquâ prius requie levari oporteat. Visitator missus tribus tantum diebus requiescere poterit, quibus tractetur ut hospes; iis vero elapsis, sine morâ visitationem inchoët, a cuius initio ad finem usque dumtaxat sit vere praelatus, vicesque et locum sui principalis obtineat in eâ tantum domo quam visitat, cum potestate tamen extra illam, quantum ad incidentia quae eamdem visitationem respiciant: qua finitâ et conclusâ, si in eâ domo forsitan immoretur, habeatur hospes, sitque provinciali et praelato locali subiectus. Visitationem autem in domibus exiguis et modicis semper quatuor praecise diebus continuis peragat et concludat in magnis vero duos amplius, vel quatuor dies adiicimus; quos praeterire non liceat.

vi. Si vero delicta aliqua ex visitatione prodierint quae processu iudiciali indigeant, et intra dictos quatuor aut octo dies concludi non valeant, tunc in provinciis Europae suo principali, a quo fuerit nominatus, relinquat; in provinciis vero Hispaniae, a quocumque fuerit missus visitator, semper provinciali deferat praedictas[2] causas, ut eas prosequatur et finiat, ne si vicario generali aut magistro, a quorum altero nominatus fuerit, reserventur, ipsis noceat distantia locorum.

1 Forsan *itinerantibus exhibendo* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *per dictas* (R. T.).

vii. Ipsi tamen praelato visitanti ubique consulimus, ut, quantum negotia sustineant, praefixos etiam terminos in visitationibus non praetereat, ne domus per moram gravetur, vel suspicionibus intestini mali eius fama laedatur. Quod si visitatio non fiat de officio et more, sed sit irregularis, et ex peculiari causâ emergenti, etsi eam quoque quamcitius desideremus absolvi, nullam[1] tamen dierum metam circumscribimus.

viii. Si commendator suae domui, visitationis tempore, non adfuerit, visitatio nihilominus eo non expectato fiat, et visitator aut praelatus ad omnia praedicta et inferius insuper dicenda procedat. Si quid autem de commendatore agnoverit emendatione dignum, de iustâ correptione provideat iuxta constitutiones nostras, et prout domus necessitas postulet. Si vero pro aliquo testimonio necesse fuerit absentem aliquem fratrem vocare vel citare, id praestare poterit visitator nominatus in omni visitatione, sub excommunicatione et praecepto.

ix. Visitator itaque ingressus monasterium, pace fratribus oblatâ, et congregato capitulo, si praelatus non fuerit, litteras visitationis ostendat, legique faciat coram capitulo; quibus lectis et evulgatis, atque illi praestitâ visitandorum obedientiâ, dicat: *Benedicite, fratres, etc.*: commendationem deinde pro vivis et defunctis instituat, ut habetur in principio capituli quotidiani. Postea vero piam et religiosam exhortationem fratribus habeat secundum eorum qualitatem et circumstantias domus, et moneat primo, secundo et tertio, in virtute Spiritus Sancti, et sub obedientiae praecepto, ac sententiâ excommunicationis, ut omnes et singuli, odio et amore post-

1 Edit. Main. legit *nulla* (R. T.).

positis, sibi clare et distincte manifestent ea omnia, quae in communitate, aliquove individuo, emendatione, correctione seu punitione digna repererint, et maxime quidquid in observantiae ruinam, religionis sive fratrum perniciem fuerit perpetratum, si quas rixas aut dissidia, si qua scandala vel crimina, et si qua alia ex iis, de quibus in scrutinio inferius declarando interrogabuntur, tam in capite quam in membris agnoverint, cunctaque absque dubio fratres singuli, cuiuscumque gradus et conditionis extiterint, ei aperte declarare debeant, ut illis, in iudicio vel extra, congruam inferat medicinam.

x. Ut autem fratres nihil de sibi revelandis occultent, in hoc primo capitulo iisdem exponat, quantum illos censura et iuramentum adstringant, quibus omnia sibi nota ac remedio digna manifestare promittunt; ibi enim adiuret eos per viscera Iesu Christi, quod bonum Ordinis et fratrum in iustitiâ et veritate diligant, quod salutis eorum boni aemulatores existant, quodque, medico ipsorum vetera vel putrescentia vulnera celantes, eorum patroni crudeles amicique pestiferi non fiant; super hoc enim sit tota vel praecipua capituli ac sermonis materia, quo de ipsorum manibus exquirendum esse protestetur sanguinem eius, qui suo silentio perierit. Ilos maxime securos reddat de secreto a se fideliter exacteque servando in omnibus quae sibi quomodolibet revelaverint, prout in conscientiâ tenetur et inferius enixe praecipitur.

xi. In praedicto deinde capitulo tam praelatus quam visitator omnes confessarios publice et ex officio suspendat, praeter graduatos, donec novo examine comprobatos restituat, seu a ministerio revertat. Ceterum si graduatum aliquem a sufficientiâ vel discretione aliisque pro munere requisitis defluxisse cognoverit, prudenter et privatim similiter suspendat, donec denuo examinatum approbet vel removeat.

xii. Postea vero intra vel extra celebrationem missae albâ et pluviali indutus, et cum cereis accensis, et thuribulo, secundum formam ritualis Ordinis, visitet sacramentum Eucharistiae, an sit in loco pie, religiose et ritualiter parato et instructo, et quo tempore renovari soleat. Videat insuper et recenseat an reliquiae et oleum infirmorum decenti cultu et custodiâ serventur. Deinde an sacra indumenta pro necessitate sufficiant, an apta et munda sint; et quae reparanda, quae sint addenda praecipiat.

xiii. Post haec autem in secreto loco solus a singulis fratribus accipiat iuramentum, quod vera proferent ad ea, de quibus interrogati fuerint ab ipso, omni odio et amore posthabitis; eoque sic praestito, procedat ad inquirendum in genere de statu domus, de famâ, vitâ et honestate praelati et subditorum eius secundum instructionem inferius proponendam, singulaque in emendationem respective inducat, prout sibi declarata ac probata fuerint, et iustitiae vel charitati conveniat. Delicta vero tam commendatorum quam fratrum visitet, corrigat et emendet, quocumque tempore perpetrata sint, si punita et emendata non fuerint.

xiv. Post visitationem rerum ecclesiae, visitari debent omnes libri rationales, et inventaria conventus, videlicet liber missarum, et reliqui omnes dati et accepti, inventarium sacristiae, infirmariae, bibliothecae, omniumque utensilium, quae sunt in cellulis fratrum, cum tabulâ defunctorum provinciae. Deinde vero libros redemptionis suscipiat, quos diligentius et accuratius (ut institutum

postulat) severissimo examine perpendat, et si quid in illis inveniat extra constitutiones huiusmodi commissum, absque ullà misericordià corripiat. Si procuratores autem praedictae redemptionis tepidos et negligentes invenerit in huiusmodi charitatis officio, puniat vel amoveat, secundum qualitatem delicti. Commendatores etiam, iuxta constitutiones nostras, in hac vel alià culpà deprehensos, poterit visitator suspendere, convictosque privare, ac praesidem pro illis substituere, donec praelatus superior de domo illà provideat. Super praedictâ autem commendatoris suspensione declaramus eam posse praelatum aut visitatorem aliquando facere absque eo quod causam vel rationem exhibeat.

xv. Similiter si vicarium, si procuratorem conventus aut sacristam dignos depositione vel remotione probaverit, eos a suis muneribus depellat, atque alios a commendatore subrogari constituat. Si vero depositarium huiusmodi privatione afficiat, eius nominationem conventui relinquat. Magistrum autem novitiorum, si fuerit a se depositus, provinciali noviter eligendum deferat.

xvi. Ad provincialem denique, sive eius visitatorem, pertinet in ipso actu visitationis informationem de lectoribus per se ipsos immediate suscipere, itaut in scrutinio secreto fiat omnino certior de illorum negligentià et defectibus, vel de sollicitudine in proficiendo et docendo, de quibus etiam, iuxta superius dist. vi cap. vi ordinata, publice testimonium debet accipere a maiori parte conventus, de peractisque curriculis iuridicam informationem suscipere, ut suo tempore exhibeatur definitorio capituli. Ex his ergo, et secundum ea quae legitimà probatione deprehenderit, debet eos laudare vel corripere, aut etiam (si visitationem faciat praelatus) ipse solus lecturâ privare, quos a primâ sufficientià noverit excidisse.

xvii. In mutationibus fratrum, si plures amoveri expediat, non omnes dispergat simul, sed, transactà visitatione, sensim singulatimque, ne scandalum fiat in populo.

xviii. Factà ergo visitatione, atque omnibus eius actis scripto mandatis, fiant a visitatore decreta, quae sibi visa fuerint expedire, prout domus status regularisque observantiae postulet custodia, et sic omnia scripta permaneant, et[1], ubicumque opus fuerit, in definitorio aut capitulo, fidem faciant. Statuta vero, congregato a visitatore capitulo, inibi legantur, brevique fratres oratione ad eorum observantiam aut totius vitae regularis inviolatam integritatem hortetur; postea omnes se prosternant, et dicant *Confiteor Deo, etc.;* stans autem visitator adiiciat: *Misereatur vestri, etc.*, *Indulgentiam, etc.* « Et ego, auctoritate Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et auctoritate mihi commissà, absolvo vos ab omni vinculo irregularitatis, suspensionis, excommunicationis latae ab homine vel a iure (si indigetis), et ab omnibus transgressionibus, excessibus, omissionibus regulae et constitutionum nostrarum, quantum ego possum; et quod non possum, suppleat et perficiat omnipotens sacerdos et summus pontifex dominus Iesus Christus; et iniungo vobis in poenitentiam omnium peccatorum vestrorum quidquid boni feceritis et specialiter iugum obedientiae ac regularis observantiae disciplinam. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen ». Et sic concluditur et solvitur visitatio.

xix. Tempore visitationis praelatus semper aut visitator cum fratribus in refectorio comedat de communi victu,

1 Forsan *ut* pro *et* legendum (R. T.).

neque singularia sibi fercula parari sustineat, qua de re illius conscientiam oneramus, ne visitatio, quae mederi debet excessibus, eos inducat potius quam cohibeat.

xx. Praelato vel visitatori provideat conventus necessaria pro impensis itineris usque ad monasterium proxime visitandum: semper vero religiose et honeste praelatus aut visitator incedant cum uno fratre socio, et servis, et animalibus necessariis, ne domus dilapidentur a visitatoribus.

Caput VI. De interrogationibus a visitatore in inquisitione et scrutinio secreto faciendis.

i. Ingresso visitatore scrutinium, et a singulis fratribus praestito iuramento, ut praedicitur, illud in hanc formam incipiat: An scilicet praelatus frequenter absit a divino officio et oratione mentali; an de illis ita sit negligens ut aliquando non ritualiter ac devote compleantur, neque temporibus a constitutione dispositis; an residentiam chori fratribus persaepe dispenset, eamve curare praetermittat; an circa ecclesiam et missarum celebrationem, secundum omnia conventus et Ordinis onera, curam adhibeat; an lampades SS. Sacramenti iugiter ardere non studeat, aut super hoc negligentiam sacristae non severe corripiat.

ii. Insuper an redemptionis instituto et eleemosynarum collectae minus diligenter intendat; an ea et universae redemptionis bona fideliter custodiat et tractet, et a fratribus eadem procurantibus similiter tractari faciat.

iii. An saepius refectorio non intersit, aut fratres pro viribus interesse non faciat; an illis super hoc nimis indulgeat, aut ieiuniorum Ordinis violationi consentiat; an eorum depravatos mores non coërceat, illisque in observantiâ regulari laxa fraena dimittat; an ab ipsis munera accipiat; an fiat personarum acceptor, seu lenior in poenis et observantiae custodiâ; quod etiam potissime interrogabit visitator generalis de provinciali aliisque praelatis Ordinis; et quos donorum receptores sive acceptatores personarum invenerit (et maxime ab illis, quos provincialis in officio vel commendâ suffecerit) propriis deponat officiis, et publicis quoque poenitentiis vindictam sumat de foeditate criminis, ut illis in correctionem, reliquis vero fratribus proveniat in exemplum.

iv. Ulterius inquirat de commendatore, an quotidiana capitula habere, fratresque assiduo corrigere praetermittat; an benigne et comiter, vel durius quam expedit, cum fratribus se gerat; an erga infirmos debitum charitatis exsolvat, vel omnibus postulatus necessaria dispenset; an erga singulos aeque affectus appareat, aut divisiones foveat, quas imo tenetur extinguere; an circa bona conventûs infidelis, negligens aut dissipator existat; an illi census, possessiones, atque eorum instrumenta sint curae; an singulis septimanis computus et rationes faciat. De praedictis ergo praecipue non debet erga commendatores interrogatio dimitti. Poterit tamen visitator plura alia, quae ad eos pertinent, inquirere, prout opportune et congruenter expediat; libros quoque dati et accepti, et quaecumque rationalia et inventaria conventus, etiamsi alioquin visitata, denuo perscrutari, in examenque et inquisitionem revocare valeat.

v. De vicario autem interrogabit: An choro frequenter intersit; an inter ipsum et commendatorem mutua sit intelligentia, quae conventus paci noceat, eosdemque fratribus reddat de aliquâ in eos aut domum infidelitate suspectos; an divinum officium statutis temporibus et devote quotidie celebrandum curet; an in designandis officiis per

tabulam sabbati sit personarum acceptor; an sit de infirmis sollicitus, et alia id genus, quae visitatori opportuna videantur.

vi. De insuper sacristâ, procuratoribus, depositariis, ceterisque ministris et officialibus interroget an sua munera religiose et diligenter exerceant. Item de praedicatoribus et confessariis, an suis ministeriis sufficiant ad profectum, eaque laudabiliter, an vero indigne et cum dedecore compleant.

vii. Adhuc de lectoribus et studentibus, eorumque magistro et regente studiorum inquirat, qua sollicitudine et utilitate suo quisque muneri incumbat; an regens studia moderetur cum zelo, disciplinâ, vel protervius, aut nimis iustus in munere discordias cum praelato sustineat; an lectores saepe a lecturâ deficiant, an in aliquo a doctrinâ divi Thomae discedant, vel sint novitatis amatores; an singulis diebus non feriatis conferentiae, statisque temporibus conclusiones habeantur.

viii. An[1] conventibus novitiatuum de ipsis novitiis et eorum piâ disciplinâ diligentissime inquirat; an videlicet magister ipsorum illis instituendis verbo et exemplo invigilet; an sint in regulâ et constitutionibus, cantu, ritibus, caeremoniis et arte[2] recitandi satis instructi; an capacitate, sufficientiâ et moribus polleant, quibus ad professionem indigent: si quos autem in huiusmodi deficere inveniat, moneat commendatorem, eorumque magistrum, ut ipsos diligentius instituant, et, si adhibitâ omni curâ melioris frugis et sufficientiae non evadant, eos ab Ordine dimittant.

ix. Circa fratres laicos inquirat etiam specialiter de illorum institutione in catechismo, de observantiis Ordinis, de frequentiâ sacramentorum, de vitae honestate et bonâ conversatione illorum.

x. Circa fratres autem in communi, ita ex praelato et subditis de sequentibus interroget, an aliqui suspecti sint de horis non recitandis, de non confitendo frequenter et temporibus a constitutione designatis, de indevote celebrando, et si quis forte non iustâ de causâ missae celebrationem omittat.

xi. Circa vota vero, an aliqui utantur superfluitate in vestibus, aut non servent uniformitatem, tam in materiâ quam in colore vel formâ; an habeant aliqua utensilia vel dona suscepta, aut peculia praelatorum libito et voluntati non exposita; an sint suspecti de aliquâ familiaritate inhonestâ, vel impurâ sermonum consuetudine; an sine licentiâ cum mulieribus quandoque tractatus habeant; an omnes debitam superiori reverentiam exhibeant; an humiliter ferant eius increpationes et monita; an aliqua bona redemptionis laeserint, vel ea tractantes negligenter aut cum infidelitate procedant.

xii. Circa constitutiones et regulam percontetur, si quis eas contemnat; si quis pro consuetudine frangat; si ieiunia Ordinis, cum valeat, non observet; si quis silentium horis statutis habere despiciat; si quis a choro saepius, aut refectorio, aliisque communibus actibus absit.

xiii. Insuper, an inter commendatorem et fratres sit religiosa concordia; an sese omnes vero charitatis foedere diligant; inter quos si qua dissidia aut partes invenerit, sollicite radicem inquirat et evellat, auctoresque discordiae cum severitate corripiat; an alii alios decipiant, et non debito se invicem honore praeveniant; an mutuis se detractionibus devorent; an (quod absit) species aliqua ludi a iure et constitutione

1 Videtur legendum *In* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *arti* (R. T.).

nostrâ prohibita inter fratres serpat, aut vigeat, vel maxime cum saecularibus, aut coram illis exerceant; an scandalum aliud commiserint; an contra praelatos Ecclesiae vel statum politicum privatim aut publice concionando aliquid indiscrete protulerint.

XIV. Tandem in hospitiis et exiguis conventibus inquirat, an divinum officium quotidie celebretur, et potissime in locis ubi sanctissimum sacramentum asservatur, et illud recitari statuat coram ipso, si nondum invenerit institutum. Illis etiam ordinem vitae regularis praescribat, vel iam praescriptum[1] discutiat et confirmet, prout iudicaverit opportunum.

Caput VII. De observandis in praedicto scrutinio a visitatore et fratribus.

I. De praefatis omnibus et aliis, si pro opportunitate opus fuerit, debet visitator inquirere ex officio et in genere; verum, ne ipse in iis et potissime fratres iura charitatis aut iustitiae praetereant, ipsi visitatori praecipimus ut in hac generali inquisitione caveat omnino laedere famam conventus aut subditorum, inquirendo specialiter de personâ aut delicto nisi fuerit de aliquâ vel aliquo instructus, tam intra quam extra scrutinium praefatum, ut secundum iura charitatis et iustitiae specialis inquisitio fieri queat; eo videlicet fine, ut, peracto scrutinio, ex eo deliberare possit, quae secreto, ut patet, quae domestice et plane, quae vero in iudicio ad vindictam publicam corrigere expediat et liceat, ne de singulis processus cum strepitu iudicialique morâ consurgat. In reliquis vero, de quibus non est infamia aut suspicio, semper inquirat in genere iuxta interrogatoria praemissa, quae etsi personas munerum et officiorum videantur attingere, non est ideo particularis inquisitio, cum fiat generaliter ex solâ constitutione et officio.

II. Quaecumque autem sibi revelentur, debet ipse solus sine secretario conscribere, qui tantum postea vocandus est pro his quae sint tractanda in iudicio. Ipsi vero visitatori praecipimus in virtute Spiritus Sancti, ne quidquam, de sibi revelatis in praedictâ inquisitione generali, directe vel indirecte cuiquam aperiat. Quod si ex ipsis possit iam satis iuste procedere ad inquisitionem specialem, semper eam faciat suppressis nominibus delatorum, donec illi in iudicio se ipsos manifestent, ac detegi oporteat, prout consuetudo aut praxis et facultas regularium causaque postulaverit.

III. Circa praedicta verò legitime interroganda, universis fratribus declaramus teneri ad visitatoris mentem respondere, et nihil tegere posse, aut quavis arte celare[1] veritatem de his quae remedio indigeant ac veniant revelanda de iure; unde crimina iam publica, unâ cum eorum auctoribus publice diffamatis, etiam sine praeviâ correctione fraternâ, sunt ab ipsis manifestanda absque dubio sub poenâ periurii, ut publico scandalo fiat satis. Quae autem sunt occulta, si tamen vergant in commune damnum, aut tertii, quod superet famam ipsius delinquentis, etiam sine dictâ correctione manifestari debent, nisi certo sciant solam correctionem fraternam ad criminis emendationem non[2] sufficere; si vero tantum redundent in damnum ipsius peccantis, similiter nota fiant praelato, praemissâ correctione fraternâ.

IV. Quocirca hanc regulam fratribus observari praecipimus, quod in omnibus delictis, sive debeat praeire correctio evangelica sive non, si tamen aliquando possunt ea licite manifestare praelato tamquam patri vel iudici, nullâ ratione

1 Edit. Main. legit *praescriptam* (R. T.).

1 Coniunct. *et* delemus (R. T.).
2 Particula *non* delenda (R. T.).

praetermittant, neque illa sinant in fratribus obscurari, aut eos sine medico et medelâ perire propter modicum ruborem et dolorem famae apud illum; malint enim vulnera eorum et ulcus praelati discretae providentiae cum fiduciâ subiicere, quam eadem occulte putrescere; praelatus vero in omnibus ad se delatis ita prudenter se gerat, ut nunquam temere et inconsulto crimina subrogat[1], sed ea respective medenda suscipiat paterne vel iudicialiter, secundum quod de iure et charitate magis congruat emendationi delinquentis. Eam tamen regulam sibi observandam statuat, ut secreta secreto, publica publice corrigantur, et coram pluribus aut paucioribus, secundum gradum diffamationis delicti.

v. Quaecumque autem deferenda sint iudicialiter, semper de illis debet praecedere diffamatio et suspicio, quae de iure ad delationem sufficiat. Si reus iam fuerit alioquin emendatus in casibus ita occultis, et ex illis scandalum et vindictae publicae satisfaciendi necessitas non emergat, omnino celandus est iudici. Si autem sine scandalo offendat, et fraterna correctio non prosit, vel quis eam facere non audeat, evangelicam tantum denunciationem adhibeat, ut paterne et sine strepitu corripiatur. Quae iam fuerint punita aut correcta, nec paterne nec iudicialiter denuncientur praelato, nisi morale immineat relabendi periculum; cum ipsi aliquid manifestaverint, debent etiam declarare omnia, quae illum iuvare possint ad convincendum delinquentem; ex audito nihil proferant, nisi simul referant a quo vel quibus audiverint.

vi. Factâ itaque inquisitione generali, agere debet visitator secundum quod ex illâ deprehenderit, quae enim ut pater agnoverit, paterne corripienda suscipiat, et si per amotionem a loco aut alia media suavia possit avertere delinquentem a reiteratione lapsus absque notâ infamiae, ita profecto exequatur. Si autem delicta publica invenerit, vel quae deduci possint et probari in iudicio, et sic oporteat fieri, tunc procedat[1] ad inquisitionem specialem, praeviâ semper insinuatione clamorosâ, non quidem leviter inter quoscumque vagante, sed a timoratis et prudentibus attestatâ.

vii. Si autem iudicium de aliquo crimine instituat, cum hoc fieri possit per accusationem aut denuntiationem iudicialem quae saepius pacem turbant in Ordine, seminariumque prodeunt discordiae ac fomites invidiae inter fratres; idcirco tertiâ viâ incedere praelato consulimus, quae quieti et societati fraternae magis convenit, iamque est a regularibus in consuetudinem ducta; quod videlicet visitator procedat ad instantiam iuridicam accusantis aut denuntiantis, sed ex solo officio, idest utendo ipsorum delatione et notitiâ sufficienti et legitimâ in praedicto scrutinio, vel extra, vel ab ipso clamore facti legis, aut verâ infamiâ delicti tamquam accusatoribus fictis acceptâ; in hac enim formâ nullius personae accusantis vel denuntiantis nomen scriptum appareat in processu, sed testes a praelato ex officio vocati coguntur attestari quod noverint sine strepitu et notâ livoris unius fratris in alium, cum haec omnia tunc fiant ex solâ iudicis aequitate et officio, iuxta notitiam in praefatâ generali inquisitione susceptam.

viii. Haec est enim via corripiendi et iudicandi salubrior et charitati conformior, et vix in Ordine reperietur delictum, quod vel paternâ correctione

1 Quid pro *subrogat* legendum nescio (R. T.)

1 Edit. Main. legit *procedant* (R. T.).

vel praefatâ ex officio emendari non sufficiat. Si autem aliquod occurrat, quod propter commune bonum indigeat accusatione vel denuntiatione iudiciali, haec prius quam illa eligenda est, quia lenior et magis charitatem redolens, nisi forte accusatione sit opus omnino ad maiorem vindictam sceleris, vel si ab eâ delator reverti noluerit, velut pars laesa clamat ad iudicem.

IX. Quaecumque autem assumatur, debet fieri coram secretario, qui delationem scribat cum nominibus delatoris, et tertium; in quo tamen casu si fratres in inquisitione speciali iudicialiter deferre et ratificare noluerint quae in generali detulerunt, debent cogi praecepto et censuris, et ipsi tenentur obedire iudici. Sciat autem accusans, ipsum esse obligatum ad probandum plene debitum[1], sub poenâ talionis; cui etiam aliquatenus subditur denuncians qui sine sufficienti fundamento denunciavit, aut accusator palliatus reperiatur; qui eo dignoscitur, cum revera utitur nomine denunciantis, et nihil scribi permittit, nec vult delata subscribere, aut illis nomen dare, et[2] omnino poenas talionis effugiat.

X. Delationes, quae importune malignitatem redolent, non debet visitator admittere; admissas autem et tales postea repertas non prosequi, sed rescindere: quinimo prudens consilium erit veras aliquando non tractare in iudicio, ex quibus forsan maius scandalum formidatur, quam profectus eruitur, dum ex ipso iudicio altius in delinquentem aut communitatem crepitare consuevit infamia vel ignis discordiae in fratribus exardescere. Talibus autem praelatus suaviter et paterne medeatur secundum prudentiam sibi datam a Domino. Melius est enim aliquando oleo maturare et concoquere vulnus, quam illud ferro inscindere, suâque putredine iudicio publico diffusâ delicatos et ignaros inficere.

XI. De levibus nunquam instituatur iudicium, sed de plano corripiantur secundum Ordinis statuta, et iuxta prudentiam et censuram praelati. De iis etiam fratres respondere tenentur in scrutinio praefato, praesertimque aperire quaecumque possint in communem ruinam observantiam inducere.

XII. Visitator autem et omnis praelatus caveat ab epistolis non subscriptis contra fratrem aliquem sibi directis, quas debet omnino despicere, ut per eas de tali fratre ad inquisitionem specialem deveniant, etiamsi epistola non subscripta testes adhibeat: quod si subscriptam ab aliquo fratre sibi noto recipiat, poterit ab ipso rem diligenter investigare, quousque satis sit ut ea versetur in iudicio.

XIII. Saecularium delationes aut litteras in fratres nunquam suscipiat, nec eos pro testibus admittat, nisi crimen vel scandalum fratris urgeat, et solum fuerit inter saeculares nullo sciente fratre commissum.

XIV. Denique cum praelati sint quasi signum ad sagittam, nec possint omnibus placere, sed potius in eos multorum odia succenseat, idcirco in eosdem accusatio non est facile a visitatore admittenda, sed diligentem cautelam adhibeat, ut, ex qualitatibus praelati, subditorum ac prudenter delicti, agnoscat, an ex invidiâ zeloque aequitatis delatio procedat, et sic se gerat in omnibus et provideat ne praelati criminationibus versentur iniustis, ut tamen caveat ne sub hac umbrâ criminibus indolescant. Cunctis ergo praedictis a visitatore servatis, ita se habeat cum fratribus et delictis, ut, quantum possit, nihil impuni

1 Forsan *delictum* vel *delatum* (R. T.).
2 Forsan legendum *ut* pro *et* (R. T.).

tum maneat, et omnes sub meliori fruge et conversatione relinquat.

Caput VIII. De domibus acceptandis ac noviter erigendis in regularique clausurâ constituendis.

I. Nulla domus in qua fratres nostri debeant commorari, sive sit conventus formatus, sive hospitium, per aliquem fratrem nostri Ordinis acceptetur, vel acceptata dimittatur, aut aliò transferatur, seu commutetur in alteram, nisi de licentiâ magistri vel provincialis: in novis fundationibus servetur praxis consueta. In qualibet autem quae sit noviter constructa vel Ordini collata, nisi fuerit domus rusticana aut hospitium, semper aliquis frater fiat commendator, qui sit prudens et fidelis administrator illius. Hic habeat secum illum numerum fratrum, quem et locus exigat et domûs substantia patiatur, a quibus adiuvetur et humiliter obediatur in omnibus. Debent etiam divinum officium devote celebrare et eleemosynas pro redemptione captivorum impense colligere, et laborare in ipsis, quae sunt duo nostri Ordinis cardines, et instituta illius in quolibet conventu exequenda.

II. Pro iis ergo et aliis quibuscumque provinciarum domibus, debet definitorium provinciale sollicite providere, ut iuxta distantiam a se invicem unaquaeque (si territorium sufficiat) suum districtum habeat pro eleemosynis captivorum procurandis, qui nullatenus cum termino alterius domus confundatur, sed ita sint ad invicem disereti, ut collector unius domus fines alterius non attingat, et quisque tantum fiat de suae messe caudalibus.

III. Domus autem, quae de cetero erigantur in Ordine, ita exsurgant ambitu et mole capaces, ut et templa Deum et cultum eius deceant, et frequentiae populi aliunde sufficiant, nec numero fratrum sit locus aliquando futurus angustior; sit, inquam, ita latus, ut omnes officinas et cameras regulari domui necessarias et congruas modeste intra se continere valeat. Enixe vero consulimus, et in quantum liceat praecipimus, ut universis domibus Ordinis, si loci amplitudo permiserit, semper aliqua pars vel area separetur ad opus horti, ut intra illas habeant fratres aliquod recreationis levamen, nec illud foris quaerere indigeant.

IV. Rursus claustra in eis aedificanda ita clausa et obserata extruantur, et iam extructa similiter reformentur, quatenus sit possibile, quod transitus ad chorum hyemis asperitatibus non pateat, ne fiat inde praetextus dispensandi aliquoties matutinas mediâ nocte dicendas.

V. Quascumque autem domos nostras, quae iam sint vere coenobium, conventus vel monasterium, sic legibus clausurae subiicimus, ut nulli commendatori, praesidi vel vicario, aut cuicumque particulari fratri liceat, sub poenâ privationis officii et utriusque vocis in perpetuum, in designatam clausuram introducere seu ingredi permittere[1], quocumque colore vel causâ, etiam serviendi aut curandi aegrotos. Quocirca declaramus clausuram monasterii, coenobii, vel conventus esse ea omnia quae pertinent ad ipsius habitationem ac domicilium, exceptis ecclesiis et claustris inferioribus, si capellas et sacella contineant. In quo casu ad huiusmodi claustra feminas ingredi permittimus tempore dumtaxat celebrationis missae aut processionis alicuius. Poterit tamen in hoc magister vel provincialis pro bono regimine declarare et interpretari difficultates, quae in hac parte occurrere solent.

VI. Saeculares in domibus nostris convivere aut pernoctare non permittimus. Delinquentes autem, qui se ad monasteria recipiunt, ut capturam effugiant,

1 Videtur deesse *feminas* (R. T.).

nullus praelatus ultra tres dies patiatur in suo conventu manere, et potissime intra claustra, sub poenâ privationis officii; frater vero qui praedictos clam aut quomodolibet retinuerit, poenae gravis culpae subiaceat, et conventualitate privetur.

VII. In fine tandem statuimus, ut in quacumque domo cellae et camerae illius sic fratribus a praelato distribuantur, ut semper potiores dignioribus conferantur.

CAPUT IX. De possessionibus habendis ceterisque bonis temporalibus.

I. Possessiones, redditus, et eas quae pertinent ad commune proprium, vel tangunt possessionis titulum, liceat Ordini nostro tenere et possidere. Unde universis commendatoribus nostris licitum erit de consilio suorum conventualium praedicta bona acceptare, ut habeantur et possideant in communi, seclusâ omni proprietate singularium: si qua vero conventus bona possideat in annuum perpetuumve censum redigenda, sive iam extinctorum censuum sint capita, sive pecunia ex haereditario aut alio quovis iure proveniens, sive quocumque titulo accepta vel donata conventui, id nequaquam facere possit solus commendator aut procurator aliquis, sed conventus dumtaxat, cui privative competit, tamquam dictorum bonorum domino. Ad hoc autem debet congregari capitulum, ac de consensu maioris partis res ista decerni, interveniente tamen licentiâ provincialis in scriptis ab ipso conventu capitulariter petitâ, discussâque fideliter securitate et bonitate hypothecae, et quod aliis censibus et contractibus non teneatur adstricta.

II. Super his ergo bonis et aliis quibuscumque statuimus et ordinamus, ut tam generalis magister in Ordine, quam provincialis et commendatores in suis respective conventibus et provinciis diligenter requirant aut requiri faciant scripturas omnes, et publica instrumenta possessionum, redditnum, legitimarum, actionum et quorumcumque aliorum bonorum ad Ordinem nostrum, provincias et domos eius quomodolibet pertinentium, ut illa in communi deposito ordine debito et accurate custodiantur, ita sane, ut facile dignoscantur rescripta omnia et publica instrumenta bonorum omnium praedictorum, et sint in promptu quoties necesse fuerit.

III. Commendatoribus autem praecipimus, sub poenâ privationis officii, quod, quoties aliquis census et hypotheca cuiuscumque possessionis conventus in novum possessorem transeat, de hoc semper memoriam faciant in libro speciali expressis nominibus ementium, atque etiam illorum qui noviter et de facto possident terras, domos, aut haereditates liminares, quibus hypotheca, haereditas, censualis, aut possessio conventus adhaeret, itaut probatio identitatis eorum nunquam perire valeat, nec oblivione deleri, sed tractu successivo novorum dominorum semper diligentissime notato[1] omni tempore dominio[2] Ordinis pateat. Quod insuper ut aliunde non pereat, sub praefatis poenis eiusdem[3] commendatoribus constituimus, ut omnes dominos praedictorum censuum, haereditatum, aliorumque bonorum conventibus respondentium in toto suo triennio aut etiam in antecedentibus invocatos obliget[4] ut novo instrumento iuridico se ipsos debitores conventibus fateantur.

IV. Similiter omnia debita tam activa quam passiva debent commendatores in libro speciali conscribere, ut omnium illorum nomina ullâ[5] oblivione deleantur

1 Deesse videtur *nomine* (R. T.).
2 Videtur legendum *dominium* (R. T.).
3 Videtur legendum *eisdem* (R. T.).
4 Potius lege *obligent* (R. T.).
5 Potius lege *nullâ* (R. T.).

tur. Nomina insuper tam debitorum quam creditorum in ipso etiam libro memorari praecipimus, ut, quid cuique debeatur aut debeat, conventui constare valeat. Si quid autem mutuo commendatores accipiant, semper id faciant numeratâ pecuniâ coram depositariis, et inter debita activa in praedicto libro conscriptâ, in librisque maioribus conventus dati et accepti, tam in solutione quam receptione dictae mutuatae pecuniae; quod si contrarium faciant, tam ipsi depositarii quam commendator poenam privationis vocis activae et passivae et officiorum incurrant, et sint obligati debito, donec illud conventui solvant.

v. Statuimus praeterea, ut superiores Ordinis, quacumque auctoritate seu facultate praefulgeant, nullo modo possint bona quaecumque in alteram provinciam vel etiam de uno conventu in alium traducere, iuxta constitutionem Clementis VIII eiusque tenorem, sub datis Romae XIX ianuarii MDCI.

VI. Quantum vero ad alienationem bonorum Ordinis districte praecipimus, ut neque magister generalis, neque provincialis, aut illorum capitula, neque commendatores, aut illorum conventus, vel quilibet alius possit per se vel alterum remittere aut condonare neque renunciare haereditatem legitiman, aut alia quaecumque bona quae fratribus et[1] haereditario iure paterno vel materno aut quovis alio illis et Ordini debeantur.

VII. Super quibus similiter observari praecipimus decretum sacrae Congregationis Concilii speciali iussu SS. Urbani VIII editum die VII septembris anno MDCXXIV, ubi perpetuo prohibetur omnibus superioribus cuiuslibet religionis, sub poenâ privationis omnium officiorum vocisque activae et passivae ipso facto incurrendâ, bonorum immobilium

1 Videtur legendum *ex* (R. T.).

pretiosorum alienatio, aliaeque actiones et contractus circa eadem bona in eodem decreto contenta, nisi eâdem sacrâ Congregatione[1], et cum ipsius expressâ licentiâ, praeterquam in casibus a iure permissis et pro redemptione captivorum.

VIII. Praesenti constitutione statuimus et decernimus, ut bona stabilia, ad fratrisque legitimam pertinentia, semper illi monasterio tribuantur, ubi talis frater habitum religionis suscepit. Cum autem e vitâ discesserit, universa bona mobilia, quae ad usum possidebat, sic dividantur, ut habitus et vestes religiosis magis indigentibus a commendatore distribuantur, pertinentia vero ad lectulum et mensam, quaecumque illa sint, ducantur ad infirmariam, eiusque deposito inferantur, in quo huiusmodi utensilia pro infirmis tantum custodiri praecipimus modo et formâ iam suo loco praedictis. Ceterum libri a magistro vel provinciali conventibus studiorum (prout melius expedierit) impertiantur. Sedilia vero, mensae et omne genus arcae, tegumentorum, vestiumque custodiae, ministerium scribendi, lucernae et candelabra, et id genus utensilia, maneant ipsi conventui, ubi frater decesserit, in communique eius inventario describantur tamquam bona ipsius conventus, itaut perpetuo conserventur in cellis eiusdem ad usum religiosorum.

IX. Reliqua tandem bona, quae praeter dicta superfuerint, solutis ante omnia debitis defuncti, in quatuor partes aequales dividantur, quarum prima pertineat ad conventum in quo defunctus habitum suscepit; secunda ad provincialem pro expensis provinciae; tertia reponatur in custodiâ religiosi designati a magistro generali pro victu et sustentatione sui et pro sumptibus officii; quarta vero ad

1 Videtur deesse *consultâ*, aut simile (R. T.).

ipsum magistrum generalem pro expensis et causis Romanae Curiae mittatur.

x. Declaramus tandem ad hanc divisionem et partes non pertinere, neque inter spolia reputandâ esse, ea debita, quibus conventus aliquis adstringatur fratri decedenti ratione commendae ab eo gubernatae; et si quid de hoc in computis et rationibus talis conventus praedicto fratri debitum apparuerit, eo defuncto, cedat in beneficium conventus, et deleatur a debitis.

xi. Circa bona autem quae magister Ordinis decedens ad se pro suo tempore pertinentia reliquerit, distincte praecipimus provinciali eius provinciae in qua praedictus magister obierit, ut ea omnia tamquam bona Ordinis diligentissime colligat, et in aliquo deposito fideliter custodienda reponat. Ex quibus, solutis prius omnibus debitis magistri et Ordinis, si qua fuerint, reliqua futuro proxime generali magistro omni curâ reservet, illique quamprimum electo subiiciat, eidemque rationem reddat de illis.

Caput X. De depositariis conventus.

i. Ut autem praedicta conventuum bona debitâ ratione et fidelitate serventur et dirigantur, duos depositarios seu clavarios in singulis domibus institui praecipimus, qui libere et per schedulas suffragiaque secreta capitulariter eligantur, nec aliter possit ullus commendator illos designare aut nominare, sub poenâ privationis officii, nec eâdem die, qua proponit electionem, eam perficiat, sed unum diem ad minus pro electione conferendâ fratribus concedat.

ii. Ad huiusmodi munus semper eligendus est frater, qui sit arte calculandi sufficienter idoneus, probataeque fidelitatis. In conventibus autem, ubi fuerint graduati, unum saltem ex illis necessario duximus assumendum, alterum vero de reliquis fratribus eiusdem conventus.

iii. Ad eos quidem pertinet regere libros omnes dati et accepti, et omnium rerum quae pertinent ad conventum rationem habere, et secundum proprias earum species et qualitates diversos libros statuere, in quibus omnia cum distinctione scribantur.

iv. Quantum enim ad pecunias, illis districte, sub excommunicationis maioris poenâ praecipimus, ne in libris rationalibus quantitatem aliquam cuiuscumque sit generis apponant aut scribant, quae realiter coram ipsis non fuerit numerata et deposito recondita, nisi statim de illâ fiat solutio aliqua ab ipsis quoque depositariis cum commendatore vere et realiter creditori numeranda; nec, sub eâdem poenâ, permittant, quod sumptus et expensae omnisque ratio dati et accepti confuse adnotentur, sed distincte, et cum omni claritate, adiectis pariter nominibus dantis et accipientis, sive etiam vendentis et ementis.

v. Si qua autem debita contra conventum in triennii fine remaneant, inviolabiliter ea debent scribere in ratione et computis capitulo provinciali exhibendis; quod si non faciant, illis et commendatori irrelaxabiliter solvenda relinquimus, itaut, licet conventus eorum solutionem faciat, ipsi eamdem teneantur conventui retribuere. Praefatis ulterius depositariis iniungimus, ut computos a commendatore fieri contendant tempore et formâ superius cap. xxiii distinctionibus praestabilitis; praetereaque, ut bona redemptionis ac debitam de illis rationem diligentissime sumenda curent, iuxta ea quae dist. ii et iii praecipimus.

vi. Insuper ipsis commendatoribus et depositariis constituimus, ut nullas externorum quantitates in communi deposito custodiendas suscipiant et inferant, nisi sub hac lege quod ad restitutio-

nem earum Ordo noster minime teneatur, si furto vel incendio aut quavis aliâ ratione simili periri contigerit.

VII. Tandem, si depositarius aliquis a suo exercitio et munere sit quomodolibet impeditus tam per brevem quam diuturnam moram, clavem depositi et exercitium muneris alteri fratri consignet, cui se credere posse cognoverit, illeque omnem eius potestatem obtineat, sitque subiectus omnibus praedictis, sicut depositarius ipse.

VIII. Quoniam autem potissime ad depositarios attinet bonorum conventus habere expressam notitiam, ac libros eorum dirigere, in illisque scripturas et novos hypothecarum dominos censuumque notare debitores, et[1] de cunctis exactam rationem habere et reddere valeant, unâ cum commendatore in capitulo: idcirco statuimus, ut unus eorum qui ex iudicio, praelati plus sit diligens et disertus in custodiâ et peritiâ scripturarum, officium archivarii exerceat, et ita habeat cuncta instrumenta disposita, ordinata et servata, ut, quantum sit possibile, disperdi non valeant: habeat apud se clavem semper archivii, a quo nullum instrumentum extrahi permittat, nisi per breve tempus, relictâque memoriâ extrahentis, ad quem finem et quò deferat illud: curet pariter ut locus sit aptus et mundus a pulvere, tineis, vermibus et muribus, unde scripturas saepius lacerari contingit; ac nimis antiquas, antequam penitus abeant, denuo a suis originalibus extrahat, vel illud medium adhibeat, quo ad fidem publicam maneant semper cum viribus.

Caput XI. De procuratoribus conventualibus.

I. In quolibet conventu, pro suis bonis temporalibus agendis, unus vel plures procuratores eligantur iuxta pondus et multitudinem rerum agendarum.

1 Potius lege *ut* (R. T.).

Illum autem vel eos poterit commendator designare, qui magis ad artem fori eiusque tractanda negotia sint habiles, de consensu capituli conventualis, ad quod privative pertinet per suffragia vivae vocis huiusmodi procuratores instituere, cum iure et facultate ipsis ab eo concedendâ pro libito: si vires unius fratris ponderi sufficiant, nullo modo commendator procuratores multiplicet, neque praetextu procurationis fratrem aliquem audeat sublevare ab officio chori et altaris, aliisque conventus oneribus; quo[1] si secus fiat, provincialis suâ potestate coërceat.

II. Ab eisdem commendatore et capitulo, eodemque ritu, constituitur procurator conventualis redemptionis, ad quem pertinet omnia captivorum bona intra terminos sui conventus, vel undequaque ad eum spectantia, sollicite procurare et exigere. Cuicumque autem ex dictis procuratoribus instrumentum procurationis authenticum respective tribuatur a conventu, cum eâ facultate, quae pro opportunitate visa fuerit expedire. Illis vero enixe pracipimus, sub poenâ gravioris culpae, ut nullâ se ratione distendant in aliorum negotia extra Ordinem procuranda. Quod si alia domus nostra eius procuratione specialiter indigeat, eam nunquam assumat, nisi de licentiâ provincialis, ab eoque antea perpensis suae primariae obligationis oneribus, ne extra illam nimis ad alia dispersus suae obedientiae et domui non sufficiat.

III. Procuratores autem, dum fuerint in actuali exercitio sui muneris, non teneantur officio hebdomadae aut altaris, et unam pro se missam, praeter a constitutione assignatam universis presbyteris, celebrare poterunt in singulis septimanis.

1 Aptius lege *quod* (R. T.).

Caput XII. De capitulis conventualibus.

I. Plura quidem in conventibus eveniunt, quae, vel de iure aut consuetudine et prudentiâ, nonnisi capitulariter ordinantur et fiunt. Unde receptiones ad habitum et professionem et ordines etiam maiores aut minores suscipiendos, electiones depositariorum, vel si quae sint aliae nominationes, graviaque negotia, quae vel ex se postulant aut consueverint fieri per suffragia secreta, semper decernantur in capitulo conventuali, in quo tantum vocem habeant sacris initiati. Contractus autem et negotia vel dubia quae pertinent ad bona temporalia, ut emptiones vel admissiones haereditatum, aut censuum, nominationes procuratorum, et aliae[1] actiones similes, in eodem capitulo conventuali decernantur per suffragia vivae vocis ab omnibus conventualibus et professis eiusdem domus; et sensus maioris partis capituli praevalebit. Procurator redemptionis conventus in hoc etiam capitulo ab omnibusque[2] conventualibus nominatur.

II. Nullum negotium ad bona temporalia conventus vel ad Ordinem pertinens, quodque in capitulo proponere sit necesse, eâdem die qua proponitur resolvatur, sed in diem sequentem aut alium differatur resolvendum, et[3] illud inter se versandi et maturius decernendi locum habeant fratres, ne aliquando resolutio et consilium extemporaneum, et nimis propere datum, Ordini vel conventui damnum aliquod inferat. Quocirca praecipimus commendatoribus, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenâ privationis officiorum, ne unquam huic constitutioni adversentur, neque arte aliquâ tempus eligant importunum pro huiusmodi capitulis habendis; sed semper eos congregent illis diebus et horis, quibus fratres regulariter consueverint adesse conventui, et sanior pars et patres a consilio non absint.

III. Sub praedictis poenis, eisdem commendatoribus constituimus, ne supplicationes aut petitiones, quae pro rebus suarum domorum exhibendae sint superioribus propriis nominibus conventualium subscriptae, subscribere faciant, nisi prius lectae fuerint in pleno capitulo, et in eo publice ab omnibus subscribantur singulis proprium sensum affirmativum vel negativum declarantibus; quibus etiam sub poenâ gravis culpae praecipimus, ne aliter praedictas petitiones nomine proprio subscribant.

Caput XIII. De patribus a consilio.

I. Quaedam modica frequenter oriuntur in Ordine quae praelatus potest sine consensu aliorum expedire; quaedam vero sunt adeo magna, ut nullo modo debeant sine consilio totius conventus peragi nec resolvi; quaedam tandem sunt media ad quae tractanda et exequenda sufficit, vel forsan etiam in gravibus expedit paucorum adhibere consilium, ne vel conventus nimis gravetur capitulis, et praelatus, pro suo libito praedicta resolvens, minus sapienter agat contra Salomonis eloquium.

II. De nimis arduis et gravibus, quae de iure vel usu exigunt assensum capituli, iam superiori capite constituimus. Nunc autem pro rebus mediis, atque etiam interdum difficilibus, quae non expedit toti conventui subiicere, specialem coetum discretorum patrum in singulis domibus totius Ordinis designamus, quorum suffragia, non quidem decisiva, sed tantum consultiva permittimus. Caveat tamen praelatus, ne, sibi nimis fidenter adhaerens, sanioris vel maioris partis sensum quandoque despiciat.

III. Ad hunc coetum constitui debent fratres, qui sint probatae directionis,

1 Edit. Main. legit *alia* (R. T.).
2 Aptius lege *omnibus* (R. T.).
3 Aptius lege *ut* (R. T.).

exercitati in agendis, amatores boni, in suo sensu non nimis abundantes, quique Dei spiritum habere credantur; quae omnia cum in patribus provinciae, magistris, praesentatis, lectoribus iubilatis, et qui fuerint commendatores, facilius inveniantur ratione litteraturae vel experti regiminis, omnes praedictos, modo sint conventuales, ad istum coetum et consilia designamus; ubi autem non fuerint tres de praedictis, vicarius conventus, praedicator conventualis et magister novitiorum vel professorum, atque etiam quicumque senior quadraginta annorum a professione, vel amplius, vocandi sunt ad consilium, cum quibus praedicta negotia, potissime quae pertinent ad bona ipsius domus, debet tractare et consulere commendator, et praecipue res illas quae raro circa gubernationem domus evenerint.

Caput XIV. De notariis apostolicis a praelatis Ordinis eligendis.

I. Cum ex constitutione beati Pii V et Iulii III praelatis regularibus sit concessum, ut unum, tres, quatuor, aut plures fratres in notarios apostolicos valeant instituere, tam pro toto Ordine vel provinciâ, quam pro domibus singulis et cum omnimodâ potestate quae de iure sit tradita huic muneri; propterea decernimus, ut primus magister, si velit, pro toto Ordine, et provincialis pro totâ provinciâ, unum fratrem illius, sibi satis ad hoc probatum et idoneum, notarium apostolicum nominet, qui, si opus fuerit, mandata, privilegia, gratias, concessiones, indulta et rescripta apostolica quaecumque Ordini concessa, eiusque utilitatem quomodolibet concernentia, cuicumque personae rite notificare possit, atque alia cuncta, quae de iure fidem publicam exigunt, instrumentis authenticis consignare speciali signo vel rubricâ roboratis, cum omnibus aliis, ad quae in constitutionibus praedictorum Pontificum facultas continetur indulta.

II. Commendatores autem pro suis conventibus unum similiter de suis fratribus in hoc munere instituant, quoties in conventu opus sit, aut designatus deficiat, qui omnia praedicta pariter possit agere ubicumque expedierit, et fidem publicam reddere, ut vere notarius.

III. Forma autem illud instituendi: Vocato namque fratre a praelato coram testibus sufficientibus et idoneis, sive extraneis, sive ab Ordine assumptis, recipiat ab eo iuramentum sub hac formâ: « Ego frater N. promitto et iuro Deo omnipotenti, et SS. D. N. Papae N., et tibi N., quod officium a te mihi traditum auctoritate et largitione apostolicâ fideliter exercebo in omnibus et per omnia. Sic me Deus adiuvet et haec sua sancta evangelia ».

IV. Praestito iuramento tradit illi calamum cum atramentario dicens: « Accipe potestatem notificandi et intimandi in toto Ordine (*vel* in istâ provinciâ) quibuscumque personis, etiam regibus, mandata, indulta et privilegia apostolica, necnon quaecumque alia in Bullâ felicis recordationis B. Pii Papae V contenta, faciendique publicos actus et instrumenta. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Amen* ».

V. Forma vero litterarum, quibus constare debeat talem fuisse in hoc munere constitum[1], haec vel alia similis esse potest: « Pateat universis quod nos fratres[2] N. provincialis (*aut* commendator) ex auctoritate SS. D. N. Pii PP. V per suas litteras datas Romae apud S. Petrum die XXI martii anni MDLXXI, quae incipiunt *Debitum pastoralis officii*, creavimus, constituimus et deputavimus in notarium dilectum nobis in Christo patrem fratrem N. Ordinis nostri bea-

1 Aptius lege *constitutum* (R. T.).
2 Forsan legendum *frater* (R. T.).

tissimae Virginis Mariae de Mercede professum, et huius nostrae provinciae N. filium, vel conventualem huius conventus N., virum moribus praestantem, et fide et virtute commendabilem, ad intimanda et notificanda quaecumque indulta, *etc.*, et facienda[1] quaecumque instrumenta, *etc.*, recepto prius ab eo coram nobis genuflexo iuramento fidelitatis ad sacra Dei evangelia coram testibus infrascriptis. Datum, *etc.* In quorum fidem, *etc.* ». Et postea subscribat ipse provincialis instituens cum testibus vocatis, quae omnia referendabit et signabit secretarius eiusdem, vel commendator instituens.

Caput XV. De magistro novitiorum.

I. Magistrum novitiorum non pro universis domibus constituimus, sed illis tantum quas definitorium provinciale in capitulo designaverit, in quo pariter pro munere praefato viros ab eo non dispares eligendos esse decernimus, iuxta ea, quae dist. VII, cap... constituimus. Novitiatus enim sunt plantationes Ordinis, ubi virgulta et surculi sine culturâ silvescunt, studiose vero irrigata et effusa surgunt virtute frugiferâ.

II. Hinc ergo magister novitiorum debet semper eligi, qui sit in virtute probatus, in observantiâ sedulus, in doctrinâ sufficiens, in docendo patiens et assiduus, in corrigendo suavis et mitis, non pro genio et indole durus, nec tamen qui exardescere nesciat, sed qui in opportunitatibus non frangatur, nec auctoritate vilescat.

III. In hoc autem officio, quanto desiderio possumus, graviores Ordinis fratres et virtute et prudentiâ et litteris praestantiores semper adhiberi concupiscimus, quibus in Christi visceribus suademus, ut ad illud quandoque vocati nullâ causâ detrectent, sed culturam excipiant tot meritis et frugibus Domino placituram.

IV. Quae autem ad magistrum novitiorum sic exoptatum attineant circa executionem sui muneris iam superius dist. IV cap. V *De instructione novitiorum* satis superque sancivimus; illum tamen ita liberum in suâ potestate relinquimus, ut, quantum ad regimen novitiorum, et eorum correctiones propter defectus tam intra quam extra novitiatum commissos, solus ipse sit arbiter, tantumque praelatis et commendatori subiaceat: professos etiam ita omnino ipsi subiicimus, ut vicarius conventus solum extra novitiatum possit eos aliquando corripere, cum videlicet ad publicam emendationem expedierit, defectuve praedicti magistri; in reliquis correctiones eorum semper ipsi relinquat. Si magister novitiorum infirmari aut abesse ad tempus eveniat, ipse commendator fratrem idoneum cum eâdem potestate substituat.

V. Ut autem huius oneris gravissimique plane muneris pondus dignis compensationibus sublevetur, quibus et potentis humerus alliciatur ad illud, praesenti constitutione decernimus, ut, quicumque non graduatus per duodecim annos continuos in praefixis domibus novitiorum a definitorio capituli vel provinciali praefectus cum approbatione et laudabiliter hoc fuerit functus officio, maneat exemptus perpetuo ab hebdomadâ, aliisque officiis et ministeriis poenalibus communitatis et tabulae officiorum, et dum actu est in munere eâdem exceptione gaudeat, et ultra unam missam, quam pro se concedimus universis fratribus in hebdomadâ, alias duas suae intentioni liberas indulgemus. Quantum vero ad victum, sic illum tractari praecipimus sicut magistros de numero, prout in qualibet provinciâ fuerit consuetum.

1 Edit. Main. legit *faciendi* (R. T.).

vi. In reliquis autem provinciae domibus, ubi novitiatus non existat, si fratres professos, quos clericos et non presbyteros nuncupamus, adesse contigerit, semper in alio loco speciali et a reliquorum convictu separato receptos contineri praecipimus, sub curâ tamen et directione unius provecti probique fratris, qui sit et dicatur magister professorum, qui eos essentialia Ordinis doceat, et instituta bonosque mores in novitiatibus tradita nunquam ab eis excedere permittat, quinimo ad illa obiurgando et puniendo promoveat.

Caput XVI. De examinatoribus conventus.

i. In singulis conventibus provinciae, in quibus provincialis expedire indicaverit, duos examinatores instituat, quorum censura primo et praecipue subiicimus omnes qui accedant ad suscipiendum habitum, et eos probent circa sufficientiam in litteris et capacitatem ad illas; quibus examinatis, debent omnino fideliter referre capitulo conventus quid de illis sentiant circa meritum; qua super re servare studeant quae superius dist. iv cap. i et vi stabilivimus de praedictis.

ii. Similiter ad eos pertinet examinare fratres ordinandos et eos qui ad studia litterarum mittendi sunt, ac de ipsorum sufficientiâ provinciali ac capitulo conventus respective suum iudicium ex aequo detegere: quocirca ipsius conscientias oneramus, ne fratrem aliquem immature ad philosophiam seu theologiam approbent, et praecipue ad sacros ordines suscipiendos, ne vel in studio perdant operam, vel in ministrando altari stultum exhibeant Domino ministerium. Si quos autem in aliis examinandos susceperint sibi a provinciali commissos, semper cum aequitate procedant, ne in eos Deus damna retorqueat, quae ex eorum approbatione devenerint.

Caput XVII. De zelatore conventus.

i. Cum in Ordine statutis temporibus silentium observari debeat, et pro eo aliisque zelandis unum fratrem adhiberi oporteat, quem zelatorem aut circatorem dicimus; idcirco de cetero constituimus, ut munus istud semper exerceat vicarius conventus, qui, sub tacitis horis quibus silere constringimur, semel aut pluries totam domum eiusque officinas et loca intra clausuram perambulet, et, si alicubi fratrem vel fratres invenerit qui contra religionem vel debitam honestatem regulae aliquid locuti fuerint vel fecerint, auctoritatem habeat eos corripiendi secundum facultatem a praelato susceptam: quod si apud aliquos dissolutiones commendatori non silendas agnoverit, eas illi suo tempore deferat, vel gravius ipse corrigat et emendet, ita scilicet ut semper totus conventus in debitâ tranquillitate et quiete temporibus silendi permaneat.

ii. Nec per hoc intendimus commendatorem ex praefato zelandi munere sublevare, imo denuo illi praecipimus, ut tam circa custodiam domus et clausurae, quam circa quietem et tranquillitatem illius, semper ut verus pastor et excubiator invigilet.

Caput XVIII. De fratribus iter agentibus et hospitibus.

i. Dum frâtres nostros urgeat itinerandi necessitas, nullus viam instituat nisi de licentiâ praelati superioris vel commendatoris respective iuxta ordinata superius distinctione praecedenti cap. xxii; qui vero secus audeat, puniatur iuxta ea proxime dicenda, et alibi iam praemissa.

ii. Omnes fratres viatores Ordinis nostri secum perpetuo ferant in scriptis praedictam licentiam sui praelati, vel litteras testimoniales, quas ubique ostendere valeant. Si autem eas non ferant, nec epistolam commendatitiam, aut alia instrumenta non exhibeant, neque aliun-

de non esse fugitivos aut apostatas innotescat, detineantur a praelato in custodiâ vel carcere, donec rei veritas pateat; et tunc cum ipsis agatur secundum qualitatem delicti, et iuxta superius dicta de apostatis et fugitivis.

III. Omnes fratres, cum sint in viâ semper divinum officium recitent. Sacerdotes autem, si opportune liceat, nunquam rem sacram facere praetermittant; nullus quoque dies eos sine oratione praetervolet, quam bis habere debent iuxta constitutionem nostram, etiam in viâ constituti. Si plures simul incedant, semper digniori in omnibus deferant et obediant, et modestiam ubique interius exteriusque praeseferant; non utantur nisi vestibus omnino albis, et prout superius dist. IV cap. X *De vestitu* praecipitur.

IV. Fratres viatores uti poterunt equitaturis, non profane sed modeste stratis, quas omnino interdicimus fratribus non viatoribus cuiuscumque qualitatis aut dignitatis extiterint, ita videlicet, ut ad egrediendum domo, et incedendum intra loca ubi sunt conventus, nulli sit licitum quodcumque genus equitaturae quomodolibet per se vel alium ubicumque habere, neque in illâ equitare quocumque praetextu vel causâ, sub poenâ privationis utriusque vocis et inhabilitatis ad officia; super quo taxatur potestas magistro, aliisque praelatis universis, ut nonnisi fratribus ad negotia Ordinis et magni ponderis destinatis indulgere valeant, in eoque tantum loco ubi propter eius magnitudinem et alia incommoda incessûs ita expedire iudicaverit.

V. Propterea nullus audeat ingredi curiam regiam, nisi immediate post duodecim horas commendatori conventus nostri se praesentaverit. Quod si secus fecerit, a commendatore in carcerem iniiciatur donec a provinciali veniam recipiat.

VI. Si quis itinerando stationem facturus sit in loco ubi est conventus Ordinis, semper ad illum accedat et praestet commendatori obedientiam. Quod ut nemo facere praetermittat, et virtus hospitalitatis ubique in Ordine fulgeat, commendator commendatorem supervenientem cum honore suscipiat, et universis Ordinis viatoribus iuxta qualitatem personae omnia officia charitatis impendat, et maxime ad pernoctandum inviolabiliter retineat et cogat quamdiu moram fecerit in loco sui conventus. Et licet fratres aliorum Ordinum quasi nobiscum vinculo verae fraternitatis adstrictos non dissimili hospitalitate suscipiamus, fratres tamen Ordinum sancti Dominici et sancti Francisci, quos cum nostro uno quasi foetu parturivit Ecclesia, et ex hoc ad invicem arctiori fraternitate copulamur, specialibus etiam charitatis officiis, iuxta constitutionem pristinam, in domos nostras inducimus, et omni studio et hilaritate refoveri praecipimus.

VII. Fratres nostri hospites sine licentiâ commendatoris domus, in qua sunt, nihil agant, neque ab eâ egrediantur, sed illi deferant in omnibus obedientiam, etiam in correctionibus, si expedierit. Rursus per tres dies eos commendator in hospitio recreari faciat, quibus si eâ in domo diutius immorari necesse sit, refectorium cum ceteris adeant et utantur consuetâ refectione conventus.

VIII. Nullus frater viam prosequuturus discedat a monasterio, ubi stationem fecerit, nisi prius a praelato obedientiam accipiat. Deinde coram ipso (si libeat) vel alio sacerdote prostratus dicat psalmum *Levavi oculos meos in montes,* etc.

Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison.
Pater noster, etc.
℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac, etc.
℟. Dominus vobiscum, etc.

*Oremus.*

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuae prosperitate dispone, ut inter omnes viae et vitae huius varietates tuo semper protegantur auxilio. Per Christum, etc.

Et aspergatur aqua benedicta.

IX. Quotidie autem, dum viam aggreditur, dicat : *In viam pacis. Et benedictus Dominus Deus Israel, etc.* ut in Breviario Romano. Cum vero ad propriam domum redierit, vel in viâ ad aliquam ex Ordine declinaverit, dicat in ipso ingressu : *Pax huic domui et omnibus habitantibus in eâ.* Et statim se conferat ad praelatum pro benedictione suscipiendâ, ipsi dicendo *Benedicite.* Deinde coram aliquo sacerdote dicat psalmum:

Ad te levavi oculos meos, qui habitas in caelis.

Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum,

Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione.

Quia multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus et despectio superbis.

Gloria Patri, etc.
℣. Kyrie eleison,
℟. Christe eleison,
℣. Kyrie eleison,
℟. Pater noster, etc.

*Oremus.*

Miserere, quaesumus, Domine, huic famulo tuo, et quidquid in viâ ei surripuit sensus, totum ineffabili clementiâ deleas. Per Christum, etc.

X. Quando vero praelatus seu visitator viam incipiat vel ab illâ regrediatur, eisdem psalmis et orationibus dimittendus et suscipiendus sit. Quod si magister Ordinis vel provincialis de viâ veniat, et primum accessum faciat ad aliquam domum Ordinis, tunc, eo iam properante, campanâ ecclesiae convocandi sunt fratres ad fores eius in duos choros divisi cum sacerdote pluviali albo induto et parvam crucem gestante, quos praeibunt crux magna conventus cum caeroferariis, et sic omnes, suscepto magistro vel provinciali, intrabunt ecclesiam cantantes *Te Deum*, in cuius ingressu sacerdos praedictam crucem parvam illi genuflexo adorandam offert.

XI. Inde proceditur ad cappellam maiorem, ibique magister vel provincialis genuflexus orabit paulisper dum hymnus *Te Deum* canitur ; quo finito, sacerdos stans in altare dicit :

℣. Salvum fac servum tuum, Domine,
℟. Deus meus, sperantem in te.
℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto,
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Chisti.
℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, praetende super famulum tuum N. et congregationes illi commissas spiritum gratiae salutaris, et ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuae benedictionis infunde.

Protege, Domine, famulum tuum subsidiis pacis, et beatae Mariae semper Virginis patrociniis confidentem a cunctis hostibus et periculis redde securum. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

XII. Absolutis orationibus, omnes fratres se prosternunt, magistro seu provinciali genuflexo manente, super quem sacerdos facit benedictionem itinerantium incipiens psalmum *Ad te levavi, etc.* cum *Gloria Patri, etc.*, quem recitat alternative conventus, deinde additur *Kyrie eleison, etc.* et *Pater noster*, etc. *Et ne nos inducas*, etc. ℟ *Deus meus*, etc. *Dominus vobiscum.* ℟ *Et cum spiritu tuo.*

*Oremus.*

Miserere, quaesumus, Domine, huic famulo tuo, et quod in viâ surripuit visus vel auditus malae rei aut otiosi sermonis, totum ineffabili pietate deleas et abstergas. Per Christum, etc. ℟. *Amen.*

XIII. His peractis, surgat magister vel provincialis cum fratribus, et incipiat psalmum *De profundis, etc.* cum *Requiem aeternam*, etc. *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.* Deinde dicat *Pater noster*, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. A portâ inferi,
℟. Erue, Domine, animas eorum.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Deus veniae, etc. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.* Requiescant in pace. *Amen.*

XIV. His ergo conclusis, sit cella praeparata, in qua sedeat magister vel provincialis, atque omnibus fratribus ad obedientiam susceptis, eisque datâ pace, surgit et ingreditur monasterium sociatus ab eisdem fratribus usque in cellam suam.

CAPUT XIX. De ordine sedendi et honore fratrum ad invicem.

I. Magister generalis, et quicumque illi successerit in officio, primum et praecipuum locum obtineat in toto Ordine, sicut et provincialis eiusque vicarius in totâ provinciâ, et commendatores in suis conventibus; vicarius autem generalis in provinciâ aliquâ seu provinciis designatus primum similiter locum habeat in illâ seu illis, et provincialibus praeferatur; quod etiam intelligitur de visitatore generali respective in eâ domo quam actu visitat, a principio usque ad finem visitationis eius. Eâdem ratione visitator provincialis praefertur commendatori et obtinet locum sui principalis in eâ tantum domo quam visitat, et tempore visitationis dumtaxat; praesides in capite sicut ipsi commendatores toti conventui in primâ sede praesideant; praesides vero interini teneant locum vicarii, nisi aliunde digniorem possideant; quod si tempore sui gubernii vicarius permaneat in officiò, sint immediate ante ipsum.

II. Post commendatorem sedeant generales absoluti, inter quos praecedat semper qui sit in munere antiquior; rursus immediate sequantur omnes exprovinciales cum eodem inter eos ordine prioritatis officii, quamvis aliquis eorum aliud munus possideat. Exprovincialibus autem proxime adhaereant qui fuerint vicarii generales totius Ordinis et procuratores generales eiusdem in Romanâ Curiâ secundum conditiones in propriis locis declaratas, et servato inter ipsos ordine temporis a quo fuerint ius adepti ad honores exprovincialium; quod si ad eos non deveniant, ut suo loco praedicitur, maneant inter magistros de numero, cum optione antiquitatis inter illos a die (ut etiam praemissum[1] est) quo ius ad magisterium assecuti fuerint, modo tamen impleverint annos lecturae pro illo, secus autem inter magistros de numero sint semper et ubique novissimi.

III. Praeterea post exprovinciales et omnes eos praedictos qui iure constitutionis simili honore gaudent, socios actuales magistri sedere praecipimus, et

1 Edit. Main. legit *permissum* (R. T.).

inter eos sit ea praecedentia, qua secluso munere gauderent. His autem accedunt omnes duodecim magistri quos vocamus de iustitiâ vel numero, et qui iuxta constitutiones nostras cum integro lecturae merito ab Ordine sunt suscepti. Inter eos etiam antiquitas et prioritas gradus ubique respicitur, quae semper in omnibus graduatis ad se invicem in sui genere comparatis attenditur a die confirmationis gradus a magistro, unde ius ad illum et consequenter ad praecedentiam acquiritur. Ubicumque vero magistri fuerint aequales in confirmatione praedictâ, respicienda erit antiquitas professionis. Si quis autem praesentatus de cathedrâ ex speciali gratiâ Sedis Apostolicae ab Ordine susceptâ magisterium obtineat, sedeat immediate post omnes magistros de iustitiâ et numero qui sunt et pro tempore fuerint.

IV. Post magistros vero praefatos, reliqui, quos hîc nominabimus, sedeant cum hoc ordine litterae, videlicet: vicarius conventus, praesentati de lecturâ, magistri de gratiâ, praesentati de pulpito; lectores iubilati; praesentati de gratiâ; et denique procuratores generales redemptionis et Ordinis, et procuratores provinciales redemptionis et provinciae, si non fuerint graduati, dum tamen omnes vocem habeant in capitulo. Qui autem de illis graduatus fuerit, sedeat in ordine sui gradus iuxta qualitatem et antiquitatem illius, nullo habito respectu ad procurationes praedictas.

V. Circa reliqua officia quae diversis personis accidunt, sic ea distribuimus. Definitores generales ex suo genere sunt electoribus priores, et utrique definitoribus provinciae. Cum autem haec officia in personis superioris dignitatis extiterint, ut in patribus provinciae et reliquis adhuc[1] ordinem pertinentibus, non propterea locum inter se mutare debent, sed semper servare sibi debitum exprovincialatu aut alio munere peracto. Infra eos autem usque ad lectores iubilatos inclusive, quicumque praedicta officia subierit, ratione illorum omnibus sui generis, gradus et qualitatis antefertur; videlicet, si unus socius magistri factus[1] definitor Ordinis, aut provinciae, sive generalis elector, ex hoc ipso sit altero socio prior. Magister vero de numero superet omnes similes, et magister de gratiâ, ex praesentaturâ de cathedrâ electus, eos tantum qui forsan de hoc ordine fuerint, sicut etiam magister de gratiâ eos dumtaxat qui fuerint qualitatis huiusmodi; praesentatus autem de cathedrâ omnes praesentatos de cathedrâ et vicarium conventus; praesentatus de pulpito omnes eiusdem generis; et lector iubilatus iubilatos omnes. Infra istos autem si quis fiat definitor, aut elector generalis, sive definitor provinciae, post praedictos iubilatos immediate locum habeat, nec ipsi quomodolibet liceat ratione praedictorum officiorum ad sedem et ordinem superius nominatorum ascendere. Quod si duo intra eumdem ordinem in definitione aut electione fuerint pares, tunc praecedat qui alterum alioquin sine dictis officiis anteiret.

VI. De socio autem et secretario cuiuslibet vicarii generalis tam totius Ordinis quam provinciarum aut alicuius provinciae statuimus, quod, si fuerint graduati, praesideant omnibus magistris de numero, et sint exprovincialibus et eorum iuribus a constitutione faventibus[2] immediate[3], modo non concurrant cum sociis magistri, quibus eos ubique reddimus inferiores. Si vero graduati non

1 Videtur legendum *ad hunc* (R. T.).

1 Adde verbum *fuerit* (R. T.).
2 Videtur legendum *fruentibus* (R. T.)
3 Videtur legendum *immediati* (R. T.).

fuerint, omnibus praesentatis de numero praeferantur toto tempore quo permaneant in munere et solum in provinciis ubi illud exerceant. Secretarius autem provinciae, si non fuerit graduatus, sedeat proxime post procuratores generales Ordinis et provinciae vocem in capitulo provinciali habentibus[1]; graduatus vero, locum in suo Ordine praehabitum non praetereat.

VII. Patres graduati, aut aliquo munere affecti aliarum provinciarum, ubicumque de licentiâ superioris extiterint, semper sint postremi inter graduatos sui ordinis aut dignitatis et officii.

VIII. Tandem, post omnes superius suo ordine relatos, sequuntur alii fratres conventuales secundum antiquitatem professionis, dum tamen ordinati praecedant non ordinatos, et clerici tam professi quam novitii omnes laicos fratres. Si vero contigerit lectorem aliquem non esse presbyterum, locum obtineat presbyteris immediatum.

IX. Haec ita sint extra capitulum. Tempore vero capituli in omnibus actibus electionum et definitorii hic ordo servetur. Quod si fuerit capitulum provinciale primi semper assideant praesidi provincialis electus et absolutus a dexteris et a sinistris illius, et post eos eâdem formâ definitores provinciae, qui tamen in aliis actibus conventualibus toto tempore capituli semper sedeant omnes simul in choro sinistro post ipsum provincialem electum, cum quo personam totius provinciae ita in his actibus gerant. Prior Barchinonensis intra provinciam Aragoniae, si fuerit magister omnes alios magistros, si autem praesentatus omnes eiusmodi gradus antecellat.

X. In capitulo generali primus semper sedeat magister, sive praeses ante electionem quomodòlibet constitutus; eâ vero peractâ, praesideat magister electus si fuerit praesens, alioquin autem praeses, qui incepit, continuabit praesidentiam et locum. Praesidente vero generali electo, sequitur post ipsum generalis absolutus, vel quicunque alius qui praeses electionis praeextiterit. Huic autem succedunt suo ordine reliqui generales absoluti, si sint in Ordine, et huiusmodi capitulo intersint.

XI. Post illos autem constituimus provinciales aut vicarios provinciales, iuxta suarum provinciarum antiquitates et ordinem. Deinde sedeat prior Barchinonensis, si praesidere non contingat. Postea procurator generalis in Urbe, quem sequantur definitores generales secundum antiquitatem provinciarum, et postremo eodem ordine electores generales.

XII. Denique super huiusmodi declaramus, quod, quoties in his constitutionibus ius, actio vel res aliqua relinquitur aut defertur digniori de coetu, communitate, aut capitulo, vel etiam generaliter, in designationibus unius prae alio semper intelligatur de illo qui loco praecellit inter eos fratres de quibus statuitur dignior.

XIII. Circa honorem fratrum ad invicem, ipsis enixe consulimus, ut semper alterutri honoribus se praeveniant. Quadragenarios autem in Ordine, qui per hanc integram et non interruptam periodum iugum eius laudabiliter tulerint, a matutinis mediâ nocte dicendis, Primâ, ac epistolâ et evangelio decantandis absolvimus; senibus insuper confectis atque impeditis de sibi necessariis et socio, qui curam eorum gerat, sic a praelatis provideatur, ut cunctis ibique fiat veneranda canities.

XIV. De reliquis statuimus, sub poenâ gravis culpae, ut nunquam sibi honores aut comitates deferant more sae-

1 Forsan legendum *habentes* (R. T.).

culi, sed ut per Salomonem praecipitur: *Magnatis humilia caput tuum, et presbytero animam tuam:* ut non quasi ad oculum carnis immodicis deflexionibus idolum vanitatis colere videamur[1], sed quasi spirituales alter alteri ex animo verâ mentis humilitate se subiiciat.

xv. Sed ut in istis metam fratribus statuamus iuxta qualitates personarum Ordinis, sic eas tractari praecipimus, ut soli magistro, et, ipso deficiente, vicario generali totius Ordinis titulus paternitatis reverendissimae deferatur. Expleto tamen officio, nulli vicario praedicto, sed tantum generali absoluto praefatum tituli honorem continuari permittimus. Provincialibus autem et vicariis provincialibus sociisque magistri actualibus honorem paternitatis reverendae concedimus. Exprovinciales vero, vicarios generales Ordinis absolutos, et eos qui per duos annos vicarii provinciales extiterint, et socios magistri praedictos, qui per triennium haec munera subierint, atque etiam commissarios et visitatores tam generales quam provinciales dum sunt in actuali munere, non dissimiliter reveremur. Vicarios vero generales provinciarum, tam actuales, quam absolutos, hanc eamdem reverentiam et titulum habere decernimus.

xvi. Magistros insuper et praesentatos, atque etiam lectores iubilatos, qui iam omnia merita pro magistro adimpleverint, paternitatem habere concedimus. Item commendatores, definitores et electores generales, definitores provinciae, eiusque secretarios, et omnes procuratores generales et provinciales, eiusdem tituli sunto, quamdiu officia peregerint, etiamsi illo aliunde non gaudeant. Reliquos vero fratres, quicumque sint, solo reverentiae nomine appellandos esse ordinamus. Caveant autem omnes, sub poenâ gravis culpae, ne hanc honoris diversitatem et gradus indistincte permisceant et confundant, sed unicuique quod suum fuerit tribuant cum discretione praedictâ.

Caput finale. Instructio ad fratres circa omnia praedicta tam in regula quam in constitutionibus ordinata.

i. Cum omnia et singula, quae in his constitutionibus auctoritate et facultate apostolicâ, ut initio praemissum est, ordinavimus, vel novâ texturâ, expositione aut omissorum additione in meliorem formam redegimus, ita mature et consulto deliberata sint, ut nihil in illis inveniatur etiam levissimum, quod non fuerit ad severissimam lancem et trutinam revocatum; nulli propterea licitum debet esse quidquam pro suo libito mutare, addere, vel minuere; imo definitoribus generalibus omnino interdicimus, ut, quae auctoritate apostolicâ confirmata vel constituta fuerint, nullâ ratione destituant, neque actis, decretis, aut contrariis inchoationibus[1] deleant, sed ista immota relinquant, ut malint tolerare vel quomodolibet exponere quae minus congrue ordinata pro tempore appareant, quam, saepius innovando textum, turpem instabilitatem committere.

ii. Quod si propter vicissitudines temporum rerumque mutationes aliqua innovari seu mutari necesse sit, fiat semper sine deformatione huiusmodi compilationis, per modumque expositionis dispensatoriae, cum distinctione a textu et ad calcem capitis additae, servatâ semper integritate illius.

iii. Sed ut etiam in istis non latius pateat constituendi et addendi vel innovandi libertas, antiquam constitutionem strictissime observari praecipimus, ut in praemissis nihil addatur aut apponatur, modo etiam praedicto, nisi per tria capitula generalia continuo successiva fuerit approbatum, aut etiam per unum a Sede Apostolicâ confirmatum,

1 Edit. Main. legit *videamus* (R. T.).

1 Forsan *innovationibus* (R. T.).

sive sit per modum constitutionis novae, sive dispensationis aut declarationis antiquae. Quibus tamen conditionibus praemissis, et non aliter, huic volumini, et ad calcem proprii capitis, cum distinctione a textu, subiiciatur, et ita vim universalis et rigorosae constitutionis obtineat.

IV. Observantiam autem omnium praedictorum sic inviolatam intendimus, ut ne minima quidem pateant despectui, ne paulatim in maximis decidamus; nec ita in modicis simplicibus statutis securitatem iniungimus, ut, maiori obligatione occurrente, minor observantia urgere nos audeat cum detrimento potioris.

V. Quod ne contingat interdum legum incompatibilitas temperetur, universis praelatis in Ordine dispensatoriam concedimus facultatem, ut, quoties prudenter et rationabiliter expedire iudicaverint, huiusmodi observantias fratribus indulgere valeant, et eas quidem praecipue quae divinum officium, aut captivorum redemptionem, vel praecisam et communem Ordinis utilitatem impediant, aut generaliter quando minor obligatio et observantia cum minori complicata videatur. Ab hac tamen dispensatoriâ facultate excipimus ea, quae iure communi nostrarumve constitutionum ipsis expresse prohibentur.

VI. Fratribus autem expedit super omnia summo studio perpendere, corrigere, et mensura[1], tam regula quam constitutiones praemissae ad conscientiae forum pertineant, nec[2] videlicet transgressionis scrupulus eos in angustiâ constituat, vel inobservantia transeat in contemptum, et lapsus iterati ducant paulisper in foveam.

VII. Et licet superius dist. III cap. I *De obedientiâ* iam super hoc regulae sint praemissae, eas tamen fratribus non inportune inculcabimus, ut in eorum cordibus defixae permaneant, neque illarum oblivio vergat in conscientiae periculum. Unde memores eos facimus quod regula et constitutio, aut etiam praelatorum verba seu iussa, nullatenus eos obligant ad culpam quae theologica dicitur, sed tantum ad poenam, nisi ubi adsit praeceptum formalis obedientiae, vel contemptus praelati, constitutionis, aut regulae, vel nisi in materiâ quae iam aliunde obligat ex voto vel praecepto.

VIII. Praeceptum autem formalis obedientiae tunc debent intelligere fratres, cum praelatus, regula, vel constitutio praecipit in virtute obedientiae, aut sub aliis verbis, poenis et execrationibus, quae affectum et intentionem obligandi significant modo ibidem praefixo. Quomodo autem praelatus nonnisi in[1] materiâ gravi illis uti debeant, et quae sit illa, iam similiter in eodem loco exposuimus.

IX. Circa poenas vero, quas interdum constitutionibus adiicimus, quando et quemadmodum incurrantur, similiter in dist. V[2] cap. I *De poenis in genere* regulam praelibavimus, quam semper fratres habere prae oculis omni studio consulimus, ne per negligentiam aut errorem se innoxios aliquando reputent, vel per livorem alios innodatos existiment. Quicumque autem praemissam regulam et constitutiones sequuti fuerint, pax super illos et misericordia, et super Israël Dei. *Amen.*

*Actuum et sessionum definitorii generalis finis factus est in Dei Salvatoris nostri eiusque sanctissimae Genitricis gloriam et honorem die* XXX *novembris anno* MDCLXXXVIII. Dies absolutae compilationis.

Fr. Iosephus Linas, magister generalis; Subscriptiones. Fr. Petrus Garcia Castellae, provincialis; Fr. Michaël Mareis, exprovincialis et definitor generalis Castellae; Fr. Marcus de

1 Emendet qui potest (R. T.).
2 Forsan *ne* legendum (R. T.).

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).
2 Edit. Main. legit *15* (R. T.).

Ostos, exprovincialis ac definitor generalis Vandaliae; Fr. Iosephus Brizeno, exprovincialis Chilensis; Fr. Damianus Stephanus, definitor generalis Valentiae; Fr. Michaël de Ulate, praesentatus, huiusque generalis definitorii secretarius.

Attestatio secretarii.

*Cum suo originali, quod in generalium capitulorum libro manet exaratum, recte cohaeret: in cuius rei testimonium me totius Ordinis generalem secretarium subscripsi.*

*Fr.* Ioannes Navarra, *magister definitor, et secretarius generalis.*

Preces procuratoris generalis.

§ 2. Quare praefatus Martinus Salvator procurator generalis nobis humiliter supplicari fecit ut constitutiones huiusmodi apostolicae confirmationis patrocinio communire de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio relatae compilationis

§ 3. Nos igitur, ipsius Martini Salvatoris procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas constitutiones praeinsertas, et in eis contenta quaecumque, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos iuris et facti ac solemnitatum quarumcumque in similibus etiam de necessitate observandarum, aliosve quoslibet etiam formales et substantiales defectus, si qui in praemissis principaliter, vel accessorie, aut aliàs quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censeri vel praetendi póssent, penitus et omnino supplemus et sanamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras ac constitutiones praeinsertas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apóstolicis etiam Ordini praedicto illiusque superioribus, fratribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importan-

tes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur vel inserentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, ad effectum praesentium, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII decembris MDCXCI, pontificatus nostri anno I.

**Dat. die 7 decembris 1691, pontif. annô I.**

---

## XVII.

*Confirmantur quaedam decreta fratrum Eremitarum sancti Augustini provinciae Baeticae circa institutionem novorum magistrorum*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Numerus magistrorum auctus fuit ab Alexandro VIII.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae Baeticae Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini, quod, cum aliàs felicis recordationis Alexander Papa VIII praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras die XXI ianuarii MDCXC expeditas indulserit, ut de cetero senarius dictae provinciae magistrorum numerus ad duodenarium, sub certis modo et formâ tunc expressis, augeretur, capitulum provinciale provinciae supradictae, novissime, videlicet annô MDCXCI, habitum, maiori ipsius provinciae bono et decori unice intentum, ac ut incommodis, quae exinde aliàs in tranquillitatis eiusdem provinciae perturbationem oriri potuissent, occurreret, conditiones seu leges quasdam in magistrorum huiusmodi institutione servandas proposuit per suum decretum desuper emanatum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum capituli provincialis.

« Cum felicis recordationis sanctissimi domini nostri Alexandri divinâ providentiâ Papae VIII Breve, datum Romae apud S. Mariam Maiorem, die XXI mensis ianuarii anni proxime praeteriti MDCXC, sic incipiens *Ex iniuncto nobis*, etc. in archivio provinciae asservatum, definitorio constiterit, et attente cognitum fuerit, in quo praedicti domini nostri benignitas, huic Baeticae provinciae fovere cupiens, illi concedit magisteriorum numerum senarium praeter aliorum sex numerum, quo provincia haec pluries[1] ab hinc annis fruebatur; quod cum inspectum diligenter fuerit, et a patribus definitorii diligentiâ maximâ revisum: praedicti patres decrevere dictam magisteriorum gratiam debere admitti et acceptandam esse, sicuti de facto accipit et admittit, his tamen servandis conditionibus: quod praedicta magisteria sunt taliter distribuenda, ut semper partialitas provinciae ex his sex magisteriis quatuor obtineat, unum partialitas Hispalensis, Estremadurae autem partialitas restans aliud. Et ut distributio haec

1 Constitutio Alex. VIII hîc laudata, quo auctus fuit numerus magistrorum, extat ed. MDCXC, die 21 ianuarii, pontif. I. Similes constitutiones habentur editae MDCXC, die 31 iulii, pontif. I, pro provinciâ Quitensi, et MDCXCII, die 28 septembris, pontif. III, pro provinciâ Mexicanâ.

1 Legendum *pluribus* (R. T.).

toto fiat iustitiae rigore, et subiectis dignioribus praedicta magisteria conferantur, decrevit definitorium, cui inest subiectorum clara notitia, ad dicta magisteria numeralia, et ad sex alia, quibus potiebatur antea provincia, non admittendos esse patres quos non expresse et specialiter ad magisterium numeri definitorium postulaverit. Ad quem gradum nullus postulabitur a provincià, qui duodecim annorum completorum spatio publicus philosophiae et theologiae professor intra limites provinciae non steterit, sexque generalium actuum praesidens agnoscatur, ex quibus conclusionum actibus, ad minus quinque sacrae theologiae esse debebunt. Et ne dispensationes, quas, ut obtineant praedicta magisteria, patres solent acquirere, emeritorum ius enervantes, sortiantur effectum, decernit definitorium patri reverendissimo supplicationem esse faciendam a quacumque, quam sua reverendissima circa hoc expedierit, dispensatione; ne, qui praedictum lectoratus tempus impleverint, digniores que inveniantur, iunioribus, qui tempus non expleverint, postponantur, ex quo solent quamplurima damna nasci, plurimaeque seditiones oriri. Statuit idem definitorium, praedictam postulationem ad numeri magisteria nullatenus efficiendam, quousque aliquod ex praedictis vacaverit magisterium; quae tamen postulatio a definitorio plena[1] facienda est, et pro subiectis earumdem partialitatum, quarum erant praecedentes patres magistri vità functi. Et tandem, ut magisteriorum provisio rectius fiat ex duodecim numeralibus magisteriis, quibus provinvia fungitur, ex quibus sunt sex antiqua, et noviter concessa sex, definitorium patrem reverendissimum existentem et pro tempore extiturum exorat, ut, quando vacare contigerit numerale magisterium, magistrum constituat unum ex duobus, vel tribus, et non amplius, a definitorio proponendis, tamquam omnibus requisitis instructioribus et dignioribus, quin pater reverendissimus existens vel extiturus possit obligare provinciam, ut plures alios proponat quam illos, quos pro primà vice ad magisterium numerale postulavit. Quem tamen ordinem servandum rogat non solum in noviter concessis magisteriis, sed etiam in antiquis, quae pacifice possidet provincia. Quibus conditionibus a patre reverendissimo benigne admissis, gratia sanctissimi domini nostri, et non aliter (ob incommoda gravia inde absque dubio in pacem provinciae progignenda), admittitur, ita taliter[1], quod, si pater reverendissimus has conditiones renuerit acceptare, decernit definitorium ad Sanctissimum recurrendum, enixe rogans ut Breve praedictum nullius sit roboris, efficaciae nullius; si autem pater reverendissimus praedictas approbat conditiones, statuit definitorium sanctissimum dominum nostrum exorandum, ut dispositio haec suà confirmatione stabilis perseveret, simul praecipiens, quod ex duodecim magisteriis numeralibus ad partialitatem provinciae octo pertineant, duo ad Hispalensem, et alia quae supersunt duo ad partialitatem Extremadurae ».

Et subinde dictus filius Fulgentius Travalloni prior generalis dicti Ordinis suum pariter decretum super praemissis edidit tenoris sequentis, nempe: « *Magister frater Fulgentius Travalloni a Monte Elparo Georginas totius Ordinis fratrum Eremitarum sancti patris nostri Augustini prior generalis.* Inspectis retroscriptis actis capitularibus nostrae provinciae Baeticae, ac de consilio admodum reverendissimorum pa- Decretum prioris generalis.

1 Videtur legendum *pleno* vel *plane* (R. T.).

1 Forsan *tamen* pro *taliter* legendum (R. T.).

trum nobis assistentium serio ac diligenter examinatis, primo annuendum et laudandum censuimus, quod Breve apostolicum Alexandri felicis recordationis Papae VIII de extensione magistrorum ad numerum duodenarium sub conditionibus expressis in primo decreto executioni mandetur; ita tamen, ut pro singulis locis magistrorum de numero duodenario, quoties vacaverint, tres ad minus nisi doctrinâ et statutis conditionibus praediti a pleno definitorio proponantur et postulentur, ex quibus ad reverendissimum patrem generalem pro tempore existentem aliquem eligere, atque in magistrum numerarium instituere spectabit, prout meritorum, laborum et boni provinciae ratio postulaverit ».

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipsi exponentes, decreta huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta a memoratis capitulo provinciali et Fulgentio priore generali edita, ut praefertur, cum omnibus et singulis in eis respective contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii adostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II februarii MDCXCII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 2 februarii 1692, pontif. anno I.

---

## XVIII.

*Permittitur moderatio particulae constitutionum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum Discalceato-*

*rum Congregationis Hispaniae de nonnullis ad habitum non recipiendis*[1].

**Innocentius Papa XII,
ad perpetuam rei memoriam.**

Constitutiones a quo confirmatae, et particula praedicta refertur.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus a Iesu procurator generalis Congregationis Hispaniae fratrum Discalcalceatorum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, quod in constitutionibus dictae Congregationis, a felicis recordationis Clemente Papa X praedecessore nostro per quasdam suas in simili formâ Brevis die I iulii MDCLXXVI expeditas litteras in formâ specificâ confirmatis, cap. XLII § 2, ubi agitur de personis ad habitum per fratres eiusdem Congregationis gestari solitum non admittendis, inter cetera disponitur hoc verborum tenore: « Nec etiam admittatur neophytus, nec qui descenderit per lineam rectam in quolibet gradu a iudaeis, haereticis, mauris, vel mauristis, nec ullus, cuius praedecessores per lineam etiam rectam, ac in quolibet gradu, ob haeresis, vel iudaismi, vel sectae mahumetanae crimina puniti fuerint ab haereticae pravitatis inquisitoribus: quod si aliquis ex dictis in hac constitutione, celans aliquod ex praenarratis impedimentis, professionem fecerit apud nos, statim ac detegatur tale impedimentum, eiiciatur, quia religio non praestat suum consensum ad talem professionem. Quapropter omnes in publico coram communitate moneantur ante receptionem habitus, et etiam ante professionem, quod, si habent aliquod ex impedimentis in hoc numero enarratis, professio (etiamsi fiat) invalida et nulla est, quamvis pluribus annis in religione sint ».

Causa moderationis.

§ 2. Cum autem, sicut[1] eadem expositio subiungebat, praeinserta constitutio, tempore quo Congregatio huiusmodi in Hispaniâ dumtaxat reperiebatur facta fuerit, nunc vero, cum eadem Congregatio, adiuvante Domino, per Germaniam, Poloniam et alias mundi partes propagetur, experientiâ compertum sit constitutionem praedictam extra Hispaniam quoad descendentes ab haereticis servari non posse: nos propterea, dicti Petri procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, enunciatam constitutionem, quoad descendentes ab haereticis tantum, tam quoad admissos, quam quoad admittendos, tam ad habitum quam ad professionem in praefatâ religione, auctoritate nostrâ apostolicâ, tenore praesentium moderamur; firmâ tamen remanente ipsâ constitutione quoad Hispaniam et Lusitaniam, ac salvâ semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae

§ 3. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore

1 Dictae constitutiones confirmatae fuere a Clemente X constit. edit. MDCLXXVI, die 1 iulii; et a Clemente XI constit. edit. MDCCXIX, die 6 decembris, pontif. XIX, confirmatum decretum circa mutationem habitus donatorum.

1 Voces *autem*, *sicut* nos addimus (R. T.).

quandocumque spectabit, in omnia et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter et ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I martii MDCXCII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 martii 1692, pontif. anno I.



## XIX.

*Conceditur collegio S. Antonii civitatis Cuscan in Indiis Occidentalibus facultas conferendi gradus scholasticos* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium. Æternae sapientiae consilio ad Ecclesiae catholicae per universum terrarum orbem diffusae regimen, meritis licet imparibus, evecti, laudabilibus eorum studiis, per quae christifidelium, praesertim in remotissimis ab hac Sanctâ Sede partibus degentium, in doctrinâ sanâ institutioni atque eruditioni consulitur, peculiarem pastoralis muneris nostri sollecitudinem, cum a nobis petitur, et reges orthodoxi magnis in Ecclesiam Dei meritis fulgentes vota sua in id dirigunt, libenti animo adhibemus, sicut, omnibus mature perpensis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Describitur dictum collegium. § 1. Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici nobis per dilectum filium nobilem virum modernum ducem de Medinacaeli ipsius Caroli regis apud nos et Sedem Apostolicam oratorem expositum fuit, quod, cum in civitate Cuscan in Indiis Occidentalibus iam inde ab anno MDXCII erectum reperiatur sub invocatione seu titulo S. Antonii abbatis unum collegium seu seminarium ecclesiasticum, de iure patronatus praedicti Caroli regis existens, quinque cathedras regiâ impensâ fundatas habens, tres videlicet philosophiae et duas sacrae theologiae, quae collegialibus ipsius collegii per concursum conferuntur, atque ad

1 De huiusmodi gradibus aliis universitatibus concessis vide Alexandri VIII const. edit. MDCXC, die 7 novembris, pontif. II; et in huius Pontificis constit. edit. MDCXCIV, die 27 aprilis, pontif. III, conceduntur alia privilegia collegio Barisiensi Scotorum.

idem collegium nobiliores illarum partium iuvenes studiorum causâ se conferant, degantque in eo centum plerumque collegiales, qui, praeter bonarum litterarum studia, quibus ibidem operam navant, cathedrali ecclesiae Cuscan debitis temporibus inserviunt, necnon inde viri sacris missionibus, curae animarum, ac servitio Ecclesiae valde utiles et fructuosi prodierint; id vero unum eidem collegio deesse videatur, quod eius collegiales supradicti, seu alii illius scholares, studiosis suis laboribus peractis, graduum litterariorum praemium consequi nequeunt, eo quia universitas studii generalis Limana quingentis circiter milliaribus a dictâ civitate Cuscan distat, nec in alio collegio S. Bernardi Cuscan, quod a clericis regularibus Societatis Iesu regitur, et in quo ceteroqui examen eorum, qui subinde ad gradus scholasticos per episcopum Cuscan promovendi sunt, habetur, examini huiusmodi se subiicere valent, propter differentiam scholarum; quandoquidem collegiales collegii S. Antonii huiusmodi, quod aliàs antiquius existit, et praerogativâ praecedentiae super collegium S. Bernardi supradictum fruitur, a primaevâ institutione in eorum primo ingressu ad sequendam doctrinam S. Thomae Aquinatis iuramento se adstringunt, illique incumbunt: ipse Carolus rex plurimum cupit eisdem collegialibus, seu aliis scholaribus collegii S. Antonii huiusmodi a nobis indulgeri, ut, absolutis studiis, et praevio examine per cathedraticos conventus S. Dominici dictae civitatis Cuscuan Ordinis fratrum Praedicatorum, attentâ doctrinae consensione, faciendo, baccalaureatus, licentiaturae, magisterii et doctoratus in philosophiâ et sacrâ theologiâ gradus a pro tempore existente episcopo Cuscuanensi, ecclesiae vero Cuscuanensis sede episcopali vacante, a capitulo illius ecclesiae in conventu supradicto suscipere valeant. Nobis propterea memorati Caroli regis nomine humiliter supplicatum fuit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Permissio praedicta.

§ 2. Nos igitur, piis eiusdem Caroli regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, episcopo Cuscuanensi, sive eius vicario in spiritualibus generali, cum vero ecclesiam Cuscuanensem vacare contigerit, vicario capitulari ecclesiae huiusmodi, illius sede episcopali vacante, legitime deputato, respective pro tempore existentibus, donec et quousque publica universitas in dictâ civitate Cuscuanensi erigatur, illos ex collegialibus seu aliis scholaribus collegii S. Antonii supradicti, qui, peracto studiorum curriculo, ac praevio examine non modo ab ipsius collegii S. Antonii, sed etiam memorati conventus S. Dominici cathedraticis faciendo, habiles et idonei reperti fuerint, baccalaureatus, licentiaturae ac doctoratus et magisterii in philosophiâ et sacrâ theologiâ huiusmodi gradus, servatâ tamen in omnibus et per omnia formâ decretorum Viennensis et Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, auctoritate nostrâ apostolicâ conferendi facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impartimur; locum vero, in quo graduum huiusmodi collatio facienda erit, episcopi et vicarii capitularis praefatorum arbitrio respective remittimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I martii MDCXCII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 martii 1690, pontif. anno I.

---

## XX.

*Confirmatur decretum Congregationis particularis in causâ nonnullarum provinciarum Ordinis Carthusiensis*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Decretum praedictum.

§ 1. Aliàs, in causâ inter dilectos filios procuratorem generalem Ordinis Carthusiensis ex unâ et fratres laicos seu conversos duarum provinciarum Hispaniarum dicti Ordinis ex alterâ partibus vertente, emanavit a particulari Congregatione nonnullorum ex tunc existentium S. R. E. cardinalium, a felicis recordationis Alexandro Papa VIII praedecessore nostro specialiter deputatâ, decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « In causâ vertente inter patrem procuratorem generalem Ordinis Carthusianorum ex unâ et laicos duarum provinciarum Hispaniarum eiusdem Ordinis partibus ex alterâ, Congregatio nonnullorum eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium per sanctissimum dominum nostrum specialiter deputata, partibus ipsis informantibus, referente eminentissimo De Laurea, infrascriptum in modum respondendum censuit, nempe: Ad $1^{um}$ quoad habitum donatorum, et praecipue quoad caputium, in duabus provinciis Hispaniarum servandam esse consuetudinem; Ad $2^{um}$, conversis non competere votum in capitulis conventualibus; Ad $3^{um}$, circa receptionem conversorum servandas esse constitutiones Ordinis, part. III cap. I, n. XVI; Ad $4^{um}$, quoad praesentiam donatorum in capitulis culparum, et quoad interven-

[1] In Innocentii XI constit. ed. MDCLXXXII, die 11 septembris, pontif. VIII, extat quaedam declaratio Congregationis Rituum circa processionem; et in huius Pontificis constit. ed. MDCXCII, die 4 novembris, pontif. II, alia circa prohibitionem egressus ab eremo.

tum donatorum insimul et conversorum in ecclesiis et refectoriis, itidem servandas esse constitutiones Ordinis; Ad 5um, spatiamenta monachorum non competere conversis: causamque praedictam non esse amplius proponendam. Romae, XXIX martii MDCXC. G. card. CARPINEUS. A. ALTOVITUS secretarius ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus procurator generalis nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinium communiri plurimum desideret: nos, specialem ipsi procuratori generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, ac omnia et singula in eo contenta et expressa, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari ed definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI aprilis MDCXCII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 aprilis 1692, pontif. anno I.

---

## XXI.

*Confirmantur decreta circa alternativam inter fratres Minores S. Francisci de Observantiâ reformatos provinciae S. Nicolai*[1].

1 Extant aliae alternativae in Innocentii XI const. ed. MDCLXXXVIII, die 3 iunii, pontif XII,

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Institutio alternativae.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus minister provincialis provinciae S. Nicolai Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum, quod aliàs dilectus pariter filius Ioannes ab Aquila frater expresse professus dicti Ordinis, cum in eâdem provinciâ, quae in duas partes, videlicet Barensem et Liciensem, divisa reperitur, munere commissarii visitatoris fungeretur, dissensiones componere, et inconvenientibus, quae inter fratres provinciae huiusmodi capitularium aliarumque similium electionum occasione oriebantur, occurrere cupiens, pro communi ipsius provinciae beneficio et quiete concordiam quamdam seu alternativam ab omnibus dictae provinciae vocalibus legitime ad id congregatis firmari et acceptari ac unanimi omnium consensu subscribi curavit per decretum capituli provincialis in conventu Tarentini S. Antonii die VI aprilis MDCXC desuper emanatum, tenoris qui sequitur, videlicet: « Decretum provinciale [1]. Cum toti huic provinciae strictioris observantiae S. Nicolai universalis rumor acceperit paci consulendae, pietati firmandae, iurgiis dissidiisque totam provinciam vagantibus; quippe plausu et omnium religiosorum consensu desiderare non destitit ut provincia aequâ iustitiâ gubernetur, et partium causa ad tribunal eminentissimi domini nostri Alderani Cybo, vigilantis protectoris, atque reverendissimi patris nostri Caroli Francisci de Varesio, dignissimi commissarii generalis, devolvenda scrutinio deliberaretur, ut in posterum dissidia cederent, et Barensis religiosorum pars atque Liciensis invicem ne altercari audeat, magno saecularium scandalo, strictioris observantiae detrimento: ideo admodum reverendus pater Ioannes ab Aquila in hac divi Nicolai provinciâ actualis commissarius visitator, auditis omnium utriusque partis vocibus, et toto animo stabilimentum communi paci investigans, ipsemet non alio desiderio ardens, nisi iurgia abolere, nisi pacem firmare, nisi iustitiae consulere, tandem certiores redditi eminentissimus protector et reverendissimus pater commissarius generalis praefati eidem commissario visitatori decreto transcripsit, ut videre est in calce: Nos frater Carolus Franciscus de Varesio, etc., et sub fine omnes adamussim observent. Cum voto eminentissimi domini nostri protectoris ipse pater commissarius generalis magnâ cum prudentiâ et iustitiâ ad officia ipsius provinciae obeunda alternativam transmisit, omni iustitiae consonam, praecipiendo in virtute sanctae obedientiae et sub poenis contra inobedientes et rebelles a legibus taxatis. Inde pater commissarius visitator, perpensis mature omnium desideriis, decretum reverendi patris commissarii generalis publicat et eius mentem in hoc nostro provinciali decreto firmare decernit, quam videre est in originali decreto citato, ut supra. Alternativam (sic aiens) provincialatus eiusdem provinciae ponendam, stabiliendam, atque in perpetuum figendam esse iudicamus inter patres seu religiosos partium, nationum, seu provinciarum Barensis et Liciensis. Unde admodum reverendi patres commissarii et iudex ministri provincialis, cum patribus definitorii et vocalibus provinciae ad comitia provincialia convocatis talem

in electione commissarii; et pro provinciâ Ianuensi in huius Pontificis constit. ed. die 7 ianuarii, pontif. V.

[1] Textum decreti quod sequitur corrigere desperamus (R. T.).

alternativam toto animo acceptare desiderantibus, ita quod in quibuslibet comitiis provincialibus seu capitularibus congressibus pars Liciensis habeat in definitorio tres satisfactiones, et etiam tres pars alia Barensis, tali ordine, et[1] pars Liciensis, tamquam copiosior fratribus et conventibus, successive per duas vices habeat provincialatus officium, ipsum habere incipiendo a proximo imminenti capitulo, cum adscriptione duorum rationalium patrum in definitorio, ideoque in singulos novennos annos pars Barensis habeat semel provinciale cum duobus definitoribus, et alio sexennio custodes cum definitoribus binis, in unoquoque triennio: sic Licienses per consequens habeant reliqua in definitorio officia. Praeterea disponere etiam volumus guardianatus pro eiusdem provinciae communi pace et sine offensione iustitiae distributivae, ita quod patres Barenses duodecim habeant guardianias; ne autem summa inaequalitas videatur in electionibus futurorum capitulorum, volumus duas alias guardianias addi parti Barensium, ita quod duo alii guardiani eligantur a Barensibus ad ipsorum satisfactionem, sed eligendi sint natione Licienses, usque dum conventus ab ipsis recipiendi ad aequalem numerum pervenerint conventuum Liciensium. Si vero in futurum conventus Barenses Liciensium numerum excesserint, ad aequalitatem in utramque partem reductum iri censemus. Quapropter partem Barensem duodecim guardianiis confectam praescribemus geografice et secundum naturam per divisionem, vulgo *la Gravina di Castellaneta*, et provinciam Liciensem a Castellaneta exclusive usque ad Praesitium. Pariformiter, ut radicitus omnis dissensionis fomentum tollatur in receptione noviorum, quae indifferenter fieri debet, praecipimus, ut de receptis et approbatis intra numerum solitum a sacrâ Congregatione concedi pro quolibet anno duodecim iuvenes, octo clerici, quatuor laici, de melioribus respective pro parte Barensi recipiantur ad habitum et professionem; reliqui vero pro complemento numeri praefixi a sacrâ Congregatione ex aliâ parte tamquam numerosiori vestiantur. Unde consulto admodum reverendi patres commissarius visitator et iudex, minister provincialis, custos et patres omnes definitores, quam vocales, ad pedes eminentissimi protectoris et reverendi patris commissarii generalis subiicientes unanimi consensu, quo maiori favore deprecantium vota prosequi dignentur, pro maioris roboris validitate, apud sacram Congregationem cardinalium decreto obsignari. Et quae in hoc decreto praescribuntur ab omnibus in futurum adamussim observentur, sub poenâ nullitatis electionum, quae in contrarium oriri possint. Datum Tarenti in loco nostri discretorii conventus S. Antonii tempore comitiorum provincialium, die VI aprilis MDCXC ».

Ego fr. Thomas a Matera lector theologiae provinciae Barensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Franciscus a Veliis lector sacrae theologiae provinciae Licensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Theodorus a Tarento lector sacrae theologiae provinciae Lic ensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Cherubinus a Nerito lector sacrae theologiae provinciae Liciensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Seraphinus a Turo theologus generalis guardianus et vocalis acceptavi ut supra, provinciae Barensis.

Ego fr. Franciscus Maria Valenzano theologus guardianus et vocalis acceptavi ut supra.

Ego fr. Franciscus a Gravina provinciae Barensis vocalis acceptavi ut supra.

1 Videtur legendum *ut* (R. T.).

Ego fr. Franciscus a Cellerario provinciae Barensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Bonaventura a Brisuto provinciae Barensis theologus guardianus acceptavi ut supra.

Ego fr. Franciscus a Turre lector provinciae Liciensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Antonius ab Alliste provinciae Liciensis guardianus vocalis acceptavi ut supra.

Ego fr. Bernardus a S. Vito provinciae Liciensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Bonaventura a Gallipoli provinciae Liciensis guardianus acceptavi ut supra.

Ego fr. Antonius a Nucibus guardianus provinciae Barensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Bartholomaeus a Castellaneta guardianus provinciae Barensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Antonius a Crinola guardianus provinciae Barensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Angelus a Criptaliis guardianus provinciae Liciensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Bonaventura a Castellaneta guardianus provinciae Barensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Ioseph Maria a Francavilla guardianus provinciae Liciensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Bernardinus a Gravina guardianus provinciae Barensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Ioannes a Bario guardianus provinciae Barensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Ioannes a Castelletto guardianus provinciae Barensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Franciscus a Leghis guardianus provinciae Liciensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Antonius a Castro Graecorum guardianus provinciae Liciensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Nicolaus guardianus provinciae Barensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Ludovicus a Mandurio exdefinitor et guardianus provinciae Liciensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Iacobus ab Altamura exdefinitor et guardianus provinciae Barensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Bonaventura ab Altamura exdefinitor et guardianus provinciae Barensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Bernardus a Cequolis exdefinitor provinciae Liciensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Angelus a Solero exdefinitor provinciae Liciensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Ioannes a Turo guardianus Barensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Antonius a Brundusio definitor actualis provinciae Liciensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Antonius a Malleis definitor actualis provinciae Liciensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Bonaventura a Francavilla definitor actualis provinciae Liciensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Antonius a Ionia definitor actualis provinciae Liciensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Honuphrius custos actualis provinciae Liciensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Laurentius a Licio guardianus exminister provincialis Liciensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Honuphrius a Cannato minister provincialis provinciae Barensis acceptavi ut supra.

Ego fr. Ioannes ab Aquila commissarius visitator.

*Decretum commissarii generalis.*

Et subinde dilectus etiam filius Carolus Franciscus de Varesio tunc temporis commissarius generalis dicti Ordinis decretum praeinsertum confirmavit ac observari mandavit per suum pariter decretum tenoris sequentis, nempe: « Decretum confirmationis. Ex debito pastoralis officii paci et tranquillitati nostrae reformatae provinciae S. Nicolai Barensis consulentes, alternativam in retroscripto instrumento descriptam et in pleno capitulo celebrato Tarenti die VI aprilis MDCXC examinatam, propriis subscriptionibus firmatam, et acceptatam a patribus vocalibus unanimi consensu et communi omnium laetitiâ, in executione ponendam, stabiliendam, atque in perpetuum figendam esse indicamus inter patres seu religiosos partium, na-

tionum, seu provinciarum Barensis scilicet et Liciensis; ideo tenore praesentium praefatam alternativam, prout in dicto instrumento iacet extensam praefigimus, stabilimus et confirmamus tamquam rationabilem, atque secundum iustitiae distributivae praescriptum, maiorique pacis ac tranquillitatis augmento accomodatam, nec non fixam, approbatam et confirmatam conditione, serie et ordine superius expresso volumus haberi ab omnibus eiusdem provinciae, tam superioribus, quam subditis; praecipientes in virtute sanctae obedientiae et sub poenis contra inobedientes et rebelles a legibus taxatis, et in omnibus capitulis, congregationibus et congressibus in posterum faciendis, quae in eâ praescripta sunt omnes inviolabiliter observent, nec contra praefata aliquid attentare praesumant, sub poenâ excommunicationis ipso facto incurrendâ. Datum ex nostro Aracaelitano conventu de Urbe hac die XXVI aprilis MDCXC. — Frater CAROLUS FRANCISCUS de Varesio commissarius generalis: de mandato suae paternitatis reverendissimae, fr. INNOCENTIUS DE CRIPTIS secretarius ».

Decretum cardinalis protectoris.

Ac demum venerabilis frater noster Alderanus episcopus Ostiensis S. R. E. cardinalis Cybo nuncupatus, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protector, suum quoque decretum super praemissis edidit tenoris qui sequitur, videlicet: « Alderanus miseratione divinâ episcopus Ostiensis S. R. E. cardinalis Cybo sacri collegii decanus, ac totius Ordinis sancti Francisci apud Sanctam Sedem protector. Cum retroscriptae conventiones et pacta pro conciliandâ et stabiliendâ religiosorum pace et quiete in provinciâ reformatâ S. Nicolai de consensu totius capituli provincialis decreta fuerint, necnon per commissarium generalem approbata et confirmata: nos, huiusmodi pacem tranquillitatemque summopere cupientes, praenarratas conventiones, decreta, pacta, alternativam, auctoritate qua fungimur protectoris, confirmamus et approbamus, non solum praemisso, sed etiam meliori modo. Praecipientes omnibus et singulis superioribus et subditis praefatae provinciae et quibuscumque aliis districte in virtute sanctae obedientiae, ne in posterum quovis praetextu aut quaesito colore, directe vel indirecte, contra praedictum concordatum et alternativam aliquid innovare aut attentare praesumant, sed, prout iacent, eam servent et executioni mandent, nedum sub poenis in decreto commissarii generalis, sed nullitate omnium actuum, aliisque arbitrio nostro et pro tempore existentis protectoris infligendis. Non obstantibus, etc. Datum Romae hac die XVI martii[1] MDCXC. — A. cardinalis CYBO protector ».

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus minister provincialis decreta huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, specialem ipsi ministro provinciali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposito-

[1] Videtur legendum *maii* pro *martii* (R. T.).

rum consilio, et attentis dicti Alderani episcopi cardinalis et protectoris ac dilecti pariter filii moderni commissarii generalis Ordinis huiusmodi relationibus ad eosdem cardinales transmissis, decreta praeinserta a memoratis capitulo provinciali, ac Carolo Francisco tunc commissario generali, et Alderano episcopo Carolo et protectore edita, ut praefertur, cum omnibus et singulis in eis respective contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII maii MDCXCII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 17 maii 1692, pontif. anno I.

---

## XXII.

*Conceditur ministro generali Tertii Ordinis sancti Francisci facultas conferendi doctoratus lauream suis religiosis.*

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Causa huius constitutionis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Locatus a Bergamo, prior generalis fratrum Tertii Ordinis sancti Francisci, quod, cum ex praescripto constitutionum dicti Ordinis, praesertim illarum quae a felicis recordationis Innocentio Papa X praedecessore nostro per quasdam suas in simili formâ Brevis die VI novembris MDCXLVIII emanatas litteras in formâ specificâ confirmatae fuerunt, illi qui ex Ordine huiusmodi doctoratus seu magisterii lauream suscepturi sunt, debeant prius philosophiam per triennium legere, et deinde, onere sacram theologiam per quadriennium legendi indispensabiliter suscepto, litteras patentes a ministro generali pro tempore existenti Ordinis praefati obtinere, quarum subinde vigore, in aliquâ publicâ studii generalis universitate se praesentantes, laureâ huiusmodi decorantur, non pauci circa praemissa abusus irrepserunt; multi siquidem adeptâ laureâ huiusmodi quadriennalem eiusmodi sacrae theologiae lecturam negligunt, alii vero, etiam ipsâ triennali philosophiae lecturâ, eo quod aut labores reformident, aut se se ad id inhabiles

agnoscant, penitus vel in parte omissâ, litteras patentes supradictas, praepotenti patronorum interpositâ operâ et auctoritate, de manibus dicti ministri generalis extorquent, et inde in publicis studiorum generalium universitatibus, ubi nonnumquam magis lucrum quam virtutis meritum respicitur, doctoris seu magistri titulo decorantur, sicque privilegiis aliàs nonnisi vere magistris seu doctoribus competentibus gaudent, in maximam studiorum iacturam et aliorum antiquiorum sacerdotum dicti Ordinis praeiudicium, ac non sine evidenti religiosae paupertatis detrimento; quandoquidem isti sic laureandi notabiles pecuniarum summas in Ordine supradicto colligunt, illasque sic collectas foris expendunt et distrahunt.

Preces ministri et procuratoris generalis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes procurator generalis abusus huiusmodi tolli viamque illis in posterum praecludi plurimum desideret, nobis propterea idem Ioannes prior generalis etiam nomine dilecti filii Iacobi Guidotti a Bononia ministri generalis eiusdem Ordinis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio praedictae facultatis sub certis conditionibus.

§ 3. Nos igitur, eiusdem Ioannis procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet in innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, et attentâ relatione venerabilis fratris nostri Alderani episcopi Ostiensis S.R.E. cardinalis Cybo nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, praefatis cardinalibus, qui etiam dictum Iacobum ministrum generalem audiverunt, factâ, eidem Iacobo et pro tempore existenti ministro generali Ordinis huiusmodi facultatem, privative quoad omnes alios, conferendi doctoratus seu magisterii lauream fratribus in dicto Ordine professis, qui antea philosophiam per tres et super omnibus libris Sententiarum sacram theologiam per alios quatuor annos laudabiliter legerint et docuerint, ac duabus saltem publicis conclusionibus praesederint, et subinde ab eodem ministro generali, procuratore generali, vel, isto absente, ab uno per eum deputando, qui praeditus sit qualitatibus in ceteris examinationis ut infra requisitis, necnon tribus aliis eiusdem Ordinis in eâdem sacrâ theologiâ versatioribus, quique per septennium laudabiliter legerint, in capitulis generalibus vel provincialibus dumtaxat, et non alibi, examinati[1], et ab aliis[2], vel saltem a quatuor eorum, per secreta et reiterata vota tamquam idonei et laureâ digni approbati fuerint, itaut, si secus aliquâ in parte fieri contigerit, minister generalis privationis vocis activae et passivae, ac officiorum, si quae habuerint[3], et laureati nullitatis collatae laureae poenas respective ipso facto incurrant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis praedictorum cardinalium.

1 Edit. Main. legit *examinari* (R. T.).
2 Potius lege *illis* (R. T.).
3 Potius lege *habuerit* (R. T.).

Clausulae. § 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus praemissis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII maii MDCXCII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 17 maii 1692, pontif. anno I.

## XXIII.

*Confirmantur, innovantur, ampliantur et moderantur plurimae constitutiones de non concedendâ homicidis redeundi facultate absque Romani Pontificis mandato*[1].

**Innocentius episcopus  
servus servorum Dei,  
ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium a necessitate huius constitutionis petitum. Viros sanguinum et dolosos, qui, inhumanae saevitiae[2] et irae seu vindictae furore succensi, nedum corporibus mortem dare, sed non raro etiam Salvatoris nostri Iesu Christi pretiosissimo sanguine redemptis animabus, si non sint armis spiritualibus divinâ praeveniente gratiâ praemunitae, aeternam perditionem procurare non perhorrescunt, cum Domino abominantes, nostrorumque et Sanctae Sedis etiam in temporalibus immediate et mediate subditorum tranquillitati et paci, ac eorumdem et ministrorum iustitiae maiori securitati, eiusdemque iustitiae liberiori exercitio, quantum nobis ex alto conceditur, consulere cupientes, inter alias apostolicae sollicitudinis curas, quibus incessanter urgemur, in illam praecipue incumbimus, ut perditos nequitiae filios, qui a quorumcumque homicidiis, et a rectorum et ministrorum iustitiae necnon querelantium et testium offensionibus virtutis amore abstinere detrectant, formidine saltem poenae, et quidem irremissibilis, retrahamus. Cumque ex spe remissionis, compositionis, gratiosae rebannitionis, cassationis processus, seu banni, aut alterius gratiae assequendae, delictorum huius-

1 Consule constitutiones Pii II, Sixti IV, Clementis VII, Pii IV et Pii V infra citatas. Ad evitanda homicidia non parum conducit Alexandri VIII constit. ed. MDCXC, die 13 augusti, pontif. I, *De delatione armorum*.

2 Ed. Main. legit *in humana saevitia* (R. T.).

modi facilitatem et frequentiam etiam procedere[1] experientia rerum magistra docuerit, ut hanc quoque detestabilem et perniciosam spem magis magisque adimamus et recidamus, ac delicta huiusmodi, quantum fieri potest, arceamus, ea quae a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus desuper statuta et provide ordinata fuisse comperimus, ut eo maiorem obtineant firmitatem, quo saepius fuerint apostolico praesidio communita, nostrae confirmationis patrocinio roboramus, eaque de novo statuimus, seu aliàs ampliamus, immutamus, et in honorem eximiae S. R. E. cardinalium de latere legatorum dignitatis respective moderamur, prout rationabiles causae persuadent, et in Domino conspicimus salubriter expedire.

A Pio II adempta fuit omnibus facultas revocandi bannitos homicidas.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Pius Papa II praedecessor noster, ad cuius audientiam pervenerat quod in terris, locis et tenimentis tunc sibi et Romanae Ecclesiae mediate et immediate subiectis quamplurima etiam ex levibus causis commissa esse reperiebantur homicidia, idcirco tunc suos et Ecclesiae Romanae praedictae mediate et immediate subiectos pacificos fore et modestos, ac loca praedicta sicariis, homicidis et malefactoribus expurgare desiderans, inter cetera statuit et decrevit, quod omnes illi, qui pro delicto homicidii fuissent condemnati, seu aliàs de civitate aliquâ et districtu illius banniti, non possent ad civitatem seu districtum huiusmodi quocumque tempore redire, seu in eis vel eorum altero moram trahere, etiam habitâ pace ab haeredibus vel consanguineis seu filiis ipsius occisi, nec legatus, etiam de latere, aut gubernator, qui pro tempore fuisset, vel quivis alius, posset auctoritate apostolicâ, seu ex officio suae legationis, aliquem homicidam sic exbannitum rebannire, reducere seu revocare ad civitatem, seu districtum, aut eorum alterum, seu ei licentiam vel salvum conductum concedere redeundi seu morandi in eis vel eorum altero, in perpetuum, vel ad tempus modicum sive magnum, nec etiam per diem unum sive noctem. Quod si secus per quemquam ex praedictis factum fuisset, incideret in poenam excommunicationis ipso facto sine ulteriori sententiâ declarationis, a qua per alium quam per Summum Pontificem, et tunc factâ de hoc speciali expressione, non posset absolvi; ac reductio, licentia, revocatio, salvus conductus et cessatio processus et banni huiusmodi essent ipso iure nulla, nulliusque roboris et momenti, adiectis aliis poenis, inhabilitationibus, censuris et decretis; et aliàs, prout in eiusdem Pii anno Incarnationis Dominicae MCDLXI, V kalendas februarii, pontificatus sui anno IV expeditis litteris plenius continetur.

Constitutio praedicti Pii confirmata fuit a Sixto IV, etiam quoad distantiam quinquaginta milliarium.

§ 2. Et successive recolendae memoriae Sixtus Papa IV similiter praedecessor noster, accepto per eum, quod contenta in litteris Pii praedecessoris huiusmodi a certis temporibus tunc elapsis non fuerant observata, et ex illorum non observantiâ subditi praedictae Ecclesiae procliviores erant ad homicidia committenda, iamque fere passim homicidia quotidie perpetrabantur, et homicidae praefati ideo ad illa committenda promptiores existebant, quia sperabant latere, et suorum excessuum remissionem consequi facile posse, ac detestabilem et horrendam talium sicariorum nequitiam ad aliorum cautelam opportunis iuris remediis prosequi studio cupiens indefesso, habitâ super his cum fratribus suis praedictae Ecclesiae cardinalibus deliberatione maturâ, et de illorum consilio, per suas anno Incarnationis domi-

1 Edit. Main. legit *praecedere* (R. T.).

niciae MCDLXXXIV, kalendis aprilis, pontificatus sui anno IX, expeditas litteras, statuta et decreta Pii praedecessoris huiusmodi, et, prout illa concernebant, omnia et singula in dictis litteris eiusdem Pii praedecessoris contenta, apostolicâ auctoritate approbavit, et robur perpetuae firmitatis obtinere debere decrevit ac voluit, et praefatâ auctoritate, de eorumdem fratrum consilio, statuit et ordinavit, quod condemnati eatenus, et quos in posterum condemnari contigisset ubilibet in civitatibus, terris et locis Romanae Ecclesiae mediate et immediate subiectis pro homicidio, sive ut principales, sive ut consilium, auxilium et favorem praestantes, suarum condemnationum remissionem, aut contra illas salvum conductum et licentiam secure in loco patrati criminis[1] vel ei infra quinquaginta milliaria, ut praefertur, propinquo, nullatenus obtinere possent ab alio quam a Romano Pontifice qui pro tempore esset, et alicuius alterius etiam legati de latere remissio nemini suffragaretur. Et si forsan contingeret, eumdem Romanum Pontificem ad remissionem seu salvum conductum huiusmodi procedere, talis remissio per praeoccupationem processisse censeretur, et nemini prodesse posset, nisi in illâ vere earumdem litterarum Sixti praedecessoris huiusmodi tenor de verbo ad verbum, non autem per clausulas idem importantes, insertus foret, ac specifica et determinata causa exprimeretur, quae eumdem Romanum Pontificem induceret ad derogandum iisdem litteris Sixti praedecessoris, quae cum tam maturâ deliberatione ab eodem Sixto praedecessore emanaverant.

A Clemente VII confirmatae ac innovatae fuere Pii II et Sixti IV constitutiones,

§ 3. Deinde piae memoriae Clemens Papa VII, etiam praedecessor noster, facti notorietate edoctus, plures Urbis, civitatum, terrarum, castrorum, tenimentorum, partium et locorum tunc sibi et dictae Romanae Ecclesiae mediate et immediate subiectorum, contra eorumdem et aliorum praedecessorum litteras elatâ cervice devenire, ac censuras et poenas in illis contentas sensu reprobo parvipendere non vereri, sceleratorum insolentiis salubriter reprimendis intendens, et criminosorum temeritatem ultrice iustitiâ cohibere, ne litterae praedictae, quae providâ deliberatione ab ipsis praedecessoribus emanaverant, contemptibiles redderentur, sed excessuum perpetratores debitâ animadversione punirentur, opportunis remediis providere volens, inter cetera motu proprio singulas praefatorum et aliorum praedecessorum inibi relatas litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, pari auctoritate approbavit et innovavit, et per singulos, quos litterae ipsae concernebant, sub censuris et poenis in eis contentis, quas contravenientes eo ipso incurrerent, perpetuo inviolabiliter observari decrevit; illasque etiam ad hoc ut homicidae, sicarii, exititii, criminosi, rebelles, aliique infames, propter homicidia et alia nefanda per eos perpetrata excessus, crimina et delicta in civitatibus, terris, castris, vel locis eorum, seu in quibus tunc morabantur, banniti et condemnati, etiam habitâ pace ab haeredibus, filiis seu consanguineis occisorum, aut partium laesarum, non solum a locis circumvicinis usque ad quinquaginta milliaria, sed etiam ab omnibus et singulis civitatibus, terris, castris, locis et partibus tunc sibi et dictae Romanae Ecclesiae quomodolibet mediate et immediate subiectis banniti et exules essent et esse censerentur, nec in illis seu eorum aliquo, etiam praetextu cuiusvis licentiae, salvi conductus, remissionis, reductionis, revocationis vel

nec non ampliatae ad omnem distantiam.

1 Videtur deesse verbum *manendi* (R. T.).

alterius gratiae per eos desuper quomodolibet pro tempore obtentae, moram trahere possent, et, si in eis resedissent vel reperti fuissent, capi, detineri et incarcerari, ac iuxta criminum et excessuum per eos perpetratorum qualitatem et litterarum Pii praedecessoris huiusmodi tenorem, sub poenis in iisdem litteris contentis, per officiales civitatis, terrae, castri vel loci, in qua vel in quo deprehensi fuissent, debitis poenis plecti, seu inde educi, et ad forum, seu officiales, ad quos criminum et excessuum eorumdem punitio de iure vel consuetudine pertinebat, remitti deberent, extendit et ampliavit; et nihilominus omnia et singula, prout per Pium, Sixtum et alios praedecessores praedictos statuta, ordinata, inhibita, decreta et ordinata fuerant, itaut duces, barones, marchiones, comites, domini temporales, vicarii, feudatarii, capitanei, magnates, principes, communitates, cives, officiales, et personae, ac alii, quos ipsius Clementis, et aliorum praedecessorum praefatorum litterae concernerent, ac ipsorum singuli, litteras et in eis contenta huiusmodi non observantes, et illis quomodolibet directe vel indirecte contravenientes, et eis adhaerentes, eorumque fautores et complices, singulas censuras et poenas praedictas eo ipso absque aliâ declaratione incurrerent, et incurrisse censerentur de novo: et, ne facilitas veniae incentivum praeberet delinquendi, quibusvis dictae Sedis legatis, etiam de latere, ac nunciis, et provinciarum rectoribus, necnon tunc suis et dictae Romanae Ecclesiae vicariis in temporalibus, pro tempore existentibus, et praefatis communitatibus omnem super absolutionibus homicidiorum huiusmodi per eumdem Clementem, eiusque succcessores Romanos Pontifices, ac Sedem eamdem sub quavis formâ et verborum expressione concessam, approbatam et innovatam auctoritatem et facultatem revocavit, cassavit, irritavit et annullavit, et, si quando similes absolutiones per eumdem Clementem, eiusque successores Romanos Pontifices, ac Sedem praefatam concedi contigisset, illas per iudices et officiales, ad quos pertinerent, nisi trinae litterae apostolicae sub intervallo unius mensis pro singulis litteris huiusmodi cum expressâ derogatione earumdem ipsius Clementis praedecessoris litterarum desuper emanassent, nullatenus admitti vel observari voluit, et aliàs, prout in eiusdem Clementis litteris anno Incarnationis dominicae MDXXIV, pridie idus iunii, pontificatus sui anno I desuper expeditas uberius continetur.

A Pio IV confirmatae, innovatae et declaratae fuerunt constitutiones Pii II, Sixti IV et Clementis VII.

§ 4. Postmodum eiusdem memoriae Pius Papa IV, pariter praedecessor noster, habitâ super his cum fratribus suis S. R. E. cardinalibus deliberatione maturâ, et de illorum unanimi consilio et assensu, iisdem modis et formâ praedictis quibus idem Clemens praedecessor litteras suorum praedecessorum confirmaverat et extenderat, ipse pariter litteras memoratas eiusdem Clementis, et aliorum praedecessorum, cum eâdem expressione et extensione, et cum simili, ut praefertur, revocatione, cassatione, irritatione et annullatione omnis auctoritatis et facultatis dictae Sedis legatis, etiam de latere, aliisque praedictis super absolutionibus homicidiorum huiusmodi per eumdem Pium Papam IV eiusque praedecessores Romanos Pontifices ac Sedem eamdem sub quavis formâ et verborum expressione concessae, approbatae et innovatae, necnon cum eâdem, ut praefertur, voluntate seu decreto, si et quando similes absolutiones per eumdem Pium IV eiusque successores et Sedem praedictam concedi contigisset,

per quasdam suas anno Incarnationis dominicae MDLXI, VIII idus ianuarii, pontificatus sui anno II, expeditas litteras approbavit et innovavit. Cumque idem Pius praedecessor accepisset, nonnullos ex gubernatoribus et officialibus per eum in diversis civitatibus, terris et locis Status Ecclesiae constitutis et deputatis, forsan suae voluntatis ignaros, aut aliàs, praetendere poenarum remissionem inquisitis, bannitis et condemnatis super homicidiis per eos pro tempore perpetratis, per eos remitti, gratiamque fieri, et exinde ab eis compositionem exigi posse; idcirco, ad tollendum omne dubium quod exinde oriri potuisset, et ne gubernatores et officiales praedicti ac quicumque alii, ignorantiae eiusdem suae voluntatis aut quovis alio praetextu, in illis se intromittere praesumerent, veriores dictarum suarum litterarum tenores, ac si de verbo ad verbum insertae fuissent, pro expressis habens, decrevit et declaravit, gratias seu remissiones aut compositiones quibusvis inquisitis, condemnatis aut bannitis ex causâ vel occasione homicidii animo deliberato, vel casu fortuito, aut in rixâ, vel quovis modo pro tempore perpetrati, pro quo poena ordinaria vel extraordinaria imposita vel imponenda fuisset, per quoscumque in civitatibus, terris et locis pradictis Sedis Apostolicae legatos, vicelegatos, gubernatores, vel alios officiales, deputatos et deputandos, fieri in posterum nullatenus posse, et illas tantum compositiones et gratias cum inquisitis, condemnatis et bannitis huiusmodi, ut supra, ab inde faciendas valere, illisque suffragari, qui habuissent supplicationes desuper suâ manu signatas, et per datarium pro tempore existentem datas, prout in cedulâ motus eius proprii sub datum VI kalendas maii, anno pontificatus ipsius V, continetur.

A Pio V confirmatae fuerunt constitutiones Pii II, Sixti IV, Clementis VII et Pii IV.

§ 5. Post haec similis memoriae Pius Papa V, habitâ super his cum venerabilibus fratribus suis eiusdem S. R. E. cardinalibus deliberatione maturâ, ac de illorum unanimi consilio et assensu, inter cetera ibidem per ipsum decreta et sancita, singulas praedictorum Pii II, Sixti, Clementis et Pii, et aliorum praedecessorum litteras, cum[1] omnibus et singulis, quos illae concernebant, penitus, ac sub ibi relatis per contrafacientes irremissibiliter incurrendis poenis, observari voluit et decrevit, et aliàs prout in ipsis Pii V praedecessoris desuper anno Incarnationis dominicae MDLXVI, III nonas iulii, pontificatus sui anno I emanatis litteris, quarum et praefatarum eorumdem Pii II, Sixti, Clementis et Pii IV praedecessorum litterarum et cedulae tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Ab hoc Pontifice confirmantur, innovantur et ampliantur omnes praedictae constitutiones, necnon in parte derogantur.

§ 6. Nunc vero nos, nequitiis huiusmodi salubriter reprimendis, ne criminosorum invalescat praesumptio, illorumque perversitas quoquo modo remaneat impunita quin ultrice iustitiâ perpetuo retundatur, sedulo intendentes, ac insimul quieti et tranquillitati praefatorum nostrorum et eiusdem Sedis in temporalibus subditorum, necnon maiori iustitiae officialium securitati, ac eiusdem iustitiae liberiori exercitio providere volentes, motu proprio, ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, singulas eorumdem Pii II, Sixti, Clementis et Pii IV et Pii V praedecessorum litteras huiusmodi, cum omnibus et singulis quae praemissa et infrascripta concernunt et concernere possunt, tenore praesentium approbamus, confirmamus et innovamus, illisque perpetuum et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac ab

1 Videtur legendum *ab* (R. T.).

omnibus et singulis, quos illae concernunt, penitus et sub inibi contentis per contrafacientes irremissibiliter incurrendis poenis et censuris, et cum omnibus inibi decretis et sancitis, observari volumus atque decernimus; firmis et in suo robore et statu remanentibus ceteris in iisdem litteris statutis, sancitis et decretis.

Redditur ministris facultas concedendi salvum conductum in uno casu.

§ 7. Nihilominus hactenus inquisitos, processatos, condemnatos aut bannitos, sive uti principales, sive uti mandantes vel mandatarios, sive uti complices, aut auxilium, vel consilium, vel favorem praestantes, ex causâ vel occasione homicidii, pro qua poena ordinaria vel extraordinaria imposita fuerit vel erit seu imponenda foret, et quos quibuscumque futuris temporibus similiter inquiri, processari, condemnari seu banniri contigerit ubilibet in quibuscumque civitatibus, terris et locis nobis et Sanctae Sedi mediate et immediate subiectis, comprehensis etiam quatuor legationibus et civitatibus Bononiensi, Ferrariensi, Beneventanâ, aliisque etiam specialem et individuam expressionem et denominationem requirentibus, nullo unquam tempore vel modo ex aliquâ gratiâ seu compositione, vel per viam cassationis processus remitti, seu quoquo modo gratioso rebanniri, habilitari seu dispensari, minusque illis aliquem salvum conductum, praeterquam pro vero, reali et necessario servitio iustitiae, et tunc pro eo dumtaxat tempore, quod huiusmodi servitio congruat, concedi per quoscumque locorum et civitatum gubernatores et iustitiae officiales, provinciarum rectores dictae Romanae Ecclesiae in temporalibus vicarios, et quoscumque alios quantumvis speciali et individuâ notâ dignos, ac etiam ipsos de latere legatos (salvâ tamen quoad eosdem legatos infrascriptâ distinctione seu moderatione), etiam pace ab haeredibus vel consanguineis aut filiis occisi habitâ, sine nostro et Romanorum Pontificum pro tempore existentium speciali mandato, omnino prohibemus, ita tamen ut pro huiusmodi mandato certa seu precisa forma non requiratur, prout in superius relatis litteris, quibus in hac parte opportune derogamus et derogatum esse volumus, cavebatur, sed quocumque legitimo modo illud apparere seu probari sufficiat.

In concessione facultatum servari debet huius constitutionis forma.

§ 8. Ad haec omnes et quaslibet facultates quibuscumque locorum et civitatum gubernatoribus, iustitiae officialibus, provinciarum rectoribus, dictae Romanae Ecclesiae vicariis in temporalibus, et quibuscumque aliis quantumvis speciali et individuâ notâ dignis, ac etiam ipsis de latere legatis (salvâ tamen quo ad eosdem legatos infrascriptâ distinctione seu moderatione) super huiusmodi gratiarum, compositionum, cassationum, processuum, remissionum, habitationum, dispensationum et salvorum conductuum concessione, etiam per nos et praedecessores nostros, ac Sedem eamdem, sub quavis formâ et verborum amplitudine concessas, innovatas et approbatas, omnino revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, et pro revocatis, cassatis, irritis et nullis, ac si concessae non fuissent, haberi volumus et decernimus, et quascumque facultates, si quas in posterum concedi contigerit, servari huius nostrae constitutionis[1] formam intelligi et observari debere omnino volumus et mandamus.

Conceditur cardinalibus de latere legatis facultas extra casum praemeditati homicidii.

§ 9. Verum, quia in relatis praedecessorum nostrorum litteris ceteris omnibus officialibus et personis praefatis, aeque ac ipsis de latere legatis, huiusmodi gratiae et actus indistincte prohibentur, omniumque facultates pariformiter revocantur, sive de homicidiis animo deliberato, sive casu fortuito, vel in rixâ,

1 Male edit. Main. legit *congregationis* (R.T.).

vel alio quovis modo patratis agatur: nos, eximiam legatorum de latere S.R.E. cardinalium dignitatem prae oculis habentes, eosque facultatibus eâ qua decet circumspectione usuros esse sperantes, praefatas constitutiones moderari, illasque et praesentem nostram sanctionem quoad praesentes et pro tempore existentes de latere legatos eiusdem Romanae Ecclesiae cardinales locum habere decernimus pro homicidiis animo doloso et praemeditato commissis; iisdemque de latere legatis, ut sibi concessis seu concedendis facultatibus, quos[1] nos iuxta praescriptam in iisdem praesentibus formam etiam harum serie opportune concedimus, quoad gratias et actus praedictos uti possint et valeant quotiescumque de homicidiis casu fortuito vel rixâ seu aliàs similiter sine dolo et praemeditatione commissi agi contigerit; iisdemque constitutionibus in hac parte amplissime derogamus et opportune derogatum esse volumus et mandamus, firmis tamen et in suo robore quoad quoscumque alios remanentibus omnibus et singulis, quae in praefatis et in praesenti nostrâ constitutionibus quoad omnia homicidia etiam in rixâ vel casu fortuito vel aliàs commissa statuuntur et decernuntur.

Extenduntur praedictae constitutiones ad offensores ministrorum iustitiae, partis querelantis vel testium.

§ 10. Volentes praeterea delinquentibus eorumve fautoribus occasione tum homicidiorum tum aliorum delictorum ansam eo magis amputare, ne curiae et fisco eosdem inquirendi et processandi, condemnandi, banniendi, et quoscumque iustitiae actus explendi impedimentum praebeant, et e converso nuncios, birruarios, notarios, promotores seu procuratores fiscales, iudices, ceterosque iustitiae officiales et ministros ad eorum operam attentius navandam, ac querelantes ad operam iustitiae tutius implorandam, et testes ad veritatem liberius propalandam, spe et praesidio maioris securitatis excitare, praefatas et praesentem nostram constitutionem sic extendimus et respective locum habere mandamus, ut omnes et quicumque in poenam ultimi supplicii vel ad triremes perpetuo condemnati[1] ex causâ praefatorum iustitiae ministrorum et officialium seu partis querelantis vel testium offensionis a nemine ex praedictis gubernatoribus, officialibus, rectoribus, vicariis in temporalibus, et quibuscumque aliis speciali et individuâ notâ dignis, et nec ab ipsismet de latere legatis S. R. E. cardinalibus, remitti, seu ullam ex gratiis et actibus superius expressis, minusque aliquem salvumconductum, praeterquam pro vero, reali et necessario servitio iustitiae, et tunc pro eo dumtaxat tempore quod huiusmodi servitio congruat, sine expresso, ut praefertur, nostro seu Romani Pontificis pro tempore existentis mandato, obtinere ullatenus possint et valeant; omnesque et quascumque facultates quoquo modo concessas, quae praesentibus adversarentur, penitus et omnino, ut praefertur, revocamus et annullamus; istoque casu et ad hunc effectum, ut, indiciis ad transmittendam inquisitionem sufficientibus ex processu resultantibus, iudices, ad quos spectat, servatis solitis terminis, ad condemnationem delinquentium huiusmodi expedite procedere teneantur, omnino volumus et decernimus.

Clausulae.

§ 11. Mandantes, huiusmodi nostram constitutionem, ac omnia et singula in eâ contenta, per quoscumque etiam speciali notâ dignos inviolabiliter observari, sub omnibus censuris et poenis quae in superius relatis praedecessorum nostrorum litteris imponuntur et continen-

1 Forsan *quas;* sed adhuc syntaxis claudicat (R. T.).

1 Edit. Main. legit *condemnari* (R. T.).

tur, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices tam ordinarios quam delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super omnibus et singulis praemissis vel circa ea a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 12. Non obstantibus praemissis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, quibuscumque consuetudinibus, ac omnibus et singulis illis, quae dicti praedecessores in praefatis eorum litteris voluerunt non obstare, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuscumque aliis privilegiis, facultatibus, indultis et litteris apostolicis, etiam motu proprio, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, et aliàs quomodolibet per praedecessores nostros Romanos Pontifices ac etiam nos concessis, innovatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, ad effectum praesentium, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 13. Volumus autem, quod, lapsis viginti diebus postquam praesentes valvis ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum et in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex nostris cursoribus affixae et pubblicatae fuerint, omnes et singulos tam in Urbe quam in Statu praefatis existentes perinde obligent et arctent, ac si unicuique eorum personaliter et nominatim intimatae fuissent; quodque earum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem met praesentibus, si exhibitae vel ostensae fuissent, adhiberetur.

Sanctio poenalis.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, voluntatis, decreti, prohibitionis, derogationis, revocationis, cassationis, irritationis, annullationis, mandati, concessionis et extensionis infringere, seu ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCXCII, VII idus maii pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 maii 1692, pontif. anno I.

## XXIV.

*Confirmatur indulgentia plenaria perpetua in ecclesiis monialium Visitationis beatae Mariae Virginis in festo sancti Francisci Salesii.*

Innocentius Papa XII,
ad perpetuam rei memoriam.

Praedicta indulgentia concessa fuit visitantibus ecclesias dictarum monialium.

§ 1. Dudum felicis recordationis Alexander Papa VII praedecessor noster pro peculiari suâ erga sanctum Franciscum Salesium, quem, ad omnipotentis Dei gloriam, exaltationem catholicae fidei, et christianae religionis incrementum, Sanctorum catalogo solemni ritu adscripserat, devotione, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis monasteriorum monialium Ordinis Visitationis Beatae Mariae Virginis Immaculatae a memorato sancto Francisco instituti, tam eatenus erectorum, quam imposterum quandocumque erigendorum, et ubique existentium, die festo eiusdem sancti Francisci Salesii a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitassent, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessit, et aliàs, prout in eiusdem Alexandri praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XVIII septembris MDCLXVI expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, et quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Confirmatio.

§ 2. Nunc autem nos, supplicationibus dilectae in Christo filiae modernae superiorissae monasterii monialium ipsius sancti Francisci Salesii de Urbe nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, indulgentiam a memorato Alexandro praedecessore, sicut praemittitur, in perpetuum concessam, ac desuper expeditas eius litteras praefatas, auctôritate apostolicâ tenore praesentium itidem perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iunii MDCXCII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 2 iunii 1692, pontif. anno I.

---

XXV.

*Confirmantur constitutiones Congregationis presbyterorum saecularium SS. Trinitatis peregrinorum et convalescentium de Urbe* [1].

Innocentius Papa XII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex debito pastoralis officii, quo catholicae Ecclesiae regimini divinâ dispositione praesidemus, ad ea, per[2] quae christianae charitatis atque pietatis opera ubique locorum et praesertim in hac almâ Urbe nostrâ, ex qua bonorum operum exempla in omnes christiani orbis partes assidue promanant, modis congruis promoventur, favorabiliter intendentes, congregationes christifidelium in sortem Domini vocatorum laudabiliter in id ipsum incumbentes paterno favore libenter prosequimur, et illis, quae pro felici earum regimine et gubernio provide prudenterque constituta esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, apostolici muniminis adiungimus firmitatem.

A quo conditae fuerint se-

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper

1 Ab Innocentio XI, constit. ed. MDCLXXXIV, die 15 novembris, pontif. IX, confirmatae fuerunt constitutiones presbyterorum sancti Iosephi de Urbe; et in huius Pontificis constit. ed. MDCXCII, die 21 iunii, pontif. I, constitutiones presbyterorum S. Luciae Bononiensis.

2 Praeposit. *per* nos addimus (R. T.).

quentes constitutiones. fecerunt dilecti filii superior et presbyteri Congregationis presbyterorum saecularium in ecclesiâ SS. Trinitatis peregrinorum et convalescentium de Urbe praefatâ institutae[1], quod aliàs pro felici ipsorum exponentium et Congregationis huiusmodi directione a quondam Mariano Socino, dum vixit, presbytero saeculari Congregationis Oratorii sancti Philippi Nerii de eâdem Urbe, formatae seu compilatae fuerunt nonnullae conconstitutiones tenoris qui sequitur, videlicet:

*Costituzioni della Congregazione dei sacerdoti dell'arciconfraternita della SS. Trinità dei Pellegrini e Convalescenti di Roma.*

Fine dell'istituto. Il fine che devono avere li sacerdoti chiamati a questa Congregazione si riduce principalmente a due capi, che sono 1° l'acquisto della propria perfezione; 2° la cooperazione al bene spirituale de' prossimi. E per la conservazione di questi due sublimi fini dovrà ciascun sacerdote coltivare seriamente un vero spirito ecclesiastico, ed una fedele osservanza delle presenti costituzioni, come istromento della propria ed altrui perfezione, accendendosi ciascuno alla pietà ed allo spirito, non solamente con la viva reminiscenza dell'obbligo che porta seco lo stato sacerdotale, ma anco con la considerazione della santità dovuta a Roma, debitrice al mondo di buon esempio, massimente in questo luogo, che per esser un pio albergo di pellegrini, si fa oggetto, e quasi un centro, dove entrano gli occhi di tutta la cristianità, aggiungendosi stimolo alla virtù cristiana con la grata memoria del glorioso fondatore san Filippo Neri, ed anche con verace riflessione della santità che si contiene negli esercizî di questo istituto, tutto intento ed impiegato in opere di carità a Dio gratissime così di misericordia corporale come spirituale.

Cap. I. — *Come li sacerdoti dovranno portarsi verso li signori superiori.*

Professeranno una cordiale e filiale obedienza ed ossequio all'eminentissimo signor cardinal protettore ed illustrissimo monsignor primicerio loro superiori, ed il dovuto rispetto alli illustrissimi signori guardiani, nè s'ingeriranno mai nel loro governo, nè in alcuna amministrazione o altra cosa temporale, che non gli venga dai medesimi signori superiori imposta, e molto meno averanno o potranno mai avere alcuna giurisdizione o dominio sopra alcun bene presente o futuro dell'ospedale ed arciconfraternita, ed in caso di legati pii, donazioni, istituzioni o altre simili lascite che si facessero ai detti sacerdoti in generale o in particolare, come sacerdoti di questa Congregazione, tanto con peso, quanto senza peso di messe o altr'obbligo, o per qualsivoglia altra causa, non s'intenda mai da essi e loro successori acquistata ragione alcuna di dominio, ma spetti all'arciconfraternita l'amministrazione ed incumbenza per soddisfare o far soddisfare alla mente dei testatori, ecc., non avendo mai per alcun tempo li detti sacerdoti da fare o poter fare figura alcuna di corpo da sè, ed in qualsivoglia minima parte separato dall'ospedale ed arciconfraternita, ma in tutto e per tutto siano totalmente come meri ministri della chiesa ed ospedale nelle cose spirituali e spettanti alla coltura delle anime sempre dipendenti dalli sopraddetti signori superiori, e perciò averanno da attendere ai loro ministerî ecclesiastici ed alla direzione delle anime, conforme gli è prescritto nelle presenti costituzioni. E riconoscendo la paterna carità dei suddetti signori superiori in esentarli da ogni cura temporale, ed in provvederli onestamente, acciò senz'altra sollecitudine possano darsi unicamente agli apostolici ministerî, procureranno, per essergli grati, avere memoria di essi signori nei loro santi sacrifizî, e di parteciparli le loro orazioni ed osservanze. Si persuadano però che il maggior compiacimento e gratitudine, che potranno usargli, sarà fare esattamente il servizio di Dio, ed osservare fedelmente queste costituzioni ed esercizî, dal che prenderanno essi signori motivo di maggiormente affezionarsi, aver cura, ed invigilare sopra la Congregazione,

1 Edit. Main. legit *instituta* (R. T.).

oratorio e casa, e di proteggerli sempre nelle cose di gloria di Dio e bene del prossimo.

Cap. II. — *Qualità che si devono ricercare nelli sacerdoti della Congregazione.*

Primieramente si dovrà fare matura riflessione e considerazione se il soggetto sia veramente chiamato da Dio a questo santo instituto, ed a quest'effetto se gli faranno fare gli esercizi spirituali, per esplorare lo spirito della vocazione, e per escludere qualche indegno motivo d'interesse o di rispetto umano che potesse stimolarlo all'ingresso della Congregazione.

Dovrà essere uomo di conosciuta virtù e di onorata fama, nè sia stato ejetto da alcuna religione, ne di razza neòfita, che abbia scienza sufficiente per le funzioni dell'istituto, massimamente per confessare e sermoneggiare;

Che sia di buona natura, capace di ben convivere in comunità, che abbia buona sanità, e che non sia tanto avanzato nell'età che si renda inabile agli esercizi della Congregazione;

Che possieda il canto ecclesiastico, o che ne sia in qualche modo instrutto;

Che non abbia occupazioni o impieghi poco compatibili con gli esercizi dell'istituto;

Che abbia sincera e ferma volontà di acquistarsi il cielo con le opere spirituali che in essa eserciterà;

Che particolarmente sia uomo d'una solida carità ed umiltà e pazienza, poichè l'aver sempre a fatigare per uomini di condizione poveri, e di nazioni per ordinario straniere, dalle quali non si può sperare alcuna retribuzione umana, ed essendo la fatiga molta e senza intermissione, è impresa che non si potrà sostenere da chi non ha capitale d'una gran carità, d'una grande umiltà, e d'una gran pazienza; perciò si procuri che si ammettano chierici per gli offizi della casa o ospedale, quali possano riuscire atti allo stato ecclesiastico per poter meglio coltivarli e renderli a suo tempo sacerdoti abili a questo instituto.

Perchè niuna cosa potrà nuocere tanto all'osservanza dell'instituto, e servizio di Dio e di questo santo luogo, quanto l'ammettere sacerdoti inabili e poco ben disposti; non si dovrà ricevere alcuno che prima non abbia frequentato la Congregazione dei sacerdoti con edificazione ed osservanza delle loro regole, e praticato gli esercizi in questo instituto; che però dovrà, prima di ammettersi il soggetto ad osservare gli esercizi, prendersene licenza dall'eminentissimo protettore, e riconosciuto abile dai sacerdoti già ammessi, ed approvato negli scrutinî secreti, almeno con la maggior parte dei voti, se ne darà parte all'istesso eminentissimo protettore, acciò si degni confermare l'elezione.

Stabilito che sarà alcuno in Congregazione non possa licenziarsi, se non dall'eminentissimo signor cardinal protettore, o con li due terzi dei voti di tutti gli altri sacerdoti, per causa di gravi delitti o di reiterate inosservanze, con la licenza dell'eminentissimo protettore.

Cap. III. — *Osservanze comuni alli sacerdoti.*

Primo faranno ogni giorno all'ora e luogo assegnata almeno mezz'ora d'orazione mentale in comune, e saranno pronti ad intervenire tutti. Ed occorrendo per legittimo impedimento di non potervisi alcuno trovare, inviolabimente la dovrà fare da sè in altra ora, tenendo per certo, che dal far bene questa, ne verrà in conseguenza il buon adempimento di tutto il restante del servizio di Dio e del prossimo, ed al pari dell'orazione sarà il profitto delle loro anime; che perciò dovranno essere molto assidui nell'orazione, e farla senza intermissione, abituandosi con frequentissime orazioni giaculatorie.

Celebreranno ogni mattina, mentre non siano legittimamente impediti, la santa messa, *salvâ semper* però l'onesta e debita devozione in ciascuno, conforme dispongono i sagri canoni nel cap. *Significatum de praebendis,* ordinatamente per turno, o ciascuno all'ora assegnatagli dal superiore.

Frequenteranno il santo sacramento della confessione, rimettendosi la frequenza secondo la propria devozione e disposizione; si confesseranno dal confessore proprio della Congregazione, o da quello a cui ciascuno averà maggior confidenza.

Ogni anno faranno gli esercizî spirituali, nei quali si dà loro per consiglio di far la confessione generale annua, che comprenda le materie del passato anno.

Faranno ogni sera l'esame di coscienza in comune, ed il lunedì, mercoledì e venerdì faranno la disciplina, eccettuatene le feste che caderanno in detti giorni.

Faranno ogni otto giorni, o almeno ogni quindici, la congregazione delle colpe, nella quale assistendo per turno uno dei sacerdoti che abbia compito il triennio in Congregazione, o il superiore, farà una devota esortazione o conferenza per promuovere tra di loro lo spirito, e per infiammarsi vicendevolmente al buon servizio dell'instituto.

Conserveranno tra di loro una sincera carità e fraterno amore, e se talvolta nascesse tra di loro qualche ombra, o ben minima lesione di carità, saranno solleciti ed accurati a reintegrarsi nella pristina cristiana affezione, e se per avvetura fosse seguita qualche parola di mordacità o di contristazione verso il suo prossimo, ne chiederà umilmente perdono all'offeso in pubblico nella stanza dell'orazione, e l'offeso vicendevolmente rivolgerà con pari umiltà sopra di sè la colpa, l'occasione della colpa, ed il superiore, accettando questa vicendevole umiliazione, ingiungerà al colpevole leggiera o nessuna penitenza.

Averanno parimente premura di mantenere gran carità e vicendevole dilezione con tutti li ministri dell'ospedale, aiutandoli e sollevandoli caritatevolmente nelle loro osservanze, e vincendo con la carità ogni loro imperfezione.

Appartiene allo spirito della loro vocazione d'amare teneramente i poveri pellegrini, e tra di loro i sacerdoti, e con pari affetto amare e beneficare spiritualmente i poveri convalescenti, e nutriranno insieme tra di loro sacerdoti una santa emulazione di bene e santamente servirli nello spirito.

Vestiranno modestamente, escludendo particolarmente il vestire di seta, e si porteranno in ogni altra cosa conforme alla disposizione dei sacri canoni.

Ognuno si trovi in casa all'*Ave Maria*, e la sera dopo cena, avanti finisca la ricreazione, si serrino le porte, e si consegnino le chiavi al superiore.

Nell'uscir di casa, ognuno metta il suo segno nella tavoletta, andando fuori con ogni modestia, come conviene ai sacerdoti; non si trattengano nei cortili, portici, refettorî o altro luogo dell'ospedale a far circoli di nuove, o altri discorsi inutili e vani, e molto meno nella dispensa, cucina, o altre officine del medesimo ospedale; nè tratterranno con li ministri e serventi di esso, se non per quello che concerne il buon incamminamento della divota vita, o per il buon servizio dell'ospedale.

Useranno tra di loro gran carità ed assistenza, quando saranno infermi, somministrando uno all'altro ogni consolazione ed aiuto così spirituale come corporale.

Quando alcuno tra di loro morirà, ciaschedun sacerdote dovrà celebrare una messa per l'anima del defunto, e ciascheduno similmente dovrà celebrare una messa per l'anima dell'eminentissimo protettore, e di monsignor illustrissimo primicerio, ed illustrissimi signori guardiani, in caso di morte.

Interverranno tutti con puntualità alla mensa comune, e dato che sarà il segno ultimo della campanella nell'ora consueta, conforme alla tabella, così la mattina come la sera, si troveranno avanti il refettorio, eccetto però quelli che fossero occupati in servizio della chiesa, nè entrino, se non sono la metà in circa, ed entrati e lavatesi le mani, si faccia la benedizione al solito dal superiore, o in sua assenza dal più anziano che vi sarà; cominci il lettore a leggere, e gli altri a mangiare.

Nel tempo della mensa si osservi sempre da tutti rigoroso silenzio, e si consumerà una parte del tempo nella lezione spirituale, e l'altra in proporre due dubbî, uno di teologia morale, e l'altro di scrittura sagra o sagra erudizione, e ciascuno risponderà con brevità, e così s'osservi anche la sera; e il lettore, finito che averà di leggere, anderà a sedere nell'ultimo luogo vacante, o aspetterà la seconda mensa.

Non si levino da tavola, se non tutti unitamente, quando sarà sparecchiato, eccetto il lettore, quando non avesse finito di mangiare; e poi rese le grazie, si partiranno dal refettorio.

Chi verrà mentre si legge, entrato sarà, farà prima riverenza alla SS. Trinità o altra sagra immagine che si conserverà in refettorio, e poi a quelli che sono a tavola, e fatta la benedizione sotto voce, anderà a sedere all'ultimo luogo vacante.

Tutti li sacerdoti leggeranno e serviranno a mensa per turno, particolarmente i più giovani, aiutandoli anco per turno uno della famiglia, e mancando quello a cui tocca leggere o servire, il più prossimo supplisca, e non si fermino mai in refettorio, se non in tempo della mensa.

Ogni giorno, così dopo pranzo, come dopo cena, averanno insieme almeno mezz'ora di ricreazione nella stanza a quest'effetto destinatagli, e tutti doveranno intervenirvi, se non in caso d'impedimento con licenza del superiore, ed ivi si porteranno con modestia e religiosità.

Nessun sacerdote potrà invitare alcuno alla mensa comune, e molto meno a mangiare nelle loro stanze o altro luogo dell'ospedale senza licenza de' superiori.

Nè alcuno potrà andare alla mensa di alcun amico senza licenza del superiore, il quale sarà molto raro in concederla, e molto circospetto.

Non usciranno di casa senza licenza, che doveranno chiedere con la benedizione dal superiore.

Siano molto parchi e circospetti in ammettere forastieri nelle camere.

Nessun sacerdote potrà accettare carica o incombenza di negozi temporali esterni o contrari alla propria vocazione.

Quando alcuno commetterà qualche errore nel convivere domestico, se ne accuserà in pubblico nella stanza dell'orazione, così per propria emenda, come per edificazione, e per rifacimento dell'esempio dato.

Quando vacherà alcuna stanza, si darà l'azione ai sacerdoti secondo l'ordine dell'anzianità.

Cap. IV. — *Carità verso i pellegrini.*

Averanno viscere di cristiana carità verso i poveri pellegrini, procurando che, per quanto si può, partano dall'ospedale migliori che non ci vennero, ed edificati e consolati.

Entrati ed ammessi che saranno li pellegrini dalli fratelli o ministri a quest'effetto deputati, uno o più di detti sacerdoti, secondo il numero dei pellegrini, li condurrà tutti nella chiesa o cappella di san Filippo, o altro luogo più comodo, e gli farà una breve, chiara ed utile istruzione per la santa confessione e comunione, o sopra qualche atto pratico del cristiano, e li persuaderà a fare la loro confessione generale. La mattina seguente, incamminandosi poi esso con quelli della prima sera alla lavanda de' piedi, gli altri resteranno a recitare la terza parte del rosario o altra orazione.

Giunti alla lavanda, si farà questa sagra funzione puntualmente ed unitamente cogli altri fratelli secondo il rito solito dell'ospedale.

Terminata la lavanda, anderanno con ordine modestamente nel refettorio, dove dai fratelli o dai ministri dell'ospedale a ciò destinati saranno posti a tavola.

Incominciandosi la refezione con la benedizione della mensa, secondo il rito dell'ospedale, e terminandosi col solito rendimento di grazie, durante il tempo della mensa si farà dal sacerdote la lezione di un libro spirituale.

Dopo il rendimento di grazie, anderanno con silenzio e modestia, o alla chiesa, o oratorio, o altro luogo più comodo, ove giunti il sacerdote li farà fare brevemente l'esame di coscienza, e poi li accompagnerà al dormitorio, cantando le litanie della Madonna santissima, o altr'orazione, ed aspersi con l'acqua benedetta, li lascerà con qualche salutevole, ma breve ricordo.

Il suddetto sacerdote insinuerà ai fratelli secolari o alli serventi ad avere gran riguardo che ognuno dorma separatamente nel suo letto, e quando mai la moltiplicità dei pellegrini portasse la necessità di più d'uno per letto, s'avverta con gran premura di non accompagnare persone d'età sospetta,

e parimente i sani con gli infermi, massime d'infermità comunicabili.

S'avvertirà, che, secondo la dovuta e decente divisione degli uomini dalle donne, ed anco dai sacerdoti, massimamente in occasione di gran concorso, si assegnerà distintamente uno dei sacerdoti per la simile direzione dei loro esercizi spirituali.

La mattina svegliati i pellegrini dal servente, e le pellegrine dalla serva alla debita ora assegnatagli, e vestiti, si porteranno nel luogo destinatogli, dove il sacerdote, a cui toccherà, fatto che gli averà l'esercizio quotidiano con la dovuta e decente divisione degli uomini dalle donne, gli farà una breve e fruttuosa esortazione, o meditazione instruttiva.

In questo tempo saranno pronti al confessionario alcuni confessori, più o meno, secondo il maggiore o minore concorso dei pellegrini, ad ascoltare le confessioni, ed il simile si farà dopo il pranzo nell'ora che sogliono incominciare a comparire i pellegrini nei maggiori concorsi.

Apporterebbe incredibile giovamento ai pellegrini, perchè resterebbero sufficientemente istrutti, e mossi a vivere cristianamente, e se ne partirebbero ben contenti ed edificati, se qualche sacerdote in questi giorni dell'ospedalità potesse trattenerli occupati in continui esercizî, ed assisterli ed istruirli nella pratica degli esercizî ed atti più principali ed importanti del cristiano; e li tirasse a fare la loro confessione generale, e che un sacerdote, o almeno qualche fratello secolare gli accompagnasse per regolarli ed instruirli alle visite delle sette chiese, o altre più insigni di Roma, e per dargli maggior comodità si potrebbe cercare ai pellegrini qualche soccorso per la refezione della mattina; e quando qualche buon fratello avesse questo spirito d'accompagnarli, ma non potesse metterlo in pratica per la sua povertà che l'obbligasse all'esercizio di qualche arte, sarebbe limosina molto ben impiegata il sovvenirli di necessario vitto.

Sarà anche bene di stampare un piccolo libretto, nel quale si contenga una succinta e pia istruzione non solamente di quello che si deve divotamente oprare in quel tempo dell'ospedalità, visita delle chiese, e viaggio, ma in tutta la lor vita per vivere cristianamente, e sarebbe spediente che quel libretto si stampasse anco in latino, in tedescô, ed altre lingue.

Cap. V. — *Carità verso i convalescenti.*

Primo, i poveri convalescenti costituiscono una vigna del Signore molto feconda e fruttuosa, che merita pure ogni diligenza e coltura.

La mattina ad un'ora discreta saranno svegliati dal loro servente, e levatisi da letto chi potrà, un sacerdote li visiterà, ed avanti il loro altare o oratorio gli farà fare l'esercizio spirituale della mattina, come si è detto per i pellegrini, ecc. Di più farà loro un breve e semplice ragionamento spirituale per istruirli sopra gli atti pratici del cristiano, e per disporli alla confessione e comunione, e di poi offerirà loro commodità di confessarsi per chi si sentisse disposto, e nel medesimo tempo si troveranno altri sacerdoti per sentire le confessioni generali che gli saranno state assegnate; e confessati che saranno, il sopraddetto celebrerà la santa messa per la loro commodità e divozione. Terminata la messa, e rese le grazie per la comunione, si porteranno alla mensa, la quale sara accompagnata dalla benedizione, lezione, e rendimento di grazie nella conformità si è detto dei pellegrini.

Un altro sacerdote, tre ore in circa dopo il pranzo, visiterà i convalescenti, e farà con loro una divota ed utile conferenza spirituale, pigliando per materia l'esame della coscienza così generale come particolare, l'esercizio dell'orazione, la perfezione di ciascuno nel suo stato, le opere della misericordia così corporali come spirituali, il modo di bene ed utilmente confessarsi e comunicarsi, la praeparazione alla morte, l'introduzione a varie divozioni della sagra Passione di Nostro Signore, della B. Vergine, dell'Angelo Custode, ecc., e gli esorterà a cavare frutto dalla infermità antecedente, dalla quale Dio si è degnato liberarli, con una buona mutazione di vita, con una con-

fessione generale, alla quale si offerisca pronto esso ed altri bisognando, prendendo nota di quelli che vorranno farla. Servirà a trattenerli allegri e sollevati, il cantargli poi qualche lode o canzonetta spirituale, ed il farli recitare la terza parte del Rosario.

Un quarto d'ora avanti cena faranno l'esame di coscienza in comune, e poi si porteranno alla mensa, la quale sarà accompagnata dalla benedizione, lezione sagra, e rendimento di grazie come sopra; dopo la cena li ricondurrà al dormitorio, dove farà il solito esercizio della sera, e data loro la benedizione con l'aspersione dell'acqua santa, li lascerà con qualche buono e breve ricordo.

Cap. VI. — *Della chiesa e sagristia.*

Primo si deputeranno due sacerdoti alla cura e custodia della sagrestia e chiesa, ed uno di loro averà titolo di prefetto della sagristia, e l'altro di coadiutore.

Doveranno questi due sacerdoti essere uomini di molta vigilanza, accurati nel culto di Dio, e di carità e civiltà verso quelli che frequentano la chiesa e sagristia.

Procureranno con ogni diligenza il decoro della casa di Dio, la polizia della chiesa, il candore e decenza degli altari, e della sagra suppellettile.

Sarà loro offizio e incombenza che nella chiesa si osservi modestia con escludere circoli dei poco riverenti verso la casa di Dio, e molto più con tenere la chiesa purgata da tutto quello che può offendere, anco in cose minime, la castità, e faranno osservare un rigoroso silenzio tanto in essa quanto nella sagristia.

Averanno a cuore che le funzioni dell'altare e del coro si facciano con puntualità e con decenza, ed a quest'effetto sarà anco destinato un altro sacerdote con titolo di prefetto delle ceremonie.

Apparterrà a loro il procurare che ciascun sacerdote così di casa come di cappellani stranieri celebrino la messa nell'ora ad essi prescritta, acciochè con l'ordinato ripartimento delle messe la chiesa resti bene offiziata, ed i confluenti ad essa trovino ad ogni ora pronta comodità di messe.

Invigileranno che i cappellani stipendiati non compariscano all'altare con chioma, o abito disdicente ai sacri canoni, o agli ordini de' superiori; ma celebrino con modestia e divozione dovuta a tanto ministerio, anco per edificazione dei concorrenti alla chiesa. Che però potrà riuscire di molto servizio di Dio, per proprio ed altrui spirituale profitto, introdurre una conferenza, dove intervenissero li suddetti sacerdoti esteri per trattare ivi della disciplina ecclesiastica, dei casi morali, ed altre materie pertinenti allo stato ecclesiastico, per potersi detti sacerdoti abilitare alla cooperazione della salute delle anime, ed all' aiuto delli ministerî ed opere spirituali della chiesa e casa, in caso di bisogno, con licenza dell'eminentissimo protettore e monsignor illustrissimo primicerio.

Invigileranno che i sottosagristani e chierici servano con puntualità e decoro, ed osservino anco, in quello potrà spettare al loro profitto spirituale e servizio da loro dovuto alla chiesa, sagrestia, a quest'istituto, e[1] gli ordini dei superiori.

Averanno singolare premura, che nel concorso dei pellegrini resti sempre la debita distanza e segregazione degli uomini dalle donne, e che i medesimi pellegrini non si servano della chiesa per luogo di trattenimento, o di conversazione, o di passatempi, particolarmente quando vi intervenissero uomini e donne, ma si assegni loro altro ritiro, o sia loro pensiero il ritrovarselo.

Li sacerdoti deputati dal superiore assisteranno con ogni carità ed assiduità al confessionario in chiesa nelle mattine di festa ed altri giorni di concorso, e nelle mattine feriali basterà che un solo di loro per turno v'assista sempre.

Sarà buon ordine che il prefetto e suo coadiutore negli affari di chiesa giornalmente occorrenti conferiscano le difficoltà con gli altri sacerdoti per darne poi parte all'eminentissimo protettore e monsignor illustrissimo primicerio.

Sarà buon servizio e grande utilità dell'instituto, che i sacerdoti si esimano, per

1 Coniunct. *e* redundare videtur (R. T.).

quanto si può, da alcuni pesi, cioè di andare ad accompagnare i defunti, benchè vengano nella nostra chiesa, come di andare a celebrare anniversarî fuori della nostra chiesa, o altre simili funzioni, potendosene di queste trasferire il peso alli cappellani stranieri, acciocchè i medesimi sacerdoti con più decoro, e con animo più libero, e con forze più disimpegnate da altre occupazioni, possano con tutto il loro spirito impiegare tutti se stessi, tutti i loro talenti in quello che è essenziale, e che è l'anima dell'instituto, cioè nel buono e perfetto servizio della chiesa e dell'anime, e in particolare dei pellegrini e convalescenti, che propriamente è opera d'insigne carità, che ha tirato a sè l'amore, l'edificazione e l'applauso di tutta Roma, e possiamo dire di tutto il mondo.

Ogni volta che si esporrà il SS. Sacramento nella chiesa, vi interverranno tutti per la processione che si farà tanto nell'esporlo quanto in riponerlo; ed in tutto il tempo che sarà esposto, tanto di giorno quanto di notte, vi assisterà un sacerdote con cotta, conforme il rito, per turno, un'ora per ciascheduno.

Dovranno celebrare ogni mattina e cantare tutte le messe de' vivi e dei defunti per soddisfare agli obblighi della chiesa, salva sempre però l'onestà e debita divozione di ciascuno, come si è detto nel cap. III, come anco assistere ai vespri tutte le domeniche ed altre feste dell'anno, ed in altri giorni soliti della chiesa, ed ogni sera all'*Ave Maria* cantare la *Salve*, come è solito, all'altare della B. Vergine coll'intervento di tutti.

Non possono, tanto i destinati a confessare attualmente nella chiesa, quanto gli altri, ricevere elemosine per le messe, o per altro effetto, ma devono inviare quelli che vogliono dare quell'elemosina al padre sagristano o altro coadiutore; e quando l'elemosina non fosse per le messe, ma per altre cause, si invii il benefattore a qualcheduno dei signori guardiani, ed in loro assenza al maestro di casa, mentre il benefattore non potesse o non volesse mettere l'elemosina nelle cassette che sono alle porte della chiesa ed ospedale; e se il benefattore non potesse o non volesse portare, la prenda il sacerdote, e quanto prima la consegni al guardiano, ed in sua assenza al maestro di casa.

Cap. VII. — *Dell'oratorio.*

Non minor obbligo de' pellegrini e convalescenti hanno i sacerdoti verso i fratelli dell'oratorio di fare ogni lodevole applicazione alla cultura spirituale delle loro anime. A quest'effetto si deputi un sacerdote col titolo di padre spirituale dell'oratorio, il quale nelle mattine delle feste dovrà intervenire alle adunanze de' fratelli nell'oratorio.

Quivi uno dei fratelli a ciò destinati leggerà un libretto spirituale assegnatogli, e dopo qualche spazio di lezione, sin che si veda arrivato numero sufficiente dei fratelli per recitare l'orazione della Beata Vergine e dei morti secondo il solito dell'oratorio, si farà fermare la lezione, ed il padre dedurrà uno o più punti da meditare, sopra li quali si tratterranno genuflessi orando mentalmente per breve spazio di tempo di un quarto d'ora.

Dopo la meditazione si reciterà l'offizio, ecc., ed avanti la messa uno dei sacerdoti, secondo il turno, farà ai fratelli un breve ed utile ragionamento spirituale, e tutto questo senza pregiudizio della messa parrocchiale, secondo la disposizione dei sagri canoni, e specialmente del Concilio di Trento.

Nel medesimo tempo uno o più sacerdoti col padre spirituale, secondo il maggiore o minore concorso, assisteranno ad ascoltare le confessioni de' fratelli.

Assisteranno ancora alle loro anime con carità paterna, nel dargli indirizzi spirituali.

Procureranno di promoverli nella frequenza dei santi sacramenti, ed osservanze dei loro statuti, ed altre divozioni praticate dai primitivi fratelli dell'Oratorio e figli del padre S. Filippo, per soddisfare anch'essi all'obbligo che hanno di dare buon esempio al mondo. Perciò gioverebbe molto che si raccogliessero le principali osservanze del cristiano appropriate al loro stato, e si facessero stampare, acciò meglio si potessero apprendere ed osservare, e comunicare anco alle confraternite aggregate; e per fargliele meglio apprendere servirebbe molto bene

che un sacerdote gli facesse conferenza spirituale sopra l'osservanza delle medesime e pratica degli atti cristiani in tempo che stimasse più approposito, e che se gli offerisca di dargli gli esercizi spirituali per alcuni giorni, massime quando occorreranno più feste insieme.

Doveranno anco aver particolar cura dei ministri e serventi dell'ospedale, e dei poveri di S. Maria in Cappella; e per il buon incamminamento di tutta la famiglia nella vita devota, e puntual servizio dell'ospedale, si deputi loro un sacerdote che li instruisca, e faccia ogni settimana la congregazione, conforme si fa alli sacerdoti, e faccia che si confessino e comunichino le feste deputate, e secondo il consiglio del loro confessore, e specialmente ogni prima domenica del mese con li fratelli, e che ogni mattina ascoltino la santa messa, e facciano la sua orazione, ed ogni sera l'esame di coscienza, e se riuscirà possibile, unitamente insieme, e vivano in santa pace e concordia tra di loro, e siano fedeli, esemplari ed accurati nel servizio dell'ospedale e verso dei pellegrini e convalescenti, riverenti verso i sacerdoti, e gli obbediscano in quelle cose che dispongono le presenti costituzioni, e che sono ordinate nelle istruzioni e tabelle perpetue, o da approvarsi dai signori superiori spettanti alla cura spirituale delle loro anime e dei pellegrini e convalescenti, e tra loro si potrà eleggere uno dei più morigerati ed abili che abbia cura d'avvisare ai suoi tempi, e di eseguire quanto gli sarà ordinato dal sacerdote.

Si doveranno ordinare gli esercizi che ciascuno dovrà fare, e sopra ogni esercizio formare una distinta e chiara istruzione, come s'ha da praticare, acciò si renda più facile e fruttuoso, e si dovranno anco descrivere in tavolette gli ordini delle giornate che possano servire per tutto l'anno, acciò ogni cosa si faccia con uniformità, ed a' suoi debiti tempi, e conforme la mente de' signori superiori, dai quali si dovrà prima ogni cosa approvare.

Potranno anco comunicarsi queste constituzioni o altri statuti dell'arciconfraternita alle confraternite aggregate, ed insieme alle altre che le desiderano, acciò possano metterle in pratica ed osservarle in quelle parti che sarà loro possibile; e dove non converanno e non si potranno mantenere sacerdoti a sufficienza per l'assistenza ai pellegrini e per il dovuto servizio alle chiese ed oratorî, potranno supplicare i sacerdoti medesimi delle congregazioni ed altri fratelli, distribuendo fra di loro i ministeri ed offizi, e le congregazioni si aiuteranno scambievolmente per l'osservanza; e senza uscir dalla sfera dell'istituto, con facoltà dell'eminentissimo protettore e monsignor illustrissimo primicerio, potranno alcuni sacerdoti portarsi a dargliene l'indirizzo e regolamento: con questo mezzo e loro esempio promoveranno molto il servizio di Dio in molte confraternite ed altri pii istituti, e gioveranno ad innumerabili anime.

Cap. VIII. — *Offizi de' sacerdoti.*

1. Superiore.
2. Prefetto dei pellegrini.
3. Prefetto dei convalescenti.
4. Prefetto della sagrestia e della chiesa.
5. Suo coadiutore.
6. Prefetto delle ceremonie.
7. Confessore della congregazione.
8. Correttore segreto.
9. Infermiero.
10. Suo coadiutore
11. Padre spirituale dell'oratorio.
12. Correttore della lezione della mensa.
13. Ministro.

I. Ciascuno delli suddetti ministri ed offiziali di congregazione e famiglia adempirà le particolari incombenze spettantegli secondo il regolamento già stampato, e conforme le istruzioni che sopra le medesime costituzioni ed offizi saranno loro prescritte dai superiori.

II. L'elezione del superiore si rinnoverà e confermerà ogni tre anni con la maggior parte de' voti segreti de' suddetti sacerdoti.

III. Fatta l'elezione, si parteciperà all'eminentissimo protettore per l'approvazione.

IV. Ed il superiore ogni anno eleggerà i sopraddetti offiziali, seondo la maggior abilità e disposizione de' soggetti, ed averà

cura di ben regolare la congregazione e di far osservare le presenti costituzioni, ecc., e tutti saranno molto puntuali in osservarle; ed essendo stati fedeli in queste poche cose, saranno costituiti dal Signore sopra molti beni.

v. In conformità si dice nel cap. I di queste costituzioni, li suddetti sacerdoti restino tanto più astretti ad aver ogni debita obbedienza e soggezione all'eminentissimo protettore e monsignor illustrissimo primicerio, e rispetto dovuto agl'illustrissimi signori guardiani, con osservare quanto si prescrive per loro disciplina nello stato dell'arciconfraternita, approvato da monsignor Filippo Archinto, già vicario del Papa, in quello che non sarà contrario alle presenti costituzioni, che doveranno inviolabilmente osservarsi.

Confirmatio relatarum constitutionum.

§ 2 Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes constitutiones huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent, nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ad ipsas constitutiones examinandas a nobis specialiter deputatorum consilio, omnes et singulas constitutiones praeinsertas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras, ac constitutiones praeinsertas, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, seu quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici scriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III iunii MDCXCII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3 iunii 1692, pontif. anno I.

---

## XXVI.

*Conceditur facultas celebrandi tres missas die sabbati sancti in capellâ S. Mariae de Athocha fratrum Praedicatorum oppidi Matriti* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Piis orthodoxorum regum de Ecclesiâ Dei multis nominibus optime meritorum studiis paternâ charitate libenter obsecundamus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, bonorum operum incrementum, et christiani populi aedificationem salubriter in Domino expedire arbitramur.

Erat immemorabilis consuetudo celebrandi dictas missas, sed ei adversabatur decretum Congregationis.

§ 1. Cum itaque, sicut pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici nobis per dilectum filium nobilem virum modernum ducem de Medinacaeli ipsius Caroli regis apud nos et Sedem Apostolicam oratorem nuper expositum fuit, in capellâ regiâ sub titulo seu invocatione S. Mariae de Athocha nuncupatâ, in ecclesiâ fratrum Ordinis Praedicatorum oppidi Matriti Toletanae dioecesis sitâ, tres missae singulis annis die sabbati sancti immemorabili tempore celebrari hactenus consueverint, nunc vero hac in re obstet decretum a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum novissime, nempe die XI februarii MDCXC, emanatum, ac a felicis recordationis Alexandro Papa VIII praedecessore nostro approbatum, per quod celebratio missarum dictâ die sabbati sancti in quibuscumque ecclesiis et oratoriis etiam privatis, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, prohibetur, et unicam missam conventualem unâ cum officio eiusdem sabbati sancti celebrandam esse decernitur: nobis propterea, eiusdem Caroli regis nomine per praefatum modernum ducem humiliter supplicatum fuit ut in in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio praedicta.

§ 2. Nos igitur, piis ipsius Caroli regis votis et supplicationibus huiusmodi, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuentes, de memoratorum cardinalium cônsilio, ut praedictâ die sabbati sancti in posterum singulis annis, post absolutam missam solemnem, in praefatâ ecclesiâ seu capellâ tres missae tantum, iuxta assertam antiquam et immemorabilem consuetudinem, dummodo tamen praesens gratia non transeat in exemplum, celebrari libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime sufragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apo-

1 In Innocentii const. ed. MDCLXXXVIII, die 26 iunii, pontif. XII, agitur de missali; et in huius Pontificis const. ed. MDCXCIV, die 3 augusti, pontif. III, permittitur missa B. Ioannae Alphonsi.

stolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII iunii MDCXCII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 8 iunii 1692, pontif. anno I.

---

## XXVII.

*Confirmantur constitutiones Congregationis presbyterorum saecularium in collegio S. Luciae Bononiensis Societatis Iesu* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Prooemium. In supremo militantis Ecclesiae solio, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae clementiae abundantiam constituti, ea, quae pro felici prosperoque congregationum christifidelium in sortem Domini vocatorum, ac propriae alienaeque saluti laudabili studio incumbentium, ad exercenda christianae charitatis atque pietatis opera pie sancteque institutarum, regimine et progressu provide prudenterque constituta atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, apostolicis muniminis patrocinio, cum id a nobis petitur, libenter roboramus.

A quo instituta dicta Congregatio, et conditae sequentes constitutiones. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Camillus Malvezzi et Hieronymus Sampieri Bononienses, quod, cum anno proxime praeterito venerabilis frater Iacobus archiepiscopus Bononiensis, ad omnipotentis Dei gloriam et clericalis status in dioecesi Bononiensi perfectionem, Congregationem presbyterorum seu clericorum saecularium in collegio S. Luciae Bononiensis clericorum regularium Societatis Iesu erexerit atque instituerit, eidem Congregationi de mandato ipsius Iacobi archiepiscopi praescriptae fuerunt nonnullae constitutiones tenoris qui sequitur, videlicet:

*Costituzioni della Congregazione degli ecclesiastici secolari eretta in Bologna nel collegio di S. Lucia della Compagnia di Gesù, per ordine di monsignor illustrissimo arcivescovo Giacomo Boncompagni l'anno 1691, addì 8 novembre.*

I. Il fine di questa Congregazione è attendere, mediante la divina grazia, al proprio profitto spirituale, e rendersi abile di attendere con ogni sforzo al profitto degli altri.

II. Si radunerà la Congregazione il dopo pranzo d'ogni mercoledì non impedito, quando in progresso di tempo non sembrasse qualche altro giorno più opportuno: e tutto l'anno, toltine il settembre e l'ottobre, si eserciteranno i congregati in giorni distinti 1° nella sposizione degli evangeli; 2° in ragionamenti sopra gli atti e canoni de'concili; 3° in decisioni de' casi di coscienza; 4° in osservazioni sopra le rubriche della messa.

III. Mentre si radunano all'ora prefissa ai congregati, si leggerà per un quarto d'ora un libro spirituale. I tre quarti seguenti, dopo l'invocazione dello Spirito Santo, si impiegheranno in uno de'suddetti esercizi, ed in conferenze sopra le materie discusse. Nella mezz'ora ultima, recitate le litanie della beata Vergine, fare una breve esortazione concernente alle virtù ed ogni perfezione dello stato ecclesiastico.

IV. Lo spositore degli evangeli da' sensi letterale e mistico spiegati trarrà uno o più assunti de' più utili e popolari, accennando che cosa potrebbe dirsi per istruzione del popolo; o pure, stretto in poche parole un breve discorso, ragionerà a'congregati come se fossero l'uditorio ch'egli dovesse ammaestrare. Seguirà poi la conferenza, in cui sarà lecito ad ognuno dei congregati o proporre qualche altro assunto

1 In const. ed. MDCXCII, die 3 iunii, pontif. I, confirmatae fuere constitutiones presbyterorum SS. Trinitatis peregrinorum et convalescentium de Urbe.

morale, o addurre qualche nuova spiegazione e riflessione de' santi Padri sopra i luoghi spiegati, o muovere qualche dubbio e chiedere lo scioglimento.

v. Se la materia della conferenza sarà assai copiosa, come spesso avviene, si potrà il mercoledì seguente, lasciato il solito esercizio, assegnare tutto il tempo della lezione spirituale fino all'esortazione ad una più esatta e piena conferenza sopra il medesimo testo, per sentire da vari maggior copia di osservazioni e documenti de' santi Padri, e mettersi a memoria maggior varietà di argomenti morali confacevoli alla capacità del popolo, ed atti a muovere gli animi all'abborrimento del vizio ed amore d'ogni virtù.

vi. Chi ragionerà sopra de' concili, data una breve contezza del tempo, luogo, occasione, numero e qualità de' padri convocati, spiegherà con speciale accuratezza i dogmi stabiliti per mantenimento della fede, e i canoni decretati per la riforma de' costumi. Le conferenze si faranno specialmente sopra i due punti accennati, e sopra le autorità e ragioni espresse negli atti sinodali, che mossero i padri a dichiarare ciò che spetta alla sincerità del credere, ed ordinare ciò che giova alla santità dell'operare.

vii. Il decisore de' casi, soddisfatto con brevità e chiarezza ad uno o più quesiti del caso proposto, risponderà alle difficoltà che da qualunque de' congregati gli potranno essere opposte.

viii. Le rubriche della messa potranno ora semplicemente spiegarsi, ora attualmente esercitarsi, come più caderà in acconcio. Le conferenze di questa materia si faranno specialmente o sopra i sensi mistici di qualunque minima ceremonia o rito ecclesiastico, o sopra i difetti che quotidianamente si commettono circa l'esatta osservanza di dette ceremonie e rubriche.

ix. Tutti li congregati si ricorderanno spesso qual sorta di vita richiegga da' suoi ministri il sommo nostro sacerdote Cristo Gesù, *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior caelis factus.* E però s'ingegneranno, coll'esercizio d'ogni solida virtù, e massime dell'umiltà, mortificazione, carità e modestia nel parlare, conversare, vestire, nel portamento tutto della persona, di giungere a quell'innocenza di vita, che è di tanto splendore allo stato ecclesiastico, e cagiona tanto frutto col solo esempio allo stato laicale.

x. Avranno tutti un padre spirituale stabile, a cui almeno una volta l'anno renderanno intiero conto di tutta la sua coscienza, nè gli manifesteranno solamente i difetti, ma le divozioni, penitenze, limosine, visite de' spedali, e virtù tutte, per esser da quello indirizzati, ed assicurarsi di non errare.

xi. Daranno ogni giorno quel tempo all'esame di coscienza, all'orazione mentale, alla lezione spirituale, che gli suggerirà la propria divozione regolata dalla voce e consiglio del proprio direttore, in cui si avvezzeranno di riconoscere la voce del Signore.

xii. Faranno ogni anno per otto intieri giorni gli esercizi spirituali di S. Ignazio nel solito oratorio, e non potendo a suo tempo cogli altri intervenire al comune ritiramento, soddisfaranno in privato, per quanto gli sarà possibile, all'obbligo loro, con partecipazione ed indirizzo del padre della Congregazione, a maggior utilità sua e de' prossimi, ed a maggior gloria del Signore e della sua santissima Madre, particolare protettrice della Congregazione, e maestra di sì fruttuoso modo di orare e di migliorare sè stesso.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ex tam pio instituto uberes fructus in beneficium animarum hactenus provenerint, et maiores de cetero proventuros esse speretur, ac proinde dicti exponentes, quibus id ex peculiari eorum officio incumbit, constitutiones huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ec- *Confirmatio relatarum constitutionum.*

clesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, et attentis relationibus dicti Iacobi archiepiscopi, necnon dilecti filii nostri Leandri dictae S. R. E. cardinalis Coloredi nuncupati, ad quem Congregatio memoratorum cardinalium easdem constitutiones pro revisione remisit, super praemissis eisdem cardinalibus factis, praeinsertas constitutiones, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate supradictae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, et constitutiones praeinsertas, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis presbyterorum, seu clericorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, seu quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI iunii MDCXCII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 21 iunii 1692, pontif. anno I

---

## XXVIII.

*Praescribitur moderatio servanda a Pontifice in concedendis bonis ecclesiasticis suis consanguineis et affinibus, horumque loco adlectis, necnon modus in signandis gratiis per concessum ipso aegrotante*[1].

1 In Alexandri VIII constit. edit. MDCXC, die 15 martii, pontif. I, iterum restituuntur redditus vicecancellario; et in huius Pontificis const. editâ MDCXCIII, die 15 octobris, pontif. II, modus imponitur cardinalibus circa privilegium testandi.

**Innocentius Episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Romanum decet Pontificem, tamquam fidelem servum et prudentem quem constituit Dominus super familiam suam, in Ecclesiae catholicae conspectu actum suum ita ordinare, ut ipse quidem in diebus suis placeat Domino et inveniatur iustus, fiatque forma gregis ex animo, et bonus sit Christi odor in omni loco; ceteri vero antistites et ecclesiarum praelati, in partem sollicitudinis, cuius ei commissa est plenitudo, vocati, aliique christifideles, quos curae suae divinitus creditos in visceribus paternae gerit charitatis, eius exemplo atque praeceptis, caduca mundi huius despicere, carnisque et sanguinis laqueos effugere, ac de bonis et rebus ecclesiasticis iuxta aequitatis et iustitiae leges disponere, et spiritualium remigio alarum ad caelestia contendere atque evolare, auxiliante Domino, condiscant. Hinc ad ea sacrorum canonum instituta, quae episcopis, ne bonis et redditibus Ecclesiae consanguineos suos augere studeant, interdicunt, considerationis nostrae aciem convertentes, eam nobis in supremâ beati Petri apostolorum principis, cui caro et sanguis non revelavit, Sede constitutus, ab ipso pontificatus nostri primordio servandam proposuimus, et hactenus, Deo adiuvante, servare studuimus disciplinam, ut, in bonorum et redditaum ad hanc Sanctam Sedem et Cameram nostram Apostolicam spectantium distributione, iustitiae atque prudentiae leges et regulas accurate custodientes, summam meritorum, nullam autem carnis et sanguinis aut cuiuscumque humani affectus rationem haberemus. Et licet in Dei misericordiâ speremus, tales nobis successuros Romanos Pontifices, qui non minus hac in parte, quam in reliquis munus suum impleant, et Ecclesiam universam spiritualium aromatum odore perfundant; nihilominus ea, quae nobis licere non patimur, aliis indicare, salubremque in S. R. E. omnium ecclesiarum matre et magistrâ circa praemissa normam et legem constituere atque stabilire decrevimus.

*Nonnisi titulo iustitiae liceat dare dictis personis praefata bona.*

§ 1. Habitâ igitur super his cum venerabilibus fratribus nostris eiusdem S.R.E. cardinalibus deliberatione maturâ, ac de illorum consilio pariter et assensu, ad omnipotentis Dei gloriam, Apostolicae Sedis honorem, ac antistitum, praelatorum, aliorumque ecclesiasticorum aedificationem et bonum exemplum, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione statuimus atque decernimus, salutarem hanc de cetero in dictâ S. R. E. servari rationem atque disciplinam ut nec a nobis, nec ab ullo Romanorum Pontificum successorum nostrorum, ad favorem nostrorum sive suorum respective fratrum, nepotum, aliorumque quorumcumque consanguineorum, seu affinium, sive illorum quos in locum nepotum aliorumque consanguineorum per cooptationem in familiam aut aliter adlegi seu adscisci contigerit, de bonis, pecuniis, locis montium vacabilium et non vacabilium, officiis venalibus, illorumque pretio, creditis, redditibus, rebus et iuribus quibuscumque ad Sedem et Cameram praefatas quovis modo spectantibus vel quandocumque spectaturis, etiam ex emolumentis Datariae, Cancellariae Apostolicae, Secretariae brevium, spoliorum ecclesiasticorum, et quarumcumque palatii apostolici portionum seu distributionum provenientibus, liberalitatis et donationis aliove quovis gratuito seu lucrativo titulo, directe vel indirecte, etiam servitiorum et meritorum, quae tamen talia

non sint ut ex lege iustitiae eam exigant remunerationem, aliove quolibet colore seu praetextu, sive etiam supra veram ipsorum servitiorum et meritorum rationem, ullo modo in posterum disponatur.

Quid fas sit in casu inopiae eorum.

§ 2. Quod si fratres, nepotes, consanguinei, vel affines, seu illorum loco adlecti sive adsciti praefati, inopià laboraverint, poterit Romanus Pontifex pro tempore existens, pro timoratà suà conscientià, illorum paupertatem eodem omnino modo sublevare, quo pauperum extraneorum inopiae subvenire fas est.

Ut tollatur praetextus stipendiorum, haec abolentur cum pluribus officiis et muneribus saecularium.

§ 3. Ne autem, quod directe prohibetur, indirecte permittatur, magnorum stipendiorum seu honorariorum nonnullis Sedis praedictae officiis seu muneribus (quae consanguineis vel affinibus seu adlectis vel adscitis praefatis concedi ut plurimum consueverunt) assignatarum ratione[1], stipendia, provisiones, sive salaria et honoraria, et aliàs quomodolibet nuncupari solita emolumenta quaecumque, quae antehac per Cameram praedictam in civitate Avenionensi et comitatu Venayssino nostris in spiritualibus et temporalibus vicario generali ac in illis et vicinis quinque provinciis eiusdem Sedis de latere legato praestari et solvi plerumque solita et consueta fuerunt, superintendentis vero generalis negotiorum Sedis Apostolicae, necnon totius militiae tam equestris quam pedestris Status nostri Ecclesiastici gubernatoris et capitanei generalis, itidemque classis et triremium pontificiarum praefecti, illiusque et illarum commissarii et locumtenentis generalis, arciumque et turrium ad littora maris tam Adriatici quam Thyrreni existentium superintendentis generalis, praefecti quoque generalis utriusque custodiae corporis Romani Pontificis, eiusque locumtenentis generalis, item castellani Arcis S. Angeli de Urbe gubernatoris, ut aliàs deputabatur, civitatis Beneventanae (cuius tamen gubernium ad instar aliorum praedicti nostri Status, prout impraesentiarum servatur, remaneat) et arcis Beneventanae praefecti, item gubernatoris oppidi nostri Civitatisvetulae, ac demum Perusinae, Anconitanae et novae Asculanae respective arcium praefecti seu castellani officia et munera ipsa, cum omnibus et singulis illorum et cuiuslibet eorum iuribus, praerogativis, stipendiis, salariis et emolumentis quibuscumque, perpetuo supprimimus et abolemus, illaque deinceps quomodocumque et quandocumque renovari prohibemus, nec cuiquam de cetero assignari et praestari seu concedi et conferri respective volumus atque decernimus. Quod si pro rerum qualitate, temporumque contingentià, manifesta urgensque necessitas munera seu officia militaria huiusmodi vel aliqua ex eis de novo institui exegerit, viros ad illa assumi volumus et mandamus strenuos et fideles, eximià virtute praestantes, reique militaris apprime peritos, et in illà diuturno ac probato usu exercitatos, quibus Romanus Pontifex pro tempore existens, secundum datam sibi a Domino sapientiam, pro ratione laboris, industriae, atque periculi, competentia et congruentia stipendia assignabit. Porro si nostri successorumque nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium fratres, nepotes et alii quicumque consanguinei, seu affines, sive veri, sive, ut praefertur, adlecti et adsciti, vitam ecclesiasticam elegerint, ac ecclesiarum et monasteriorum, aliorumque beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum, ac annuarum pensionum super eorum

1 Potius lege *assignatorum rationes*, vel *assignationes* (R. T.).

fructibus consecutionis capaces fuerint, eam in redditthe proventuum ecclesiasticorum distributione eis faciendâ servari volumus moderationem, ut nonnisi iuxta eorum merita et non ultra congruam pro[1] gradus vel dignitatis, quem vel quam in Ecclesiâ obtinuerint, nullo ad consanguinitatem, affinitatem, seu adlectionem erga Romanum Pontificem habito respectu, sustentationem, eiusmodi redditus et proventus ecclesiastici eis distribuantur, quo, custoditâ in omnibus ecclesiasticae disciplinae atque iustitiae distributivae regulâ, nemini relinquatur conquerendi vel obloquendi occasio, sed ecclesiastica stipendia ministrantibus in Ecclesiâ Dei aequâ lance pro uniuscuiusque merito assignentur.

Cardinalibus assignari nequeunt ad vitam plusquam duodecim millia scuta.

§ 4. Quoad illos autem ex fratribus, nepotibus, aliisque consanguineis seu affinibus Romanorum Pontificum pro tempore existentium praefatorum, sive veris, sive, ut praefertur, adlectis et adscitis, quos, eximiis eorum ita exigentibus meritis, ad sublimem cardinalatus dignitatem assumi contigerit, eam quoque de cetero servari volumus moderationem, ut ecclesiae, monasteria, commendae, aliave cuiusvis generis beneficia et officia ecclesiastica ac pensiones annuae super illorum fructibus unicuique eorumdem respective conferenda, commendanda et concedenda, ac reservandae et assignandae, verum valorem annuum duodecim millium scutorum monetae romanae, computatis insimul beneficiorum et officiorum quibuscumque fructibus et pensionum quantitatibus, in totum non excedant: in eâ tamen taxatione non comprehendantur emolumenta officiorum eiusdem Apostolicae Sedis et Romanae Curiae S.R.E. cardinalibus demandari seu concedi solitorum, aliorumque munerum, quae ipsis non ad vitam vel in perpetuum, sed ad tempus seu beneplacitum Romani Pontificis pro tempore existentis demandata seu concessa fuerint. Declarantes, quod deinceps praefati, qui vitam ecclesiasticam elegerint, seu ad sublimem cardinalatus dignitatem fuerint assumpti, quoscumque titulos fructuum reservationibus gravatos, sive praeventivas vel eventitias pensiones, ultra moderationem ut supra respective praescriptam, nullatenus assequi valeant.

Si secus quid fiat, id successor Pontifex rescindat.

§ 5. Quod si forsan (quod absit) modus circa praemissa sic congruenter salubriterque praescriptus in posterum excedatur, curae erit Romanis Pontificibus successoribus, donationes gratuitas, seu lucrativas dispositiones, excessivas subventiones, munerum et officiorum seu illorum stipendiorum et emolumentorum concessiones, ac redditum et proventuum ecclesiasticorum distributiones, necnon collationes, commendas, concessiones, reservationes et assignationes, aliaque praemissa, contra vel ultra modum ut praefertur praescriptum factas seu facta, rescindere, revocare et in nihilum redigere, ac ut praefertur donata, elargita, concessa, collata, commendata, reservata et assignata a consanguineis et affinibus, sive veris, sive adlectis et adscitis praefatis, eorumque haeredibus et successoribus respective, etiam manu regiâ et de apostolicae potestatis plenitudine vindicare et auferre, ac Camerae Apostolicae applicare et incorporare, aliisque respective conferre, commendare, concedere et assignare, ac aliàs desuper opportune providere seu disponere.

Modus servandus in signandis gratiis per *concessum* aegrotante Pontifice.

§ 6. Quia vero aegrotante Romano Pontifice nonnunquam contigit ut signaturae gratiarum, quae *per concessum* fieri dicuntur, modum illum excederent,

1 Praeposit. *pro* delenda videtur (R. T.).

quem ipse Romanus Pontifex, dum bene valebat, servare consueverat; statuimus atque decernimus, ut ii, quibus eiusmodi signaturas per *concessum* a Romano Pontifice aegrotante, etiam per chirographum speciale manu ipsius Romani Pontificis subscriptum, vel aliàs quomodocumque committi contigerit, cuiuscumque status, gradus, ordinis et dignitatis fuerint, etiamsi cardinalatus honore praefulgeant, nullas huiusmodi gratias signare vel expedire valeant, nisi fuerint ad illas adhibiti duo eiusdem S. R. E. cardinales, qui, unà cum signatore praefato coram ipsomet Romano Pontifice eas concedente ac expediri mandante, earumdem gratiarum supplicationibus sive minutis aut chirographis aliisque concessionum scripturis subscribant; alioquin, quidquid secus actum gestumve fuerit, nullum, irritum et invalidum, nulliusque sit roboris vel momenti; et qui huic saluberrimae sanctioni contravenerint, ab ipso Romano Pontifice sanitati restituto, vel eius successoribus, condignis poenis puniantur.

Haec constitutio confirmanda est iuramento ab omnibus cardinalibus et Pontificibus.

§ 7. Ut autem praemissa omnia et singula perpetuo et inviolabiliter observentur, volumus et apostolicà auctoritate decernimus, ut, sicut eiusdem S.R.E. cardinales in Romanà Curià praesentes hanc constitutionem quantum in eis erit observare, illique non contravenire, nec ullis contrafacientibus, etiam Romanis Pontificibus, consentire, nec absolutionem a iuramento praestito petere, nec oblatam aut concessam acceptare promiserunt et iurarunt, item quoque per absentes ab eàdem curià dictae S.R.E. cardinales, quandocumque ad eam advenerint, ac per futuros cardinales in assumptione pilei promitti et iurari debeat, promissioque et iuramentum huiusmodi in formulà iuramenti per eosdem cardinales praestari soliti adiungantur et adscribantur. Occurrente autem quandocumque eiusdem Apostolicae Sedis vacatione, iidem cardinales in conclavi, quando de observandis felicis recordationis praedecessorum nostrorum Iulii Papae II, super electione Romani Pontificis, Pii Papae V, ne civitates et loca S.R.E. infeudentur, et Sixti Papae V, de pecuniis in Arce S. Angeli positis inde non amovendis, aliisque nonnullis constitutionibus apostolicis iuramentum praestare solent, etiam de praesenti constitutione per quemlibet eorum, qui Romanus Pontifex electus fuerit, inviolabiliter observandâ, et postmodum ipse ad supremi apostolatus officium assumptus, post assumptionem huiusmodi, hoc ipsum promittere et iurare debeat, servatis etiam aliis omnibus et singulis illis, quae circa iuramentum huiusmodi in praefatâ Sixti praedecessoris constitutione, anno Incarnationis dominicae MDLXXXVI, XI kalendas maii, pontificatus sui anno I editâ, praescribuntur.

Item adiungenda aliis constitutionibus et publicanda.

§ 8. Has quoque nostras litteras in libellum redigi, et post praedictas Iulii, Pii et Sixti, quae in conclavi legi solent, aliorumque praedecessorum nostrorum constitutiones adiungi, et in quinterno Cancellariae nostrae Apostolicae unà cum aliis constitutionibus apostolicis adscribi et ad valvas ecclesiae Lateranensis, basilicae Principis apostolorum, dictaeque Cancellariae, et in acie Campiflorae de Urbe publicari, ipsarumque praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in iudicio quam extra illud ubique haberi volumus, quae iisdem praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum constitutionis, suppressionis, abolitionis, taxationis, statutorum, decretorum, voluntatum et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCXCII, x kalendas iulii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 iunii 1692, pontif. anno I.

✠ EGO INNOCENTIUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS

PROMITTO, VOVEO ET IURO.




† Ego Alderanus episcopus Ostiensis cardinalis Cybo promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Iacobus episcopus Tusculanus cardinalis Fransonus promitto, voveo et iuro.

† Ego P. episcopus Praenestinus cardinalis de Alteriis S. R. E. camerarius promitto, voveo et iuro.

†

†

† Ego F. tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Maidalchinus promitto, voveo et iuro.

† Ego Carolus tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis Barberinus promitto, voveo et iuro.

†

†

†

† Ego Nicolaus tituli S. Calisti presbyter cardinalis Acciaiolus promitto, voveo et iuro.

† Ego Gaspar tituli S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Carpineus promitto, voveo et iuro.

† Ego Caesar tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio presbyter cardinalis de Estrées promitto, voveo et iuro.

†

†

† Ego Franciscus tituli S. Matthaei in Merulana presbyter cardinalis Nerlius promitto voveo et iuro.

† Ego Hieronymus tituli S. Sylvestri de Capite presbyter cardinalis Casanate promitto, voveo et iuro.

† Ego Galeatius tituli Ss. Quirici et Iulitae presbyter cardinalis Marescottus promitto, voveo et iuro.

† Ego Fabritius tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Spada promitto, voveo et iuro.

† Ego P. Thomas Hovardus tituli S. Mariae super Minervam presbyter cardinalis de Norfolcia promitto, voveo et iuro.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Spinula promitto, voveo et iuro.

†

†

†

† Ego frater Laurentius Basilicae Ss. XII Apostolorum presbyter cardinalis de Laurea promitto, voveo et iuro.

† Ego Iacobus tituli S. Mariae de Arâcaeli presbyter cardinalis de Angelis promitto, voveo et iuro.

†

†
†
† Ego Marcus Antonius Barbadicus tituli S. Susannae presbyter cardinalis S. Susannae promitto, voveo et iuro.

†
†
†
† Ego Ioannes tituli S. Petri in Monte Aureo presbyter cardinalis de Gaessen promitto, voveo et iuro.

†
† Ego P. Maria tituli S. Marcelli presbyter cardinalis Petruccius promitto, voveo et iuro.

†
†
†
† Ego Ioseph Saens tituli S. Balbinae presbyter cardinalis de Aguirre promitto, voveo et iuro.

† Ego Leander tituli Ss. Nerii et Achillei presbyter cardinalis Coloretus maior poenitentiarius promitto, voveo et iuro.

† Ego Fortunatus tituli Ss. Ioannis et Pauli presbyter cardinalis Carafa promitto, voveo et iuro.

† Ego Bandinus tituli S. Pancratii presbyter cardinalis Panciaticus promitto, voveo et iuro.

†
† Ego Ferdinandus tituli S. Clementis presbyter cardinalis de Abdua promitto, voveo et iuro.

† Ego Tussanus tituli S. Agnetis extra moenia presbyter cardinalis de Janson Forbin promitto, voveo et iuro.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Laurentii in Pane et Perna presbyter cardinalis Rubinus promitto, voveo et iuro.

† Ego Ioannis Baptista S. Anastasiae presbyter cardinalis Costagutus promitto, voveo et iuro.

†
†
†
†
†
†

† Ego Urbanus S. Mariae in Vialata diaconus cardinalis Sacchettus promitto, voveo et iuro.

†
†
†
† Ego Fulvius Ss. Cosmae et Damiani diaconus cardinalis Astallius promitto, voveo et iuro.

†
†
† Ego Petrus S. Laurentii in Damaso diaconus cardinalis Ottobonus S. R. E. vicecancellarius promitto, voveo et iuro.

† Ego C. S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Bichius promitto, voveo et iuro.

†
† Ego Aloysius S. Mariae in Porticu diaconus cardinalis Homodeus promitto, voveo et iuro.

† Ego Ioannes Franciscus S. Adriani diaconus cardinalis Albanus promitto, voveo et iuro.

† Ego Franciscus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Barberinus promitto, voveo et iuro.

† Ego Laurentius S. Mariae in Aquiro diaconus cardinalis de Alteriis promitto, voveo et iuro.

---

## XXIX.

*Confirmantur decreta capituli generalis et Congregationis episcoporum et regularium pro celebratione capituli provincialis fratrum Discalceatorum sancti Augustini provinciae Germaniae.*[1]

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii procuratoris generalis Congregationis Italiae fratrum Ordinis Eremitarum sancti Augu- Decretum capituli generalis.

1 Eadem facultas concessa fuit eremitis Discalceatis Congregationis Italiae a Clemente XI const. ed. MDCCI, die 30 aprilis, pontif. I.

stini Excalceatorum nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae expositum fuit, quod capitulum generale dictae Congregationis Italiae, novissime, sub praesidentiâ venerabilis fratris nostri Palutii episcopi Praenestini eiusdem S. R. E. cardinalis de Alteriis nuncupati, Ordinis praedicti apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, celebratum, ad favorem provinciae Germaniae eiusdem Congregationis Italiae decretum edidit tenoris qui sequitur, videlicet: « Die VII maii sess. VII post vesperas lectus fuit supplex libellus provinciae Germanicae, in quo repetit preces in aliis capitulis generalibus porrectas, quod ei soli concedatur celebratio capituli provincialis ob particulares rationes adductas, atque etiam ob instantiam augustissimi imperatoris; et annuente eminentissimo et reverendissimo domino cardinale Palutio de Alteriis S. R. E. camerario protectore nostro, et praesentis capituli generalis apostolico praesidente, mature consideratis considerandis, decernimus et statuimus, quod omnino concedatur, sicut de facto concedimus, itaut possit incipere capitulum provinciale in secundo anno praesentis triennii iuxta methodum statutam in capitulo generali de anno MDCXXVIII, et in praesenti approbatam et confirmatam cum nonnullis additionibus, prout in exemplari subscripto ab eminentissimo praedicto protectore et a praeside necnon ab omnibus et singulis patribus definitorii generalis; insuper impartiuntur facultatem patri Calisto a S. Innocentio procuratori generali ex praeteritis impetrandi confirmationem praesentis decreti a sacrâ Congregatione statuti[1] episcoporum et regularium praepositâ, et, quatenus opus esset, etiam robur apostolicum a sanctissimo domino nostro Innocentio Papa XII. Omnibus per vota secreta concurrentibus, cardinalis DE ALTERIIS protector et praeses ».

*De rescripto S. Congregationis.* Et proinde pro parte dicti procuratoris generalis praedictae cardinalium Congregationi supplicato ut decretum huiusmodi confirmaret, emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris sequentis, videlicet: « Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, petitam confirmationem, servatâ tamen in omnibus unitate et subiectione, prout antea, oratori benigne concessit. Romae XXIII maii MDCXCII.

H. card. CASANATA.

*Locus ✝ sigilli.*

A. ALTOVITUS secret. ».

*Confirmatio relatorum decretorum.* § 2. Cum autem, sicut dictus procurator generalis nobis subinde exponi fecit, ipse praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum novissimi capituli generalis decretum, a memoratâ cardinalium Congregatione ut praemittitur confirmatum, necnon desuper emanatum decretum a Congre-

1 Forsan *negotiis et consultationibus* (R. T.).

gatione cardinalium, decretum itidem praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis dictorum cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis, Congregationis Italiae et provinciae praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxx iunii MDCXCII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 iunii 1692, pontif. anno I.

---

## XXX.

*Decretum particularis Congregationis, quo abolentur omnes iudices particulares, et tribunalia Urbis revocantur ad ius comune*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Causae decreti. § 1. Ad radicitus submovendum quotidianos iurisdictionum conflictus et intolerabiles abusus, qui in Romanâ Curiâ ex multitudine iudicum particularium exercentium ex privilegio privativam seu cumulativam iurisdictionem, nimis irrepserunt, Congregatio particularis, a sanctissimo domino nostro Innocentio divinâ providentiâ Papa XII specialiter (ut infra) deputata, censuit nullum aliud magis proprium, iustius et aptius remedium dari posse huic gravissimo malo, per quod iurisdictio iudicum et tribunalium ordinariorum ad nihilum fere redacta reperitur, quam mediante novâ constitutione[2] per Sanctitatem suam promulgandâ penitus tollere et abrogare omnes praedictas iudicaturas particulares vigore privilegiorum hactenus erectas et constitutas, et proinde ad viam iuris reducere omnia et singula indulta, facultates et privilegia eligendi seu deputandi tam in primâ quam in ulterioribus instantiis omnes praedictos iudices particulares quocumque nomine nuncupatos concessa per praedecessores Romanos Pontifices congregationibus etiam S. R. E. cardinalium, ecclesiis et basilicis etiam patriarchalibus, universitatibus, monasteriis, collegiis, etiam sub curâ et administratione patrum So-

1 In Innocentii XI constitut. edit. MDCLXXXIX, die 28 iunii, pontif. XIII, extat reformatio tribunalium; et in huius Pontificis const. ed. MDCXCII, die XVII septembris, pontif. II, revocatio tribunalium particularium.

2 Edit. Main. legit *Congregatione* (R. T.).

cietatis Iesu existentibus, hospitalibus, archihospitalibus, etiam Sancti Spiritus in Saxia, confraternitatibus, conservatoriis, domibus piis, etiam almae Domus Lauretanae, capellis, altaribus, montibus etiam pietatis, ceterisque aliis locis piis, quocumque pariter nomine nuncupatis, seu cardinalibus, eorum protectoribus, archipresbyteris, abbatibus, vicariis, aliisque administratoribus quibuscumque, in quibusvis causis civilibus, criminalibus, aut mixtis dictarum ecclesiarum, locorum priorum, aliorumque, ut supra, necnon eorum officialium, dignitatum, canonicorum, beneficiatorum, affictuariorum, emphyteutarum, colonorum, aliorumque quomodolibet inservientium eisdem locis piis, illorumque bonis et tenutis, etiamsi privilegia praedicta appareant seu fuerint concessa motu proprio, consistorialiter, seu in limine fundationis, sive ex causâ onerosâ, vel pro bono publico spirituali, aut temporali, et quantumvis extiterint semel ac pluries per Sedem Apostolicam confirmata et innovata, cum quibusvis facultatibus et auctoritatibus eligendi notarios sibi benevisos, ac providendi summarie, de plano, solâ facti veritate inspectâ, sine strepitu et figurâ iudicii, manu regiâ, ac quacumque appellatione, reclamatione, recursu, revisione, supplicatione, seu restitutione in integrum remotis, seu cum aliis similibus aut maioribus facultatibus, ac quibuslibet efficacissimis clausulis munita noscantur, etiamsi istae continerent derogatorias ad futura, seu derogatorias derogatoriarum, seu mandarent revocari non posse nisi auditis etiam pluries habentibus interesse, itaut constitutionis per Sanctitatem Suam promulgandae effectus sit quod in omnibus et per omnia praedicta privilegia, facultates et indulta, quocumque titulo, causâ, vel ratione, aut verborum amplitudine edita seu concessa, habeantur ac si non emanassent, aut numquam fuissent confirmata vel innovata.

Quid agendum de iam inceptis causis.

§ 2. Mens autem ac sensus Congregationis fuit et est sub praesenti ordinatione non comprehendere causas iam instructas seu aliàs legitime contestatas coram iudicibus particularibus, quive propterea, eâ non obstante, poterunt ad illarum expeditionem prout iuris fuerit procedere; verum si causis huiusmodi expeditis appellari, reclamari, supplicari, recurri, aut in integrum peti restitutio contingat, appellationes huiusmodi*, reclamationes, supplicationes, restitutiones in integrum devolvantur ad signaturam iustitiae, prout practicatur in ceteris causis expeditis a iudicibus ordinariis, nec amplius redire possint ad tribunalia antiquorum privilegiatorum, sive ad protectores, archipresbyteros, aliosque ut supra; prout nec etiam in casu recursuum et appellationum in posterum interponendorum a sententiis et decretis[1] iudicum per eosdem privilegiatos extra Curiam deputatorum seu deputandorum, huiusmodi recursus et appellationes non amplius ad supranominatos, sed ad iudices ordinarios et competentes Romanae Curiae devolvi debeantur[2].

Excipiuntur nonnulli iudices particulares.

§ 3. Declarando tamen, quod per praesentem ordinationem non censeatur ullo modo adempta cardinalibus, archipresbyteris, protectoribus, seu titularibus, eorumque vicariis, aliisque deputatis, facultas seu iurisdictio in his quae concernunt servitium ecclesiae seu loci pii circa disciplinam ecclesiasticam et morum correctionem dumtaxat, prout quod neque sub eàdem ordinatione comprehensa sint tribunalia Camerae Aposto-

1 Edit. Main. legit *decreti* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *debeatur* (R. T.).

licae, legatus Avenoniensis, ac iudex fabricae S. Petri, neque congregationes descriptae in solito liberculo seu elencho congregationum ac tribunalium Urbis. Quo vero ad interesse notariorum, necnon ad artes et consulatus Urbis, censuit eadem Congregatio esse in posterum particulariter providendum.

Approbatio Pontificis.

§ 4. Factâ sub eâdem die XXXI augusti MDCXCII per me infrascriptum relatione praemissae resolutionis SS. D. N., Sanctitas Sua praecepit illam publicari et interim omnino observari, donec desuper edatur Bulla, ac si eadem iam emanasset.

Ansaldus de Ansaldis SS. N. D. auditor.

Dat. die 31 augusti 1692, pontif. anno II.

*Sequuntur nomina praelatorum, aliorumque qui praedictae Congregationis particularis a Sanctissimo specialiter deputati intervenerunt.*

Reverendissimus pater dominus Prosper Bottinus archiepiscopus Mirensis, fisci et Camerae Apostolicae advocatus et promotor fidei;

R.mus Iacobus Emerix sacrae Rotae advocatus;

R.mus P. D. Matthaeus Ysore de Héruault sacrae Rotae auditor;

R. P. D. Federicus Caccia sacrae Rotae auditor;

R. P. D. Ioseph Molines sacrae Rotae auditor;

R. P. D. Ioannes Dominicus Thomatus A. C. locumtenens;

R. P. D. Curtius Origus signaturae iustitiae auditor;

R. P. D. Ioseph Sacripante SS. D. N. subdatarius;

R. P. D. Ferdinandus Nuptius reverendae Camerae Apostolicae commissarius generalis;

R. P. D. Ansaldus de Ansaldis auditor Sanctissimi;

Dominus Fattinellus de Fattinellis primus collateralis Curiae Capitolii;

Dominus Ioannes Dominicus Raynaldus locumtenens criminalis eminentissimi cardinalis vicarii;

Pro domino successore domini Nicolai Florelli, olim A. C. et sacri palatii apostolici notarii;

Angelus Montani pro reverendâ Camerâ deputatus.

---

## XXXI.

### *Firmantur limites facultatum maioris poenitentiarii* [1].

**Innocentius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.**

Romanus Pontifex, omnium christifidelium pater et pastor, Illius, qui, ut peccatores pretiosi sui sanguinis profusione redemptos salvos faceret, semetipsum exinanivit, vices gerens in terris, ad ea, per quae sibi caelitus commissi gregis saluti [1] uberius consulitur, praecipuis debet et indefessis studiis incumbere, sibique in Petro apostolorum principe attributam potestatem, qua, infallibili Christi Domini testimonio, quidquid solverit super terram erit solutum et in caelis, per se, et respective per alios, providâ dispensatione exercere. Huius considerationis intuitu, Romani Pontifices praedecessores nostri Poenitentiariae Apostolicae officio et maiori poenitentiario quamplures et amplas facultates concesserunt, illasque aliquando, in iis praesertim quae forum internum non concernebant, reformarunt, et quandoque ampliarunt et immutarunt, prout rerum et temporum circumstantiis, op- Prooemium.

1 Non eadem semper fuit facultas maioris poenitentiarii, uti constat ex constitutionibus infra laudatis, videlicet Pii IV, Pii V, Gregorii XIV, Urbani VIII et aliorum Pontificum. In huius Pontificis constitut. edit. MDCXCII, 7 idus maii, pontif. I, reformata fuit iudicum facultas circa reditum homicidarum, et per constit. edit. MDCXCII, die 18 novembris, pontif. II, revocata fuit facultas tribunalium particularium.

1 Edit. Main. legit *salutis* (R. T.).

portunitatibus et vicissitudinibus attente pensatis, censuerunt in Domino salubriter expedire.

A Pio V reformata fuit auctoritas officii Poenitentiariae.

§ 1. Aliàs siquidem, post antiquiores officii huiusmodi status, felicis recordationis Pius PP. IV praedecessor noster, officiorum et tribunalium Romanae Curiae reformationi pastorali sollicitudine intentus, ad eiusdem Poenitentiariae officium, in quo morum censura et animarum salus praecipue vertitur, considerationis suae oculos direxit; habitâque desuper cum tunc existentibus S. R. E. cardinalibus deliberatione maturâ, ipsoque maiore poenitentiario ac eius officialibus auditis, ac omnibus mature consideratis, de eorumdem cardinalium consilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus pro tempore existens maior poenitentiarius, regens, correctores, superiores et procuratores, ac alii quicumque eius officiales et ministri, ab eorum omnium quae in tunc confectis capitulis et prohibitionibus continebantur et forum internum seu poenitentialem plerumque non respiciebant, concessione et commissione penitus cessare et abstinere deberent, per quasdam suas anno Incarnationis dominicae MDLXII, V nonas maii, pontificatus sui anno III, expeditas litteras, auctoritate apostolicâ statuit et ordinavit.

A Pio V revocata fuit omnis auctoritas Poenitentiariae, eâ exceptâ minorum poenitentiariorum.

§ 2. Successive recolendae memoriae Pius PP. V, etiam praedecessor noster, tempus et necessitatem suique instituti rationem postulare perpendens ut in multis Romanae Curiae rebus novam deinceps formam proponeret, eiusmodi vero curam ipsum impensius sollicitare ut ad ea in primis incumberet quae salutem et periculum respiciebant animarum, ac[1] praefato Poenitentiariae officio initium capere, novamque illi pro futuris facultatem statuere volens, de apostolicae potestatis plenitudine, omnem et quamcumque eiusdem officii et poenitentiarii maioris auctoritatem, iurisdictionem et potestatem ordinariam et delegatam, ac omnia et quaecumque privilegia, facultates et indulta, illis ceterisque omnibus dictae Poenitentiariae tunc existentibus collegiis et personis ab ipsius officii institutione per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores suos ac seipsum et Sedem Apostolicam, etiam motu proprio et ipsius certâ scientiâ, deque praedictae potestatis plenitudine, tam in genere quam in specie, ac de mandato speciali et expresso, etiam vivae vocis oraculo emisso, et ex quibuscumque causis concessa, confirmata, ac etiam pridem a memorato Pio IV praedecessore reformata, restricta et moderata, quibuscumque concepta formulis, ac etiam restrictivis, derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus et efficacioribus ac etiam vim contractus inducentibus clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis suffulta, quorum omnium tenores haberi voluit pro expressis, quaecumque essent (potestate minorum poenitentiariorum suorum et ordinationibus de illis eorumque statu tunc pridem editis litteris salvis et integris remanentibus), revocavit, suppressit et abolevit; et aliàs, prout in eiusdem Pii V praedecessoris IV kalendas maii anno praefatae Incarnationis MDLXIX et pontificatus sui IV desuper expeditis litteris uberius continetur.

Ab eodem Pio V instituta fuit nova forma officii Poenitentiariae.

§ 3. Utque memoratus Pius V praedecessor, habitâ de ministrorum qualitate, numero, functionibus et officiis ratione explicatâ, novam futuris formam de integro praescribere valeret, qua ipsum Poenitentiariae officium, certis quibusdam facultatibus, quae aliis officiis magis conveniebant, exoneratum atque expeditum, deinde ea, quae animarum salu-

1 Vel legendum *a* pro *ac* vel addendum (R. T.).

tem praecipue concernebant, attentiore studio prosequeretur, xv kalendas iulii eiusdem anni MDLXIX duas edidit constitutiones, in quarum primâ, quae incipit *In omnibus rebus*, ministrorum qualitatem, numerum, functiones et officia in posterum ordinavit; in aliâ vero, quae incipit *Ut bonus paterfamilias*, Poenitentiariae huiusmodi officium nonnullis ibidem relatis facultatibus dumtaxat, quas poenitentialis muneris maxime proprias ac egentium christifidelium remedio accommodatas censuit, communivit.

A dicto Pio et Gregorio XIV multoties ampliata fuit Poenitentiariae auctoritas.

§ 4. Deinde nihilominus idem Pius V praedecessor, eiusque successores Romani Pontifices, quampluribus vivae vocis oraculis, et piae memoriae Gregorius Papa XIV, pariter praedecessor noster, etiam suis in formâ Brevis die x aprilis anni MDXCI expeditis litteris, reformatas ut praefertur memorati officii facultates multoties ampliarunt et extenderunt.

Ab Urbano VIII iterum reformata fuit auctoritas Poenitentiariae.

§ 5. Verum huiusmodi facultatibus valde ut praefertur multiplicatis et adauctis[1], similis memoriae Urbanus Papa VIII, etiam praedecessor noster, memoratorum Pii IV et Pii V praedecessorum vestigiis inhaerens, per suas die XVII septembris anni MDCXXXIV pontificatus sui XII in formâ Brevis pariter expeditas litteras (praeviâ, quoad inibi descripta capita, quarumcumque facultatum seu indultorum ac vivae vocis oraculorum desuper concessorum et aliter emanatorum, quae iisdem litteris adversarentur, revocatione), motu proprio, ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione suis, deque apostolicae potestatis plenitudine, statuit et ordinavit, quod de cetero perpetuis futuris temporibus maior poenitentiarius, et eiusdem Poenitentiariae regens, ceterique eius officiales et ministri pro tempore existentes, a particularium casuum et negotiorum inibi expressorum concessione, commissione et expeditione, quae aliàs nullae essent, eo ipso penitus cessare et abstinere deberent.

Ab aliis Pontificibus postea ampliata et moderata fuit dicta auctoritas.

§ 6. Adhuc tamen et post huiusmodi particularem reformationem alia Romanorum Pontificum ad haec usque tempora vivae vocis oracula facultates huiusmodi ampliantia et respective moderantia supervenerunt.

Causae huius Constitutionis.

§ 7. Hinc nos, animarum saluti, et facultatum unicuique officio et tribunali competentium ordini et distinctioni, quantum nobis ex alto conceditur, consulere volentes, ac propterea litterarum apostolicarum et vivae vocis oraculorum praefatorum multiplicitatem, varietatem et immutationes sedulâ meditatione pensantes, nostrae Poenitentiariae ac maioris poenitentiarii facultates seligere, et delectas, ceteris exclusis, compilare et in unum redigere decrevimus, ut quousque facultates huiusmodi extendantur, ac quomodo et quibus casibus exerceri possint et debeant, certe, prompte et distincte sub unicâ et omnium comprehensivâ sanctione innotescant.

Firmantur similes auctoritatis Poenitentiariae.

§ 8. Omnium itaque et singularum litterarum et oraculorum huiusmodi, ac aliarum et aliorum, quaecumque sint et si quae sint, tenores pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, ac salvis et in suo robore et statu permanentibus iis, quae in alterâ ex praefatis eiusdem Pii V praedecessoris constitutionibus incipiente *In omnibus* super ministrorum Poenitentiariae praefatae qualitate, numero, functionibus et officiis ordinata fuerunt (ac etiam salvâ semper maioris poenitentiarii facultate Romanum Pontificem[1] in quibuscumque particularibus casibus, tametsi per prae-

1 Edit. Main. legit *adductis* pro *adauctis* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *Romanorum Pontificum* (R. T.).

sentes nostras litteras non concessis, imo prohibitis, consulendi, itaut ipsi maiori poenitentiario de Romani Pontificis speciali mandato desuper vivae vocis oraculo sibi facto procedere asserenti indubia fides debeat adhiberi), motu proprio, ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, infrascriptas tantum facultates eidem Poenitentiariae et maiori poenitentiario de cetero competere, ac in illâ et ab illo in hunc qui sequitur modum exerceri posse, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione statuimus atque decernimus.

Conceditur maiori poenitentiario plena facultas absolvendi ab omnibus culpis et censuris in utroque foro regulares: alios vero in quibusdam casibus sub certis conditionibus.

§ 9. Nostro itaque et pro tempore existenti maiori poenitentiario concedimus, ut omnes et singulos, cuiuscumque qualitatis, dignitatis et gradus, ecclesiasticos saeculares, et cuiusvis Ordinis, congregationis, societatis et instituti regulares, necnon laicos quoscumque utriusque sexus, tam praesentes quam absentes, ab omnibus et quibuscumque culpis, criminibus et excessibus quantumcumque gravibus et enormibus, tam publicis quam occultis, quandocumque et quomodocumque commissis et perpetratis, necnon ab omnibus excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis praemissorum occasione latis et per illos incursis, etiam in casibus nedum superioribus regularibus et ordinariis, sed etiam nobis et Sanctae Sedi specialiter, ac etiam per litteras quae die Coenae Domini quotannis promulgantur, reservatis, iniunctâ semper iisdem pro modo culpae poenitentiâ salutari, et aliis quae fuerint de iure iniungenda, absolvere, et absolvi mandare possit et valeat: regulares nimirum, a culpis et censuris praemissis in utroque foro, et ecclesiasticos saeculares, necnon laicos, a praedictis culpis et censuris in foro conscientiae tantum; eosdem vero ecclesiasticos saeculares, necnon laicos, tunc in utroque foro absolvere et absolvi mandare possit, quando agitur de excommunicatis et suspensis a sententiâ generali vel speciali delegatorum aliorumque iudicum, quorum iurisdictio expiraverit, seu etiam de illis quorum absolutio per eosdem iudices aut alios fuerit ad Romanum Pontificem et ad dictam Sanctam Sedem remissa, seu pariter de iis, qui, legitimo impedimento detenti, praesentiam iudicum, vel illorum qui eos excommunicarunt aut suspenderunt, aut alium seu alios, adire non potuerunt.

Aliae conditiones.

§ 10. Ita tamen ut praedicti a censuris ab homine latis seu declaratis in utroque foro ut praefertur absolvendi, in suis congruis casibus respective iudicato paruerint et parti satisfecerint, vel, quamprimum potuerint (alioquin in easdem censuras reincidant), satisfaciant. Eâdem vero parte oblatam convenientem satisfactionem, quae tamen in sententiis seu decretis individuata non sit, irrationabiliter recusante, possit maior poenitentiarius iudicis, coram quo censurarum causa pendet, conscientiae remittere, ut convenientem satisfactionem arbitretur, illâque per reum oblatâ, et per aliam partem irrationabiliter recusatâ, valeat adhuc, firmâ remanente huiusmodi oblatione, ad absolutionem procedere.

De petentibus Romam causa consequendi indulgentias vel absolutionem.

§ 11. Romam quoque advenientes ab omnibus per quemcumque iudicem vel aliàs quomodocumque, non tamen in Romanâ Curiâ nominatim promulgatis, seu alibi promulgatis et in eâdem Curiâ notoriis censuris (ad effectum dumtaxat ut indulgentias, sacra Urbis loca pie[1] ac religiose invisentibus concessas, libere et licite consequi valeant, itaut, simul ac indulgentias praefatas consequuti fue

1 Male edit. Main. legit *pia* (R. T.).

rint, iisdem, quibus antea, censuris constricti teneantur) absolvere et absolvi mandare possit et valeat. Quod si censuris ab homine nominatim ligati pro absolutione Romam advenerint, sed pro illâ obtinendâ fuerint ad eorum iudices remissi, et probabile mortis periculum in itinere pertimescunt, poterit maior poenitentiarius ad congruum tempus ab ipso pro huiusmodi itinere agendo arbitrandum, sub conditione si huiusmodi periculum immineat, et cum reincidentia si praefati idem periculum evaserint, in foro conscientiae tantum absolvere et absolvi mandare.

De principibus et praelatis.

§ 12. Nequeat tamen in ullis casibus publicis, qui in praefatis litteris die Coenae Domini legi consuetis continentur, etiamsi Sedes Apostolica tunc vacaret, aut Romanus Pontifex propter infirmitatem vel aliam causam ita fuisset impeditus ut celeriter consuli non posset, principes et alios ius imperii, etiam vicario nomine, habentes, ac dominia et respublicas, seu personas illorum et illarum administrationem habentes vel habere solitas, necnon episcopos et alios superiores praelatos absolvere et absolvi mandare.

De iis, qui agunt de electione Romani Pontificis.

§ 13. Minusque possit etiam in occultis, etiam in foro conscientiae tamquam[1], S. R. E. cardinales, et alios, cuiuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis, dignitatis et praeeminentiae fuerint, qui, vivente Romano Pontifice, de quopiam eligendo vel excludendo tractaverint, suffragia inierint, ambitus aut pactiones fecerint, seu, Sede Apostolicâ vacante, in censuras seu poenas in felicis recordationis Gregorii Papae XV et praefati Urbani VIII, etiam praedecessorum nostrorum, super electione Romani Pontificis pro tempore faciendâ, XVII kalendas septembris anno Incarnationis MDCXXV respective emanatis litteris[1] contentas quomodolibet inciderint, absolvere et absolvi mandare.

De astrologis iudiciariis.

§ 14. Nec pariter possit etiam in occultis etiam in foro conscientiae tantum eos, cuiuscumque qualitatis, status, dignitatis, praeeminentiae et conditionis fuerint, qui, astrologiâ iudiciariâ, vel aliàs, per se vel per alios, de statu reipublicae christianae sive de vitâ aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis inquirentes, eiusdem Urbani praedecessoris pridie kalendas aprilis anno eiusdem Incarnationis MDCXXXI contra illos editis litteris contravenerint, absolvere et absolvi mandare.

De violatoribus immunitatis ecclesiasticae.

§ 15. Nec similiter valeat in casibus publicis, etiam in iudicium non deductis, violatae immunitatis seu libertatis ecclesiasticae ullatenus absolvere seu absolvi mandare.

De apostatis et haereticis occultis.

§ 16. Eos tantum haereticos in foro conscientiae dumtaxat, absque aliâ abiuratione coram Ordinario aut inquisitore faciendâ, absolvat seu mandet absolvi, qui cum nemine de suis haeresibus loquuti sunt, et omnino sunt occulti, etiamsi aliquos extrinsecos actus fecerint, ex quibus argui potuissent haeretici; dummodo tamen ad eosdem actus, quamvis de sui naturâ noscibiles, seu ad notitiam deducibiles, quantum ipsi sciant et prout credunt, nullus advertit. Apostatas quoque a fide catholicâ et haereticos in eodem foro conscientiae dumtaxat absolvat, seu absolvi mandet, in iis solum casibus, in quibus necesse non est complices denunciare; quando nimirum iidem complices mortui, seu ex regionibus palam infectis sunt, et in illis degunt; non tamen quando complices Itali vel Hispani, seu ex illis regionibus essent, in quibus Inquisitionis sancti officii auctoritas viget: omni aliâ facultate ab

1 Potius lege *tantum* (R. T.).

1 Deest datum litterarum Gregorii XV (R. T.).

haeresi vel apostasiâ huiusmodi absolvendi in ceteris, praeterquam in casibus in quibus sanctum Inquisitionis officium ad maiorem poenitentiarium absolvendos remitteret, interdictâ.

De recipientibus munera a regularibus.

§ 17. Munera a regularibus contra recolendae memoriae Clementis PP. VIII pariter praedecessoris nostri anno Incarnationis praefatae MDXCIV, XIII kalendas iulii, editam constitutionem ultra valorem decem scutorum monetae recipientes, exceptis rerum medicinalium seu devotionis muneribus, ante factam restitutionem non absolvat, nec mandet absolvi; infra vero praedictum valorem, nonnisi factâ arbitrio ipsius maioris poenitentiarii seu per eum eligendi confessarii eleemosynâ, quae in beneficium religionis seu conventus, cui de iure facienda esset restitutio, si caute fieri potest, erogetur, absolvat seu mandet absolvi.

De infringentibus clausuram monialium.

§ 18. Moniales, et quascumque personas, quae in casibus publicis clausuram[1] earumdem monialium ad malum finem violaverint, et respective ausae fuerint violare, non absolvat, nec mandet absolvi, nisi in casibus in quibus ipsi episcopi seu Ordinarii pro ipsis delinquentibus supplicaverint, et casus ad Congregationem S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium propositam deducti non fuerint.

De confessariis monialium.

§ 19. Confessarios monialibus nullatenus concedat, et Cappuccinos, in illis regionibus in quibus iidem confessionibus audiendis operam dare non solent, in confessarios non deputet.

De irregularibus ob quodcumque delictum.

§ 20. Ad haec super quacumque irregularitate et inhabilitate ex quocumque delicto, etiam homicidio voluntario, et ex quocumque defectu proveniente[2], in casibus tamen occultis et in foro conscientiae tantum, praeviâ in gravioribus casibus maturâ discussione faciendâ in Poenitentiariae signaturâ, dispensare vel dispensari mandare possit, tam cum ecclesiasticis saecularibus quam cum laicis respective, cum quibus expediens videbitur, ut ordinibus initiari, et susceptis etiam sacris et presbyteratus ordinibus ministrare et ad superiores conscendere, ac dignitates etiam cathedrales et metropolitanas, ac quaecumque beneficia ecclesiastica, quandocumque ante dispensationem, alioquin canonice, obtentas vel obtenta, retinere, necnon huiusmodi beneficia et dignitates (exceptis, quando agitur de homicidio voluntario vel alio gravissimo excessu, ecclesiis cathedralibus et metropolitanis), etiam post delictum, assequi valeant[1].

1 Edit. Main. legit *clausura* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *provenientes* (R. T.).

De irregularibus ob haeresim vel apostasiam.

§ 21. Cum haereticis et apostatis a fide catholicâ, quando haeresis et apostasia huiusmodi nullatenus est propalata, et casus gravitas non suadet poenitentes ad sanctam Inquisitionem remittendos esse, super quacumque irregularitate, inhabilitate et infamiâ exinde contractâ, tam ad ordines sive susceptos sive suscipiendos, quam ad beneficia, dispensare et dispensari mandare possit et valeat.

De ordinatis per saltum.

§ 22. Cum male promotis occultis, non obstante eiusdem memoriae Sixti Papae V etiam praedecessoris nostri anno Incarnationis praedictae MDLXXXIX nonis ianuarii editâ constitutione, et signanter cum promotis per saltum, etiam praetextu licentiarum de promovendo extra tempora, vel non servatis interstitiis, vel sine litteris dimissorialibus proprii Ordinarii, non dispenset, nisi in foro conscientiae, quando periculum adesset gravium scandalorum; tunc enim possit in formâ Poenitentiariae consuetâ dispensare, ut scilicet omissos ordines

1 Edit. Main. legit *valeat* (R. T.).

secrete recipiant a quolibet catholico antistite gratiam et communionem cum Sede Apostolicâ habente, et tunc, et extra tempora, et non servatis interstitiis, et absque praefatis dimissoriis.

De simoniace ordinatis.

§ 23. Cum promotis ad sacros ordines, qui simoniam cum episcopis promoventibus commiserint, dispensare et dispensari mandare possit in occultis dumtaxat et in foro conscientiae tantum, cum clausulâ *monitis monendis*, et iniunctâ gravi poenitentiâ, ac re praesertim discussâ in signaturâ.

De dispensationibus seu convalidationibus titulorum.

§ 24. A dispensationibus seu convalidationibus titulorum, etiam in foro conscientiae tantum, etiam in occultis casibus, abstineat, cum agitur de simoniâ reali scienter contractâ, et de beneficiis super quibus contracta est ipsa simonia; at, si illa contracta fuisset ignoranter, etiam ignorantiâ iuris inculpatâ, possit maior poenitentiarius in occultis et in foro conscientiae tantum dispensare, et beneficiorum post simoniam obtentorum titulos convalidare, modo orator, de eâdem simoniâ certior factus, quamprimum commode potuerit, petierit dispensationem, omni aliâ facultate in ceteris simoniae casibus et praesertim publicis interdictâ.

§ 25. Titulos beneficiorum in concursu obtentorum in foro conscientiae tantum in occultis convalidare possit, quando tamen inhabilitas provenit ex aliquâ censurâ, vel quia illâ irretitus impetrans administravit.

De compositione et condonatione fructuum.

§ 26. A convalidatione titulorum et condonatione fructuum abstineat quoad illos, qui, de ecclesiis cathedralibus provisi, infra praefinitum tempus munus consecrationis non susceperint.

§ 27. A compositione pariter et condonatione fructuum beneficialium et ecclesiarum episcopalium, ac etiam distributionum quarumcumque, quovis modo male perceptorum, in casibus non occultis abstineat; in occultis vero possit cum Gallis, Belgis, Germanis, Polonis et ulterioribus componere vel etiam condonare, iniunctâ eisdem poenitentibus erogatione eleemosynae, ipsius maioris poenitentiarii vel confessarii ab ipso deputandi arbitrio limitandae; cum reliquis autem, videlicet Italis, Hispanis, Lusitanis et adiacentium insularum personis discrete compositionem concedere, et eâ mediante fructus condonare, pecuniis exinde exactis receptori emolumentorum Datariae nostrae integraliter consignatis; pauperibus tamen, quorum inopia compositionem non admittit, possit condonare, iniunctâ eleemosynâ modo supradicto: quae nihilominus sine praeiudicio illorum, quibus distributiones accrescere vel non decrescere debent, sint et censeantur ordinata.

De irregularitate regularium.

§ 28. Cum regularibus autem super irregularitate, quorumcumque criminum quandocumque perpetratorum vel incursûs in censuras occasione, vel quia iidem[1] sic ligati suos ordines, non tamen in contemptum clavium, exercuerunt, aut illis se immiscuerint, seu aliter quomodolibet contractâ, ut, eâdem irregularitate et quibuscumque aliis defectibus non obstantibus, susceptis ordinibus et eorum privilegiis uti, ac in illis etiam in altaris ministerio ministrare, et ordines non susceptos suscipere, et in iisdem similiter etiam in altaris ministerio ministrare; necnon quaecumque, quotcumque et qualiacumque suorum Ordinum et congregationum alioquin canonice obtenta officia, beneficia regularia, munia, praeeminentias, dignitates et praelaturas, etiam maiores et principales, retinere et exercere, necnon eadem seu easdem (non tamen generalatum) ad quae seu quas in futurum canonice,

1 Forsan *iisdem* (R. T.).

et iuxta eorumdem Ordinum et congregationum regularia instituta eligentur vel aliter assumentur, recipere, assequi, gerere et libere exercere etiam licite valeant, dispensare, eosque in pristinum, et ad eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum, et ad vocem activam et passivam restituere, reponere et plenarie reintegrare, et poenas illis gratiose remittere et condonare, necnon, pro maiori absolutionum et dispensationum praefatarum firmitate, quibusvis constitutionibus, ordinationibus, statutis et privilegiis quomodolibet obstantibus sufficienter derogare, maior poenitentiarius praefatus possit et valeat.

De casibus occultis regularium.

§ 29. Volumus tamen ut in huiusmodi casibus occultis, in foro conscientiae tantum, in publicis vero casibus, in utroque foro, auditis tamen et supplicantibus superioribus, bonumque testimonium de ipsis regularibus ferentibus, gravatâ in iis eorumdem superiorum conscientiâ, et maturâ circumspectione semper adhibitâ, cum iisdem regularibus, ut praefertur, dispensare et dispensari mandare valeat.

De homicidis, bannitis, aliisque delinquentibus.

§ 30. Cum homicidis, bannitis, aliisque delinquentibus, qui, memorati Sixti praedecessoris anno Incarnationis praefatae MDLXXXVII, VI kalendas decembris, expeditis litteris religionem ingredi, et in eâ professionem emittere inhabilitantur, si expedire videbitur, habilitare et habilitari mandare, et cum iis, qui homicidia voluntaria commiserint, ut etiam uti clerici aliquam ex approbatis religionibus ingredi, ibique profiteri, in utroque foro, quando sic expedire videbitur, dispensare et dispensari mandare valeat, eâ tamen lege, ut sic habilitandi seu dispensandi fiscum et partem prius concordaverint, et professionem emittant, nec ante professionem huiusmodi in susceptis ordinibus ministrare nec ad superiores Ordines ascendere possint.

De apostatis, religiosis et transeuntibus ad aliam religionem.

§ 31. Quoad apostatas et transitum regularium de unâ ad aliam religionem, citra aliquam innovationem interim faciendam, an et quales facultates maiori poenitentiario remanere, reformari, seu concedi conveniat, de nonnullorum S. R. E. cardinalium desuper a nobis deputatae Congregationis consilio suis loco et tempore decernemus.

De matrimoniis contrahendis.

§ 32. In matrimoniis contrahendis possit idem maior poenitentiarius in foro conscientiae tantum super impedimentis occultis, quae matrimonium non dirimunt, dispensare vel dispensari mandare. At a dispensationibus super quocumque impedimento ex quovis gradu sive consanguinitatis sive affinitatis ex copulâ licitâ sive ex cognatione spirituali proveniente, etiam in foro conscientiae tantum, tametsi impedimentum sit occultum et periculum scandalorum immineat, in iisdem matrimoniis contrahendis abstineat.

De matrimoniis contractis.

§ 33. In contractis vero matrimoniis a dispensatione, seu matrimonii revalidatione in gradibus primo et secundo, seu secundo tantum consanguinitatis vel affinitatis ex copulâ licitâ, etiam in occultis pariter abstineat, praeterquam si in huiusmodi secundo tantum gradu impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, et oratores simul publice contraxerint et coniunxerint et uti coniuges legitimi reputati fuerint. In tertio autem et quarto gradibus occultis possit dispensare, ac et in iisdem tertio et quarto gradibus publicis revalidare matrimonia nulliter contracta ex causâ subreptionis vel obreptionis occultae litterarum apostolicarum, praeterquam si falsitas consistat in narratione praecedentis copulae, quae tamen antea non intercesserat.

De dispensationibus et compositionibus Datariae pro matrimoniis.

§ 34. Quod si oratores, qui obtinuerint a nostrâ Datariâ dispensationem super gradu prohibito tam in primo et secundo, quam in secundo tantum, ac etiam in tertio vel quarto tacitâ copulâ inter eos sequutâ, quam sine honoris detrimento detegere non valent, et ratione huiusmodi taciturnitatis petant dispensationem pro matrimonio contrahendo, seu revalidationem matrimonii contracti, possit idem maior poenitentiarius, si copula sit adhuc secreta, in foro conscientiae tantum concedere, factâ, quando agitur de primo et secundo vel secundo tantum gradu, compositione quinquaginta ducatorum auri de Camerâ ad Datariam transmittendorum, ad effectum, ut inconcussi moris est, erogandi eleemosynas, nisi prior gratia expedita fuisset in formâ pauperum, quo casu etiam haec gratia absque ullâ compositione similiter expediatur.

§ 35. Si vero oratores, qui, obtentâ dispensatione a Datariâ super impedimento primi et secundi, sive secundi dumtaxat gradus consanguinitatis seu affinitatis, cum expressione quidem carnalis copulae, sed tacitâ occultâ et malitiosâ intentione in ipsâ copulâ habitâ ad facilius habendam dispensationem, pro revalidatione huiusmodi dispensationis recurrant ad dictam Poenitentiariam, possit idem maior poenitentiarius desuper dispensare cum miserabilibus personis explicite affirmantibus se uti tales et sub illâ expressâ qualitate et formâ miserabilium dispensationes a Datariâ obtinuisse; cum iis vero, qui non tamquam pauperes, sed uti ex honestis familiis, sive uti nobiles, sive uti illustres, fuerint similiter ab eâdem Datariâ dispensati, idem maior poenitentiarius non dispenset, nisi solutâ prius in Datariâ, ad effectum pariter erogandi in eleemosynas, taxâ cum datario pro tempore existente concordandâ. Quod si supplicantes sint pauperes, itaut vere et realiter integram summam taxatam vel aliquam eius partem solvere nequeant, praefatus maior poenitentiarius insimul cum eodem datario opportune provideat.

De impedimento affinitatis ex copulâ illicitâ.

§ 36. Super impedimento occulto affinitatis ex copulâ illicitâ seu ex actu fornicario proveniente, quotiescumque adsit rationabilis causa, licet periculum revelationis seu scandalorum non immineret vel non adesset, in matrimoniis tam contractis quam contrahendis, in foro conscientiae tantum; quoties vero affinitas huiusmodi post contractum matrimonium supervenerit, ut debitum peti possit, in eodem conscientiae foro dispensare et dispensari mandare possit et valeat.

De impedimento criminis adulterii.

§ 37. Super occulto impedimento criminis adulterii, si fuerit cum fide datâ dumtaxat, neutro machinante, commissum, possit tam in contrahendis quam contractis matrimoniis dispensare; si vero crimen huiusmodi fuisset utroque vel altero machinante patratum, possit dispensationem concedere, raro tamen, et quando necessitas postulaverit ratione alicuius gravis imminentis periculi, quod prudentiâ maioris poenitentiari, re praesertim discussâ in Congregatione vel signaturâ, arbitrandum erit.

De pluralitate impedimentorum et prole.

§ 38. Declaramus tamen, quod facultates praefatae a nobis maiori poenitentiario et eiusdem Poenitentiariae officio concessae circa dispensationes matrimoniales locum habeant, etiamsi gradus et impedimenta huiusmodi multiplicia sint quâcumque et quantâcumque multiplicitate, volentes in litteris huiusmodi dispensationum matrimonialium posse prolem, ubi opus erit, sive susceptam, sive suscipiendam, non tamen in adulterio conceptam, in foro conscientiae tantum legitimam decernere, necnon

apponi clausulam *Nulli, etc.*, prout in huiusmodi materiis hactenus ipsa Poenitentiaria servare consuevit.

De votis simplicibus. § 39. Vota simplicia quaecumque quomodolibet emissa, tametsi privato iuramento confirmata, etiam castitatis, religionis, visitationis liminum Ss. Petri et Pauli de Urbe, Sepulchri dominici et S. Iacobi de Compostella, possit idem maior poenitentiarius in alia pietatis opera commutare, votorum implementum differre, ab illorum transgressionibus absolvere, et cum iis, qui matrimonium contrahendo votum castitatis transgressi sunt, ad licite debitum coniugale petendum dispensare, et respective commutari, differri, absolvi et dispensari mandare, semper in foro conscientiae tantum, possit et valeat, consideratis causis commutationum, dilationum, absolutionum et dispensationum huiusmodi, et adiectis clausulis quae apponere[1], iisque iniunctis quae iniungere hactenus Poenitentiaria laudabiliter consuevit.

De divino officio. § 40. Super recitatione divini officii seu horarum canonicarum propter aliquam impossibilitatem seu moralem difficultatem cum commutatione in alias preces vel orationes seu illarum iniunctione facultatem habeat dispensandi.

De iuramentis. § 41. Iuramenta quaecumque, in quibus exploratum erit, nullum cuiusquam agi praeiudicium, facultatem habeat in foro conscientiae dumtaxat relaxandi.

De rebus male ablatis. § 42. Quoad male ablata vel retenta, quando domini sunt incerti et casus sunt occulti, partem aliquam delinquentibus pauperibus, si, eorum qualitate et necessitate pensatis, ita videbitur, remittere seu condonare, vel remitti seu condonari mandare possit; residuum vero pauperibus, vel in pia opera in locis, si fieri potest, ubi illa ablata, extorta seu usurpata sunt, distribui seu converti mandet.

De dotibus virginum. § 43. Cum puellis, quae virgines non sunt et dotes petunt seu obtinuerunt a confraternitatibus aut aliis locis vel dispensatoribus piis, quibus iniunctum est ut illas[1] virginibus tantum dent seu distribuant, in occultis et in foro conscientiae tantum, quatenus illae in posterum honeste vivant, facultatem habeat dispensandi.

De dubiis. § 44. Dubia in materiâ peccatorum, seu forum poenitentiale aliâs quomodolibet concernentia, cum consilio doctorum et theologorum suorum valeat declarare.

De commissionibus. § 45. Commissiones maioris poenitentiarii, etiamsi committens, illis nondum praesentatis, re integrâ desinat quomodocumque poenitentiarius existere, non expirent.

De Apostolica Sede vacante. § 46. Sede Apostolicâ vacante, maior poenitentiarius eiusque officiales ea tantum facere et expedire valeant, quae ad forum conscientiae pertinent; in reliquis eorum officium conquiescat, et a quibuscumque matrimonialibus et aliis dispensationibus ac absolutionibus et declarationibus, necnon quibusvis aliis expeditionibus forum fori mixtim vel separatim quomodolibet respicientibus, omnino abstineant.

De procuratoribus et scriptoribus Poenitentiariae. § 47. Quotiescumque procuratores et scriptores Poenitentiariae secretae aliquâ malâ valetudine detinentur, vel ex aliquâ legitimâ causâ maior poenitentiarius expediens iudicaverit, possit alios in eorum locum, durante infirmitate seu causâ, subrogare seu substituere, praestito solo iuramento, et cum iisdem obligationibus, quibus alii procuratores et scriptores titulati adstringuntur.

De minoribus poenitentiariis. § 48. Nullus minor poenitentiarius

1 Edit. Main. legit *opponere* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *illis* (R. T.).

trium basilicarum Urbis possit admitti seu recipi ad officium, nisi prius a maiori poenitentiario ac Poenitentiariae congregatione seu signaturâ fuerit examinatus et approbatus; et, postquam admissus fuerit, nequeat sine eiusdem licentiâ discedere seu dimitti; idemque servetur quoad minores poenitentiarios Lauretanos, quibus et aliis supradictis maior poenitentiarius possit facultatem ad libitum concedere et restringere, et quorum examen possit in absentiâ etiam episcopo in partibus sibi beneviso committere.

De adeuntibus poenitentiarium maiorem.

§ 49. Omnibus christifidelibus, qui ex veteri et laudabili instituto poenitentiarium maiorem munere suo statutis diebus in hebdomadâ maiori solemni ritu fungentem pie reverenterque adierint, seseque poenitentiali virgâ tangendos submiserint, centum dies de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxandi perpetuam facultatem eidem maiori poenitentiario confirmamus, et, quatenus opus sit, de novo concedimus.

Clausulae.

§ 50. Decernentes praesentes litteras, etiam ex eo quod maior poenitentiarius ac praefatae Poenitentiariae regens, et officiales praedicti, ac alii quicumque in praemissis quomodolibet interesse habentes seu habere praetendentes, eisdem praemissis non consenserint, aut vocati seu auditi non fuerint, aliàque quâvis de causâ quantumvis legitimâ et iuridicâ, de ullo subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in ius vel controversiam revocari nullatenus posse, sed semper et perpetuo validas firmas et efficaces existere, et a maiori poenitentiario, regente et officialibus praedictis, aliisque, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, ubique iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super omnibus et singulis praemissis, vel circa ea, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 51. Non obstantibus praemissis, et aliis quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et dictae Poenitentiariae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus quibuscumque, ac quibusvis vivae vocis oraculis, privilegiis, indultis et literis apostolicis, eiusdem Poenitentiariae officio, illiusque maiori poenitentiario, ac officialibus et ministris, et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et aliàs quomodolibet per praedecessores nostros Romanos Pontifices ac etiam nos concessis, innovatis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ insererentur[1], iisdem praesentibus pro plene et sufficienter

1 Verbum *insererentur* nos addimus (R. T.).

expressis et insertis habentes, ad effectum praesentium, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis. § 52. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum compilationis, concessionum, prohibitionum, decretorum, statuti, voluntatis, declarationis, confirmationis, derogationis, aliorumque praemissorum infringere, eique ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCXCII, III nonas septembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 septembris 1692, pontif. anno II.

---

## XXXII.

*Abolentur omnia tribunalia et iudices particulares cum suis facultatibus*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium. Romanus Pontifex curae[2] agri Domini more diligentis patrisfamilias indesinenter invigilans, ut, iuxta verbum propheticum, noxia evellat et destruat, utilia vero plantet et aedificet, ea etiam, quae alia[3], rationabilibus tunc suadentibus causis, a Sede Apostolicâ concessa fuerunt, ex aliis validioribus seu[4] supervenientibus rationibus, quibus praesertim faciliori, ordinario et iuridico iustitiae cursui in Romanâ Curiâ ceterarum magistrâ uberius consulitur, ad viam iuris reducere, moderari, immutare et revocare non desinit, et in his sollicitudinis suae studium interponit, quando et prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Causae huius constitutionis. § 1. Hinc est quod nos, sedulâ meditatione pensantes privilegia privativarum seu cumulativarum iurisdictionum, etiam cum facultate proprios seu benevisos notarios habendi seu deputandi, quampluribus praefatae curiae particulariter institutis iudicibus seu tribunalibus a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris aliquorum saeculorum spatio concessa, ita paulatim quidem, sed in immensum excrevisse, ut iudicum et tribunalium ordinariorum iurisdictio magnopere decreverit, et super huiusmodi iurisdictionum conflictu et iudicum competentiâ frequentes contentiones, expeditam causarum terminationem cum litigantium damno et causidicorum incommodo differentes, irrepserint; ac propterea, inter alia quae circa eamdem curiam emendanda, reformanda et rectius ordinanda suscepimus, quantum nobis ex alto conceditur, huiusmodi absurdis occurrere, ac praefatae curiae eiusque iudicum et tribunalium maiori decori et ordini, sicut iustitiae ratio et publica utilitas postulant, hac nostrâ speciali constitutione prospicere volentes: motu proprio, ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, necnon de nonnullorum dilectorum filiorum eiusdem curiae praelatorum et virorum, pietate et doctrinâ, prudentiâ et rerum usu praestantium, ad hunc effectum de mandato nostro pluries congregatorum, consilio, omnia et singula huiusmodi particularia tribunalia et speciales iudices, vigore privilegiorum praefatorum in eâ

1 In praecedenti constitutione extat reformatio facultatum maioris poenitentiarii; et in constit. ed. MDCXCII, die 18 novembris, pontif. II, alia facultatum tribunalis viarum.
2 Edit. Main. legit *curiae* (R. T.).
3 Vel *aliàs* vel *olim* legendum (R. T.).
4 Particula *seu* redundat (R. T.)

dem Curiâ hactenus constituta seu constitutos, tenore praesentium penitus et omnino supprimimus, abolemus et abrogamus, ac propterea ad viam iuris reducimus omnia et singula indulta, facultates et privilegia habendi seu deputandi tam in primâ quam in ulterioribus instantiis omnes praedictos particulares iudices quocumque nomine nuncupatos, ac etiam assessores, congregationibus etiam S. R. E. cardinalium, ecclesiis et basilicis, etiam patriarchalibus, monasteriis, abbatiis, collegiis, etiam nationalibus, etiam sub curâ et administratione presbyterorum seu clericorum regularium Societatis Iesu existentibus, archihospitalibus et hospitalibus, etiam Sancti Spiritus in Saxiâ et Neophytorum, archiconfraternitatibus, confraternitatibus, etiam Annunciationis Beatae Mariae Virginis, montibus etiam pietatis, monasteriis etiam mulierum poenitentium, Ordinibus, congregationibus, et institutis, etiam Societatis Iesu, curiis et iudicibus, etiam Burgi, et Arci S. Angeli, militiis etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, quibuscumque universitatibus et consultationibus etiam artium, conservatoriis, domibus piis, etiam almae domui Lauretanae, capellis, etiam ad Praesepe Iesu Christi et imaginis Beatae Mariae Virginis in basilicâ S. Mariae Maioris, altaribus, ceterisque aliis locis piis, quocumque pariter nomine nuncupatis, seu cardinalibus eorum protectoribus, archipresbyteris, abbatibus, vicariis, aliisque administratoribus quibuscumque, ac praefectis, etiam palatii nostri apostolici, in quibusvis causis civilibus criminalibus aut mixtis, activis et passivis dictarum ecclesiarum, locorum piorum, aliorumque supra, necnon eorum officialium, dignitatum, canonicorum, beneficiatorum, affictuariorum, emphyteutarum, colonorum, aliorumque quomodolibet inservientium iisdem locis piis, illorumque bonis et tenutis, etiam cum quibusvis facultatibus et auctoritatibus eligendi notarios sibi benevisos, ac procedendi summarie, de plano, solâ facti veritate inspectâ, sine strepitu et figurâ iudicii, manu regiâ, ac quacumque appellatione, reclamatione, recursu, revisione, supplicatione, seu restitutione in integrum remotis, seu cum aliis similibus aut maioribus facultatibus, etiam per nos et quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, et cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, vel ad imperatoris, regum, reginarum, rerumpublicarum et principum quorumlibet preces et instantiam, seu eorum contemplatione et intuitu, ac etiam in limine fundationis, seu ex quacumque causâ, non tamen vere onerosâ, videlicet congruae et effectivae solutionis Camerae nostrae legitime factae, et non aliàs, vel pro bono publico spirituali aut temporali, etiam ex causâ studii, aut catholicae fidei, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessa, confirmata et approbata, ac pluries et quantiscumque vicibus innovata; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus[1] specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita et certa forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, causas

1 Edit. Main. legit *tenoris* (R. T.).

et occasiones, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, servatis et specificatis respective habentes, perinde ac si praefata indulta, facultates et privilegia concessa, confirmata et innovata non fuissent, ad effectum praesentium specialiter, expresse, plenissime et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus et mandamus.

Revocantur ad pristinum statum facultates vicarii generalis in Urbe.

§ 2. Iisdem pariter modo et formâ et quaecumque indulta, facultates et privilegia dilecto filio nostro ac pro tempore existenti in Urbe eiusque districtu vicario in spiritualibus generali, sub quibusvis formis, decretis, clausulis, aliisque supradictis, per quoscumque Romanos pontifices praedecessores nostros, et praesertim per felicis recordationis Clementem Papam X etiam praedecessorem nostrum, quibusdam suis pridie idus augusti anno Incarnationis dominicae MDCLXXI expeditis litteris concessa, ad statum in quo erant ante litteras piae memoriae Pauli V, pariter praedecessoris nostri, kalendis martii anno eiusdem Incarnationis MDCXI super reformationem tribunalium Urbis editas, et respective iuxta easdem litteras, in iudicialibus reducimus.

Permittitur expeditio causarum instructarum seu contestatarum.

§ 3. Liceat tamen[1] iudicibus, ut supra suppressis et abrogatis, qui vigore privilegiorum ut praefertur processerunt, causas coram iisdem hactenus iam instructas, seu aliàs legitime contestatas, praedictis non obstantibus, per totum mensem decembris proxime venturi, prout iuris fuerit, expedire, itaut, eo tempore elapso, huiusmodi causae ad iudices ordinarios et competentes Romanae Curiae in statu et terminis ipso facto devolvantur.

Minima vero earum appellatio, reclamatio, etc.

§ 4. Quod si huiusmodi causis interim expeditis appellari, reclamari, supplicari, recurri, aut restitutio in integrum peti contigerit, appellationes huiusmodi, reclamationes, supplicationes, recursus, et restitutionis in integrum petitiones non amplius ad tribunalia antiquorum privilegiatorum, sive ad protectores archipresbyteros, aliosque ut supra, sed ad signaturam iustitiae, et respective ad suos superiores et ordinarios, prout in ceteris causis per iudices ordinarios expeditis servatur, devolvantur, et devolutae sint et esse censeantur.

§ 5. Similiter etiam in casu appellationum, reclamationum, supplicationum, recursuum, ac restitutionis in integrum petitionum a sententiis et decretis iudicum per eosdem privilegiatos extra curiam praefatam deputatorum seu deputandorum in posterum interponendarum, eaedem appellationes, reclamationes, supplicationes, recursus, ac restitutionis in integrum petitiones non amplius ad supranominatos, cuiuscumque dignitatis etiam cardinalitiae sint, qui etiam ratione episcopatuum, gubernioarum, abbatiarum, commendarum, aut alio quovis titulo vel privilegio, huiusmodi iurisdictionem tum in committendo tum in decernendo vel in iudicando usque ad praesens in Urbe ipsâ vel aliàs exercuerunt, sed ad iudices ordinarios et competentes eiusdem Romanae Curiae devolvantur indifferenter et pari modo sicuti in ceteris causis per alios iudices de partibus expeditis servatur, nullâ habitâ ratione privilegiorum et antiquarum facultatum.

De facultate eligendi iudices secundarum et aliarum instantiarum.

§ 6. Habentes autem facultatem eligendi in partibus iudicem secundarum instantiarum, teneantur illum ibidem per unicam et universalem deputationem ad omnes huiusmodi causas constituere; et, si vel super recusatione vel super modo procedendi coram dicto iudice deputato emergat controversia, ad signaturam iustitiae, prout in ceteris causis et ne-

1 Edit. Main. legit *tam* pro *tamen* (R. T.).

gotiis fieri solet, recurratur. In tertiis vero seu ulterioribus instantiis, eo modo quo in causis appellationum a iudicibus de partibus ad Romanam Curiam legitime devolutarum procedi solet, observetur.

De facultate consulum artium et universitatum.

§ 7. Quoad consulatus artium et universitates etiam medicorum et mercatorum, sublatis omnibus assessoribus, et abrogatâ in iudicialibus quaecumque consulum et universitatum iurisdictione (itaut eorumdem et earumdem iurisdictio, ex nunc, etiam quoad causas instructas, penitus et omnino cessare debeat, et cessasse intelligatur), succedant et procedant competentes iudices ordinarii iuxta eorum ordinarias faculates, nullà, ut supra, habitâ ratione privilegiorum et antiquarum facultatum, inter quos sit locus praeventioni, adhibitis, quatenus iudicibus ipsis opus videatur, iisdem consulibus solummodo tamquam peritis in rebus et negotiis eorum artem concernentibus. Excipimus tamen, et sub praesenti nostrâ constitutione comprehensos esse nolumus, tum consules agriculturae illorumque assessorem, tum notarios curiae Burgi, mercatorum et aromatariorum pro eorum officiis titulo oneroso acquisitis, seu administratis, donec aliter provideatur.

De notariis respectu locorum piorum.

§ 8. Ad haec, basilicae collegia, hospitalia, ceteraque memorata loca pia, quae ex concessione apostolicâ vel inveteratâ consuetudine electionem et usum proprii notarii in primis vel ulterioribus instantiis habebant, et in posterum, in causis in quibus agatur de vero ac proprio interesse dictarum ecclesiarum et locorum piorum, non teneantur ad aliquam solutionem extractus seu regestri, sed notarii quorumvis tribunalium debeant in dictis causis, et in qualibet istantiâ, conficere instrumentum actorum, prout iacent, nihilque ab eis, ultra quartam partem eius mercedis quae solvenda esset pro extractu seu regestro pro dicto instrumento actorum, sub quovis praetextu etiam excessivitatis scripturae, petere vel exigere valeant.

Exceptio quarumdam facultatum.

§ 9. Postremo declaramus, per praesentes nostras litteras nullatenus ademptam esse cardinalibus archipresbyteris, titularibus, seu protectoribus, eorumque vicariis, aliisque deputatis, facultatem seu iurisdictionem in iis, quae servitium ecclesiae, seu loci pii, circa tamen disciplinam ecclesiasticam et morum correctionem dumtaxat, concernunt, minusque sub iisdem praesentibus tribunalia Camerae Apostolicae, legatum Avenionensem, iudicem fabricae S. Petri, neque ipsas congregationes in solito libercula seu elencho congregationum ac tribunalium Urbis descriptas comprehendi.

Clausulae.

§ 10. Decernentes, easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod omnes vel singuli supradicti, ac alii quicumque in praemissis quomodolibet ius vel interesse habentes, seu habere praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni existant, iisdem praemissis non consenserit, nec ad ea vocati seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum vel privilegiorum vigore consentire seu vocari semel vel pluries quoquomodo debuissent, aut ex aliâ quamtumvis iuridicâ et privilegiâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel interesse habentium consensûs, alioque quolibet, etiam quamtumvis magno ac formali et substantiali defectu

notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari nullatenus posse, sed semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sic, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate, praeeminentiâ, aut potestate fungentes et functuros, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus omnibus et singulis praemissis, et, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, et pariter, quatenus opus sit, recolendae memoriae Pii Papae IV similiter praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse Camerae Apostolicae concernentibus in dictâ Camerâ intra certum inibi praescriptum tempus praesentandis et registrandis, itaut praesentes in eâ praesentari et registrari nullo umquam tempore vel modo necesse sit, necnon aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Urbis nostrae, dictarumque ecclesiarum, omniumque et singulorum supradictorum quibusvis, (etiam iuramento vel aliàs quavis firmitate, sub quibuscumque verborum tenoribus, formis, clausulis, decretis, aliisque supradictis in contrarium praemissorum roboratis, seu confirmatis et innovatis) statutis, ac usibus, stylis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; quibus pariter, modo, formâ et tenore praemissis, ad effectum praesentium, illis aliàs in suo robore permansuris, amplissime, ut praefertur, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum suppressionis, abolitionis, abrogationis, reductionum, derogationum, voluntatis, mandati, declarationis et decreti infringere vel eis ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCXCII, die XVII septembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 septembris 1692, pontif. anno II.

---

## XXXIII.

*Extenditur senarius numerus magistrorum fratrum eremitarum S. Augustini Mexicanae provinciae ad duodenarium*[1].

**Innocentius Papa XII**
**ad futuram rei memoriam.**

Numerus magistrorum auctum fuit a capitulo generali MDCLXXXV.

§ 1. Cum, sicut dilecti filii prior provincialis et definitores provinciae Mexicanae in Indiis Occidentalibus Ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini nobis nuper exponi fecerunt, capitulum generale dicti Ordinis, anno MDCLXXXV in almâ Urbe nostrâ celebratum, senarium magistrorum numerum in provinciâ praedictâ, benedicente Domino multum

1 Idem factum legitur pro provinciâ Baeticâ in const. ed. MDCXCII, die 2 februarii, pontif. I; et in Clementis XI const. ed. MDCCX, die 20 maii, pontif. X, pro provinciâ Chiliensi.

terris diffusâ, usque ad duodenarium extendendum esse censuerit, si nostra et huius Sanctae Sedis facultas desuper accederet; similis vero extensio numeri magistrorum pro Peruanâ et Baeticâ provinciis eiusdem Ordinis, in dicto capitulo generali facta, a felicis recordationis Innocentio XI et Alexandro VIII Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, per quasdam eorum in simili formâ Brevis litteras die XXII ianuarii MDCLXXXVIII et die XXI ianuarii MDCXC respective expeditas, approbata et confirmata fuerit: nobis propterea exponentes praefati humiliter supplicari fecerunt ut sibi pariter in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Extensio praedicta.

§ 2. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut de cetero senarius dictae provinciae Mexicanae magistrorum numerus ad duodenarium, servatâ tamen in reliquis quoad promovendos ad magisterii gradum formâ[1] per apostolicas et dicti Ordinis constitutiones necnon specialia ipsius provinciae Mexicanae decreta et consuetudines praescriptâ, augeatur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus recolendae memoriae Sixti V et Clementis VIII Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum de senario magistrorum numero, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae Mexicanae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII septembris MDCXCII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 28 septembris 1692, pontif. anno II.

1 Edit. Main. legit *formam* (R. T.).

## XXXIV.

*Confirmantur quaedam decreta prioris generalis Ordinis Carmelitarum pro promovendis studiis praesertim in Italiae provinciis*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium. Militantis Ecclesiae regimini, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praesidentes, ea, quae a religiosorum Ordinum superioribus, ad bonarum artium et sacrae theologiae studia, ex quibus Ecclesiae et religioni multum decoris atque utilitatis provenire solet, opportunis rationibus promovenda, provide sapienterque constituta et ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistant, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter roboramus.

Insequentia decreta condita fuerunt a priore generali. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Teyxoò de Villalobos, prior generalis Ordinis fratrum B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, quod ipse, ut sacrarum eisque ancillantium bonarum litterarum studia in eodem Ordine, ac praecipue in provinciis Italiae ipsius Ordinis, magis in futurum vigeant, peculiarem muneris sui sollicitudinem adhibere satagens, vigore specialis facultatis sibi ad id in capitulo generali dicti Ordinis novissime in hac almâ Urbe celebrato attributae, ac cum approbatione venerabilis fratris nostri Palutii episcopi Praenestini S. R. E. cardinalis de Alteriis nuncupati Ordinis praedicti apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, nonnulla super praemissis decreta, ordinationes et provisiones fecit tenoris qui sequitur, videlicet:

Textus decretorum refertur. « Fr. Ioannes Teyxoò de Villalobos sacrae theologiae magister, ac humilis prior generalis totius Ordinis fratrum beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo antiquae et regularis observantiae, etc.

Prooemium ex causis horum decretorum petitum. Omnibus et singulis notum est quod sacra nostra religio a primis eius institutoribus uberes in Ecclesià Dei fruges ex laudabilibus bonorum fratrum operibus et exemplis provenientes totis studiis proferre consuevit, ut liquido constat tam ex nostris constitutionibus praescribentibus quod priores provinciales et locales in nostro Ordine nec minimum quidem apicem quoad studia praetermittere negligant, et potius prae oculis semper habeant[1] quod magis floreant in favorem, gloriam et decus religionis, tum ex Bullis felicis recordationis Gregorii XIII *Ut laudes*, Iulii II *Ad Sacrum Ordinem*, et Sixti IV *Dum attenta*, ibi: *Fructus quoque uberes, quos dictus sacer Ordo in agro militantis Ecclesiae in propagatione religionis et fidei orthodoxae hactenus produxit, utiliter producit, ac in futurum producturum speramus, etc.* Hinc nostrorum patrum vestigia sectantes, et nostris constitutionibus, imo Sapientiae divinae, cap. XIII loquenti: *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei*, quae propterea praeponitur regnis et sedibus, et cum qua, ut dilucide proclamat Salomon, omnia bona venire solent, adhaerere cupientes, omni contentione elaborandum duximus ut a nostris subditis exulet ignorantia omnium malo-

1 Pro reformatione provinciae Pedemontanae extat decretum cardinalis protectoris in Innocentii XI constit. ed. MDCLXXXVII, die 27 martii, pont. XI; et in huius pontificis const. ed. MDCXCII, die 22 novembris, pontif. II, decreta capitulorum generalium pro Discalceatis: in Clementis vero XI constit. ed. MDCCXI, die 10 novembris, pontif. XI, reductio studiorum et graduum.

1 Edit. Main. legit *habent* (R. T.).

rum foecundissima parens. Quare, ut in totâ religione, et praecipue in provinciis Italiae, praefata bona radices fundere, et mala ex nimiâ in admittendis studentibus ac gradibus conferendis facilitate forte obventura vitari omnino valeant, et de consensu et instante zelo nostri eminentissimi cardinalis protectoris de Alteriis, ac de consilio gremialium nostrorum super hoc nostram conscientiam gravantium, pro eisdem provinciis, aliisque in quibus vigent gradus, et non sunt pro illis statuta specialia, sequentia decreta inviolabiliter observanda emanare statuimus.

De excipiendis ad habitum.

I. Cum certissimum sit, religionum omnium sive progressum sive defectum a receptione et educatione pendere, mandamus ut nullus admittatur ad habitum, nisi a reverendo admodum patre provinciali, ac tribus vel saltem duobus examinatoribus in capitulis provincialibus, vel iuxta exigentiam ab eo deputandis, per suffragia secreta adiudicetur peritus in grammaticâ et litteris humanis: quibus per magistrum ab eodem provinciali designandum, qui eos edoceat, ipso adhuc novitiatu, etc., anno[1], quotidie saltem per horam incumbere teneantur, ut si ad professionem admittantur, praehabitis deinde a conventu testimonialibus aliàs ad omnium graduum collationem requisitis, de vitâ et moribus facilius ad cursus artium valeant promoveri, prout omnes in posterum promovendos mandamus.

Institutio quatuor collegiorum.

II. Instituantur in omni provinciâ quatuor collegia, vel plura aut pauciora iuxta capacitatem provinciarum et conventuum possibilitatem. Unum pro cursu philosophiae per triennium a lectoribus absque ullâ interruptione complendum duraturo, in quo propterea incipiendo lector a summulis prosequi debeat usque ad completam metaphysicam, nec ullo modo distrahatur, simul legendo, v. g., uni vel pluribus logicam, aliis vero summulas, vel physicam aut metaphysicam, sed iisdem, quibus incepit summulas, et qui nullatenus ab eo conventu vel collegio, nisi maximi delicti causâ, erunt in posterum removendi, habitis quotidie circulo et duabus lectionibus per horam divisive, totum cursum triennalem prosequatur; et, si qui intra triennium promovendi sint ad philosophiam, instituatur pro his in alio conventu a provinciali designando alter lector, qui eodem modo suum cursum prosequatur. Alterum pro cursu theologiae, in quo collocentur cursores per quadriennium, et lectores seu regentes habeant quotidie mane per unam horam lectionem ad mentem Angelici praeceptoris, vel Resoluti nostri doctoris, aliorumque ipsorum fidelissimorum sequacium, et ut in constitutionibus tum actualibus tum pro tempore habendis explicatur[1], et vespere per aliam horam circulum seu conclusiones (nisi velint pro maiori studentium profectu mane et vespere lectionem simul cum circulo facere), quibus teneantur per se vel per magistrum studentium praesidere, arguentes ad placitum in ipso actuali circulo, ut omnes parati ad arguendum accedere teneantur, deputando, et negligentes rigide puniendo; eâ tamen denique lege, quod ubi erunt duo regentes titulo primi et secundi regentis iuxta nostras constitutiones potituri, mane et vespere per horam divisive lectiones et circulum oblatione praesidendi alternative per mensem habeant unà cum conclusionibus publicis quolibet mense, et ubi fuerit unicus regens quolibet bimestre cum interventu aliarum religionum, quibus tamen non per

1 Forsan *ipso adhuc novitiatûs anno* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *explican.* (R. T.).

magistrum studentium, sed per se ipsos praesidere teneantur. Tertium, ad quod transeant deinde cursores, qui ad illud deputabuntur pro lecturis suo tempore obtinendis, in quo quotidie per horam mane et per aliam vespere habeantur conclusiones iuxta sequentem dispositionem: in primo anno de primo, in secundo de secundo, in tertio de tertio, in quarto de quarto [1] libris Sententiarum, et in quinto de Sacramentis, ita tamen quod in illâ parte, in qua finient in quolibet anno, prosequantur in sequenti, et intra quinquennium notitiam seu species habeant totius theologiae scholasticae et moralis circa quaestiones magis selectas, graviores et tutiores in probabilitate, relictis minus probabilibus, iuxta legem aeternam, divinam, naturalem, positivamque ecclesiasticam, secundum iudicium prudentiae et conformitatem dictamini rationis per iudicium reflexum viri sapientis, medio iudicio determinato absoluto non fluctuante. Quartum denique pro theologiâ morali, in quo instituatur lector, qui illam methodice doceat omnes mane et vespere, habendo qualibet hebdomadâ circulum sive conclusionem de aliquâ quaestione per spatium horae cum dimidiâ, ad quam ad invicem arguant studentes, et teneantur prior cum aliis patribus etiam non studentibus accedere, quae quidem lectura suffragabitur lectoribus pro suis gradibus acquirendis. Quae collegia ita volumus fore distincta, ut in uno eodemque conventu nullo modo, nisi sit ex principalioribus et ditissimus, deputentur simul duo studia, sive philosophiae, sive theologiae, aut philosophiae et theologiae.

De studentibus philosophiae.

III. Qui ad cursum artium reputabuntur proinde idonei, mittantur ad primum collegium, in quo studeant per tres annos philosophiae, modo et formâ ibi praescriptis; et cursu expleto, praeviis punctis, sive lectionibus, ac publicis disputationibus super universâ philosophiâ, comprehensâ metaphysicâ, ad tenorem constitutionum examen pro cursoratu consequendo subire teneantur; et qui reperti fuerint apti ad dandam theologiae operam, instituantur cursores; qui vero inepti, mittantur ad quartum collegium, in quo theologiae morali incumbere teneantur, ut, hoc exercitio praediti, tutius [1] administrationi Sacramentorum, praesertim Poenitentiae, pro fidelium salute incumbere valeant.

De studentibus theologiae.

IV. Cursores deinde sic instituti, mittantur ad secundum collegium, in quo per quadriennium theologiae scholasticae studere teneantur, modo et formâ ibi praesignatis: et regentes seu lectores debeant tractatus sive materias, a praefecto [2] studiorum, vel primo regente, iuxta dispositionem tamen praescriptam, eligendas, et nunquam intra idem tempus repetendas, perfecte complere intra cursum: quo quadriennio expleto, ab examinatoribus a generali pro tempore deputandis examinentur pro lecturarum concursu: et qui ad eum reperientur idonei, mittantur ad tertium collegium, in quo mane et vespere habeant quotidie circulum conclusionum, modo et formâ ibi statutis; et praeviis deinde duabus saltem conclusionibus habendis, unâ in eodem collegio, reliquâ [3] vero in aliis collegiis vel capitulis provincialibus, in quibus tamen eligantur magis acuti et perspicaces pro honore provinciae et religionis, ad lecturas ut infra obtinendas disponantur; qui vero inepti adiudicentur, in concionibus, quatenus habiles ab eisdem examinato-

1 Edit. Main. legit *quatuor* pro *quarto* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *totius* pro *tutius* (R. T.).
2 Pessime ed. Main. legit *praefata* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *reliquae* (R. T.).

ribus reputentur, se exerceant, ut sic religioni valeant inservire.

De lectorum concursu.

v. Cum tempus aliàs a provincialibus (unâ cum conventu ad studia tamen designato) iuxta oppositorum commoditatem quolibet biennio quatenus sint sufficientes oppositores praescribendum pro lecturis advenerit, fiat concursus omnium qui dicta requisita compleverint (sive sint illius, sive alterius provinciae, et iure retento ad lecturas obtinendas tum in propriâ provinciâ tempore oppositionis, ad quod habiles iure legitimo declarantur omnium iurgiorum viam claudendi causâ, tum in eâ in qua reperiuntur saltem per hoc sexennium, licet sint alienae provinciae), et intra spatium vigintiquatuor horarum unusquisque tria dubia per unam horam super tribus punctis sorte desumptis proponat, propriam sententiam aperiendo: pro philosophiâ ex Aristotele in logicâ, octo libros[1] physicorum, de animâ, et de generatione et corruptione; pro theologiâ vero ex Magistro sententiarum Petro Lombardo; et per aliam horam plene satisfaciat difficultatibus a duobus coopposítoribus per duo media propositis, nisi maluerint eligere (quod eorum arbitrio omnino relinquimus) ex tribus punctis unum, ex quo genuinam vel magis consonam quaestionem per spatium unius horae proponant et probent, ad quam tamen teneantur pariter duo cooppositores duo media similiter proponere.

De lectorum electione.

vi. Oppositionibus expletis, conveniant statim provincialis, eiusque socius, prior conventûs, regentes sive lectores actuales, unâ cum praefecto aliisque magistris de numero in eodem conventu degentibus, qui quidem omnes eisdem oppositionibus assistere teneantur, et per vota secreta conferatur respective lectura illi qui plura vota habuerit, et, aequalibus votis, qui fuerit professione antiquior (salvâ tamen semper generalium auctoritate instituendi tum praefectos tum regentes studiorum, quos aptiores iudicaverint, praesertim in studiis generalibus), relictâ deinde alteri primâ lecturâ vacaturâ absque novae oppositionis obligatione, et declaratis aliis, qui in suffragiis fuerint inferiores, vel lectoribus theologiae moralis per hoc sexennium tantum, vel magistris studentium tum philosophiae tum theologiae, ut in exercitiis litterariis regentes adiuvent, simulque se disponant ad suum cursum philosophicum conficiendum, et sic subtilius ac perfectius suum munus adimplere possint tempore quo, ad oppositionem iterum redeuntes, eligentur regentes sive lectores; mandamusque ut tam lectores quam magistri studentium eligantur iuxta merita et antiquitatem in iustitiâ et aequitate, quam omnino intendimus, non autem ad libitum provincialis seu regentium; super quo eorum conscientias oneramus, ne in sententiam electionis indigni, relicto digniore, prolabantur.

De lectoribus philosophiae.

vii. Lecturâ obtentâ, legant per tres annos totam philosophiam in primo collegio, modo et formâ ibi declaratis; quo triennio expleto, gradum baccalaureatus a generali consequatur[1] ad theologiae lecturam complendam per alios quinque annos, ante gradum magisterii, quem a nobis ac successoribus, iuxta Breve Alexandri VIII, deinde obtinebunt deputandi.

De promovendis ad gradum magisterii.

viii. Lectores usque modo iam instituti (et idem proportionaliter dicendum venit de baccalaureis, qui nondum biennium baccalaureatus compleverint), qui vel tempus pro baccalaureatu consequendo nondum adimpleverunt,

1 Potius lege *libris* (R. T.).

1 Videtur legendum *consequantur* (R. T.).

vel eo adimpleto nondum patentes litteras baccalaureatus obtinuerunt, sive legerint sive non, computato illis tempore elapso, ac si omnes actu legissent, teneantur (praeviâ tamen, pro his qui non legerunt, praedictâ oppositione) reliquum supplere temporis lecturae usque ad completum triennii pro baccalaureatu consequendo iuxta praesentia statuta requisiti; quo obtento, unâ cum lecturâ modo et formâ quibus supra, promoveantur suo tempore, et praeviâ praesentatione provinciae, ad gradum magisterii.

De baccalaureis.

IX. Baccalaurei denique, qui omnia hactenus requisita pro magisterii gradu obtinendo adimpleverint, sed, ob causas nobis notas praesertim, intra quatuor elapsos annos ad examen accedere non potuerint, sicut et alii qui iuxta capituli generalis decretum, sub poenâ privationis graduum et privilegiorum, Romam accedere tenentur, accedant ad examen, ut iuxta eorum capacitatem providere valeamus, propositione[1] servatâ, de magisterio iuxta relata. Qui vero noluerint ad lecturas concurrere, approbati tamen sint ab aliquo Ordinario pro audiendis saecularium confessionibus, et in illis laudabiliter se exercuerint, consequentur gradum baccalaureatus de morali, et fruentur praecedentiâ decem annorum ultra tempus professionis supra patres simplices; quo etiam titulo seu gradu et praecedentiâ gaudebunt illi omnes, qui, peracto studio theologiae moralis methodice traditae, fuerint approbati ab aliquo Ordinario, et in huiusmodi confessionibus per quadriennium saltem laudabiliter se exercuerint; et qui denique otiose et sine aliquo fructu tempus transigere volunt, subiaceant decreto capituli generalis, careantque gradibus et privilegiis, itaut inter patres simplices computentur, nisi in concionibus dederint religioni splendorem; quo casu decorabuntur gradu baccalaurei de pulpito cum eodem privilegio quo fruentur baccalaurei de morali.

De tempore vacationis.

X. Ut autem omnia maiori studentium profectu valeant adimpleri, eisdem studentibus sive philosophis sive theologis inhibemus, ne a conventu unquam exeant, nisi cum regentibus occasione recreationis, quae unicae[1] tantum erit in qualibet hebdomadâ, vel causâ exercitii litterarii, aut maximae necessitatis a regentibus approbatae, et praeviâ superioris et lectoris licentiâ etiam tempore vacationis (id est aestivo vel quadragesimali, quatenus aliquis regens vel magister studentium in conventu remanserit), quo diebus lunae, mercurii et veneris, ne species acquisitas deperdant, mane aut[2] vespere circulum aut conferentiam habeant per unam horam, ad quam omnes praesertim regentes accedere teneantur, eodem prorsus modo quo in diebus dominicis, vel, eo impedito, alio die commodiori cuiusque hebdomadae totius anni, et singulis saltem mensibus cum concursu aliarum religionum, conclusiones haberi volumus et mandamus.

De regentibus et rebus necessariis collegiorum.

XI. Et cum plurimum pariter officiat quod ad alia religionis munera, ut evenire solet, simul applicentur regentes actuales, cum aliàs nequeant duobus dominis servire; districte inhibemus ne aliquod officium etiam prioratus simul exercere valeant: et pro eorum ac studentium necessitatibus mandamus prioribus, sub poenâ privationis officii negligentibus statim infligendâ, ut sub determinato tempore solvant vestiarium tum regentibus tum studentibus ac eorum magistris. Decernentes expolia fratrum decedentium fore applicanda sive

1 Forsan *proportione* (R. T.).

1 Videtur legendum *unica* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *autem* (R. T.).

expendenda pro libris necessariis in quolibet conventu, praesertim ubi sunt studia (quorum librariis omnino applicandos pariter volumus eorumdem decedentium libros), et, si libri sufficientes iam fuerint, pro indigentiis dictorum regentium ac studentium.

De numero magistrorum.

XII. Praecipientes denique ultimo omnibus provincialibus, quod in primo capitulo provinciali, debitâ proportione servatâ, iuxta quantitatem et qualitatem conventuum provinciae assignetur numerus determinatus magistrorum in futurum servandus, praesentibus magistris cum omnibus gratiis, privilegiis ac praerogativis manentibus: de reliquo autem nullus instituatur magister cum suffragio in capitulo, nisi sit de illo numero determinato, in quo iuxta suam antiquitatem magisterii a die datarum litterarum subintrare debeant. In quorum fidem, etc. Datum Romae, die XX augusti anni MDCLXII ».

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes prior generalis praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmatiònis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Ioannis prioris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, omnia et singula decreta, ordinationes, provisiones et capitula praeinserta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praefatorum Ordinis et provinciarum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicu-

ius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI octobris MDCXCII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 11 octobris 1692, pontif. anno II.

---

XXXV.

*Aboletur venalitas officiorum auditoris generalis causarum curiae Camerae Apostolicae, eiusdem Camerae thesaurarii generalis, duodecim clericorum et praesidentis*[1].

**Innocentius episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium a causis huius constitutionis petitum.

Ad hoc unxit Deus oleo laetitiae prae consortibus nostris, ut iustitiam, quae est praeparatio Sedis nostrae, incessantibus studiis diligamus. Quod tunc laudabiliter, ut par est, nullo nostrorum ministrorum suffragio, sed ineffabili omnipotentis Dei bonitate et providentiâ adimplemus, cum, viâ regiâ incedentes, neque ad dexteram declinantes, neque ad sinistram aliqualiter deviantes, ius suum unicuique tribuere, eosque, quos praesertim iuri nedum in causis privatorum sed fisci nostri dicendo, necnon Sedis et Camerae Apostolicae bonis, iuribus et redditibus administrandis et tuendis respective in partem sollicitudinis evocamus, personarum acceptatione non factâ, divitiarum sorte posthabitâ, ac meritorum et virtutum collatione dumtaxat libratâ, undequaque dignos et praestantiores eligere satagimus. At, dum ad praecipua Romanae Curiae praelatorum, nimirum causarum curiae Camerae Apostolicae generalis auditoris, ac eiusdem Camerae tum thesaurarii generalis tum duodecim clericorum praesidentium, necnon alterius praesidentis vacabilia et interim infructifera officia, quae, rationabilibus olim suadentibus causis seu gravibus tunc urgentibus necessitatibus aliàs decuit recepto pretio concedi, et successive, durantibus et plerumque adauctis iisdem necessitatibus vel causis, opus seu opportunum visum fuit similibus concessionibus instaurari, mentis nostrae oculos sedulâ meditatione convertimus, exinde viros alioquin dignos, solvendo tamen pretio huiusmodi impares, aliquando praetermitti necesse esse, non sine gravi animi nostri moerore perpendimus.

Redditum fuit officialibus solutum pretium.

§ 1. Hinc, ut sola virtutum praestantia in huiusmodi officialium circumspectâ et iustâ electione praeponderet, atque contra praefatam Romanam Curiam obloquendi et oblatrandi invidis et infensis eius detractoribus calumniosa huiusmodi tollatur occasio, quantum nobis ex alto conceditur, providere volentes, iustum officiorum praedictorum et cuiuslibet illorum pretium, quin etiam quidquid pro expeditione in eorumdem officiorum acquisitione fuerat expensum, ascendens in totum ad summam decies centenorum et viginti millium septingentorum sexdecim scutorum monetae romanae, unicuique ex praefatis officialibus, pro sui officii valore et expensis praedictis, in primis et ante omnia, prout in nostro die XI currentis mensis

[1] In const. Innocentii XI ed. MDCLXXVIII, die 1 octobris, pontif. II, extat taxa emolumentorum ex rebus ecclesiasticis; et in huius Pontificis constitut. ed. MDCXCIX, die 30 ianuarii, pontif. IX, confirmatio constitutionis super datis et promissis.

octobris desuper confecto et manu nostra subscripto chirographo, cuius[1] tenorem haberi volumus pro expresso, uberius continetur, restitui mandavimus. In cuius exequutionem, cum pretii et expensarum huiusmodi integra et effectiva restitutio iisdem officialibus in id consentientibus subsequuta fuerit, officiorum praedictorum venalitati imposterum occurrere volentes, motu proprio, ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, memoratorum officiorum venalitatem tenore praesentium penitus et omnino tollimus, supprimimus, extinguimus, removemus et abolemus, volentes et mandantes ut huiusmodi officia, antehac in perpetuum seu ad vitam concedi solita, in posterum, ad nostrum et Romani Pontificis pro tempore existentis et dictae Sedis Apostolicae beneplacitum, viris vitae et morum integritate praestantibus, litterarum scientiâ praeditis, rerumque humanarum experientiâ insignibus, ad maiorem Dei gloriam, Romanae Curiae et praelaturae decorem, necnon virtutis incitamentum et praemium, gratis et nullo recepto pretio concedantur.

Emolumenta omnia dictorum officiorum iterum Camerae adscribuntur.

§ 2. Volumus tamen et decernimus, omnia et singula emolumenta, tam ordinaria quam extraordinaria, iura, bona, fructus, redditus et proventus certos et incertos, dictâ Sede tam plenâ quam vacante, undecumque provenientes, etiam ex annatis, quindenniis, minutis servitiis, mulctis, poenis, compositionibus, sigillis, expeditionibus, ac litteris patentalibus, necnon iocalia et regalias solvi solitas a quibusvis personis et communitatibus, et praesertim a Camerâ Apostolicâ, illiusque appaltatoribus, thesaurariis, censuariis aut feudatariis in quocumque anni tempore, et signanter in vigiliâ ac festo Ss. apostolorum Petri et Pauli, ac in Nativitate SS. Domini nostri Iesu Christi, et denique obventiones et responsiones quascumque, quocumque nomine nuncupatas, quae prius in compensationem pretii persoluti memoratis officialibus respective debebantur et solvebantur, penitus et omnino cessare debere, illaque omnia et singula pro indemnitate eiusdem Camerae Apostolicae, urgentibus necessitatibus pressae, et nuper etiam pretii et expensarum restitutione praefatis officialibus ut praefertur factâ magis gravatae, motu, scientiâ, deliberatione ac potestatis plenitudine paribus, restituimus, reunimus, incorporamus et applicamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, etiam ex eo quod praefati causarum curiae Camerae Apostolicae generalis auditor, ac eiusdem Camerae thesaurarius generalis, duodecim clerici praesidentes, ac alter praesidens, et alii quicumque in praemissis quomodolibet ius vel interesse habentes seu habere praetendentes, eisdem praemissis non consenserint, aut vocati seu auditi non fuerint, tametsi suorum indultorum seu privilegiorum vigore consentire, vocari seu audiri semel vel pluries quoquomodo debuissent, aut ex aliâ quacumque quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, de ullo subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel interesse habentium consensûs, alioque quocumque etiam quantumvis magno, formali et substantiali defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari nullatenus posse, sed semper et perpetuo validas, firmas et efficaces

1 Male edit. Main. legit *eius* (R. T.).

existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque et quomodocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate, praeeminentiâ aut potestate fungentes et functuros, etiam praefatae Camerae clericos praesidentes, causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, aliisque nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, et felicis recordationis Symmachi, Pauli Papae II, Pauli Papae IV, et aliorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis et alienatis recuperandis, ac recolendae memoriae Pii Papae IV similiter praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse Camerae concernentibus intra certum inibi expressum tempus exhibendis et registrandis, itaut easdem praesentes litteras ibidem exhiberi et registrari nunquam necesse sit, aliisve quibusvis constitutionibus et ordinationibus, ac tribunalium, officiorum et officialium praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus et decretis, etiam cameralibus et consistorialibus, necnon quibuscumque eorumdem officiorum erectionibus et concessionibus, etiam praesentium possessorum, tametsi aliàs factis ad vitam seu in perpetuum, ac etiam ex causâ onerosâ seu correspectivâ, vel per viam contractus, seu vim contractus habente, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, tribunalibus, officiis seu officialibus praefatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam motu et potestatis plenitudine similibus, aut aliàs quomodolibet per nos et Romanos Pontifices praedecessores nostros in contrarium eorumdem praemissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis, innovatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, harum serie, specialiter et expresse, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum suppressionis, extinctionis, remotionis, abolitionis, voluntatis, mandati, decretorum, restitutionis, renovationis, incorporationis, applicationis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCXCII, X kalendas novembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 octobris 1692, pontif. anno II.

---

## XXXVI (*al.* 37).

*Declaratur statutum Ordinis Carthusiensis priori Carthusiae factum non egrediendi a terminis suae eremi*[1].

**Innocentius Papa XII ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Ex iniuncto nobis caelitus pastoralis sollicitudinis munere ad ea peculiares vigilantiae nostrae curas libenter convertimus, quae prospero christifidelium, qui e fluctibus saeculi in portum vitae religiosae confugerunt, gubernio ac illorum statui et quieti conducibilia fore in Domino arbitramur.

Declaratio capituli generalis et prioris Carthusiae. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Ordinis Carthusiensis, quod, tametsi aliàs capitulum generale Ordinis nonnulla statutorum ipsius Ordinis auctoritate apostolicâ nuper confirmatorum verba, quibus exprimitur quod prior Carthusiae nunquam terminos eremi suae egreditur, ita declaraverit, ut sub illis urgentes necessitates non comprehendantur, nihilominus, quia aliquando ac praesertim his calamitosis temporibus contingere potest, ut ipsius Carthusiae et aliae ei vicinae domus dicti Ordinis, inter quas tria monasteria monialium numerantur, tam gravibus periculis et damnis obnoxiae reperiantur[1], ut illis non aliter quam per egressum dicti prioris ab eremo praedictâ eiusque personalem assistentiam occurri possit, ipse procurator generalis, ut quaevis de cetero hac in re controversiarum et quaestionum occasio penitus praecidatur, peculiari desuper paternae charitatis ac prudentiae nostrae praesidium accedere plurimum desiderat. Nobis propterea, dilecti etiam filii moderni prioris Carthusiae huiusmodi nomine, humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur, priorem et procuratorem generalem praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie, absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super hoc negocio a nobis specialiter deputatorum consilio, imminentia pericula bellorum, seditionum, tumultuum popularium et morborum pestiferorum, necnon incendia, ruinas aedificiorum, aliosque graves et insolitos casus, sive in ipsius Carthusiae domo, sive in eius grangiis a praedictâ domo ultra duas dietas non distantibus quandocumque eventuros, quibus non aliter quam per ipsius moderni ac pro tempore existentis prioris Carthusiae huiusmodi praesentiam provideri valeat, sub prohibitione egressûs ab eremi suae terminis eidem priori per statuta supra- Declaratio pontificia excipiens novos alios casus sub certis conditionibus.

1 Ab Innocentio XI confirmata fuit nova collectio statutorum in const. ed. MDCLXXXVIII, die 27 martii, pontif. XII; in huius Pontificis const. ed. MDCXCII, die 11 aprilis, pontif. I, extat decretum Congregationis particularis super quadam causâ; et in constit. ed. MDCXCVIII, die 25 iulii, pontif. VIII, confirmatur constitutio Iulii II pro pace servandâ.

1 Edit. Main. legit *reperiebantur* (R. T.).

dicta sicut praemittitur factâ minime comprehendi; praeterea nec etiam sub prohibitione huiusmodi gravium et urgentium necessitatum casus, qui aliquando in tribus monasterii monialium dicti Ordinis eidem domui ut praefertur vicinis contingere possunt, comprehendi; itaut illis opportune occurrendi gratiâ dictus prior, de consensu tamen capituli generalis ipsius Ordinis, ad tempus ad id necessarium dumtaxat, terminos supradictos egredi libere et licite, ac absque ullo conscientiae scrupulo aut poenarum per statuta praedicta quomodolibet impositarum incursu, possit et valeat, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, declaramus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV novembris MDCXCII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 novembris 1692, pontif. anno II.

---

## XXXVII (*al.* 38).

*Confirmantur quaedam decreta definitoriorum et capitulorum generalium pro pace utriusque Congregationis fratrum Carmelitarum Discalceatorum*[1].

**Innocentius Papa XII**
**ad futuram rei memoriam.**

In praedictis decretis instituitur communicatio inter Congregationes Hispaniae et Italiae.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni procuratores generales utriusque Congregationis fratrum Ordinis beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, quod, non modo ad mutuam charitatem inter religiosos ipsarum Congregationum, verum etiam regularem observantiam invicem confovendam, primo quidem in Hispaniae, mense septembris MDCXC, et Italiae, Congregationum praedictarum, die XII ianuarii MDCXCI, definitoriis generalibus, subinde vero in primodictae V et XIII diebus maii dicti anni MDCXCI, in secundodictae Congregationum huiusmodi die VII mensis maii proxime praeteriti respective celebratis capitulis generalibus, pariformiter deliberatum, decretum ac ordinatum, et hinc inde acceptatum fuit, ut quandocumque et quomodocumque, sive cum debitâ licentiâ, sive sine

1 In const. ed. MDCXCII, die 11 octobris, pont. II, leguntur decreta prioris generalis pro studiis; in const. ed. MDCXCIII, die 2 ianuarii, pontif. II, extat decretum capituli generalis pro alternativâ in provinciâ Castellae; et in const. ed. MDCXCIV, die 9 februarii, pontif. III, declaratur quoddam Breve circa superiores monialium Excalceatarum.

câ, et ex quacumque causâ, ratione aut praetextu, contingeret religiosum seu religiosos unius ex dictis Congregationibus ad locum seu loca intra terminos alterius Congregationis huiusmodi existentia pergere, divertere, transire aut commorari, ita pergentes, divertentes, transeuntes aut commorantes benigne tractarentur ac hospitio exciperentur, necnon superiorum seu praelatorum illius Congregationis, intra cuius terminos reperirentur, iurisdictioni et obedientiae in omnibus et per omnia subiacerent et subessent, ac ad omnes huius Congregationis observantias et constitutiones tenerentur, perinde ac si eiusdem professores existerent, itaut illius superiori tamquam proprio obedire, eiusque directioni, gubernio, visitationi, correctioni et punitioni subiacere tenerentur; ipse vero superior etiam per formalia praecepta illis iubere et eosdem dirigere, gubernare, visitare, corrigere et punire, etiam per censuras, et contra eos iuxta casuum contingentiam ad sententias et poenas in illius Congregationis, cuius ille superior esset, constitutionibus praescriptas procedere posset, adeout professores dictae Congregationis Hispaniae intra terminos Congregationis Italiae supradictae reperti, perinde ac si de Congregatione Italiae huiusmodi essent, e contra vero professores dictae Congregationis Italiae intra terminos supradictae Congregationis Hispaniae pariter reperti, perinde ac si de dictâ Congregatione Hispaniae essent, tam in favorabilibus quam in odiosis (non tamen[1] quoad superioritates et officia) respective haberentur, alerentur et tractarentur, conventione inter ipsas Congregationes factâ ita observandi et observari faciendi, necnon iurisdictione vicissim communicatâ seu translatâ, et communicatam seu translatam vicissim pariter acceptatâ; et aliàs, prout in eorumdem definitoriorum et capitulorum generalium decretis desuper emanatis uberius dicitur contineri.

1 Edit. Main. legit *tam* pro *tamen* (R. T.).

*Preces procuratorum generalium.*

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in iisdem definitoriis et capitulis generalibus pro praemissorum omnium validitate et firmiori subsistentiâ ulterius statutum fuerit, ut illorum confirmatio ab hac sanctâ Sede impetranda esset: nobis propterea exponentes praefati humiliter suplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

*Confirmatio praedictorum decretorum.*

§ 3. Nos igitur, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ordinationes praefatas in definitoriis et capitulis generalibus utriusque Congregationis huiusmodi factas, ut praefertur, emanataque desuper decreta supradicta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

*Clausulae.*

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia ple-

nissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationum et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio quam extra illud, ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX[1] novembris MDCXCII, Pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 novembris 1692, pontif. anno II.

1 Edit. Main. ad marg. legit 22 (R. T.).

## XXXVIII (*al.* 36).

*Confirmantur, innovantur, reformantur, et extenduntur facultates tribunalis seu magistratus viarum*[1].

**Innocentius episcopus**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Sacerdotalis et regiae Urbis nostrae ad illud sublimatae fastigium, ut, per beati Petri sedem caput orbis effecta, latius praesideat religione divinâ, quam unquam comparuerit dominatione terrenâ, venustati, decori et commodis etiam temporalibus eo nos convenit ampliori curâ prospicere, quo ipsam, ubi praecipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, et quam in communem patriam christianus populus universus agnoscit, singulari dilectione gerimus in paternae visceribus charitatis. Dum vero in eâdem Sede, meritis licet imparibus, supernâ dispositione locati, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum exemplo, ad Urbem praefatam considerationis nostrae oculos principaliter convertimus, eius etiam districtûs aliorumque nobis et Romanae Ecclesiae etiam in temporalibus subiectorum locorum commodioribus viis, aliisque utilitatibus

1 Huiusmodi facultates extant in constitutionibus infra laudatis, nempe Martini V const. ed. die 30 martii, pontif. VIII; Sixti IV constit. edit. MCDLXXX, die 30 iunii; Leonis X constit. edit. MDXVII, die 2 novembris; Pii IV const. edit. MDLXV, die 23 augusti; Pii V constit. edit. die 10 aprilis, pontif. VI, et constit. edit. die 3 iulii, pontif. VI; Gregorii XIII constit. edit. MDLXXIV, die 1 octobris, et aliorum Pontificum. In huius Pontificis constit. edit. MDCXCII, die 17 septembris, pontif. II, revocatae fuere ad ius commune facultates iudicum particularium; in constit. ed. MDCXCIII, die 11 ianuarii, pontif. II, facta fuit cardinalibus facultas visitandi loca pia et ecclesias, et constit. ed. MDCXCIII, die 10 februarii, pont. II, reformata fuit facultas protectorum regularium.

in subditorum nostrorum et quorumcumque romipetarum beneficium respective consulere non praetermittimus.

A Martino V iterum instituti fuere viarum magistri ob gravem causam.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Martinus Papa V praedecessor noster, cum rei evidentià edoctus fuisset quod praefata Urbs eiusque districtus ex defectu officii magistrorum, quod antiquitus pro viarum, stratarum, platearum et locorum tam publicorum quam privatorum, necnon aedificiorum, lapideorum et ligneorum, parietum, tignorum, bancorum, tectorum, tabulatorum, moeniorum, apothecarum et pontium, portarum, transituum, aquarum decursuum, canalium et meatuum, necnon urbanorum et rusticorum praediorum, pratorum, hortòrum, atque vinearum finium, restaurationum, servitutum et libertatum administratione institutum et ordinatum fuerat, in praemissis grandem patiebatur deformitatem; necnon accepisset, nonnullos cives et incolas res foetidas et corruptas in vias, stratas, plateas, et loca publica et privata huiusmodi proiicere, seu vias, stratas, plateas et loca publica et ecclesiastica occupare, alienare, et in usus proprios deducere; et propterea huiusmodi deformitatibus, excessibus et incommodis posse tenus occurrere cupiens: officium magistratus huiusmodi iuxta illius institutionem auctoritate apostolicà suscitavit, reintegravit et restituit; duos quoque Urbis et districtùs praefatorum viarum magistros ad suum beneplacitum deputavit, cum solitis ab antiquo iurisdictionibus, potestatibus, honoribus, privilegiis, libertatibus, atque oneribus universis, in praemissis et circa ea concernentibus, dependentibus et annexis, etiam cum facultate faciendi submagistros, necnon huiusmodi excessus reparandi, corrigendi et emendandi, absque cuiusvis vocatione seu citatione, sed iuxta datam illis a Domino prudentiam, etiam per demolitionem quorumcumque aedificiorum, necnon praemissorum occasione gravatos, absque lite, sed summarie, simpliciter, de plano, et quibuscumque tunc expressis non obstantibus, relevandi, restituendi et reponendi, contradictores quoque et rebelles privandi, banniendi, arrestandi, incarcerandi, omniaque et singula faciendi et exercendi, quae magistri illorum praedecessores facere et exercere potuerunt, seu etiam debuerunt; et aliàs, prout in eiusdem Martini praedecessoris secundo kalendas aprilis[1], pontificatus sui anno VIII, expeditis litteris plenius continetur.

A Sisto IV, Leone X, et Pio IV confirmatae fuere et novae concessae facultates camerario et dictis magistris.

§ 2. Succesive alii Romani Pontifices praedecessores nostri, et praesertim similis recordationis Sixtus IV anno Incarnationis dominicae MCDLXXX pridie kalendas iulii, Leo X anno eiusdem Incarnationis MDXVII, IV nonas novembris, et Pius IV anno Incarnationis praefatae MDLXV, X kalendas septembris, per suas respective editas litteras, S. R. E. camerario et praefatis viarum magistris plerasque coniunctim, aliquas vero separatim exercendas iurisdictiones, facultates et functiones confirmarunt, ampliarunt, et respective concesserunt. Quas et alias huiusmodi litteras, cum decreto Camerae Apostolicae de inquilinis in emptione domorum praeferendis, tametsi recolendae memoriae Pius Papa V etiam praedecessor noster per quasdam suas motusproprii cedulas sub datum IV idus aprilis et V nonas iulii, pontificatus sui anno VI, quoad ius congrui, et nova, non tamen sacra aut publica, construenda aedificia, ad terminos iuris communis reduxerit, nihilominus piae memoriae Gregorius Papa XIII, similiter praedecessor noster, per alias suas anno Incarnationis praefatae MDLXXIV kalendis

1 In notà ad rubr. legit *30 aprilis* (R. T.).

octobris editas litteras, praedictis memoratorum Sixti, Leonis, ac Pii IV et Pii V litteris, quatenus ad aliquid eorum, quae in iisdem suis litteris continebantur, pertinebant, et de aliquo eorum statuebant et disponebant, antiquatis, abrogatis, et penitus revocatis et sublatis, plurima innovavit, statuit, decrevit et ordinavit circa aedificia et ornatum dictae Urbis, ac coactas seu voluntarias venditiones, et ius congrui seu retractûs earumdem venditionum occasione competens seu institutum, tum in eâdem Urbe, tum intra tria et respective duodecim a praefatâ Urbe milliaria, cum multis facultatibus et iurisdictionibus plerumque a praefatis camerario et viarum magistris coniunctim exercendis.

Aliae etiam ab aliis Romanis Pontificibus concessae fuere facultates, sed exercitium iudicialis iurisdictionis eorum assessori.

§ 3. Aliae quoque et multiplices iurisdictiones, facultates, curae et functiones in quampluribus sive praedictorum, sive aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum chirographis, litteris in formâ Brevis, ac motusproprii cedulis, necnon in eiusdem Urbis a Sede Apostolicâ confirmatis statutis, eiusdem S. R. E. camerario praesidi et magistris viarum praefatis, aliquando singulis separatim, aliquando aliquibus mixtim, et aliquando omnibus insimul, concessae seu demandatae fuerunt: exercitium tamen iudicialis et contentiosae iurisdictionis in iis quae dictis viarum magistris iniuncta fuerant, penes eorum assessorem ab eâdem Apostolicâ Sede deputatum existere consuevit.

Causae huius constitutionis.

§ 4. Hinc nos, abusibus, qui desuper irrepserant, occurrere, iustitiae administrationi in praemissis plenius consulere, ac praefatae Urbis ornatui, necnon eiusdem illiusque districtûs et ditionis ecclesiasticae respective viarum, locorum, et aliorum quorumcumque in praefatis litteris et ordinationibus quoquomodo contentorum, instructioni, conservationi, reparationi, restaurationi et expurgationi, quantum nobis ex alto conceditur, uberius respective providere cupientes; ac propterea omnium praefatarum et aliarum, si quae sint, litterarum, tam sub plumbo, quam in formâ Brevis, motusproprii, cedularum, chirographorum, ordinationum et statutorum quorumcumque circa praemissa existentium tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, pro plene et sufficienter expressis habentes, de dilectorum filiorum nonnullorum Romanae Curiae praelatorum et virorum pietate, doctrinâ, prudentiâ et rerum usu praestantium specialiter ad id a nobis deputatorum, qui rem mature examinarunt, consilio, ac etiam motu proprio, ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, memoratas litteras, cedulas, chirographa, ordinationes et statuta, in his quae praesentibus et omnibus et singulis hîc contentis quoquomodo non adversantur, earumdem tenore praesentium, approbamus, confirmamus et innovamus, illisque perpetuum et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, penitus et omnino observari volumus et mandamus.

Confirmatio et innovatio praedictarum litterarum.

Sed iuxta formam infra describendam.

§ 5. Decernentes, omnes et singulas huiusmodi litteras, sanctiones et statuta et ordinationes, tam speciales tribunalis seu magistratûs, quam generales, et in parte de eorum[1] tribunali seu magistratu tractantes, necnon omnes et singulas iurisdictiónes, facultates, curas, functiones et administrationes huiusmodi quoquo modo concessas, non aliter quam ad formam harum praesentium observari, exequi et intelligi posse et debere, perinde, ac si ab initio institutae, et respective concessae, attributae, dire-

1 Forsan *eodem* pro *eorum* legendum (R. T.).

ctae et demandatae fuissent personis, modis ac formis in praesenti nostrâ in perpetuum valiturâ constitutione contentis; quam, supplendo omnem et quamcumque alioquin necessariam seu opportunam expressionem, ac sublatis omnibus et quibuscumque contrariis, diversis, seu differentibus, omnino et inviolabiliter observari, adimpleri et exequi volumus et mandamus.

Aboletur officium assessoris magistrorum viarum.

§ 6. Reformationem vero tribunalis seu magistratûs huiusmodi a iurisdictionis normâ et distinctione incipientes, praeviâ pretii ac impensae expeditionis restitutione iam factâ ei qui magistrorum viarum assessoris officium hactenus obtinuit, officium huiusmodi penitus et omnino supprimimus, abolemus et abrogamus.

Causae iuris congrui spectent ad camerarium.

§ 7. Iurisdictionem in omnibus et singulis causis in[1] iuris congrui, seu singulis ab eo dependentibus, annexis et connexis, in quibus antehac memorati camerarius ac magistrorum viarum assessor insimul procedebant, in posterum ad eumdem camerarium privative quoad alios spectare; huiusmodi autem causas in gradu appellationis iisdemmet modis et formis, quibus hactenus observatum fuit, ad praesidem viarum devolvendas esse, et ab illo ad tribunal Camerae supradictae appellandum esse decernimus.

Reliquae vero causae ad praesidem.

§ 8. In reliquis omnibus causis et negotiis, eorumque annexis, connexis et dependentibus, omnem et quamcumque necessariam et opportunam iurisdictionem pro tempore existenti viarum praesidi, privative quoad alios, concedimus, et ad eumdem, ac quoad Cameram praefatam pariter appelletur, spectare volumus et mandamus.

Quaenam sint magistrorum facultates.

§ 9. Magistris tamen viarum tam in Urbe quam in eius districtu praefatis, occasione seu in actu vias eiusdem districtûs invisendi, facultatem coërcendi contravenientes constitutionibus, bannimentis, statutis et ordinationibus tribunalis seu magistratûs, necnon ipsorum magistrorum vel alterius eorum praeceptis seu iussionibus, usque ad eorumdem contravenientium carcerationem, ac etiam excarcerationem, in formâ tamen extraiudiciali, prout etiam procedendi in simili formâ contra huiusmodi contravenientes ad pignorationem pro mulctis et poenis pecuniariis in praefatis bannimentis contentis, ac eorumdem pignorum restitutionem (reservatis semper praedicto viarum praesidi ulteriori cognitione et recursu), praeservamus, et, quatenus opus sit, etiam concedimus.

§ 10. Iisdem quoque viarum magistris curam, superintendentiam et administrationem instruendi, reficiendi, restaurandi, manutenendi, mundandi et expurgandi vias, plateas et loca Urbis, necnon confirmandi, eligendi et amovendi architectos, submagistros, operarios et artifices praedicto magistratui viarum inservientes, salvo semper iure praesidis eosdem ex iustâ causâ removendi, prout etiam facultatem et licentias hactenus ab iisdem dari solitas, et in posterum pro indemnitate magistratus et officialium iuxta modum praescribendum registrandas et sigillo praesidis gratis muniendas, concedendi, salvo ad memoratum praesidem, auditis magistris, ab huiusmodi licentiarum denegatione seu indebitâ concessione recursu, similiter praeservamus, et, quatenus opus sit, concedimus.

Conceditur praesidi facultas eligendi ministros.

§ 11. Eidem[1] praesidi procuratorem fiscalem, ratiocinatorem et exactores quarumcumque taxarum vel exactionum, tam in Urbe quam in eius districtu supradictis, necnon mandatarium et viarum commissarium, cum magistrorum

1 Praeposit. *in* delenda videtur, vel postea *iure* pro *iuris* legendum (R. T.).

1 Edit. Main. legit *Fidem* pro *Eidem* (R. T.).

praefatorum consilio, et baroncellum ad eius libitum deputandi et amovendi facultatem concedimus, reservatâ tamen venerabili fratri nostro Palutio episcopo Praenestino eiusdem S. R. E. cardinali de Alteriis nuncupato dictae S. R. E. camerario praedictos procuratorem fiscalem, ratiocinatorem et mandatarium, donec vixerit, deputandi et amovendi.

Redditur praesidi et tribunali viarum facultas in platea Agonis.

§ 12. Ad haec, omnes et singulas iurisdictiones, facultates, curas et emolumenta quaecumque pro tempore existentibus eiusdem S. R. E. camerariis in plateâ Agonis competentes et competentia, seu ab illis exerceri et percipi hactenus consuetas et consueta, ex nunc prout ex tunc, sequuto obitu memorati Palutii episcopi cardinalis et camerarii, cui pariter, donec vixerit, nullum ius huiusmodi adimere volumus et declaramus, ab eodem camerariatus officio penitus et omnino dismembramus et separamus, illasque et tribunali et magistratui viarum sub curâ, regimine et iurisdictione solius pro tempore existentis praesidis viarum, ad limites et formam praesentium, absque ullâ prorsus inter dictam Agonis et alias plateas Urbis differentiâ seu distinctione, restituimus, seu unimus, annectimus et incorporamus, ac[1] restitutas, seu unitas, annexas et incorporatas esse volumus et mandamus.

Item aliae facultates aliis concessae.

§ 13. Ex nunc autem omnes et singulas iurisdictiones, facultates, curas et administrationes huiusmodi cuicumque personae, etiam praefatae S. R. E. cardinali, etiam eiusdem S. R. E. vicecancellario, collegiis, capitulis, locis piis, basilicis et ecclesiis etiam patriarchalibus, et quibuscumque quavis dignitate vel praeeminentiâ tam saeculari quam ecclesiasticâ fungentibus, etiam speciali et individuâ mentione dignis, super plateis, viis et locis Urbis praefatae quoquomodo concessas vel competentes, necnon emolumenta (de quorum percipiendorum valido et subsistenti iure, quod tam[1] respectu aliorum, quam ecclesiarum et locorum piorum, ex titulo vere et proportionate oneroso et correspectivo esse debeat, legitime non constiterit) supprimimus, abolemus et abrogamus, ac ab eisdem seu eorum officiis vel muneribus separamus et dismembramus, illasque et illa, modo et formâ praemissis, ex nunc tribunali viarum sub curâ, regimine et iurisdictione pro tempore existentis praesidis viarum huiusmodi restituimus, seu unimus, annectimus, incorporamus, et, quatenus opus sit, de novo concedimus.

Omnes obnoxii sint cuicumque solutioni et iurisdictioni tribunalis viarum.

§ 14. Praeterea, inhaerentes aliàs factis chirographis et ordinationibus tribunalis et magistratûs huiusmodi, quaecumque privilegia et exemptiones, et quasvis litteras patentes ibidem revocatas et praesentibus adversantes, nullatenus suffragari declaramus, illaque et illas iterum revocamus, cassamus et annullamus; volentes et mandantes, omnes et singulos, nemine prorsus excepto, in eisdem chirographis specificatos seu comprehensos, etiam palatii nostri apostolici et cuiuscumque iudicis et tribunalis, tametsi speciali et individuâ notâ dignorum, necnon dictae S. R. E cardinalium, basilicarum, Ordinum, congregationum et societatum, etiam Iesu, ministros et officiales quoscumque, et quibusvis litteris patentibus munitos, ac neophytos, et milites etiam auxiliatores Arcis S. Angeli, et alabarderios nuncupatos gubernatoris Urbis, quoscumque et quotcumque, etiam in minori et modico seu minimo numero, ad solutionem et contributionem quarumcumque taxarum et impositionum aeque ac alios

1 Coniunct. *ac* nos addimus (R. T.).

1 Particulam *tam* nos addimus (R. T.).

non privilegiatos teneri et obligatos esse, necnon iurisdictioni tribunalis et magistratûs huiusmodi ac omnibus et singulis illius constitutionibus et ordinationibus quibuscumque pariter esse et remanere subiectos; prout etiam, praefata chirographa et ordinationes innovantes et ampliantes, a decretis, mandatis et sententiis super solutione quarumcumque taxarum seu contributionum a tribunali seu magistratu praefatis impositarum et imponendarum, et respective super affictuum seu appaltuum ab affictuariis seu appaltatoribus debitorum seu debendorum solutione, necnon super rationibus per administratores seu oeconomos reddendis, ac super restitutione vel solutione eorum quae per eosdem administratores seu oeconomos exacta fuerint, nullam admittendam esse appellationem seu recursum in suspensivo, sed in devolutivo tantum, itaut quaecumque appellationes et recursus, seu citationes, inhibitiones, supersessoriae et decreta, in vim appellationum seu recursuum huiusmodi faciendae seu facienda, absque ullo attentatorum, poenarum, seu nullitatis incursu, possint impune sperni.

Praescribitur tempus solutionum.

§ 15. Solutiones quarumcumque taxarum, pro quibus iudicialiter, mediante contestatione litis, vel saltem tentatâ aliquâ executione mandatorum, actum non fuerit, triennio ex nunc, quoad praeteritas, et a die impositionis, quoad futuras taxas, computando, praescribantur.

De electione praesidis et magistrorum.

§ 16. Ceterum praeses viarum huiusmodi non amplius ad annum in Camerâ praedictâ, ut moris erat, sorte extrahatur, sed a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente ad nostrum et eiusdem pro tempore existentis Romani Pontificis et dictae Sedis beneplacitum in posterum deputetur. Ex magistris vero viarum non amplius uterque insimul, sed alteruter tantum, ut unus semper pendentibus magistratûs negotiis instructus remaneat, dimittatur.

Appaltus et contractus fiant in congregatione praesidis et ministrorum.

§ 17. Appaltus expurgationis Urbis, necnon unius iulii qui singulis trimestribus pro qualibet apothecâ solvitur, itidemque curruum seu rhedarum, ac chisiorum, vulgo *calessi*, locari solitorum, praefato Palutio cardinali et camerario, pariter donec vixerit, insimul cum praeside et magistris viarum huiusmodi; alii vero appaltus, affictus et contractus, ac, post obitum memoratii Palutii episcopi cardinalis, etiam dicti appaltus expurgationis Urbis et praefati iulii, necnon curruum[1] seu rhedarum et chisiorum praenominatorum, in congregatione singulis hebdomadis pro negotiis dicti tribunalis seu magistratûs faciendâ, cui iidem praeses, magistri viarum et alii ministri de more intersint, apertis semper in supradictis congressibus cedulis oblationum, et factâ deliberatione meliorem conditionem facienti, respective concludantur et stipulentur.

Imprimatur tassa emolumentorum.

§ 18. Renovetur, seu fiat, facta imprimatur, et impressa in locis a praeside praefato praescribendis exponatur et retineatur distincta et moderata taxa omnium et singulorum emolumentorum tam tribunalis seu magistratûs quam singulorum eius ministrorum seu officialium, nihilque prorsus praeter vel contra eamdem, sub[2] poenis arbitrio memorati praesidis infligendis, percipiatur vel exigatur.

De officio exactorum.

§ 19. Teneantur singuli exactores, sub poenâ falsi, distincte et diligenter annotare omnes et singulas taxas, et quoscumque earumdem debitores, prout etiam omnes et singulas etiam minimas exactiones ac personas a quibus exegerint, intra quindecim dies post quamlibet

1 Edit. Main. legit *currum* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *sed* pro *sub* (R. T.).

licet minimam exactionem computandos, istaque omnia diligenter, fideliter et distincte describere in libris in officio notarii tribunalis retinendis et cuicumque quodlibet interesse habenti prompte exhibendis.

Usus emolumentorum.

§ 20. Omnia et singula emolumenta tribunalis seu magistratûs, etiam ex taxâ curruum et chisiorum praefatorum locari solitorum, necnon ex pretio situum publicorum, in beneficium tribunalis seu magistratûs vel implementum eius onerum et praesertim in expurgationem viarum convertantur.

Magistri contenti sint annuo stipendio quatuor centum scutorum.

§ 21. Magistri viarum nulla prorsus, etiam minima, ac etiam sponte oblata, tum in pecuniâ tum in qualibet specie, et tam ordinaria quam extraordinaria, certa et incerta emolumenta, ratione eorum muneris, seu quarumcumque licentiarum, accessuum et functionum, posthac amplius exigere seu percipere quoquo modo valeant, sed solo annuo stipendio scutorum quadringentorum monetae romanae pro quolibet eorum, ex emolumentis magistratûs extrahendo, quod illis constituimus et assignamus, omnino debeant esse contenti.

Cura de viis consularibus.

§ 22. Viae consulares districtûs Urbis propiis sumptibus et expensis personaliter revideantur et recognoscantur saltem semel in anno pro qualibet viâ per dictos magistros viarum; quo vero ad praesidem praefatum, eius arbitrio: et, ultra huiusmodi accessus, in quibus necessitatibus, reparationibus et commoditatibus huiusmodi viarum debeant iidem respective consulere et providere, semper invigilent ac certiorari satagent de omnibus earumdem viarum necessitatibus et incommodis etiam per litteras circulares gubernatoribus et communitatibus seu universitatibus civitatum, terrarum seu locorum, in quorum territoriis viae praefatae consistunt, ut responsiones et aliae informationes desuper habitae in congregatione praefatâ, ad effectum opportune desuper providendi, referantur et examinentur.

Facultas praesidis in viis consularibus.

§ 23. Praesidis viarum superintendentia et facultates vias consulares ditionis ecclesiasticae extra praefatum districtum existentes comprehendant, et eiusdem ditionis gubernatores subiecti sint[1] ordinationibus memorati praesidis, qui de viarum praefatae ditionis instructione, refectione, restauratione et manutentione, non tamen in iudicialibus, debeat esse sollicitus. In districtu vero omnem suam iurisdictionem in viis tam consularibus quam non consularibus respective valeat exercere.

Clausulae.

§ 24. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod omnes et singuli supradicti et alii quicumque in praemissis quomodolibet ius vel interesse habentes seu habere praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni existant, iisdem praesentibus non consenserint, nec vocati seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum vel privilegiorum vigore consentire seu vocari et audiri semel vel pluries quoquo modo debuissent, aut ex aliâ quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel interesse habentium consensûs, alioque quolibet etiam quantumvis magno et formali ac substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gra-

1 Vocem *sint* nos addimus (R. T.).

tiae remedium intentari vel impetrari nullatenus posse, sed semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque et quomodocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate, praeeminentiâ aut potestate fungentes et functuros, etiam causarum palatii apostolici auditores, et dictae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 25. Non obstantibus omnibus et singulis praemissis, et, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, necnon praefati Pii II praedecessoris de qualecumque interesse Camerae Apostolicae concernentibus in dictâ Camerâ intra certum inibi praescriptum tempus praesentandis et registrandis, necnon aliis quibuscumque apostolicis ac in generalibus conciliis editis et edendis constitutionibus et ordinationibus, ac Urbis et Curiae Romanae et Camerae Apostolicae eiusdemque Curiae tribunalium, quarumcumque ecclesiarum, etiam patriarchalium S. Ioannis in Laterano, Principis Apostolorum et S. Mariae Maioris, monasteriorum, hospitalium, locorum piorum, necnon Ordinum, congregationum et societatum, etiam Iesu, et quibusvis aliis, etiam iuramento vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis, usibus, stylis, consuetudinibus et decretis, etiam novis reformationibus quibuscumque, legibus et canonibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, vel ad quorumvis instantiam, ac etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet per nos et Romanos Pontifices praedecessores nostros in contrarium eorumdem praemissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis, innovatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, harum serie, specialiter et expresse, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus et mandamus, necnon omnibus illis quae iidem praedecessores nostri in praemissis quibuscumque eorum litteris et chirographis voluerunt non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 26. Volumus autem quod postquam praesentes valvis ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis apostolorum et in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex nostris cursoribus affixae et publicatae fuerint, omnes et singulos, tam in Fides transumptorum.

Urbe quam in districtu et ditione praefatis existentes, perinde obligent et arctent, ac si unicuique eorum personaliter et nominatim intimatae fuissent; quodque earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae iisdemmet praesentibus, si exhibitae vel ostensae fuissent, adhiberetur.

Sanctio poenalis.

§ 27. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, voluntatis, mandatorum, decretorum, suppressionum, abolitionum, abrogationum, praeservationum, concessionum, declarationum, dismembrationum, separationum, restitutionum, unionum, annexionum, incorporationum, revocationis, cassationis, annullationis, constitutionis, assignationis, derogationis, aliorumque praemissorum infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCXCII, IV kalendas decembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 28 novembris 1692, pontif. anno II.

---

## XXXIX.

*Conceduntur nonnullae ordinationes in causâ a Sanctâ Sede definiendâ de alternativâ officiorum generalium inter provincias Gallicas et alias fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ ac Recollectorum*[1].

**Innocentius Papa XII,
ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Iniuncti nobis caelitus pastoralis officii sollicitudo nos admonet, ut paternam christifidelium divinis obsequiis sub arctioris vitae instituto laudabiliter incumbentium curam gerentes, eos in pace et iustitiâ continere, ac enata inter ipsos animorum dissidia, ne amabilis concordiae fraternaeque charitatis serenitatem diutius conturbent, opportunis rationibus recidere, necnon illorum statui et quieti, quantum nobis ex alto conceditur, consulere studeamus.

Schisma exortum inter dictas Congregationes ob praetensam alternativam.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Ludovicus Duval et Claudius Bonaventura Sicault, necnon Edmundus Godelle et Salvianus Paquin, procuratores seu deputati provinciarum nationis Gallicae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci tam de Observantiâ quam Recollectorum respective nuncupatorum, quod, cum aliâs, videlicet anno MDCLXXXVIII, tunc existentes vocales eiusdem nationis electionibus aliisque in capitulo generali dicti Ordinis in hac almâ Urbe celebrato actis, ob sibi tunc denegatam ad generalatum aliaque officia generalia eiusdem Ordinis, quam praetendebant, alternativam, interesse recusaverint, eâque de causâ a capitulo generali praedicto recesserint, ipsum vero capitulum generale ad electionem trium definitorum generalium pro praedictâ natione, ceteroqui eligi solitorum, minime devenerit; abinde omnes et singulae personae utriusque sexus provinciarum huiusmodi obedientiam tunc existenti in memorato capitulo generali electo ac subinde dilecto filio moderno ministris generalibus eiusdem Ordinis nullatenus hucusque praestiterunt.

[1] In const. ed. MDCXCII, die 17 maii, pontif I, agitur de alternativâ in provinciâ S. Nicolai de Observantiâ Reformatorum; et in const. editâ MDCXCVI, die 7 ianuarii, pontif. V, de alternativâ in provinciâ Ianuensi.

Reconciliatio inter ambas partes.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, iam nunc personae huiusmodi, unionem spiritus in vinculo pacis servare cupientes, tam eidem moderno quam eius pro tempore successoribus ministris generalibus dicti Ordinis canonice eligendis debitam obedientiam, iuxta apostolicarum et ipsius Ordinis constitutionum praescriptum, praestare, dictumque capitulum generale pro rite et canonice celebrato habere paratae sint; quinimo ipsi exponentes earumdem personarum nomine obedientiam huiusmodi iam praestiterint, seque supradictum capitulum generale pro rite et canonice celebrato habere declaraverint; verum praemissa atque inde sequuta, quo dictarum provinciarum religiosae tranquillitati plene provisum sit, apostolicum paternae providentiae nostrae praesidium exposcant: nobis propterea exponentes praefati humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Avocatur causa ad Sanctam Sedem, ablata singulis religiosis quicquam agendi facultate.

§ 3. Nos igitur, qui Ordinem praefatum in visceribus gerimus charitatis, perturbationibus et incommodis, quae praemissorum occasione in dies oriri possent, mature occurrere, et opportunum iam exortis remedium adhibere cupientes, ipsosque exponentes et alios infrascriptos dicti Ordinis professores specialis favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes; necnon causae et controversiae super alternativae praefatae statum et merita, nominaque et cognomina, ac qualitates iudicum et collitigantium seu contendentium quorumcumque et alia quaelibet, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac auditâ super praemissis dilectorum filiorum procuratoris generalis ac aliorum superiorum utriusque familiae dicti Ordinis, quos desuper audiendos duximus, relatione, causam et controversiam praefatas in statu et terminis, in quibus de praesenti quomodolibet reperiuntur, tam a dicto capitulo generali quam ab illis quibuscumque iudicibus et tribunalibus ad nos et Sedem Apostolicam, prout iuris fuerit, terminandas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, avocamus.

Reservatur etiam decidere de quarto definitore generali addendo.

§ 4. Porro, cum iidem exponentes dictarum provinciarum nomine etiam institerint ut quartum definitorem generalem ex fratribus Recollectis provinciarum huiusmodi addere et deputare vellemus, nobis similiter et Sedi praedictae facultatem statuendi hac in re quidquid in Domino expedire censuerimus harum serie reservamus, ac proinde omnibus et singulis nationis et Ordinis praedictorum superioribus fratribus et personis, ne tam coniunctim quam divisim in praemissis vel eorum aliquo directe vel indirecte aut aliâs quomodolibet quidquam innovare vel attentare audeant quovis modo seu praesumant, districte inhibemus, illisque praecipimus et mandamus ut a quibusvis attentatis seu innovatis huiusmodi humiliter abstineant, donec a supremâ nostrâ et eiusdem Sedis aequitate habeant iustitiae complementum.

A quo eligendus agens nationis gallicae.

§ 5. Praeterea, ut de cetero ad[1] munus agentis seu negotiorum gestoris, quem

1 Praeposit. *ad* nos addimus (R. T.).

provinciae praefatae in Romanâ Curiâ habere consueverunt, quoties illud vacare contigerit, is tantummodo assumatur, quem pro tempore existens minister generalis dicti Ordinis ex tribus religiosis sibi ad id per superiores pro tempore pariter existentes earumdem provinciarum praestandis idoneitate et meritis praestantiorem esse iudicaverint, auctoritate et tenore praedictis statuimus et ordinamus.

Absolutio a censuris.

§ 6. Ceterum omnes et singulas personas utriusque sexus provinciarum et nationis huiusmodi, quae post celebrationem capituli generalis obedientiam pro tempore existentibus ministris generalibus eiusdem Ordinis, sicut praemittitur, hactenus non praestiterunt, ex nunc prout ex tunc postquam obedientiam huiusmodi a dictis exponentibus illarum nomine praestitam, ac declarationem circa memoratum capitulum generale ab eis factam, ut praefertur, realiter et cum effectu ratificaverint, a censuris quibuslibet, si quas propter praemissa quomodolibet incurrerunt seu incurrisse dici vel praetendi possent, eâdem auctoritate, harum serie, in utroque foro absolvimus et totaliter liberamus. Ac cum illis ex fratribus provinciarum et nationis praedictarum, qui, censuris huiusmodi, si quas propter eadem praemissa incurrerunt, innodati, sacrosanctum missae sacrificium (non tamen in contemptum clavium) celebraverunt, seu aliàs in suis ordinibus ministraverint, super irregularitate per eos quomodolibet inde contractâ, itaut, illâ et iisdem praemissis non obstantibus, dummodo nullum aliud canonicum eis obstet impedimentum, clericali charactere, quo aliàs rite insigniti fuerunt, illiusque privilegiis ac susceptis per eos pariter rite quatuor minoribus, necnon sacris subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordinibus uti, et, quatenus illos nondum susceperint, ad eos, si ad id idonei reperiantur, servatis aliàs servandis, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possint et valeant, in utroque pariter foro dispensamus. Personas itidem supradictas, et eorum quamlibet, si quam propter eadem praemissa privationis vocis activae et passivae poenam incurrerunt, ad vocem activam et passivam huiusmodi adversus praemissa opportune rehabilitamus, illasque in integrum et pristinum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus.

Confirmantur omnes actus legitime facti.

§ 7. Omnes insuper et singulos tam capitulares quam definitoriales et alios quoslibet tam iudiciales quam extraiudiciales actus et functiones in supradicto rerum statu, aliàs tamen legitime, per quoscumque superiores, fratres et personas dicti Ordinis in memoratis provinciis, earumque et aliis quarumcumque civitatum, terrarum et locorum carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum regi christianissimo subiecto rum conventibus, monasteriis ac domi bus regularibus tam virorum quam mu lierum eiusdem Ordinis hactenus gestos et factos respective, cum omnibus inde, ceteroqui pariter legitime, secutis, dictâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, validamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, etiam substantiales, si qui desuper propter praemissa quomodolibet intervenerunt, seu intervenisse dici, censeri vel praetendi possint, sanamus et supplemus.

Eliguntur tres soliti definitores generales nationis Gallicae.

§ 8. Ne autem natio praedicta tribus definitoribus generalibus pro eâ hactenus, sicut praemittitur, eligi solitis diutius destituta remaneat, dilectos filios

Gulielmum Beccard et Nicolaum Potin de Observantiâ, ac Hyacinthum Lefebure Recollectorum respective fratrum nationis et Ordinis huiusmodi professores, de quorum fide, prudentiâ, rerum agendarum usu, pietate, integritate, charitate et religionis zelo plenam in Domino fiduciam habemus, praedicti Ordinis definitores generales pro memoratâ natione Gallicâ usque ad proxime futurum capitulum generale eiusdem Ordinis duraturos, cum omnibus et singulis praeeminentiis, praerogativis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis et indultis, ac honoribus et oneribus solitis et consuetis, itaut ipsi officia definitorum generalium huiusmodi usque ad idem proxime futurum capitulum generale gerere et exercere libere, licite et valide possint et valeant in omnibus et per omnia, perinde ac si ad[1] illa in capitulo generali dicti Ordinis de pleno vocalium consensu, servatisque omnibus servandis, canonice electi fuissent, eàdem auctoritate, harum serie creamus, facimus, ac constituimus et deputamus.

Clausulae. § 9. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari et adimpleri, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales de latere legatos et dictae Sedis nuntios, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 10. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedictorum Ordinis, nationis, provinciarum, conventuum, monasteriorum et domorum regularium, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis quibusvis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, ac pluries approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis, servatis et specificatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 11. Volumus autem ut, intra quatuor menses proximos, nomine quarumcumque personarum nationis, provinciarum, conventuum, monasteriorum et domo-

1 Male edit. Main. legit *de* pro *ad* (R. T.).

rum regularium huiusmodi, dilecti filii superiores earumdem provinciarum, seu alii ad quos spectat, debitam subiectionem et obedientiam iuxta apostolicas et Ordinis huiusmodi constitutiones eidem moderno eiusque pro tempore successoribus ministris generalibus canonice eligendis a supradictis exponentibus praestitam, ac declarationem circa proxime praeteritum capitulum generale praedictum ab eis factam ut praefertur, realiter et cum effectu ratificare, necnon in subiectione et obedientiâ huiusmodi sincere in posterum permanere, praesentiumque litterarum dispositioni in omnibus et per omnia acquiescere omnino teneantur; alioqui eaedem praesentes nullae sint eo ipso. Insuper volumus ut personae supradictae, si quâ, propter praemissa, absolutione in foro conscientiae indigeant, poenitentiam, quam eis sacerdos idoneus propter eadem praemissa respective imposuerit, omnino adimpleant, alioquin ipsae praesentes eis, quoad absolutionem in foro conscientiae huiusmodi, minime suffragentur, utque earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX decembris MDCXCII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 9 decembris 1692, pontif. anno II.

---

## XL.

*Conceduntur indulgentiae perpetuae utriusque sexus personis Ordinis sancti Francisci de Observantiâ, necnon christifidelibus societatum in illorum ecclesiis erectarum* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Ad ea, per quae animarum christifidelium salus procuratur, libenter intendimus, et eorumdem christifidelium devotionem, ut spiritualibus exercitiis ferventius incumbant, caelestium munerum elargitione libenter fovemus et incitamus.

Concessio indulgentiae.

§ 1. Itaque, de omnipotentis Dei misericordiâ, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, supplicationibus quoque dilecti filii Francisci Diaz a S. Bonaventura Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum definitoris generalis necnon Missionum pro familiâ ultramontanâ dicti Ordinis procuratoris nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis fratribus et monialibus, et aliis utriusque sexus personis Ordinum et congregationum obedientiae seu directioni ministri generalis eiusdem Ordinis nunc et pro tempore subiectis, ac etiam christifidelibus confratribus et consororibus quarumlibet confraternitatum et societatum, sive sub Immaculatae Conceptionis beatae Mariae Virginis, sive sub alio quolibet titulo seu invocatione, tam hactenus in eorumdem fratrum et monialium ecclesiis canonice erectarum, quam in posterum canonice erigendarum, qui per quadrantem horae orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies; qui per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horae, singulis diebus et per totum mensem dabunt operam, et vere poenitentes et

1 Aliae indulgentiae extant in Innocentii XI const. ed. MDCLXXXVII, die 22 ianuarii, pontif. XI; et in huius Pontificis const. edit. MDCXCV, die 18 augusti, pontif. V.

confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, ac pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam per modum suffragii animabus christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, applicare possint, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, misericorditer in Domino concedimus. Insuper quod fratres et moniales ac utriusque sexus personae huiusmodi orationi mentali, sive (ut dicitur) *Viae Crucis exercitio*, ad quam seu quod ratione eorum regulae et constitutionum quolibet die tenentur, operam dantes, praedictas omnes et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes proportionabiliter lucrari et consequi possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis indulgemus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Contrariorum derogatio.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 3. Volumus autem quod praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii generalis dicti Ordinis subscriptis, et sigillo ministri generalis eiusdem Ordinis vel alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV decembris MDCXCII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 decembris 1692, pontif. anno II.

## XLI.

*Confirmatur decretum capituli generalis Ordinis Cărmelitarum pro alternativâ in provinciâ Castellae* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Species facti

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Ordinis fratrum beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, quod in capitulo generali dicti Ordinis novissime celebrato, ad religiosam pacem, ob varias lites, in provinciâ Castellae eiusdem Ordinis, quippe quae in duas partes, nempe in veterem et novam dividitur, exortas, haud parum conturbatam, firmiter stabiliendam, necnon ad ipsius provinciae instantiam, quaedam alternativa quoad officia provincialatus et socii eiusdem provinciae inter partes praefatas de cetero servanda ordinata fuit, prout continetur in decreto dicti capituli generalis desuper emanato, tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum capitulare.

« Die mercurii, scilicet XXVIII, coram illustrissimo domino Bussio statutum est, quod, cum Castella vetus et nova habeant alternativam in officio provincialatus et socii, itaut quando provincialis est ex unâ Castella, socius illius sit ex aliâ, et in spatio triginta quatuor annorum magna fuerit inaequalitas in praeiudicium Castellae veteris, ut alternativa in posterum aequaliter mensuretur, si provincialis sit in gubernio per triennium

1 In const. edit. MDCXCII, die 22 novembris, pontif. II, reperiuntur decreta capitulorum generalium pro pace utriusque Congregationis; in const. ed. MDCXCIV, die 9 februarii, pontif. III, declaratur quoddam Breve circa superiores monialium Excalceatarum regni Franciae; et in Clementis XI const. ed. MDCCII, die 24 novembris, pontif. II, extat decretum cardinalis protectoris circa erectionem confraternitatum et distributionem scapularium pro Congregatione Hispaniae Excalceatorum.

vel quadriennium in unâ Castella, sit etiam provincialis Castellae ex alterâ parte per aequale tempus, sive per mortem, sive per assumptionem, sive per liberam renunciationem cesset provincialatus; itaut ex illâ parte, ad quam pertinet regimen, adaequetur triennium vel quadriennium. Et quia in praesènti reverendus admodum pater magister Ludovicus Sbarra habet gubernium per quadriennium, provincialis qui eligetur anno MDCXCIII per quatuor annos debebit gubernare, et sic alternatim, ut post quadriennium Castellaeveteris incipiat Castellanova tantum per triennium, nisi adsint urgentissimae causae, sed semper deinceps servetur alternativa aequaliter, itaut clausula, quae est in actis reunionis, nullo modo inficiat huic praesenti decreto, quod conficitur pro pace et quiete utriusque provinciae ad vitandum omne litigium ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus procurator generalis decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectum filium modernum priorem generalem dicti Ordinis audiverunt, consilio, decretum praeinsertum a capitulo generali praefato die XXVIII maii proxime praeteriti editum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius

notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II ianuarii MDCXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 2 ianuarii 1693, pontif. anno II.

---

## XLII.

*Indicitur visitatio apostolica ecclesiarum et locorum piorum Urbis cum expositione SS. Sacramenti et indulgentiâ plenariâ* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**Dilectis filiis clero et populo romano, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium. Agrum universalis Ecclesiae, supernâ caelestis patrisfamilias praeordinatione curae nostrae demandatum, omni studio atque industriâ, quantum nobis ex alto conceditur, custodire atque excolere iugiter satagentes, spiritualibus huius almae Urbis nostrae, quae proprioribus charitatis vinculis nobis coniungitur, quamque ipse Christus Dominus tot praeclaris amoris significationibus prae ceteris dilexisse visus est, augendis promovendisque bonis peculiarem apostolici muneris nostri sollicitudinem impensius adhibere non praetermittimus.

Causae huius visitationis. § 1. Cum enim sancta haec Romana Ecclesia veluti civitas supra montem posita, ac supra fundamentum Apostolorum aedificata, omnium in se oculos undequaque convertat, ex eâ potissimum non solum doctrinae, sed vitae ac virtutum omnium exempla in reliquas christiani orbis ecclesias, quarum mater et magistra est, oportet promanare. Quamvis itaque eam esse, miserante Domino, eiusdem Urbis cleri et populi pietatem reputemus, ut Christi bonus odor exinde in exteras quoque regiones diffundi possit; nihilominus, quia post primi parentis labem semper ad inferiora nos deprimit nostrae mortalitatis infirmitas, et carnis fragilitate austerior paulatim observantia relaxatur, unde et de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere, et in agro Domini spinas et tribulos identidem germinare quotidianâ experientiâ perdocemur, memores nos ideo in sublimi hoc Apostolicae Sedis fastigio constitutos ut noxia evellamus atque utilia plantemus, nihil nos salubrius aggredi posse cogitavimus, quam si iam usque a primis fere Ecclesiae temporibus traditum, et ab ipsâ sacrosanctâ Tridentinâ Synodo tantopere commendatum, quodque non minus sapienter constitutum, quam re atque usu frugiferum compertum semper fuit ac salutare pastoralis visitationis auxilium adhiberemus; qua quidem spirituali veluti culturâ et vitiorum zizania, quae suffocant sementem patrisfamiliâs, eradicentur, et uberior, benedicente Domino, electi sanctorum operum frumenti messis exurgat. Ut igitur divinus in Urbe praefatâ cultus amplificetur, ecclesiastica floreat disciplina, boni firmentur mores, corrupti corrigantur, omnisque populus in viâ Domini, praelucente clero, feliciter progrediatur, summi et aeterni pastoris exemplo excitati, cuius illa sunt verba: *Ecce ego requiram oves meas, et visitabo eas sicut visitat pastor gregem suum*, statuimus, Deo dante, hunc peculiarem

[1] Praecepta fuit continuatio visitationis ab Alexandro VIII constit. edit. MDCXC, die IX februarii, pontif. I; et ab hoc Pontifice, in constit. ed. MDCXCIII, die XVI ianuarii, pontif. II, concessae fuere novae facultates cardinalibus visitatoribus.

agrum et gregem nostrum recognoscere, omnesque dictae Urbis tam patriarchales quam collegiatas et parochiales ecclesias, earumque capitula et personas, item monasteria, conventus et ecclesias quorumvis Ordinum tam virorum quam mulierum, hospitalia, collegia, confraternitates laicorum, montem pietatis et omnia, quocumque censentur nomine, loca pia visitare.

Committitur visitatio ordinariis ministris aliquo.

§ 2. Porro in huiusmodi operis consortium, quippe quod, tametsi per nos ipsos illud inchoare, prosequi et perficere vehementer optaremus, nihilominus, tam aliorum eorumque gravissimorum negotiorum mole quam nostrarum virium infirmitate praepediti, absque aliorum adiutorio explere posse plane diffidimus, nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon episcopos et Romanae Curiae praelatos aliquos advocabimus, ultra alios super negotiis visitationis apostolicae, ecclesiarum et locorum piorum eiusdem Urbis auctoritate apostolicâ dudum institutae deputatos, quorum consilio atque operâ in re tam salubri atque arduâ utamur.

Indictio dictae visitationis.

§. 3 Ad omnipotentis Dei itaque laudem et gloriam, sanctaeque Romanae Ecclesiae exaltationem, Urbis visitationem nostram indicimus, quam a sacrosanctâ primariâ Lateranensi ecclesiâ inchoabimus, ac subinde statuendis diebus, adiuvante Domino, prosequemur. Universos proinde et singulos per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto, monemus et obsecramus, ut, memores vocationis vestrae, tempus hoc acceptabile et promovendae animarum saluti destinatum agnoscentes, praeparetis corda vestra Domino, vitaeque ac morum emendatione, necnon bonorum operum studio visitationem nostram ita praeveniatis, ut ex eâ fructum centuplum expectare possimus.

Expositio SS. Sacramenti in quibusdam ecclesiis.

§ 4. Ceterum, qui imbecillitatis nostrae probe conscii plantare frustra ac rigare conaremur nisi laboribus nostris ope misericordiae suae adesse dignaretur qui incrementum dat Deus, suique super nos Sancti Spiritus liberali manu spargeret unctionem; idcirco, ad caelestem opem concordibus votis efficacius implorandam, volumus ut proximâ sextâ feriâ in nonnullis praefatae Urbis patriarchalibus, collegiatis et aliis praecipuis ecclesiis, per dilectum filium nostrum in eâdem Urbe vicarium in spiritualibus generalem praescribendis, sanctissimum Eucharistiae sacramentum solemni ritu in altari proponatur et quadraginta horarum oratio de more celebretur.

Indulgentia plenaria.

§ 5. Haec autem ut ferventiori spiritûs ardore maiorique fructu fiant, caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem nobis credidit Altissimus, aperire et erogare decrevimus. Omnibus itaque et singulis utriusque sexus christifidelibus Romae degentibus, qui vere poenitentes et confessi, proximâ die dominicâ, quae erit in Septuagesimâ, sacrâ communione refecti fuerint, piasque in quavis ecclesiâ ad Deum preces effuderint, ut haec nostra visitatio utilis sit Ecclesiae et animarum saluti, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concedimus et elargimur.

Conclusio.

§ 6. Agite igitur, dilecti filii, pastoralem sollicitudinem, quam paternâ charitate vobis impendimus, et huius nostrae visitationis labores orationibus sublevate, actusque vestros ita disponite, ut non in vacuum gratiam Dei recipiatis, sicque ipsi per omnia placere satagite, ut non modo fides, sed et sancta conversatio vestra annuntiari possit in universo mundo, vestrique omnium mores in faciem ecclesiarum Romanum illum

clerum ac populum ostendant, quem beatissimus princeps apostolorum Petrus in christianâ religione primus instituit, et gentium magister et doctor Paulus prae omnibus erudivit, atque ita in omnibus honorificetur Deus, ut, cum ad iudicandum venerit et scrutabitur Hierusalem in lucernis, exaltet nos in tempore visitationis ad videndum in bonitate electorum suorum, ad laetandum in laetitiâ gentis suae, ac laudetur cum haereditate suâ in perpetuas aeternitates.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI ianuarii MDCXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 11 ianuarii 1693, pontif. anno II.

---

## XLIII.

*Confirmatur decretum capituli intermedii monachorum Cisterciensium Congregationis Portugalliae de non recipiendis illegitimis et a quavis aliâ religione expulsis* [1].

**Innocentius Papa XII.**
**ad futuram rei memoriam.**

Species facti. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii abbas generalis et definitores Congregationis monachorum Portugalliae Ordinis sancti Bernardi, quod in capitulo intermedio *Iuncta* nuncupato dictae Congregationis, die VIII septembris proxime praeteriti in monasterio S. Mariae de Alcobaça eiusdem Congregationis celebrato, attente perpensis causis propter quas felicis recordationis Sixtus Papa V praedecessor noster constitutionem quamdam contra illegitimos, ne in Ordinibus regularibus reciperentur, ediderat, necnon praeviâ maturâ consideratione, factum fuit statutum seu decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « In capitulo intermedio, vulgo nuncupato *Iuncta*, sub die VIII septembris currentis anni MDCXCII celebrato in venerando monasterio S. Mariae de Alcobaça domo capitulari Congregationis monachorum Cisterciensium regni Portugalliae, statutum et definitum fuit ut infra, videlicet: « Attentis causis, quae digne moverunt sanctae memoriae Papam Sixtum V ad effectum prohibendi ne in religionibus personae illegitimae acceptarentur, eisdemque causis maturâ ponderatione in istâ *Iunctâ* consideratis, per nostrum reverendissimum patrem abbatem generalem aliosque definitores patres mandamus et praecipimus, ne ab hodie in posterum nemo in hac nostrâ Congregatione acceptetur seu recipiatur pro religioso, qui sit illegitimus, etsi quacumque qualitate aut praerogativâ praeditus, sub poenis contentis in constitutionibus ac etiam expressis in motuproprio eiusdem Summi Pontificis incipiente *Cum de omnibus ecclesiasticis ordinibus*, etc. Et proinde pro [1] renunciatis habere volunt modificationes apostolicas favore dictorum illegitimorum emanatas, et quomodolibet publicatas, itaut huic nostrae definitioni ac legi derogari et dispensari non valeat. Ac pariformiter acceptari non debeat pro novitio aliqua persona, quae expulsa fuerit aut ingressa in quamcumque aliam religionem, etsi quacumque qualitate seu praerogativâ praeditus ».

Decretum capitulare.

Confirmatio relati decreti. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, exponentes praefati statutum seu decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos

1 In Alexandri VIII const. edit. MDCLXXXIX, die 23 decembris, pontif. I, agitur de electione abbatis; et in huius Pontif. constit. ed. MDCXCIV, die 24 martii, pontif. III, de appellatione ad iudices extra religionem

1 Praeposit. *pro* nos addimus (R. T.).

exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, et constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, supradictae Congregationis monachorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII ianuarii MDCXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 12 ianuarii 1692, pontif. anno II.

---

## XLIV.

*Conceduntur cardinalibus visitationis apostolicae Urbis facultates omnes necessariae, eisque nonnulla iniunguntur*[1].

**Innocentius Papa XII,**

**Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus pro visitatione ecclesiarum et locorum piorum almae Urbis a nobis instituta specialiter deputatis.**

**Venerabiles fratres nostri, salutem et apostolicam benedictionem.**

Causae constitutionis. § 1. Cum in pastorali visitatione, quam nuper inchoavimus et Deo adiuvante prosequi intendimus, cleri nimirum Romani et omnium almae Urbis ecclesiarum, piorumque locorum et operum, vos potissimum ex sacro venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium collegio delegerimus, et nobis in eo munere adiutores assumpserimus, adeoque vestrâ operâ, in iis quae per nosmetipsos praestare non valemus diligenter inquirendis, examinandis, uti cupimus: idcirco, ut vestrum eâ in re ministerium plus

1 Vide const. XLII et seqq. constit.

habeat auctoritatis et firmitatis, uberioremque ad cultus divini propagationem ac animarum salutem Deique gloriam pariat fructum, providere volentes, vobis et vestrum cuilibet, circa visitationem ipsam, eâque durante, mandata quaecumque, etiam vivae vocis oraculo, per vos a nobis accepta, illis ad quos ea res pertinet deferendi, et oretenus per nos ordinata mandandi (quibus relationi ac mandatis vestris et cuiuslibet vestrum de ordine nostro factis huiusmodi plenam et indubiam fidem ab omnibus adhiberi atque firmiter obtemperari tamquam mandatis nostris apostolicis volumus et iubemus); mandata quoque et praecepta quaecumque necessaria et opportuna, illis in rebus quae visitationis huiusmodi praeparationem, statum, progressum et executionem concernunt, decernendi, faciendi atque exequi iubendi; personas quasque tam ecclesiasticas saeculares et cuiusvis Ordinis, etiam Cisterciensis ac sancti Antonii Viennensis, necnon congregationis, societatis, etiam Iesu, ac instituti, necnon militiarum, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, regulares, quam etiam laicas, pro rebus et negotiis ad visitationem huiusmodi pertinentibus, ad vos vocandi et ad personaliter coram vobis comparendum citandi opportunisque iuris et facti remediis compellendi; similes item personas quascumque, et tamquam principales et tamquam testes, seu tamquam principales quoad se, et tamquam testes quoad alios, examinandi, et ut veritati testimonium perhibeant admonendi ac etiam cogendi, iuramenta eis deferendi et ab eis exigendi et recipiendi ad sacrorum canonum praescriptum, ac recusantes per censuras ecclesiasticas aliasque poenas etiam corporales vobis benevisas compescendi; memorialia etiam nobis inscripta et directa, atque instructiones, relationes, delationes, querelas etiam secretas contra quascumque personas accipiendi et nobis referendi, seu aliàs, prout rerum et personarum qualitas requiret, iuxta ordinationes nostras ex auctoritate vobis traditâ providendi; congregationes aliquarum personarum, quae vobis in consilium super praemissis adhibendae videbuntur, faciendi, et illas easdem personas auctoritate nostrâ vocandi, et cum eis de negociis visitationis huiusmodi tractandi, consultandi et deliberandi; quotiescumque etiam vobis videbitur, ac etiam seorsum a nobis, et iteratis vicibus, quarumvis dictae Urbis seu extra illam, intra tamen illius districtum, consistentium patriarchalium, collegiatarum seu aliarum ecclesiarum, etiam S. R. E. cardinalibus ratione tituli aut denominationis sui cardinalatus et aliàs quomodolibet vel ex quavis causâ subiectarum, seu cuiusvis cappellae vel oratorii, necnon monasteriorum tam virorum quam mulierum, prioratuum, domorum et locorum saecularium, seu cuiuslibet Ordinis, etiam Mendicantium, ac etiam Cisterciensium et sancti Antonii Viennensis, necnon congregationis, societatis, etiam Iesu, ac instituti et militiae, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, etiamsi illorum capita existant, regularium, et hospitalium etiam nationalium et Sancti Spiritus in Saxiâ, ac etiam exemptorum nobisque et Apostolicae Sedis immediate subiectorum, et generaliter quorumcumque locorum et operum piorum quomodolibet nuncupatorum, et quocumque privilegio, exemptione et immunitate suffultorum, eorumque capitulorum, conventuum, universitatum, collegiorum, congregationum, confraternitatum, archiconfraternitatum etiam laicorum, etiam nullo alio speciali nostro expectato ordine vel mandato aut etiam requisito consensu vel licentiâ, visita-

tionem faciendi, ac illa et quaelibet illorum visitandi, et in illorum statum, formam, regulas, instituta, regimen, statuta, consuetudines, vitamque, ritus, mores, disciplinam, doctrinam et idoneitatem singularum personarum, coniunctim vel divisim, et tam in capite quam in membris, necnon circa divinum cultum, religiosam functionem, ecclesiarum decorem, fructuum et introituum dispositionem, regularem religiosorum tam virorum quam mulierum observantiam, aliaque omnia et singula ad actum huiusmodi visitationis quomodocumque spectantia, diligenter inquirendi, et ad hunc effectum quaecumque illorum archivia, bibliothecas et quaecumque in illis continentur documenta et instrumenta authentica, scripturas, libros, rationem dati et accepti, computa et ratiocinia perlustrandi, inspiciendi, perscrutandi, praesertim vero SS. Eucharistiae sacramentum et sacras reliquias, et, quibus ipsum augustissimum Sacramentum ac sacrae reliquiae et res ad alia ecclesiastica sacramenta pertinentes continentur, sacra vasa, pyxides, thecas, tabernacula, necnon indumenta, ornamenta et instrumenta, utensilia et supellectilem ecclesiasticam, etiam pretiosam, diligenter et accurate inspiciendi, et ad praedicta exhibendum quascumque personas cogendi et compellendi; ac in praemissis omnibus et singulis, quaecumque[1] correctione, emendatione et reformatione indigere cognoveritis, corrigendi, emendandi et reformandi, processusque necessarios desuper faciendi et nobis referendi, seu iuxta ordinationes nostras in his opportune providendi, mandata, decreta, statuta et ordinationes, executioni demandandi, ac custodiri et observari praecipiendi, demumque omnia alia et singula quae huiusmodi visitationis negocium, ulteriorem progressum, executionem, et in ea facta et facienda mandata, decreta, statuta et ordinationes concernunt et concernent, seu ad ea quomodolibet spectant et spectabunt, faciendi, gerendi, exequendi, mandandi et ordinandi; contradictoresque et vobis in praemissis inobedientes et rebelles, eisque auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quomodolibet praestantes, per suspensionis ac etiam privationis beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum ac per censuras et poenas ecclesiasticas et temporales, etiam mancipationis carceri, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendi, auxiliumque brachii saecularis, si opus fuerit, invocandi, plenam, liberam, amplam et universam tribuimus potestatem. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit, quacumque dignitate, auctoritate, potestate et praeeminentiâ fulgentibus, ut vobis et cuilibet vestrum in praemissis omnibus et singulis prompte pareant et obediant, alioquin sententias, sive poenas, quas rite tuleritis seu statueritis in rebelles, ratas habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Ordo servandus in visitatione nihil officiat iuri p[r]imatus.

§ 2. Ceterum in visitatione huiusmodi ordinem praecedentiae inter ecclesias, monasteria et loca quaecumque per vos visitanda, quantum commode fieri poterit, servari volumus; nulli tamen ecclesiae, monasterio vel loco, nec ulli capitulo, collegio, conventui, confraternitati aut personae, tam coniunctim quam divisim, seu aliàs quomodolibet, eiusdem visitationis sive ordinis huiusmodi in illâ servati vel non servati occasione, in aliquo etiam minimo quoad praecedentiam aliasque praerogativas quascumque prae-

1 Edit. Main. legit *quacumque* (R. T.).

iudicari, aut cuiquam novi iuris acquiri decernimus et declaramus.

Commendantur visitatoribus pauperes praesertim infirmi, quibus conceditur benedictio apostolica et indulgentia plenaria, necnon eleemosyna.

§ 3. Praeterea cupientes in praedictâ nostrâ pastorali visitatione animarum saluti, quantum in nobis est, prodesse, ac etiam corporales Christi pauperum pariterque infirmorum indigentias paternâ charitate sublevare, circumspectioni vestrae et vestrum cuilibet praesentium serie mandamus, ut coniunctim vel divisim parochias ecclesiarum diligenter perlustrare et perquirere studeatis, atque earum pauperes infirmos graviter decumbentes singulos nostro nomine visitetis, apostolicam et nostram eis benedictionem, ut moris est, semel impartiamini, eosque paternis monitis et salutaribus consolationibus recreetis, hortantes ipsos ut in humilitate et patientiâ propter Deum corporis infirmitatem et dolores sustineant, et ad parendum divinae voluntati, quandocumque ei placuerit ipsos ex hoc saeculo revocare, se pie et christiane praeparent, sinceroque corde ad Deum conversi humiliter ab eo suorum peccatorum veniam petant, atque omnia ecclesiastica sacramenta, quibus christifideles ex hac vitâ migraturi se praemunire solent et debent, devote et reverenter suscipiant. Nos enim eorum singulis, ante vel post vestram visitationem, ut praemittitur, poenitentibus, confessis et SS. Eucharistiae sacramento refectis, semel plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem elargimur. Volumus autem ut eo interim vobiscum adducatis dilectum filium nostrum et palatii apostolici eleemosynarium, qui prout cuiuscumque eorumdem pauperum egestas et personarum conditio postulaverit, etiam oblatis nostrâ impensâ charitatis subsidiis, pecuniis, cibis, potu, pharmacis, vestibus, medicorum ope, ceterisque ad victum seu ad recuperandam valetudinem necessariis, temporalibus, quibus nunc urgentur, eorum necessitatibus succurrat.

Clausulae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, et ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium, Ordinum, congregationum, societatis, militiarum, etiam dicti hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, archiconfraternitatum, confraternitatum, et aliorum locorum et operum piorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac stylo curiae, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et litteris apostolicis, praemissis et cuivis[1] illorum, ac superioribus et personis eorum quomodolibet nuncupatis et qualificatis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis etiam irritantibus, in genere vel in specie, etiam motuproprio vel ad imperatoris, regum, reginarum, rerum publicarum et principum quorumlibet preces et instantiam, seu eorum contemplatione et intuitu, ac etiam consistorialiter et aliàs quomodocumque et quandocumque concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter

1 Edit. Main. legit *cuiusvis* (R. T.).

expressis, insertis et servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse ac plenissime derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI ianuarii MDCXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 16 ianuarii 1693, pontif. anno II.

---

## XLV.

*Conceditur cardinalibus visitationis apostolicae Urbis facultas exercendi pontificalia in omnibus ecclesiis*[1].

**Innocentius Papa XII,**

**Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus pro visitatione ecclesiarum locorum piorum almae Urbis a nobis institutâ specialiter deputatis.**

**Venerabiles fratres nostri, salutem et apostolicam benedictionem.**

Causa concessionis. Officii nostri est pastoralia munera, quae, divinâ favente clementiâ, administranda suscepimus, ea prompto hilarique animo prosequi; eos vero, quos in eisdem pastoralibus muneribus prosequendis assumpsimus et deputavimus, nostrae item mentis est opportunis facultatibus adhuc munire, ut, illis suffulti, incumbentia onera melius subire, et incoeptum opus perficere quamprimum valeant.

Concessio praedictae facultatis. § 1. Cum itaque occasione visitationis nostrae apostolicae, quam[2] in universae almae Urbis eiusque districtùs ecclesiis, monasteriis, locisque sacris et piis nuper indiximus, et per nosmetipsos obire coepimus, non raro comperiri possit, necesse esse in aliquibus ex ecclesiis huiusmodi altaria consecrari, campanas et ornamenta indumentaque ecclesiastica benedici, sacramenta ministrari, et alia pontificalia munera exerceri: illis ex vobis in eâdem visitatione adiutoribus per nos assumptis, qui consecrationis episcopalis munus susceperunt, et eorum cuilibet, plenam per praesentes concedimus facultatem, ut in quibuscumque, tam intra eamdem Urbem, ac prope et extra illius muros, quam etiam intra eiusdem Urbis districtum sitis ecclesiis, etiam patriarchalibus, necnon monasteriis, prioratibus et domibus saecularibus, seu cuiuscumque Ordinis Mendicantium vel non Mendicantium, militiae, congregationis, aut instituti, regularibus, tam virorum quam mulierum, atque hospitalibus et oratoriis, sacellis, coemeteriis, locisque piis ac religiosis, tam exemptis nobisque et Apostolicae Sedi immediate subiectis, quam etiam exemptis et quibusvis etiam S. R. E. cardinalibus ratione tituli aut denominationis seu cardinalatus aut aliàs quomodolibet et ex quavis causâ subiectis, altaria ac ipsasmet ecclesias consecrare, aut illa vel easdem ecclesias aut illis annexa reconciliare, seu etiam coemeteria, campanas, calices, patenas, cruces, indumenta et ornamenta ecclesiastica quaecumque, et aquam, ut moris est, benedicere, sacramentum confirmationis, quod ex ritu in visitatione ministrari consuevit, quibus, ubi, quando et quoties illis seu cuilibet eorum expedire videbitur, ministrare, sacrosanctum quoque missae sacrificium, necnon vesperas et quaecumque alia divina officia solemni et pontificali ritu in ecclesiis et locis, in quibus illi id ad maiorem animarum consolationem, spiritualemque profectum, et ad ipsam etiam, quam intendimus, reformationem inducendum pertinere iudicaverint, celebrare et decantare, verbi Dei praedi-

1 Vide constit. praeced. et seqq.

2 Edit. Main. legit *etiam* pro *quam* (R. T.).

cationes et conciones ad Dei amorem et timorem in cordibus fidelium excitandum et accendendum publice ad clerum et populum, seu aliàs privatim, prout occasio et necessitas postulabit, habere, aliaque omnia et quaecumque munia pontificalia, etiam quae notam aut expressionem requirerent magis specialem, et sub generali huiusmodi concessione non comprehenderentur, etiam erga personas alioquin habiles et idoneas, exercere, etiam nullo alio a nobis expectato aut requisito mandato, libere et licite valeant.

Clausulae. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in conciliis etiam generalibus editis, dictarumque ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum, congregationum, militiarum, hospitalium aut domorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI ianuarii MDCXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 16 ianuarii 1693, pontif. anno II.

## XLVI.

*Conceditur cardinalibus visitationis apostolicae Urbis facultas terminandi quascumque causas tam civiles quam criminales*[1].

**Innocentius Papa XII,**

**Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus pro visitatione ecclesiarum et locorum piorum almae Urbis a nobis institutâ specialiter deputatis.**

**Venerabiles fratres nostri, salutem et apostolicam benedictionem.**

Concessio ut in rubrica. Quoniam in prosequendo munere visitationis ecclesiarum et piorum locorum huius almae Urbis nostrae, ad quod vos specialiter ex sacro venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Collegio delegimus, facile contingere poterit ut aliqua negotia criminalia pertractanda sint: nos, conscientiarum ac status vestrorum securitati opportune providere volentes, vobis et cuilibet vestrum, ut tam coniunctim quam divisim, durante huiusmodi visitatione, et illius occasione dumtaxat, quascumque querelas, accusationes, denunciationes contra quascumque personas, tam ecclesiasticas, saeculares vel regulares, quam laicas, cuiuscumque status, gradus, dignitatis et praeminentiae existentes, recipere et audire, causasque exinde aut aliàs quomodolibet ex dictâ visitatione, vel illius causâ emergentes, tam ecclesiasticas quam profanas, ac tam civiles quam criminales et mixtas, sive ad procuratoris fisci, sive ad aliorum quorumcumque instantiam, aut ex officio audire, cognoscere, quandoque nobis referre et nobiscum communicare, ac iuxta mandata nostra, seu aliàs prout iustitia suaserit et ordo dictaverit rationis, illas decidere et terminare, aliàsque in illis vos immiscere sine aliquo conscientiae scrupulo, aut censurarum ecclesiasticarum vel etiam irregularitatis incursu, etiamsi inde sanguinis effusio, membrorumque mutilatio, aut etiam ultimi supplicii poena infligenda venerit, dummodo vos ipsi a sententiâ sanguinis per vos ipsos ferendâ abstineatis, libere et licite valeatis, licentiam concedimus et indulgemus; utque liberius ab omnibus denunciationes, querelae et accusationes, ac causae quaecumque ad dictam visitationem pertinentes

[1] Vide constit. praeced. et seqq.

deferri possint, omnibus similiter et singulis personis tam laicis quam clericis, etiam in sacris et presbyteratus ordinibus constitutis, saecularibus, et quorumvis Ordinum, congregationum et instituti regularibus, quavis etiam episcopali vel maiori ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate vel praeeminentiâ fulgentibus, qui in actu eiusdem visitationis, seu aliâs illius occasione, aliquid, quod ad praedictas causas pertineat, per viam denunciationis, querelae vel accusationis, palam vel occulte, sponte vel ad aliorum etiam procuratoris fisci instantiam, in iudicio vel extra iudicium revelaverint, aut in praemissis testimonium dixerint, vel aliquid propterea scripserint, subscripserint, indicaverint, dictaverint, detulerint, interrogaverint, vel interrogati responderint, vel, ad reos defendendos, convincendos, capiendos, custodiendos, puniendos, indicia, votum, consilium, auxilium vel favorem per se vel alium directe vel indirecte praestiterint, sive tamquam iudices ordinarii vel delegati, custodes, scribae, testes, tabelliones, consultores, procuratores, advocati, seu aliâs se in praemissis quomodolibet ingesserint, ut nullam propterea poenam vel censuram ecclesiasticam aut irregularitatis notam incurrant, concedimus pariter et indulgemus.

Non obstantibus generalis concilii atque aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac cuiuscumque Ordinis et monasterii, atque ecclesiarum et aliorum piorum locorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI ianuarii MDCXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 16 ianuarii 1693, pontif. anno II.

## XLVII.

*Conceditur cardinalibus visitationis apostolicae Urbis facultas ad se avocandi causas pendentes, et transferendi missas ab altaribus*[1].

**Innocentius Papa XII,**

**Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus pro visitatione ecclesiarum et locorum piorum almae Urbis a nobis institutâ specialiter deputatis.**

**Venerabiles fratres nostri, salutem et apostolicam benedictionem.**

Ut in prosequendo visitationis ecclesiarum et piorum locorum almae Urbis nostrae munere, ad quod vos specialiter ex sacro venerabilium fratrum nostrorum sacrae Romanae Ecclesiae cardinalium collegio delegimus, causae occurrentes, omni qua fieri potest celeritate, iustitiâ mediante, terminentur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ nostrâ, vobis, ultra alias facultates per diversas nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras vobis attributas, ut omnes et singulas causas occasione visitationis huiusmodi coram quibuscumque iudicibus tam ordinariis quam delegatis pendentes, et etiam instructas, in statu et terminis in quibus reperiuntur, cum omnibus et singulis eorum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali, ad vos auctoritate nostrâ avocare, illasque summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, et manu regiâ, audire, cognoscere, et fine debito, prout iuris fuerit, terminare; praeterea, ubi contigerit alicui altari etiam pro defunctis privilegiato, seu capellae, tam magnum missarum ce- Concessio, ut in rubricâ.

[1] Vide constit. praecedentes, et constit. ed. MDCXCIII, die 11 februarii, pontif. II.

lebrandarum numerum ex variis defunctorum legatis impositum esse, ut singulis diebus praescriptis nequeat illis satisfieri, quidquid magis ad Dei honorem, ecclesiarum utilitatem, salutemque animarum eorum, qui legata pia reliquerunt, etiam per translationem partis missarum huiusmodi ad aliud altare seu altaria etiam non privilegiata, videritis expedire, re tamen diligenter perspectâ, statuere et ordinare, ut in eisdem altaribus commodius ac plenius piae defunctorum voluntati satisfiat, ita quod missae ad altaria huiusmodi, ad quae illarum celebrationem transtuleritis, celebratae, illis, pro quibus celebrabuntur, perinde suffragentur, ac si ad altaria privilegiata, seu aliàs iuxta eorumdem defunctorum voluntates celebratae fuissent; ceteraque omnia et singula in praemissis, et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna, etiamsi talia sint vel fuerint quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem, facere, dicere, gerere, et exequi libere et licite possitis et valeatis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, plenam et amplam facultatem concedimus et impartimur.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictorum defunctorum etiam ultimis voluntatibus, quas, quoad praemissa, sufficienter et expresse commutamus, necnon nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI ianuarii MDCXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 16 ianuarii 1693, pontif. anno II.

## XLVIII.

*Statuitur ut officia et loca montium vacabilia Romanae Curiae non vacent per assumptionem ad cardinalatum*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium a causis nonnullarum constitutionum huic similium petitum.

Ex quo humilitatem nostram in sublimi Sedis Apostolicae speculo, nullo meritorum nostrorum suffragio, collocavit Altissimus, nihil profecto (quantum divina bonitas dedit) praetermittere conati fuimus, quo Romanae huius Curiae, quam prae ceteris ordinatissimam esse decet, decoram undique faciem, ac pulcherrimâ integritatis laude perfulgentem sine rugâ et sine maculâ omnium oculis exhiberemus, praecipue vero quamcumque ab eâ cupiditatis, quae radix omnium malorum est, suspicionem pro viribus tolleremus, ut ita ii, qui ex adverso sunt, vereantur, nihil habentes malum dicere de nobis. Hoc sane consilio per nostram nuper editam constitutionem, carnis et sanguinis laqueos abrumpere satagentes, salutarem praescripsimus modum circa donationes et distributionem reddituum ecclesiasticorum in consanguineos vel affines Romani Pontificis pro tempore existentis inviolabiliter observandum[2]. Eodem subinde animo, tametsi probe sciremus falso non minus quam iniuste eiusdem Curiae detractores conqueri de causarum curiae Camerae nostrae Apostolicae auditoratus ac dictae Camerae thesaurariatus generalium necnon clericatuum et praesidentatus respective offi-

1 Idem fuit Pontificis scopus in hac, ac in constititutione editâ MDCXCII, die 23 octobris, pontif. II, contra venalitatem officiorum Camerae. Nec admodum diversae speciei extat constit. edit. MDCXCIX, die 30 ianuarii, pontif. IX, super datis et promissis pro iustitiâ vel gratiâ.

2 Vide supra pag. 441 et seq. (R. T.).

ciorum venalitate (ac si nimirum pretium, quo aliàs praefata officia vendebantur, spei cuiusdam ad altiores Ecclesiae gradus ascendendi merces esset, iique propterea pecuniae potius quam virtutis intuitu tribui viderentur; cum tamen revera pretium huiusmodi nonnisi pinguium proventuum, qui ex officiis praedictis percipiebantur, compensatio foret, neque id unquam impedimento fuerit, quemadmodum experientiâ compertum est, quin[1] ii, qui eorum eximiis ita exigentibus meritis a memoratis officiis ad sublimiores evecti sunt dignitates, undequaque laudatissimi ac veri catholicae Ecclesiae cardines extiterint), nihilominus, ut omnis iniquitas oppilaret os suum, ac ne viri alioquin digni, solvendo tamen pretio dictorum officiorum impares, ab iis assequendis in posterum arcerentur, per aliam similem nostram desuper editam constitutionem eorumdem officiorum venalitatem perpetuo suppressimus, extinximus et abolevimus[2].

Statuit ut in rubricâ.

§ 2. Verum, cum non omnia uno eodemque tempore excogitari nedum perfici potuerint, et plura adhuc remaneant ultra praedicta in eâdem Romanâ Curiâ diversorum generum officia venalia, quae, sive vigore quorumdam decretorum a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris in consistorio editorum ac etiam nonnullarum litterarum apostolicarum desuper editarum, sive aliâ forsan ratione, per assumptionem illa obtinentium ad cardinalatus honorem vacare consueverunt, indeque nonnullis aliqua etiamnum de amplissimâ ecclesiasticâ dignitate lucrum capiendi occasio superesse videatur: dignam profecto pastorali munere nostro, quo non ea, quae mundi sunt, sed animarum lucra inquirere admonemur, rem facturi existimamus, si in his quoque apostolicae nostrae sollicitudinis partes interponamus. Quamvis enim certissimum sit, atque omnibus exploratum, longe iniquiores hac in re querelas illorum esse, quorum os maledictione et amaritudine plenum est, et quisque prudens rerum aestimator facile agnoscat, nonnisi emolumentorum ex officiis secundodictis provenientium causâ illorum pretium solvi, nullâ prorsus excelsioris acquirendi gradus habitâ ratione, cum praesertim pleraque ex eiusmodi officiis a laicis coniugatis, infantibus, imo etiam mulieribus obtineri dignoscantur, tantumque absit quod Romani Pontifices pro tempore existentes in S. R. E. cardinalium promotionibus quidquam de his officiis cogitare consueverint, ut potius non raro acciderit, illos, an promoti per eos officia huiusmodi obtinerent, prorsus ignorasse; nos tamen temporale quodcumque commodum, quod ex eorumdem cardinalium creationibus quomodolibet etiam indirecte ac praeter intentionem nobis aut successoribus nostris Romanis Pontificibus provenire posset, penitus removere, atque ita omnem vel nimiam suspicandi occasionem eliminare volentes, ne nos aut iidem successores nostri in tam sublimis muneris amplitudine conferendâ aliquorum egregiae virtutis et insignium meritorum intuitu ducamur, necnon ulterius considerantes, admodum aequum esse ut ad tanti honoris fastigium evecti, quos pro statu suo iuxta gradus celsitudinem decenter sustinendo maiorum expensarum onera subire oportet, praefatorum officiorum vacatione patrimonii sui detrimentum minime patiantur: motu proprio, non ad cuiusquam nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ delibe-

1 Edit. Main. legit *quia* pro *quin* (R. T.).
2 Vide supra pag. 473 (R. T.).

ratione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, nulla de cetero officia et loca montium vacabilia Romanae Curiae, tam hactenus erecta quam in posterum forsan erigenda, cuiuscumque speciei, naturae, qualitatis et quantitatis existentia, et quocumque nomine nuncupata, etiamsi praelatitia, aut aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digna sint, per promotionem de personis illa obtinentium ad cardinalatus honorem a nobis seu Romanis Pontificibus successoribus nostris quandocumque faciendam vacare, sed ea, sicut praemittitur, obtinentes, si officia quidem et loca huiusmodi talia sint quae per cardinales obtineri nequeant, illa, ut prius, dimittere et resignare; si vero talia sint quae per cardinales obtineri possint, illa unà cum eâdem cardinalatus dignitate, ut prius, retinere, ac omnibus et singulis praerogativis, praeeminentiis, facultatibus, honoribus, emolumentis, ceterisque iuribus solitis et consuetis eis ratione eorumdem officiorum et locorum quomodolibet competentibus et competituris uti, frui et gaudere, absque aliâ novâ declaratione, indulto, seu dispositione nostrâ aut eorumdem Romanorum Pontificum successorum nostrorum desuper faciendâ, neque ipsos, aut ab eis causam habentes quoscumque, pro officiis, locis praedictis, eorumque emolumentis perceptis et in futurum percipiendis, a Camerâ nostrâ Apostolicâ seu quovis alio molestari quovis colore aut causâ ullo unquam tempore posse aut debere, tenore praesentium perpetuo statuimus et ordinamus.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis ius vel interesse principaliter vel secundario et aliàs quovis modo habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad illa vocati, citati et auditi, seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, iuridicâ et rationabili, ac etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, causâ, occasione, colore, ingenio, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae et interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam maximo, essentiali ac incogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalidari, annullari, retractari, rescindi, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi semper et perpetuo firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. camerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Camerae praesidentes clericos, et alios officiales et ministros, ceterosque quoslibet quavis auctoritate et po-

testate fungentes et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, etiam illâ de iure quaesito non tollendo, necnon felicis recordationis Symmachi, Pauli II, Pauli IV, necnon aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae et Camerae praedictae non alienandis, et male alienatis recuperandis, et illis[1] non obligandis, necnon recolendae memoriae Pii Papae IV praedecessoris pariter nostri de gratiis, qualecumque interesse Camerae praedictae concernentibus, in eâdem Camerâ eiusque libris intra certum tunc expressum tempus praesentandis, insinuandis et registrandis, itaut praesentes letteras ibidem praesentari, vel insinuari, aut registrari nunquam necesse sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Camerae, aliisve quibuslibet, statutis, regulis, usibus, stylis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, seu quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Camerae, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et approbatis, ac pluries et quantiscumque vicibus innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter ac exactissime et accuratissime expressis, insertis, servatis et specificatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse ac plenissime et amplissime derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I februarii MDCXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die I februarii 1693, pontif. an. II.

---

XLIX.

*Deputatur iudex causarum et exequutor decretorum visitationis apostolicae, qui dependeat a voto visitatorum*[1].

**Vener. fratri Sperello episc. Interamnensi, Innocentius Papa XII.**

[1] Edit. Main. legit *illas* pro *illis* (R. T.).

[1] Vide sup. constit. ed. MDCXCIII die 16 ianuarii, et infra constit. ed. MDCXCIII, die 11 februarii.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Deputatio, indictis, ut in rubrica.

§ 1. Ut ea, quae in visitatione ecclesiarum almae Urbis nostrae a nobis, seu S. R. E. cardinalibus in adiutores visitationis huiusmodi per nos specialiter assumptis, salubriter decreta erunt, debitae executioni quamprimum demandentur, et controversiae, illius occasione, praesertim inter personas ecclesiasticas, quas litium dispendiis a Dei servitio avocari minime decet, ad nostram audientiam deducendae, quantocius terminentur, te, de cuius probitate et doctrinâ plurimum in Domino confidimus, iudicem causarum et executorem decretorum visitationis praefatae, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, constituimus et deputamus; dantes tibi plenam et liberam facultatem, quae a nobis et cardinalibus praedictis in eâdem visitatione decreta, statuta et ordinata erunt, exequi et observari faciendi, contra inobedientes et negligentes, necnon cuiuscumque criminis occasione dictae visitationis detectos reos et delinquentes, eorumque complices et fautores, cuiuscumque status, dignitatis, ordinis et conditionis fuerint, per viam accusationis, querelae vel denunciationis, etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, inquirendi et procedendi, reosque, prout canonicae requirunt sanctiones, et aliàs nostro seu eorumdem cardinalium arbitrio puniendi; ac tam super praemissis quam etiam alias quascumque in eâdem visitatione, aut etiam antea, per nos tamen tibi etiam absque speciali commissione committendas causas ecclesiasticas, vel profanas, civiles, criminales, aut mixtas inter capitula, conventus, collegia, universitates, confraternitates, archiconfraternitates, eorumque superiores, ac singulares personas ecclesiasticas saeculares, vel cuiusvis Ordinis, etiam Mendicantium, regulares, etiam exemptas, et quovis privilegio vel immunitate suffultas, etiam nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectas, seu etiam inter laicos motas et movendas, cum earum omnibus incidentibus, emergentibus, annexis et connexis, etiam summarie et simpliciter et de plano, et aliàs prout praefertur, terminis substantialibus unico contextu vel etiam non servatis, sed illorum loco praefixo termino arbitrio tuo, et de eiusdem visitationis mandato, procedendi, audiendi, ac fine debito terminandi, et ad hunc, ceterorumque contingentium effectum, quoscumque, etiam per edictum publicum, constito summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu, citandi et monendi, eisque, ac quibusvis iudicibus et ceteris personis, quibus et quoties opus fuerit, etiam per simile edictum, ac etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, necnon pecuniis tuo arbitrio moderandis et ampliandis, inhibendi; contra inobedientes quoscumque censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, auxiliumque brachii saecularis invocandi, mandata, prohibitiones, inhibitiones et monitoria, etiam sub censuris et aliis poenis praedictis, ceterisque tibi benevisis remediis, omni et quacumque appellatione postpositâ, decernendi, omniaque in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, mandandi et exequendi, etiam quae expressionem requirerent magis specialem, et sub generali concessione non venirent, dummodo inconsultis nobis aut cardinalibus praefatis, et nisi de eorum voto in aliquo praemissorum non procedas, nec sententiam feras, aut quicquam exequaris, nec te in aliquo immisceas.

Clausulae.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus

et ordinationibus apostolicis, ac quarumcumque etiam patriarchalium ecclesiarum, monasteriorum, domorum et Ordinum, confraternitatum, archiconfraternitatum, congregationum et hospitalium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII februarii MDCXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 7 februarii 1693, pontif. anno II.

## L.

*Conceditur visitatoribus et iudici visitationis apostolicae Urbis facultas adhibendi fidem simplici indicationi scripturarum, ac dicto iudici procedendi voto visitatorum* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**Ad futuram rei memoriam.**

Referuntur facultates concessae Congregationi et iudici visitationis.

§ 1. Aliàs nos nonnullos ex venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium collegio adiutores in munere pastoralis visitationis nostrae ecclesiarum et locorum ac operum piorum huius almae Urbis assumpsimus, ac illis inter alia facultatem faciendi in praemissis processus necessarios, aliaque omnia et singula, quae huiusmodi visitationis negotium, ulteriorem progressum, executionem et in eâ facta et facienda mandata, decreta, statuta et ordinationes concernunt et concernent, seu ad ea quomodolibet spectant et spectabunt, faciendi, gerendi, exequendi, mandandi et ordinandi, necnon omnes et singulas causas occasione dictae visitationis coram quibuscumque iudicibus tam ordinariis quam delegatis pendentes, et etiam instructas, ad se auctoritate nostrâ avocandi, illasque summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, ac manu regiâ, audiendi, cognoscendi et fine debito, prout iuris foret, terminandi, concessimus; ac venerabilem fratrem Sperellum episcopum Interamnensem in iudicem causarum et executorem decretorum visitationis huiusmodi cum diversis facultatibus deputavimus, eâ lege ut inconsultis nobis, aut cardinalibus praedictis, et nisi de eorum voto, in aliquo non procederet, nec sententiam ferret, aut quicquam exequeretur, nec se in aliquo immisceret, et aliàs prout in diversis nostris iñ simili formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, uberius continetur.

Concessio de qua in rubricâ.

§ 2. Nunc autem, celeriori causarum praedictarum expeditioni et partium dispendiis, quantum cum Domino possumus, opportune providere cupientes, motuproprio, ac ex certâ scientiâ nostrâ, ut tam Congregatio dictorum cardinalium per nos assumptorum, quam idem Sperellus episcopus iudex et executor, ut praefertur, deputatus, in omnibus litibus et causis, quae coram ipsis respective in vim facultatum eis respective per litteras praedictas attributarum for-

1 Vide const. praecedentem; et Clementis XI constit. editam die 14 ianuari, MDCCI, pontif. I, qua instituitur nova visitatio apostolica Urbis.

san motae sunt et in futurum movebuntur inter quascumque personas, tam ecclesiasticas quam laicas, seu ecclesiarum piorumque locorum et operum huiusmodi oeconomos, ministros et officiales executores seu procuratores, quocumque nomine censeantur, pro et contra, simplici et nudae scripturarum ac iurium in tribunalibus seu archiviis aut notariorum officiis eiusdem Urbis existentium indicationi, eorumque notis ac privatis copiis stare, et illis, ad probationem, eamdem fidem in iudicio adhibere possint, quam adhiberent si illa in formâ publicâ et authenticâ forent transumpta, aut aliàs originaliter exhibita, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus, statuimus et ordinamus. Necnon eidem Sperello episcopo, iudici et executori, ut, etiam inconsultis nobis seu cardinalibus praefatis et absque eorum voto, in causis supradictis, usque ad sententiam definitivam aut decretum vim definitivae habens exclusive, servatâ in ceteris formâ et dispositione dictarum litterarum super eius deputatione huiusmodi emanatarum, procedere libere et licite valeat, facultatem tribuimus et impartimur.

Clausulae. § 3. Non obstantibus quoad ea, quae praesentibus quomodolibet adversantur, praefatis nostris litteris, ac omnibus et singulis illis, quae in eis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI februarii MDCXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 11 februarii 1693, pontif. anno II.

---

## LI.

*Confirmatur concordia super exercitio iurisdictionum in quibusdam terris, cum separatione territoriorum inter episcopum Aquilanensem et monachos Caelestinos.*

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Causa concordiae. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt venerabilis frater modernus episcopus Aquilanensis ac dilectus filius procurator generalis Congregationis monachorum Ordinis sancti Benedicti Caelestinorum nuncupatorum, quod ipse episcopus et dilecti filii abbas generalis et monachi dictae Congregationis, pro tollendâ ac penitus extinguendâ controversiâ quae super exercitio iurisdictionis spiritualis in terris S. Pii, Caporciani, necnon S. Benedicti in Perillis, usque ab anno MDXXX inter tunc existentes episcopum[1] Aquilanensem ex unâ et monachos Congregationis praedictae ex alterâ partibus exorta fuerat, et usque ad haec nostra tempora in variis instantiis coram diversis iudicibus agitata perduraverat, ad infrascriptam, reservato tamen desuper nostro et huius sanctae Sedis beneplacito, devenerunt concordiam: ut scilicet abbas et monachi praedicti omnem et quamcumque iurisdictionem spiritualem in supradictis terris S. Pii et Caporciani eidem episcopo cedant; e contra vero omnimoda iurisdictio spiritualis huiusmodi in praedictâ terrâ S. Benedicti de Perillis dictis monachis remaneat, itaut pro tempore existens abbas monasterii de Collemadio dictae Congregationis omnimodam inibi et plenariam iurisdictionem ordinariam quasi episcopalem, et tamquam in statu nullius dioecesis et separato territorio existens, habere debeat, absque eo quod dictus episcopus aut successores ullo unquam tempore iurisdictionem ordinariam vel delegatam in ipsâ terrâ S. Benedicti de Pe-

1 Edit. Main. legit *episcoporum* (R. T.).

rillis sibi vindicare seu praetendere possint: et aliàs, prout in publico desuper per acta successoris Antonii Felicii Petrocchi olim notarii curiae causarum Camerae Apostolicae generalis auditoris die primâ iulii proxime praeteriti celebrato instrumento uberius dicitur contineri. Quare dicti exponentes, asserentes concordiam huiusmodi ulteriores lites effugiendi studio initam fuisse, nobis humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Separatio et concessio territoriorum, ac iurisdictionum praedictarum.

§ 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio (praeviâ separatione territoriorum et iurisdictionum, qua mediante territoria castrorum seu terrarum S. Pii et Caporciani ac in illis omnimodam iurisdictionem eidem moderno ac pro tempore existenti episcopo Aquilano, castri vero seu terrae S. Benedicti in Perillis territorium et in illo omnimodam quasi episcopalem iurisdictionem monachis Congregationis supradictae, seu pro tempore existenti abbati monasterii Collismadii eiusdem Congregationis respective, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, assignamus) eamdem concordiam confectumque desuper instrumentum, cum omnibus et singulis in eo contentis, aliàs tamen licitis et honestis, auctoritate et tenore praedictis confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salvâ tamen semper in praemissis, auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Camerae Apostolicae auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus felicis recordationis Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, ecclesiae Aquilanae, monasterii et Congregationis monachorum huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specia-

liter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xv februarii MDCXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 15 februarii 1693, pontif. anno II.

---

## LII.

*Extenditur facultas confirmandi guardianos et promovendi definitores ad guardianatum pro provincià Franciae ad provinciam S. Bonaventurae fratrum S. Francisci de Observantià*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Huiusmodi facultas primo concessa fuit ab Innocentio XI provinciae Franciae.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Innocentio Papa XI praedecessori nostro pro parte tunc existentis vicarii provincialis provinciae Franciae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantià nuncupatorum, tam suo quam definitorii eiusdem provinciae nomine, iuxta capitularem resolutionem die III mai tunc proxime praeteriti factam, exposito, quod (cum iuxta Sedis Apostolicae dictique Ordinis constitutiones, quae a quindecim circiter ab inde annis suum sortitae fuerant effectum, guardiani in suis officiis ultra triennium continuare non possent nec deberent, minusque plura officia in eàdem personà combinari, dicta autem provincia ita vasta et ampla existeret ut rarus in eà esset et vix sufficeret numerus religiosorum iis qualitatibus praeditorum, qui triginta octo conventibus et duobus hospitiis, quibus provincia praedicta componebatur, digne et laudabiliter sub guardiani vel superioris titulo praeficerentur) fratres definitorii eiusdem provinciae in eorum provincialibus capitulis et congregationibus intermediis plures non quidem habiles, sed inter ceteros minus inhabiles ad guardiani officium promovere coacti fuerant; et in eàdem expositione subiuncto, quod dictus vicarius provincialis in decursu visitationum conventuum huiusmodi, quas fecerat, regularem disciplinam exinde in plerisque eorum non mediocrem perpessam fuisse iacturam, ipsamque provinciam varia eaque magna in spiritualibus et temporalibus detrimenta in dies experiri[1] animadvertisset, et, ut opportunum his incommodis remedium adhiberetur, idem vicarius provincialis fratribus definitorii dictae provinciae, ut in tunc proximo eorum capitulo provinciali guardianos, quos magis idoneos reperiissent, in suis officiis usque ad sequens provinciale capitulum absque praeiudicio suffragiorum eisdem in electionibus competentium, et perinde ac si per tres annos tantum guardiani extitissent, non solum continuare, sed etiam in uno eodemque religioso, aliàs capaci et idoneo, illa officia, ipsum[2] vacare posse iudicassent, continuare libere, licite et valide possent et valerent, a praedicto Innocentio praedecessore indulgeri[3] plurimum desiderabat: idem Innocentius praedecessor, supplicationibus dicti vicarii provincialis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, provinciali et definitoribus praedictae provinciae, quoties necessitas exigeret, confirmandi guardianos in eorum officiis ultra triennium et usque ad capitula provincialia, salvis eorum iuribus et praerogativis, necnon eligendi ad guardianatus

1 Dicta facultas provinciae Franciae extat in Innocentii XI const. ed. MDCLXXVIII, die 12 februarii; et in huius Pontificis const. ed. MDCXCIV, die 5 aprilis, pontif. III, agitur de electione procuratoris et commissarii generalis.

1 Ed. Main. legit *expediri* pro *experiri* (R. T.).

2 Forsan *cum* pro *ipsum* legendum, vel aliter corrigat lector scius (R. T.).

3 Edit. Main. legit *indulgere* (R. T.).

officium eos qui definitoriatus munere fungebantur, facultatem auctoritate apostolicâ concessit et impartitus fuit, et aliàs, prout in ipsius Innocentii praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XII februarii MDCLXXVIII expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Praedicta facultas extenditur, ut in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Franciscus le Roux minister provincialis provinciae S. Bonaventurae dicti Ordinis, in sacrâ theologiâ doctor, tam suo quam definitorii provinciae S. Bonaventurae huiusmodi nomine nobis nuper exponi fecit, in provinciâ S. Bonaventurae praefatâ eaedem prorsus rationes, imo urgentiores, militent, quandoquidem ipsa provincia S. Bonaventurae in provinciâ Franciae supradictâ amplior existit, maiorque in eâ, quam in quavis aliâ dicti Ordinis provinciâ, conventuum numerus reperitur, ac proinde dictus Franciscus minister provincialis facultatem, a memorato Innocentio praedecessore pro dictâ provinciâ Franciae sicut praemittitur concessam, ad provinciam S. Bonaventurae praefatam per nos extendi summopere desideret: nos, ipsum Franciscum ministrum provincialem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac auditâ super praemissis dilecti filii procuratoris generalis dicti Ordinis relatione, facultatem, provinciali et definitoribus provinciae Franciae supradictae, quoties necessitas exigeret, confirmandi guardianos in eorum officiis ultra triennium et usque ad capitula provincialia, salvis eorum iuribus et praerogativis, necnon eligendi ad guardianatus officium eos qui definitoriatus munere fungebantur, a praedicto Innocentio praedecessore per suas litteras praenarratas concessam ut praefertur, ad praedictam S. Bonaventurae provinciam, servatâ tamen earumdem litterarum formâ et dispositione, ac itaut, circa temporis extensionem, conscientia pro tempore existentis ministri generalis dicti Ordinis onerata intelligatur, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, extendimus et ampliamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae S. Bonaventurae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et

expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xx februarii MDCXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 februarii 1693, pontif. anno II.

---

## LIII.

*Abrogantur discreti locales pro capitulis fratrum Cappuccinorum provinciarum utriusque Castellae*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Causae similis abrogationis pro aliis religiosis dictorum regnorum.

§ 1. Nuper pro parte charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici nobis per dilectum filium nobilem virum modernum ducem de Medinacaeli, ipsius Caroli regis apud nos et Sedem Apostolicam oratorem, expositum fuit, quod tam Praedicatorum et Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quam aliorum diversorum Ordinum fratres in regnis utriusque Castellae existentes sua capitula provincialia cum interventu superiorum localium conventuum Ordinis huiusmodi, absque discretis seu sociis qui olim ab ipsis conventibus ad effectum sua suffragia ferendi in eisdem capitulis eligi consueverant, de praesenti celebrari solent. Id siquidem, praeterquam quod decretis Concilii Tridentini sub sess. xxv, cap. VI, ibi, *nec in posterum liceat provinciales aut abbates, priores aut alios quoscumque titulares ad effectum electionis faciendae constituere, etc.*, magis conforme videtur, necessarium quoque compertum est tum ad tollenda damna et incommoda, quae ex eorumdem discretorum seu sociorum electione in religiosae pacis et concordiae, quae in Ordinibus praedictis semper florere debet, praeiudicium proveniebant, tum ad impediendas relaxationes quas dependentia, quam tunc superiores a suis subditis habebant, producebat; ipsi enim superiores, ut dictos suos subditos, pro iis in discretos seu socios huiusmodi eligendis quos ad effectum se in perpetuo suarum provinciarum gubernio confovendi eligi necesse erat, benevolos haberent, regularis disciplinae conservationi, prout eorum officii erat, incumbere negligebant. Quocirca, quoties dictorum regnorum religiosi, regularis disciplinae huiusmodi tuendae zelo ducti, ad ipsius Caroli regis patrocinium pro eorumdem discretorum seu sociorum abrogatione ab hac Sanctâ Sede impetrandâ confugerunt, illud semper adfuit, donec eiusmodi gratiam consecuti fuerunt.

Causae dictae abrogationis pro Cappuccinis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Carolus rex certior factus fuerit, fratres Ordinis Minorum eiusdem sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, in regnis praefatis existentes, non modo eadem incommoda et damna quae olim religiosi aliorum Ordinum praéfatorum ex electione discretórum seu sociorum huiusmodi experti fuerant, pati, sed alia multa concurrere, propter quae fratres praedicti usum eligendi discretos seu socios praedictos in provinciis dictorum regnorum abrogare plurimum desiderant, adeoque ipsius Caroli regis zelum sollicitant ut apostolicae desuper auctoritatis nostrae partes interponi similiter curet: nobis propterea eiusdem Caroli regis nomine per memoratum ducem humiliter supplicatum fuit ut in prae-

1 Octo provinciis Germaniae concessum fuit votum in capitulis ab Innocentio XI const. ed. MDCLXXIX, die 10 ianuarii, pontif. III, et ab hoc Pontifice declarata et ampliata praesens abrogatio const. ed. MDCXCIII, die 12 septembris, pontif. III.

missis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Abrogatio praedictorum discretorum seu sociorum.

§ 3. Nos igitur, piis ipsius Caroli regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de Congregationis nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus a nobis specialiter deputatae consilio, discretos praefatos in provinciis utriusque Castellae fratrum dicti Ordinis Capuccinorum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, tollimus et removemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab[1] illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum utriusque Castellae et Ordinis Capuccinorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Praeposit. *ab* nos addimus (R. T.).

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX martii MDCXCIII, pontificatus nostri anno II.

**Dat. die 29 martii 1693, pontif. anno II.**

---

## LIV.

*Confirmatur decretum Congregationis Rituum approbans sententiam Ordinarii de cultu immemorabili beatae Ioannae, vocatae principissae, Ordinis sancti Dominici*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Sacrosancti apostolatus cura, quam inscrutabilis divinae sapientiae atque bonitatis altitudo humilitati nostrae, meritis licet et viribus longe impari, ponere dignata est, nos urget, ut piis orthodoxorum regum magno in Ecclesiam Dei meritorum fulgore conspicuorum votis, ad augendam in terris sacrarum virginum cum caelesti sponso in beatâ aeternitate regnantium, illarum praesertim quae in diebus peregrinationis suae, tametsi in rerum humanarum sub-

1 In const. ed. MDCXCII, die 8 iunii, pontif. I, extat quaedam facultas celebrandi missas die sabbati sancti; et in const. ed. MDCXCIV, die 3 augusti, pontif. III, indultum recitandi officium et missam dictae beatae Ioannae.

limitate positae essent, non sperarunt in lubrico divitiarum, sed, divini spiritus depromptum infusione apostolicum consilium secutae, cogitarunt quae sunt Domini ut essent sanctae corpore et spiritu, venerationem laudabiliter tendentibus, favorabilem assensum libentissime praebeamus.

Series facti usque ad sententiam.

§ 1. Cum itaque aliàs, videlicet die x iulii MDCLXXXVIII, Congregatio venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum processus super sanctitate et virtutibus beatae Ioannae clarae memoriae Alphonsi V, dum vixit, Portugulliae et Algarbiorum regis illustris natae, ac religiosae Ordinis sancti Dominici, cognomento sanctae principissae, die XII mai MCDXC defunctae, autoritate ordinarià confectos, examinaverit; ac, commissione introductionis causae beatificationis seu canonizationis eiusdem beatae Ioannae admissâ, eàque subinde a felicis recordationis Innocentio Papa XI praedecessore nostro signatâ, in illius executionem, vigore litterarum remissorialium et compulsorialium, alii processus in Colymbriensi, Elborensi et Ulyssiponensi civitatibus super cultu immemorabili ipsi beatae Ioannae praestito et casu excepto a decretis recolendae memoriae Urbani Papae VIII praedecesssoris pariter nostri in Congregatione sanctae Inquisitionis editis, apostolicà auctoritate fabricati fuerint; ac venerabilis frater modernus episcopus Colymbriensis, praefatae Congregationis cardinalium iudex delegatus; super eisdem cultu immemorabili, dictae beatae Ioannae cum scientià et tolerantià Ordinariorum exhibito, necnon casu, ut praefertur, excepto, sententiam protulerit[1], demum vero, ad enixas preces carissimi in Christo filii nostri Petri Portugalliae itidem et Algarbiorum regis illustris, accedentibus etiam supplicationibus venerabilium fratrum episcoporum necnon dilectorum filiorum religiosorum, senatuum, collegiorum, academiarum et universitatum regni Lusitanici, et iteratas instantias dilecti pariter filii Paulini Bernardini fratris expresse professi Ordinis Praedicatorum, in sacrà theologià magistri, causae beatificationis seu canonizationis huiusmodi postulatoris, in eàdem Congregatione cardinalium proposito dubio an sententia supradicta esset confirmanda in casu et ad effectum de quo agebatur, relatisque contentis in dictis processibus, eisque serio et diligenter discussis atque examinatis, dicta Congregatio cardinalium, audito pariter in scriptis et in voce dilecto filio promotore fidei, de cultu immemorabili constare, praedictamque sententiam confirmandam esse censuerit:

Confirmatio huius decreti.

§ 2. Hinc est quod nos, piis et devotis dicti Petri regis supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis favorabiliter annuere cupientes, decretum a memoratà cardinalium Congregatione editum, ut praefertur, quod scilicet de cultu immemorabili dictae beatae Ioannae et casu excepto a decretis praefati Urbani praedecessoris constet, apostolicà auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamem semper in praemissis actoritate praefatae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iu-

1 Edit. Main. legit *protulit* (R. T.).

dices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV aprilis MDCXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 aprilis 1693, pontif. anno II.

---

## LV (*al.* 58).

*Confirmatur decretum Congregationis particularis super reformatione indultorum canonicis et beneficiatis Urbis concessorum.*

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Causa institutionis et decretorum dictae Congregationis.

§ 1. Sanctissimus Dominus noster Innocentius Papa XII (ad cuius notitiam pervenit servitium basilicarum et collegiatarum Urbis valde diminui propter indulta concedi solita nonnullis illarum canonicis et beneficiatis quocumque nomine nuncupatis, vel ratione munerum quibus funguntur, vel causâ studii, cum exemptione ab huiusmodi servitio, et cum privilegio lucrandi fructus et distributiones etiam quotidianas, tametsi iisdem ecclesiis non inserviant) deputavit particularem Congregationem eminentissimorum dominorum cardinalium Carpinei, Marescotti, de Norfolch, Colloredi et Panciatici, necnon illustrissimorum dominorum Sperelli, Altoviti, Pallavicini et Sacripantis, qui eiusdem Congregationis secretarius sit, ad effectum examinandi eadem indulta, et proponendi illas moderationes, reformationes, revocationes et considerationes, quae desuper opportunae visae[1] fuissent.

Decreta S. Congregationis referuntur.

§ 2. Quae sane Congregatio in palatio praedicti eminentissimi Carpinei ter coacta, nimirum sub diebus XIII et XX aprilis proxime praeteriti et VII currentis mensis maii, censuit, si eidem sanctissimo domino nostro placuerit:

I. Huiusmodi indulta, quoad nuncios apostolicos, necnon intimos et eidem Sanctissimo actu inservientes familiares, ac subdatarium et Camerae Apostolicae commissarium, non esse immutanda;

II. Quoad gubernatores et vicelegatos provinciarum, civitatum et locorum Status Ecclesiastici, qui durante absentiâ nunquam possunt ecclesiis interesse, necnon procuratorem generalem montium, ac familiares sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium (firmo tamem quoad eorumdem cardinalium caudatarios remanente decreto moderatorio sacrae Congregationis eminentissimorum cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum die XIX augusti MDCXC edito), esse revocanda, et expedire quod in posterum non concedantur;

III. Indultum inserviens[2] secretariae Congregationis eminentissimorum cardinalium consultationibus negociorum ditionis temporalis eiusdem S. R. E. praepositorum concessum, esse reformandum et in posterum restringendum ad illos dies et horas dumtaxat, quibus ratione huiusmodi servitii actualiter

1 Edit. Main. legit *verae* pro *visae* (R. T.).
2 Vel *inservienti* vel *secretario* legend. (R. T.).

praestandi impeditus fuerit, eius conscientiâ desuper strictissime oneratâ;

IV. Indulta causâ studii, pro lucrandis fructibus dumtaxat, nec aliter pro lucrandis distributionibus quotidianis, esse concedenda, quam pro ecclesiis, quarum redditus consistunt vel in solis distributionibus quotidianis, vel in iisdem distributionibus unâcum aliquibus fructibus tenuis praebendae, demptâ tamen tertiâ parte, quae interessentibus accrescat; nec pariter concedenda ultra triennium, neque maioribus viginti quinque annis, quinimo, huiusmodi aetate vigintiquinque annorum exceptâ[1], eadem indulta, licet idem triennium adhuc expletum non fuerit, expirare;

V. Omnes denique habentes indulta, pro singulis diebus et horis, quibus ratione servitii in eorum muneribus seu officiis actualiter praestandi impediti fuerint, adhuc esse punctandos toties quoties ecclesiae seu choro non interfuerint; sed in qualibet hebdomadâ huiusmodi puncta posse et debere deleri seu tolli pro illis tantum diebus et horis, quibus indultarii allegaverint particularia impedimenta ratione eorum munerum, eorum conscientiâ desuper strictissime oneratâ: et circa huiusmodi impedimentorum relevantiam iudicio proprii vicarii cuiuslibet ecclesiae, in ecclesiis vero, ubi non adest huiusmodi vicarius, iudicio dignioris canonici esse deferendum.

Confirmatio praedictorum omnium. § 3. Factâ per me infrascriptum hac die VIII maii MDCXCIII relatione praedictarum resolutionum sanctissimo domino nostro, Sanctitas Sua illas[2] approbavit, et a die primâ iunii proxime venturi mandavit inviolabiliter observari, indultis tam a se quam a Romanis Pontificibus praedecessoribus suis quomodolibet concessis, et aliis contrariis quibuscumque non obstantibus, quibus pro observatione praemissorum amplissime derogavit.

Dat. die 8 maii 1693, pontif. anno II.

*Die XXIII maii MDCXCIII supradictum decretum affixum et publicatum fuit ad valvas ecclesiae S. Ioannis Lateranensis, basilicae Principis Apostolorum, et Cancellariae Apostolicae, in acie Campiflorae, ac in aliis locis solitis et consuetis Urbis, per me Franciscum Antonium Simoncellum sanctissimi domini nostri Papae cursorem.*

1 Videtur legendum *expletâ* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *illa* (R. T.).

---

## LVI (*al.* 55).

*Confirmatur erectio provinciae Hispaniae clericorum regularium Ministrantium Infirmis, cum redintegratione provinciae Bononiensis ac nonnullis ordinationibus*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium. In supremo militantis Ecclesiae solio paternam christifidelium divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus, benedicente Domino, proferre iugiter satagentium, curam gerentes, illis, quae felici illorum regimini religiosaeque tranquillitati conducere arbitramur, peculiarem pastoralis muneris nostri sollicitudinem propensâ charitate adhibemus, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, salubriter in Domino expedire conspicimus.

Referuntur antiquae divisiones provinciarum et modi eligendi praefe- § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii praefectus generalis et alii superiores Congregationis cleri-

1 Ob Innocentii XI const. ed. MDCLXXXIV, die 31 augusti, pontif. VIII, laici eligi nequeunt in consultores, neque gaudere voce activâ et passivâ, prout in huius Pontificis const. edit. MDCXCVII, die 20 augusti, pontif. VII.

etiam genera lem. eorum regularium Ministrantium Infirmis, quod dicta Congregatio diversis temporibus, pro ipsorum temporum et rerum varietate, aliis atque aliis modis et formis, semper tamen ex Sedis Apostolicae indulto, gubernata fuit. In eius etenim primordiis, videlicet anno MDXCI, tempore felicis recordationis Gregorii XIV praedecessoris nostri, praefectus generalis eiusdem Congregationis eligi consueverat ex toto corpore ipsius Congregationis, quae postea in quinque provincias, videlicet Romanam, Neapolitanam, Mediolanensem, Siculam et Bononiensem, divisa fuit absque ullâ alternativâ. Atque ita usque ad annum MDCXXVIII observatum fuit: quo tempore recolendae memoriae Urbanus PP. VIII, etiam praedecessor noster, decrevit ut dictus praefectus generalis per turnum, unâ quidem vice ex Romanâ, alterâ vero ex Neapolitanâ, et sic successive ex aliis dictae Congregationis provinciis, eligeretur; ex singulis enim aliis quatuor provinciis, ex quibus praefectus generalis electus non esset, singuli consultores generales, ex eâ vero, ex qua idem praefectus generalis pro tempore fuisset, arbiter generalis respective assumebantur. Sicque servari contigit, quousque particularis Congregatio, a similis memoriae Innocentio PP. X pariter praedecessore nostro deputata, in duas provincias, nempe Neapolitanam, quae etiam Siculam comprehenderet, ac Romanam, quae reliquas provincias praedictas contineret, redegit. Verum, cum praemissorum occasione variae perturbationes subortae fuissent, piae memoriae Alexander PP. VII similiter praedecessor noster memoratam Congregationem in quatuor provincias, Romanam videlicet, quae universum Statum Ecclesiasticum ac Etruriam comprehenderet, necnon Neapolitanam et Siculam ac Mediolanensem, quarum postrema reliquas eiusdem Congregationis et etiam nonnullas in Hispaniâ fundatas domos contineret, divisit et reduxit. Ac insuper voluit ut praefectus generalis alternatim, unâ quidem vice ex Romanâ et Mediolanensi indistincte, alterâ vero vice ex Neapolitanâ et Siculâ provinciis praedictis pariter indistincte eligeretur: ceterum unaquaeque provincia suum habeat consultorem generalem: ex illarum vero duarum provinciarum, ex quibus praefectus generalis electus esset, alterâ, cui scilicet praefectum generalem ex eâ eligi nequaquam obtigisset, arbiter generalis assumeretur. Porro, ut eiusmodi turnus servaretur, provincia Bononiensis supradicta dissoluta, atque inter Romanam et Mediolanensem respective provincias divisa fuit.

Causae huius constitutionis. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, integra nunc eiusdem Congregationis provincia in Hispaniis erecta seu fundata, nondum tamen a Sede praedictâ confirmata reperiatur; ac proinde, quo dictus turnus in posterum continuari possit, omnisque dissidiorum, quae in ipsius Congregationis capitulo generali, quod de praesenti celebratur, evenire possent, occasio tollatur, ipsi exponentes dictam provinciam Bononiensem in pristinum statum restitui, ipsamque novam provinciam Hispaniarum, ad hoc ut praefectus generalis unâ quidem vice ex Romanâ, Mediolanensi et Bononiensi indistincte, quemadmodum de praesenti servatur, alterâ vero vice ex Neapolitanâ, Siculâ et Hispaniarum respective provinciis, prout in capitulo generali praedicto servandum erit, eligatur, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri; necnon, ut singulis provinciis huiusmodi satisfiat, ipsi capitulo generali, ut, postquam dictus praefectus generalis sic electus fuerit,

eligere possit priorem generalem, qui simul etiam sit consultor generalis et aliis consultoribus generalibus praecedat, ipseque praefecto generali mortis aut cessionis aut visitationis aut aliâ ex causâ deficiente, vicarius generalis (ita tamen ut unum tantum in consultis[1] generalibus suffragium ferre queat usque ad reditum dicti praefecti generalis, si is visitationis causâ abfuerit; si vero mortis, cessionis, vel aliâ ex causâ esse desierit, usque ad electionem novi praefecti generalis remaneat), necnon praeterea singulos eligere valeat consultores generales ex singulis aliarum duarum provinciarum ex tribus, quibus obtigit procurator generalis, aliumque consultorem generalem ex duarum provinciarum ex tribus quibus obtigit praefectus generalis alterâ, ex alterâ vero secretarium consultae generalis, qui simul officium arbitri generalis exerceat, facultatem concedi; et quia praeteritis temporibus multi praefecti generales, cum aliarum provinciarum damno et totius Congregationis offensâ, ipsam Congregationem superioribus sibi patriâ seu natione coniunctis repleverunt[2], ne de cetero quisquam Congregationis huiusmodi professor provincialis, praefectus aut superior localis extra suam provinciam eligi seu deputari, neque in capitulis provincialibus et generalibus eiusdem Congregationis voce passivâ, nisi in suâ provinciâ, gaudere possit, a nobis interdici et prohiberi summopere desiderent: nobis propterea exponentes praefati (asserentes votum capituli generalis supradicti, a Congregatione nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium a nobis specialiter deputatâ conquisitum super praemissa, omnibus et singulis id unum fuisse) humiliter supplicari fecerunt ut in iisdem praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

1 Edit. Main. legit *inconsultis* pro *in consultis* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *replerunt* (R. T.).

*Confirmatio erectionis provinciae Hispaniarum.*

§ 3. Nos igitur, Congregationis clericorum huiusmodi statui et felici directioni, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere, ipsosque exponentes specialis favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum cardinalium, qui praedictum votum audiverunt, consilio, erectionem seu fundationem supradictae provinciae Hispaniarum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

*Redintegratio provinciae Bononiensis.*

Praeterea provinciam Bononiensem praeinsertam in integrum et pristinum, ac eum in quo, antequam dissolveretur, quomodolibet erat statum, eâdem auctoritate, harum serie, restituimus, reponimus et plenarie reintegramus, itaut eidem provinciae Bononiensi assignandi sint conventus, quibus illa ante dissolutionem constabat, et, si qui alius conventus ab inde citra fundatus fuerit in finitimis illis locis, circa quem dubium oriatur cuinam provinciae assignari debeat, assignatio huiusmodi arbitrio capituli generalis Congregationis huiusmodi facienda sit.

*Ordinationes.*

Primo, ut praefectus generalis memoratae Congregationis de

cetero per turnum unâ quidem vice ex Romanâ, Mediolanensi et Bononiensi indistincte, aliâ vero vice ex Neapolitanâ, Siculâ et Hispaniarum provinciis supradictis eligi debeat, quemadmodum antehac unâ vice ex Romanâ et Mediolanensi, aliâ vero vice ex Neapolitanâ et Siculâ respective provinciis huiusmodi eligi consueverat, auctoritate et tenore praedictis statuimus et ordinamus. Similiter procurator generalis eiusdem Congregationis (qui insimul etiam consultor generalis esse, aliisque consultoribus generalibus praecedere, necnon, praefecto generali praefato quomodolibet deficiente, vicarius generalis ipsius Congregationis remanere debeat) ex alterâ illarum trium provinciarum, quibus turnus electionis dicti praefecti generalis minime obvenerit, in capitulo generali praedicto eligatur. Ceterum ex aliis duabus provinciis, quibus turnus electionis procuratoris generalis huiusmodi obtigerit, pro qualibet illarum unus consultor generalis, ex reliquarum autem duarum provinciarum, quibus turnus electionis dicti praefecti generalis obvenerit, alterâ quidem alius consultor generalis, reliquâ vero secretarius consultae generalis, qui insimul officium arbitri generalis eiusdem Congregationis exercere debeat, respective assumantur. Demum, quod nullus de cetero dictae Congregationis professor provincialis, praefectus seu superior localis extra suam provinciam eligi seu deputari, neque in capitulis provincialibus seu generalibus eiusdem Congregationis vocem passivam nisi in suâ provinciâ habere possit, dictâ autoritate, earumdem tenore praesentium, decernimus et ordinamus.

Clausulae. § 4. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari et adimpleri, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon earumdem Congregationis et provinciarum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Congregationi et provinciis, earumque superioribus et personis quibusvis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam consistorialiter, et aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, ac pluries approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda,

aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis, servatis et specificatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII maii MDCXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 13 maii 1693, pontif. anno II.

---

## LVII (*al.* 56).

*Mandatur omnibus ubique terrarum recitatio officii et missae Conceptionis B. M. V. cum octavâ* [1].

**Innocentius Papa XII, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium

In excelsâ Sedis Apostolicae speculâ, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti, muneris nostri esse arbitramur, ut gloriosissimae Virginis Dei genitricis Mariae cultum et venerationem in terris, quantum nobis ex alto conceditur, augere iugiter satagamus.

1 In Innocentii XI constit. MDCLXXIX, die 26 maii, pontif. III, extat extensio festi Patrocinii B. M. V.

Causae mandati et preces regis catholici.

§ 1. Itaque, pro singulari nostrâ erga eamdem beatissimam atque augustissimam Virginem caeli reginam devotione, necnon etiam piis et enixis carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici supplicationibus nobis per dilectum filium nobilem virum modernum ducem de Medinacaeli, pro eodem Carolo rege apud nos et Sedem praefatam oratorem, super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, ut officium et missa Conceptionis eiusdem beatae Virginis Immaculatae cum octavâ et lectionibus in octavario romano dudum a Congregatione tunc existentium S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum approbato contentis, et a die octavâ ad decimamquintam decembris rite dispositis, quod iam pridem ex diversis eiusdem Sedis indultis seu decretis in plerisque christiani orbis provinciis et regnis recitari consuevit, ubique terrarum in posterum ab omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus tam saecularibus quam regularibus, qui ad horas canonicas teneantur, de praecepto recitetur, apostolicâ auctoritate tenore praesentium mandamus et decernimus.

Mandatum ut in rubrica.

Clausulae.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV maii MDCXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 15 maii 1693, pontif. anno II.

## LVIII (*al.* 57).

*Conceditur Ordini S. Ioannis Dei exemptio ab omnibus processionibus* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Iniuncti nobis caelitus pastoralis officii sollicitudo nos admonet, ut, paternam christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus, benedicente Domino, proferre iugiter satagentium, curam gerentes, ne ipsi a salutaribus, quibus iuxta laudabilia eorum instituta continenter incumbunt, christianae charitatis ministeriis nullatenus avertantur, quantum nobis ex alto conceditur, providere studeamus.

Dicto Ordini concessa fuerunt ab Urbano VIII privilegia Clericorum Ministrantium Infirmis.

§ 1. Exponi siquidem nobis super fecit dilectus filius superior generalis Ordinis fratrum sancti Ioannis Dei, quod, tametsi dudum felicis recordationis Urbanus VIII, praedecessor noster, per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras omnia et singula per Sedem Apostolicam Congregationi clericorum regularium Ministrantium Infirmis eatenus concessa vel quae in futurum concedi contingeret privilegia, inter quae illud praecipue recensetur quod clerici regulares praedicti, ut liberius magisque assidue aegrotis operam navent, processionibus etiam solemnibus interesse non tenentur, ad Ordinem supradictum et singula illius monasteria, domos, hospitalia et alia loca regularia, illorumque superiores, praelatos et quascumque regulares personas perpetuo extenderit, illaque eis communicaverit et de novo concesserit, ac suffragari voluerit, nihilominus fratres praedicti a nonnullis locorum Ordinariis processionibus huiusmodi, non sine gravi propriarum functionum impedimento, ac maximo pauperum infirmorum, quibus iugiter assistere debent, praeiudicio, interesse, easque comitari compelluntur. Nobis propterea dictus superior generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio dictae specialis gratiae.

§ 2. Nos igitur, eiusdem superioris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore consentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, omnibus et singulis memorati Ordinis sancti Ioannis Dei superioribus, fratribus et personis nunc et pro tempore existentibus, ut ipsi de cetero, ne ab iis quibus ad infirmorum in ipsius Ordinis hospitalibus degentium subventionem et utilitatem sedulo vacant ministeriis distrahantur, processionibus supradictis, quacumque ex causâ, de more vel consuetudine, aut aliàs pro tempore faciendis, aut a quibusvis Ordinariis locorum indicendis, interesse minime teneantur, nec ad id per [1] alias quascumque personas, quavis auctoritate vel superioritate fungentes, inviti seu nolentes cogi vel compelli possint, auctoritate apostolicâ, tenore prae-

1 Ab Urbano VIII concessa fuerunt huic Ordini privilegia clericorum regularium Ministrantium Infirmis, inter quae extat praesens exemptio, prout const. edit. MDCXXIV, die 20 iunii, pontif. I.

1 Praeposit. *per* nos addimus (R. T.).

sentium, ex integro ac ex speciali gratiâ concedimus et indulgemus.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX maii MDCXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 maii 1693, pontif. anno II.

---

## LIX (*al.* 60).

*Confirmatur et innovatur erectio hospitii apostolici pauperum invalidorum de Urbe cum nonnullis ordinationibus et indulgentiâ plenariâ perpetuâ* [1].

**Innocentius Episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium a charitatis officio petitum. Ad exercitium pietatis, habentis iuxta Apostolum promissionem vitae quae nunc est pariter ut[2] futurae, et praesertim hospitalitatis, cuius studio intenti quandoque angelos ipsos exceperunt hospitio, mentis nostrae oculos sedulâ meditatione convertentes, ut extremae pauperum invalidorum almae Urbis nostrae mendicitati consulamus, voce Domini illâ per Prophetam dicentis commonemur: *Frange esurienti panem, et egenos vagosque induc in domum tuam;* mandato itidem illo, quod Deus suo populo electo per Moysen iniunxit, excitamur: *Omnino indigens et mendicus non erit inter vos;* magno demum timore corripimur, dum animo interim perpendimus tremendum novissimae discussionis examen, in quo Filius hominis, cum in sede maiestatis advenerit, singula in pauperes pietatis et charitatis opera sibi ipsi facta aut abnegata rependet, illaque electis, qui ea exercue-

1 In Innocentii XI const. ed. MDCLXXXVI, die 22 aprilis, pontif. X, confirmata fuit erectio hospitii venientium ad fidem; et in huius Pontificis const. ed. MDCXCIII, die 28 augusti, pontif. III, extenditur quoddam privilegium hospitalis mendicorum de Urbe.

2 In epist. I ad Timoth. IV, 8 legitur iuxta edit. Vulg. *et* pro *ut* (R. T.).

runt, memorabit comiter ad sempiternam retributionem et gloriam, reprobis autem qui ea abnegarunt, exprobrabit acriter ad aeternam perditionem et poenam.

In Urbe varia erant loca opera pia et eleemosynae pro mendicis.

§ 1. Sane, licet felicis recordationis Sixtus Papa V praedecessor noster providere sategerit, ne ulterius mendici per Urbem praefatam dispersi et vagantes victum quaeritarent, indeque, ut eorumdem animae simul et corporis saluti consuleret, domum hospitalem ad mendicos huiusmodi utriusque sexus excipiendos, alendos et vestiendos prope Pontem Sixtum nuncupatum ad Tyberis ripam fundaverit, erexerit, instituerit et dotaverit; quin in Urbe praefatâ quamplura alia, et quidem ditissima, existant hospitalia, confraternitates, conservatoria, loca et opera pia pro variis pauperum subventionibus instituta; ac valde considerabiles, et in dies excrescentes eleemosynae per Romanos Pontifices praedecessores nostros et nos pariter dispensari consuevissent et soleant: nihilominus provida et pia simul eiusdem Sixti praedecessoris intentio (tum propter domus praefatae, alioquin amplae, sed omnes mendicos non capientis; tum propter dotis, alioquin considerabilis, sed omnium mendicorum substentationi imparis, insufficientiam; tum propter praefati hospitalis vel institutum vel usum recipiendi et alendi dumtaxat viros et mulieres, non autem pueros et puellas, nec pauperibus extra illud commorantibus subveniendi) praemeditatum tollendae mendicationis effectum sortiri non valuit, immenso adhuc eorum superexistente numero, qui, vel revera pauperes et corpore aut aetate invalidi, per se aut per alios victum sibi quaerere non valentes, vel paupertatem aut invaliditatem simulantes, vel utcumque per se aut ab aliis ad id obligatis victum quaerere non curantes, nedum per eamdem Urbem mendicabant, sed in ipsis etiam ecclesiis, in quibus, ut plurimum reverentiae erga Dei domum et sanctissimum Eucharistiae etiam expositum sacramentum immemores, eiulatibus, querimoniis et importunis petitionibus fideles, precibus, sacrificio Missae et divinis officiis intentos, distrahebant; quin nonnulli, crapulae et vitiis dediti, flagitiosam vitam agebant, filiosque similibus moribus imbutos educabant, ac vagi, certumque domicilium et exinde proprium parochum non habentes, nulliusque censurae subiecti, quandoque etiam sacramentis Ecclesiae contra eius praecepta refici seu communiri impune negligebant.

Erectio hospitii a Pio IV et Gregorio XIII inchoati.

§ 2. Cupientes itaque pium et salutare opus, aliàs a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et praecipue recolendae memoriae Pio IV, Gregorio XIII inchoatum, semper tamen, ex eo quod illi certos redditus pro alimentis pauperum non assignaverant, irrito conatu dimissum, et ab eodem Sixto praedecessore constitutum quidem, sed plenario, ut praefertur, destitutum effectu, ampliare, et, quantum nobis ex alto conceditur, perficere, quo possemus ecclesiarum reverentiae consulere, animarum saluti prospicere, vere pauperibus invalidis subvenire, paupertatem et invaliditatem simulantium fraudibus obviare, quorumcumque otiose vivere eligentium desidiae occurrere, ac salubriori eiusdem Urbis regimini providere: vagos huiusmodi et mendicantes omnes revera pauperes, et corpore vel aetate invalidos, sibique propriis labore et industriâ victum quaerere non valentes, nec a quibus ali deberent et possint habentes, viros nimirum, mulieres et puellas in Lateranense nostrorum palatium; pueros vero in locum seu aedifi-

cium ad Tyberis Ripam Magnam nuncupatam sub invocatione S. Michaëlis hactenus constructum, induximus, dictumque palatium congruâ suppellectile ac necessariis et opportunis utensilibus et mobilibus, non mediocri sumptu comparatis, sufficienter instruximus, parique sumptu tali structurâ distinximus, ut viri a mulieribus et puellis in discretis et própriis cuiuslibet sexus refectoriis, mansionibus, porticibus, atriis, cellis, officinis, ingressibus et scholis, ac in omnibus prorsus seiuncti et separati commorari interim potuerint et in posterum possint. Et ne coniugati, quos seu quorum alterum huiusmodi paupertas et invaliditas mendicare coëgerant, subventionis nostrae remanerent expertes, iisdem, licet extra hospitium praefatum commorantibus, alicuius eleemosynae subsidio seu distributione providimus.

Confirmatio et innovatio erectionis praefati hospitii.

§ 3. Hinc est, ut ea, quae, Domino bonorum omnium auctore inspirante, ad eius maiorem gloriam, proximique tum spiritualem tum corporalem salutem et aedificationem incoepimus, Eodem incrementum dante, ad illam saltem, cui Camerae nostrae Apostolicae, variis necessitatibus pressae, exiguae vires suppetere hactenus valuerunt, formam, subsistentiam et perfectionem reducamus, maiorique, quo possumus, commissae nobis divinitus auctoritatis munimine constabiliamus[1], ac propterea ne de infrascriptis hospitii erectione, fundatione, dotatione, instituto, ordinatione, gratiis, donationibus et unionibus, earumque varietate, tenore, validitate, subsistentiâ, perpetuitate, irrevocabilitate et immutabilitate ullo unquam tempore, ullo iure, ullove modo, viâ seu praetextu dubitari possit seu contingat, motu proprio, ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hospitium apostolicum pauperum invalidorum, tenore praesentium, perpetuo erigimus, fundamus et constituimus, seu illud a nobis iam incoeptum, fundatum et constitutum perpetuo approbamus, confirmamus et innovamus, ac huiusmodi erectioni, fundationi et constitutioni perpetuae, inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis robur et efficaciam adiicimus.

1 Edit. Main. legit *constabilimus* (R. T.).

Palatium Lateranense variis usibus antea destinatum, tandem invalidis viris, mulieribus et puellis conceditur.

§ 4. Pro huiusmodi autem pauperum invalidorum, virorum nimirum et mulierum necnon puellarum habitatione, palatium apostolicum primariae nostrae ecclesiae Lateranensi[1] ex uno latere cohaerens, situmque in plateâ seu plateis pariter Lateranensibus nuncupatis, olim a memorato Sixto praedecessore pro habitatione Romanorum Pontificum, qui nihilominus subsequuto centum et ultra annorum intervallo inibi non habitarunt, amplâ et nobili structurâ olim aedificatum, iamdiu tamen et praesertim nuper magnâ et promptâ reparatione in pluribus eius partibus etiam ruinam minantibus indigens, et propterea aliquarum contignationum iam collapsarum innovatione, nonnullorum laquearium, fornicum et murorum pene collabentium solidatione et restauratione, plurimarum lignearum tum portarum tum fenestrarum refectione, aliisque necessariis et opportunis reparationibus a nobis multifariam magnisque impensis fulcitum, solidatum et instauratum, necnon ad praefatum hospitii usum satis commode reductum, illudque, licet a piae memoriae Paulo Papa V etiam praedecessore nostro per suas in formâ Brevis die VIII ianuarii pontificatus sui anno IV expeditas litteras archipresbytero, capitulo et canonicis memoratae ecclesiae pro eorumdem canonicorum habitatione

1 Edit. Main. legit *Lateranensis* (R. T.).

perpetuo donatum, ab iisdem tamen non habitatum, illisque scientibus et consentientibus a Camerà Apostolicà iamdiu reassumptum, et in varios stationis militum loemocomii seu nosocomii tempore pestis et ut plurimum horrei ad reponendum et conservandum annonae frumentum aliisque similes usus redactum, quin ab ipsis etiam pauperibus, qui inibi extremae caritatis tempore alebantur, quandoque habitatum, et nihilominus ad maiorem cautelam et quatenus opus esset a venerabili fratre nostro Flavio episcopo Portuensi S. R. E. cardinali Chisio nuncupato, moderno archipresbytero, ac a dilectis filiis capitulo et canonicis dictae ecclesiae, per acta Ludovici Martoli notarii publici curiae dilecti filii nostri in Urbe vicarii in spiritualibus generalis, die I martii proxime praeteriti retrodonatum et restitutum, destinamus, assignamus stabilimus et constituimus. Ad quem effectum, nostro sub die v februarii pariter proxime praeteriti confecto et per nos signato chirographo, ac instrumento in eius exequutionem mediante dilecto filio Iosepho Paravicino nostro et Camerae praefatae thesaurario generali per dilectum filium Petrum Palmerium dictae Camerae secretarium die XXIII eiusdem mensis februarii rogato, palatium huiusmodi, cum omnibus et singulis eius iuribus, membris, pertinentiis, usibus et commoditatibus, exceptis tamen, ad usum pontificalium functionum et benedictionum reservatis, xysto ad easdem benedictionem extructo, et modicà eiusdem palatii parte, iuxta delineationem in praefato instrumento insertam, eidem hospitio libere, gratis et perpetuo donavimus et assignavimus.

Concessio cuiusdam horti et domunculae S. Ioannis in Laterano eidem hospitio.

§ 5. Quadam etiam nostrà motusproprii cedulà sub datum v idus dicti mensis februarii quemdam hortum ad dictam ecclesiam Salvatoris seu S. Ioannis in Laterano nuncupatam, seu eius mensam capitularem, aut eiusdem capituli massam minutam itidem nuncupatam, spectantem, prope dictam ecclesiam, mansiones canonicales et alios fines, necnon quamdam domunculam cum suis mansionibus et viridario iuxta eamdem ecclesiam, eiusque atrium maius, praefatumque hortum, ad duos eiusdem ecclesiae canonicatus seu praebendas spectantem, a praefatis ecclesià seu mensà aut massà et respective a dictis duobus canonicatibus seu praebendis, datà tamen iisdem aequivalenti seu maiori retributione, et cum eorum evidenti utilitate, perpetuo dismembravimus et separavimus, illumque et illam sic dismembratum et dismembratam, cum omnibus et singulis illorum membris, dependentiis et pertinentiis, omnibusque et quibuscumque iuribus, obventionibus et emolumentis universis, undecumque provenientibus, hospitio praefato (a quo, seu a praedicto palatio pauperum invalidorum habitationis, ad supradictos hortum, viridarium et domunculas mediante transitu super porticum magnam dictae ecclesiae Leteranensis de mandato nostro constructo patet accessus) ad praefatorum pauperum usum, commoditatem et utilitatem perpetuo concessimus, assignavimus et applicavimus; iisdemque perpetuis dismembrationi, separationi, concessioni, assignationi et applicationi capitularis eorumdem capituli et canonicorum praefatae ecclesiae, necnon particularis duorum canonicorum praedictos duos canonicatus seu praebendas possidentium, per dicta acta praefati Ludovici Martoli eàdem die I mensis martii proxime praeteriti accessit assensus.

Ædificium S. Michaelis ad Ripam Magnam Tyberis cum vinea assignatur

§ 6. Pro habitatione vero puerorum, aedificium a quodam Carolo Thoma Odescalco basilicae Principis apostolorum,

puerorum habitationi.

dum vixit, canonico, a fundamentis ad Ripam Tyberis Magnam nuncupatam sub invocatione S. Michaëlis constructum, et ab eo sub protectione dilecti filii nobilis viri Livii Odescalchi ducis Cerae, cum substitutione tamen ad nostri favorem, quatenus simile opus pium puerorum ibidem institutum non continuaretur, in eius testamenti et codicillorum schedulâ relictum, et ex causâ cessionis iurium in vim dictae schedulae competentium, seu permissionis purificationis praefatae substitutionis, ad quam cessionem seu purificationis permissionem idem Livius dux, sub consideratione quod locus pius, ubi vix triginta pueri morabantur, in meliori formâ continuari et perpetuari posset, et inibi pauperes pueri in longe maiori numero hactenus ad trecentos circiter ascendente, sub regimine seu comprehensione in hospitio apostolico, a nobis, ut praefertur, fundato, donato et instituto, educari et ali valerent, mediante publico instrumento per acta dilecti filii Ioannis Petri de Carolis notarii capitolini die XI praefati mensis martii rogato, cum omnibus et singulis bonis, iuribus, membris et pertinentiis praefati loci pii a memorato Carolo Thoma constructi et instituti a nobis acquisitum, aliquâ ex parte ad absolutum habitationis usum redactum, et successive, Deo dante, ampliandum, unâ cum contiguâ vineâ seu horto, quam seu quem interim emere curavimus, perpetuo concedimus, assignamus et applicamus.

Transfertur hospitium puerorum Litteratorum ad dictum hospitium invalidorum et huic illud assignatur.

§ 7. Considerantes praeterea, pauperes pueros Litteratos nuncupatos domus seu hospitii a Leonardo Cerusio vulgo nuncupato *Litterato* pie instituti in viâ Cursus eiusdem Urbis prope monasterium S. Sylvestri in Capite nuncupatum sitae seu siti, uti pueros victum sibi quaerere non valentes, nisi ratione corporis saltem ratione aetatis, inter pauperes invalidos et alios pueros hospitio invalidorum receptos connumerari, adscribi et reputari posse, ac propterea, ut sub eodem pauperum invalidorum gubernio regimine, directione et admninistratione nutrirentur, regerentur et educarentur, artesque mechanicas et praesertim opificium seu artem lanae quae in dictis pauperum Litteratorum nuncupatorum domo seu hospitio non exercebantur, in praefato hospitio apostolico pauperum invalidorum discerent et apprehenderent, consentaneum fuisse et fore: propterea, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, domum seu hospitium pauperum Litteratorum nuncupatorum huiusmodi necnon quamcumque congregationem et protectionem per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros super eâdem domo seu eodem hospitio puerorum pauperum Litteratorum nuncupatorum huiusmodi, illiusque bonorum, fructuum, redditum ac proventuum administratione, aut ipsius domus seu hospitii eorumdem pauperum puerorum Litteratorum huiusmodi directione quomodolibet constitutam et deputatam, necnon quamcumque admninistrationem et directionem penes quamcumque personam quavis auctoritate, dignitate aut praeeminentiâ ac etiam cardinalatus honore fulgentem seu penes quoscumque administratores et deputatos quovis nomine et titulo existentes, apostolicâ auctoritate perpetuo suppressimus et extinximus, omniaque et singula domus seu hospitii puerorum pauperum Litteratorum nuncupatorum huiusmodi sic suppressae et extinctae seu suppressi et extincti, res, bona, ecclesiam seu cappellam, non tamen collativam, membra, domos, dependentias, iura, privilegia, praerogativas, honores et onera, necnon quoscumque redditus et proventus, obven-

tiones et emolumenta, in quibuscumque rebus consistentia et undecumque provenientia, ac pertinentias universas, praedicto hospitio apostolico pauperum invalidorum, ita quod pueri pauperes Litterati nuncupati dictae domus seu dicti hospitii sic suppressae et extinctae seu suppressi et extincti, et dicto hospitio apostolico pauperum invalidorum ut infra aggregatae seu aggregati, non amplius sub eorum et dictae domus seu hospitii sic suppressae et extinctae seu suppressi et extincti denominatione, instituto ac regulis vel statutis seu ordinationibus, sed in omnibus et per omnia sub dicti hospitii apostolici, per nos, ut praefertur, erecti, nomine, instituto, regulis, statutis et ordinationibus educarentur, dirigerentur et viverent, cum amplissimis facultatibus, clausulis, decretis et derogationibus latissime extensis, apostolicâ auctoritâte, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, perpetuo assignavimus, applicavimus et appropriavimus, et respective aggregavimus et incorporavimus; et aliâs, prout in nostri[1] motusproprii cedulâ sub datum v idus dicti mensis februarii uberius continetur.

Unitur hospitale mendicorum dicto hospitio invalidorum.

§ 8. Perpendentes etiam, nostram et praefati Sixti praedecessoris intentionem unam et eamdem fuisse, tollendi nimirum mendicationem ab Urbe praedictâ, et vere mendicis subveniendi, ideoque, ut pariter unum idemque opus pium constituatur et sit, ac unâ eâdemque congregatione administretur et gubernetur, iisdemque regulis et institutis regatur et dirigatur, illius feliciori progressui et salubriori incremento consentaneum esse et fore: propterea, motu, scientiâ, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus, hospitale praefatum mendicorum ab eodem Sixto praedecessore, per eius v idus maii anno Incarnationis dominicae MDLXXXVII, et pontificatus sui III, et VIII idus septembris anno praefatae Incarnationis MDLXXXVIII[1], et eiusdem pontificatus IV, expeditas litteras, fundatum, erectum, dotatum et institutum, omniaque et singula eiusdem hospitalis mendicorum aedificia, ecclesiam, capellanias inibi erectas seu existentes, res, bona et iura quaecumque, etiam patronatus seu praesentandi vel nominandi, membra, domos, dependentias, privilegia, praerogativas, honores et onera, necnon quoscumque redditus, proventus, obventiones et emolumenta quaecumque, in quibusvis rebus consistentia, undecumque provenientia, et pertinentias universas quocumque nomine nuncupatas, etiam speciali et individuâ notâ dignas, memorato hospitio apostolico pauperum invalidorum (sive[2] eius congregationi, eiusque rectoribus, administratoribus et deputatis corporalem, realem et actualem possessionem praefatorum dicti hospitalis mendicorum aedificiorum, ecclesiae, capellaniarum, rerum, bonorum et iurium quorumcumque, membrorum, domorum, dependentiarum, redditaum, proventuum, obventionum et emolumentorum quorumcumque, et pertinentiarum universarum, omniumque aliorum, ut praefertur, expressorum, per se vel alium seu alios propriâ auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, illaque locare, dislocare, arrendare, percipere, exigere, levare et recuperare, et de eisdem libere disponere, illorumque omnium et singulorum supradictorum fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque in dicti hospitii apostolici pauperum

1 Edit. Main. legit *nostris* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *1508* (R. T.).

2 Aliqua puto excidisse; adeoque legendum *sic ut liceat* pro *sive* (R. T.).

invalidorum ad formam praesentium constituti et confirmati, et mediante praefati hospitalis mendicorum unione ampliati, in proprios usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ; ita etiam quod pauperes utriusque sexus dicti hospitalis mendicorum per praesentes uniti sub praefati hospitii pauperum invalidorum per nos, ut praefertur, erecti, et mediante huiusmodi unione ampliati, seu in unum redacti, instituto, regulis, statutis et ordinationibus in omnibus et per omnia alantur, dirigantur, gubernentur et vivant) earumdem tenore praesentium perpetuo amplissime et plenissime et irrevocabiliter, omnique[1] meliori, validiori et efficaciori modo, unimus, assignamus, applicamus, appropriamus, aggregamus et incorporamus, ac unum idemque hospitium opusque pium constituimus et facimus. Cumque praefatus Sixtus praedecessor hospitale praedictum mendicorum, ut praefertur unitum, in dictis prioribus eius litteris per quatuor viros clericos aut laicos idoneos et probatos, duos nimirum a populo romano in publico consilio, et reliquos duos a confratribus archiconfratertitatis SS. Trinitatis convalescentium et peregrinorum annis singulis eligendos et deputandos, regendum, administrandum et gubernandum statuerit[2], necnon Camerae Apostolicae thesaurarium et commissarium generales, tunc et pro tempore existentes, ut unâ cum praefatis quatuor administratoribus seu deputatis salubri regimini, directioni et conservationi[3] praefati hospitalis pauperum mendicorum, illiusque officialium, ministrorum, bonorum et iurium, cum facultatibus inibi expressis deputaverit: propterea, unam eamdemque Congregationem utriusque loci, seu unius eiusdemque operis pii insimul incorporati, et in unum hospitium pauperum invalidorum, ut praefertur, redacti, constituere volentes, infrascriptae Congregationi pro hospitio pauperum invalidorum constitutae praefatos thesaurarium et commissarium generales nunc et pro tempore existentes, et quatuor viros a dicto Sixto praedecessore pro regimine, administratione et gubernio dicti hospitalis pauperum mendicorum deputatos, ut praefertur, deputandos, addimus, aggregamus, unimus et incorporamus.

Palatium Lateranense, aedificium S. Michaelis et hospitale mendicorum unum hospitium invalidorum constituant.

§ 9. Volentes et mandantes quod omnes pauperes utriusque sexus, et tam viri et mulieres, quam pueri et puellae, licet iuxta praesentem statum locali praefatorum palatii Lateranensis, loci ad Pontem Sixtum, et alterius loci ad Ripam Tyberis Magnam nuncupatam habitatione distincti, et licet etiam aliter in posterum quoad locum et modum habitationis distinguerentur seu immutarentur, semper tamen unum et integrale hospitium apostolicum pauperum invalidorum, idemque opus pium constituant, quod ab unâ eâdemque Congregatione gubernetur, et sub iisdem fundatione, erectione, dotatione, instituto, et quibuscumque desuper iam statutis et concessis, ac statuendis et concedendis regulis, ordinationibus, gratiis et privilegiis comprehendatur.

Assignatur dos superabundans dicto hospitio invalidorum; primum ex hospitio puerorum Litteratorum et mendicorum:

§ 10. Ne autem pii huius operis finis, qui aliâs fuit et nunc est semper unus et idem, mendicationem ab Urbe praefatâ, quoad fieri potest, arcendi, et vere pauperibus, qui nullum vel saltem non sufficientem victum propriis labore et industriâ, ut praefertur, sibi quaerere non valent, subveniendi[1], amplius vel in suo

1 Ed. M. legit *omnibusque* pro *omnique* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *statuerint* (R. T.)
3 Deest verbum ex. g. *intenderent* (R. T.).

1 Verbum *subveniendi* nos addimus (R. T.).

initio deficiat, prout praefatis Romanis Pontificibus et praecipue Pio IV et Gregorio XIII, qui certos redditus non constituerant, evenit, vel in sui progressu desiderato huiusmodi, saltem plenario, destituatur effectu, prout in praefato hospitali mendicorum a dicto Sixto praedecessore, qui illum fundavit et erexit, ac certos quidem, sed omnium mendicorum sustentationi longe impares redditus assignavit: decrevimus, praefatum hospitium invalidorum valde maiori dote partim ex bonis seu redditibus praefatorum hospitii seu domus puerorum Litteratorum olim nuncupatorum, necnon hospitalis mendicorum, ut praefertur, unitorum, plerumque vero ex bonis, iuribus et redditibus per nos, ut infra, assignatis, constabilire. Redditus autem, qui ex bonis et iuribus dictae domus et hospitii puerorum Litteratorum olim nuncupatorum percipiuntur, ultra valorem aedificii seu domus ubi illi habitabant, ascendunt ad annua scuta mille octingenta circiter; qui autem ex bonis et iuribus dicti hospitalis mendicorum percipiuntur, ultra aedificium, quod adhuc pro habitatione pauperum deservit, ascendunt ad alia annua scuta decem mille circiter.

Deinde ex fructibus Camerae, etc.

§ 11. Volentes itaque eidem hospitio, eiusque perpetuae subsistentiae et successivae manutentioni, alterius maioris dotationis seu subventionis ope consulere, iisdem motu, scientiâ et potestatis plenitudine, centum millia scutorum monetae romanae, per nos ex eiusdem Camerae nostrae fructibus cumulata, ad effectum illa in tot locis montium dictae Camerae non vacabilium vel in bonis stabilibus seu censibus ad nostrum et Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrium investiendi, prout nuper in censu annui redditus[1] scutorum trium millium fuerunt investita; necnon Burgum demorum in oppido nostro Civitatisvetulae in loco vulgo nuncupato *la Tenaglia* de mandato nostro hactenus aedificatum, et in posterum cum eiusdem Camerae fructibus aedificandorum[1], cum omnibus et singulis earum iuribus, membris et pertinentiis; item quidquid, deductis omnibus Poenitentiariae nostrae oneribus et expensis, ex emolumentis, iuribus, fructibus et obventionibus universis dictae Poenitentiariae seu maiori poenitentiario nostro aliàs assignatis, et pro hac parte seu summâ aliàs reformatis, supererit, ascendens ad annua scuta similia quinque mille circiter; itidemque alia annua scuta duo mille ex eleemosynis dispensationum matrimonialium, quae alioquin in pauperum subventionem integre erogantur, fixe et invariabiliter detrahenda; pariterque illam partem minutorum servitiorum, quae, ante suppressionem venalitatis officiorum cameralium dudum a nobis factam, assignata erat in partem dotis seu emolumentorum vel redditnum Camerae nostrae praefatae clericis praesidentibus, ascendentem ad annua scuta duo mille circiter, hospitio apostolico pauperum invalidorum huiusmodi pure, libere, perpetuo et irrevocabiliter, omni meliori modo, donavimus et assignavimus, prout in praedictis nostro die v dicti mensis februarii desuper confecto et per nos signato chirographo ac instrumento in eius exequutionem rogato uberius continetur. In quo quidem chirographo ulterius volumus[2] et mandavimus, quod domus seu archihospitale Sancti Spiritus in Saxia nuncupatum de eâdem Urbe, iuxta oblationem ex eius parte nobis desuper factam, centum fru-

1 Edit. Main. legit *reditus* (R. T.).

1 Vel lege *aedificatarum . . . aedificandarum*, vel *aedificatum . . . aedificandum* (R. T.).

2 Forsan *voluimus* (R. T.).

menti et quinquaginta leguminum rubra ipsius archihospitalis expensis ad Urbem praefatam transportata hospitio praedicto apostolico pauperum invalidorum teneretur singulis annis contribuere.

Tertio ex variis officiis.

§ 12. Per aliam insuper nostram motusproprii cedulam sub datum v idus dicti mensis februarii, unum correctoriae archivii Romanae Curiae per suppressionem venalitatis officii auditoris Camerae Apostolicae, illiusque restitutionem et reunionem eidem Camerae seu Datariae Apostolicae, aliudve regestri litterarum apostolicarum de non salariatis nuncupatum, et scripturae litterarum apostolicarum non divisum, et aliud S. Pauli, et aliud S. Petri, atque aliud Pii respective nuncupatorum militum, necnon aliud praesidentatûs annonae, ac reliquum portionis Ripae officia, per obitum respective sic vacantia, cum omnibus et singulis illorum honoribus, oneribus, salariis, iuribus et emolumentis solitis et consuetis, tam ordinariis quam extraordinariis, certisque et incertis, etiam ex congregationibus, praesentiis et officiaturis, ac aliàs undecumque ac quomodocumque provenientia, cum facultate deputandi personam seu personas per Congregationem dicti hospitii apostolici ad effectum exigendi dictos fructus et emolumenta quaecumque, necnon congregationibus et officiaturis dictorum officiorum interveniendi, memorato hospitio apostolico pauperum invalidorum apostolicâ auctoritate perpetuo concessimus, assignavimus et applicavimus.

Item ex venditione aliorum officiorum.

§ 13. Ad haec, alia scuta undecim mille septingenta et quinquaginta praefatae monetae romanae ex trium scutiferorum, unius portionis cursorum duorum Lauretanorum, et aliorum duorum Piorum, et reliqui Lilii nuncupatorum officiorum, quae per obitum illa possidentium nuper vacaverant, pretio retracta, necnon pretium ex officio notariatus magistratus viarum nuncupati, pariter per obitum vacantis, venditionis [1] retrahendum, in banco dilecti filii Francisci Montioni nostri et Camerae praedictae depositarii generalis, in creditum memorati hospitii apostolici, et ad dispositionem deputatorum eiusdem hospitii, et ad effectum illa et illud in tot locis montium, censibus seu stabilibus pro huiusmodi hospitio investiendi, per aliud desuper confectum et per nos die XIII currentis mensis maii signatum chirographum, cum derogationibus et clausulis opportunis, deponi mandavimus, prout dicta scuta undecim mille septingenta et quinquaginta iam deposita fuerunt.

Confirmatio et innovatio relatae dotis.

§ 14. Et nihilominus praemissis nostris motusproprii cedulis, chirographis et instrumentis harum serie maius robur et pleniorem efficaciam adiicere volentes, illarumque et illorum, necnon quarumcumque aliarum litterarum apostolicarum, iurium, documentorum, fundationum et dispositionum cuiuscumque denominationis et speciei, quarum et quorum mentio, expressio seu insertio quoquo modo necessaria vel opportuna fuisset, pro plene et sufficienter et de verbo ad verbum expressis habentes, motu, scientiâ, deliberatione, potestatis plenitudine similibus, praefatas nostras motusproprii cedulas, chirographa et instrumenta huiusmodi, omniaque et singula in eis contenta et expressa, non solum eo qui in dictis cedulis, chirographis et instrumentis continetur, sed omni alio meliori, validiori et efficaciori modo plenissime earumdem tenore praesentium perpetuo confirmamus, approbamus et innovamus, ac inviolabiliter et inconcusse servari volumus et mandamus, omnesque et singulos iuris et facti

1 Potius lege *ex officii . . . venditione* (R.T.).

defectus etiam substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, aut praetendi possent, plenissime et amplissime sanamus et supplemus.

Regulae eiusdem hospitio praestituuntur.

§ 15. Insuper volentes ad eiusdem hospitii apostolici pauperum invalidorum, ut praefertur erecti, fundati et dotati, institutum, regimen, normam et disciplinam procedere: in primis utriusque sexus vere pauperibus matrimonio non coniunctis, et corpore vel aetate invalidis, sibique propriis labore et industriâ victum quaerere non valentibus, nec eos a quibus ali deberent et possent habentibus, viris nimirum, mulieribus et puellis in praefatorum palatii Lateranensis et domus ad Pontem Sixtum, iuxta destinationem et distinctionem in posterum arbitrio infrascriptae Congregationis faciendam, pueris vero in S. Michaëlis ad Ripam Tyberis Magnam nuncupatam[1], hospitiis seu locis praefatis, victum similemque respective vestitum praestari volumus et decernimus. Possit tamen quandoque aliquis coniugatus ad memoratum palatii Lateranensis seu domus ad Pontem Sixtum hospitium admitti, eiusdem et alterius coniugis separatim extra hospitium vivere volentis[2] mutuo accedente consensu, nec non incontinentiae periculo et suspicione utriusque cessante, et, iuxta casuum contingentias et circumstantias, praefatae Congregationis arbitrio, ad huiusmodi hospitium admitti ambo coniugati similiter pauperes et invalidi, quando sint senes, et cessante incontinentiae periculo et suspicione, maritus inter viros, uxor autem inter mulieres hospitii praefati separatim et caste vivere elegerint. Et nihilominus etiam pauperibus invalidis coniugatis et infantibus, nec eos a quibus ali deberent et possent habentibus, qui aliàs omnino mendicare cogerentur, volumus et decernimus esse alicuius eleemosynae subventione succurrendum.

1 Edit. Main. legit *nuncupatum* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *volentes* (R. T.).

De pauperum occupationibus.

§ 16. At quia pauperum huiusmodi non corporibus solum, sed praecipue animabus consulere solerter intendimus, ut iidem[1] in otiosâ desidiâ, a qua plura peccata procedunt, non torpeant, et, quo magis fieri potest, in pietate et charitate proficiant, statuimus et mandamus quod omnes et singuli, qui non sint prorsus inhabiles, ac praesertim pueri et puellae, quorum plerique non sunt corpore invalidi, sed ratione aetatis et praesertim etiam sexus feminei nequeunt sibi victum saltem honeste seu sufficienter acquirere, et desidiosae mendicitati addictos seu addictas esse non convenit, debeant, iuxta qualemcumque cuiuslibet activitatem, ad beneficium hospitii operari, salvo tamen Congregationis arbitrio aliquibus operantibus aliquam modicam portionem lucri ex opere cuiusque illorum resultantis ei dimittendi. Sed quia minus est mala non agere, nisi quisque studeat bonis operibus insudare, volumus etiam et decernimus quod omnes huiusmodi pauperes, maiori qua fieri potest charitate conviventes, missae sacrificio singulis diebus intersint, sacramentalem confessionem et eucharisticam communionem diebus per directores spirituales hospitii apostolici huiusmodi statuendis[2] frequentent[3], ac quotidie precibus et orationibus iuxta horarium ac regulas et ordinationes desuper praescribendas devotam operam impendant.

De inobsequentibus et incorregibilibus.

§ 17. Quoties vero pauperes huiusmodi eorum instituto, disciplinae, seu

1 Edit. Main. legit *iisdem* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *statuendi* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *frequenter* (R. T.).

regulis contravenerint, seu eâ, qua decet, submissione superioribus quibuscumque non paruerint, vel aliâ animadversione digni existimati fuerint, possit Congregatio praefata, per se, vel per alios, condignis et opportunis poenis, etiam carcerationis, tum in hospitii, eiusque locorum et habitationum huiusmodi, tum in publicis carceribus ad[1] benevisum tempus huiusmodi contravenientes seu inobedientes coërcere. Quod si iidem adhuc relabantur, vel aliàs incorrigibiles seu ulterius non tolerandi existimati fuerint, debeant omnino nostri et pro tempore existentes in spiritualibus vicarius generalis, aliique iudices competentes, ad instantiam Congregationis praefatae, huiusmodi relapsos, incorrigibiles, seu amplius non tolerandos, exilio, sub comminatione aliarum poenarum in casu contraventionis exequutioni demandandarum, mulctare et coërcere, vel aliàs iuxta delictorum qualitatem condignis poenis afficere.

De vagabundis.

§ 18. Quod si ii, qui vere pauperes et invalidi in hospitio huiusmodi, eiusque respective locis et habitationibus commorari renuentes, vel ab iis, qui illos alere tenentur et possunt, ali negligentes, vel pauperes et invalidi non existentes, seu aliàs propriis labore et industriâ iuxta suam aptitudinem victum acquirere recusantes, seu non exquirentes, desidiosam vitam agere et mendicare maluerint, debeant noster et pro tempore existentes Romani Pontificis in dictâ Urbe vicarius in spiritualibus generalis, quoad mendicantes in ecclesiis earumque portis, seu porticibus, idem vero vicarius et dictae Urbis gubernator aliique iudices competentes quoad mendicantes per eamdem Urbem, tum ex officio, tum multo magis ad quamcumque praefatae Congregationis huiusmodi hospitii praesidentis instantiam, eorum familiis armatis huiusmodi mendicantes carcerandos et poenis carceris ad tempus, exilii, aliisque eorum arbitrio, coërcendos curare, et ut huiusmodi mendicatio prorsus eliminetur satagere; invigiletque praefatus pro tempore existens Urbis gubernator, ut bannimenta contra vagabundos edita et edenda, ac poenae in illis statutae et statuendae, omnino et solerter exequutioni demandentur.

De pauperibus ob aliorum avaritiam.

§ 19. Cum autem frequenter contingere possit, ut ii, qui pauperes et invalidos alere tenentur et possunt, idipsum adimplere recusent, seu ab iisdem pauperibus et invalidis arctari nolint vel nequeant, invigilet etiam Congregatio praefata, hospitio apostolico huiusmodi praeposita, ut iidem pauperes invalidi, solâ facti veritate inspectâ, manu regiâ et cum informationibus etiam extraiudicialibus a quibuscumque iudicibus competentibus, quibus ad hunc effectum necessariam et opportunam facultatem impartimur, ad huiusmodi alimenta praestanda omnino compellantur.

Concessio indulgentiae plenariae perpetuae per modum suffragii in quibusdam festivitatibus et articulo mortis.

§ 20. Volentes praeterea pauperum invalidorum huiusmodi, necnon ministrorum et officialium quorumcumque in praefato hospitio eiusque locis seu habitationibus commorantium, ac etiam omnium et singulorum de Congregatione huiusmodi hospitio apostolico praesidente existentium, devotionem caelestium Ecclesiae thesaurorum elargitione magis magisque excitare et promovere, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus praedictis, qui in Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis et

1 Edit. Main. legit *ab* (R. T.).

Corporis eiusdem domini nostri Iesu Christi, necnon Purificationis, Annunciationis, Assumptionis et Nativitatis beatae Mariae Virginis et Nativitatis sancti Ioannis Baptistae, necnon Apostolorum, et Commemorationis Omnium Sanctorum festivitatibus, vere poenitentes et confessi, et sacrà communione refecti, pro christianorum principum concordià, haeresum et schismatum extirpatione, et sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quae etiam animabus purgatorii per modum suffragii applicari possit, praesentibus in perpetuum valituris, misericorditer in Domino concedimus, ac etiam omnibus et singulis praefatae Congregationis ubicumque decedentibus, necnon eis, quos in praefato hospitio, eiusque locis, seu habitationibus, vel in hospitalibus infirmorum, ad quae ab hospitio, seu locis et habitationibus praefatis ducti fuerint, decedere ab humanis contigerit, si vere poenitentes et confessi et sacrà communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Iesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint in eorum mortis articulo, similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in perpetuum concedimus.

Concessio ciborum prohibitorum et absolutionis in articulo mortis ab omnibus peccatis et censuris.

§ 21. Praeterea pauperibus utriusque sexus huiusmodi in hospitio praefato, seu eius locis, vel habitationibus supradictis pro tempore degentibus, quorum infirmitas vel nimium imbecillis valetudo aut corporis habitudo ieiunium, seu carnium et lacticiniorum abstinentiam ferre non poterit, ut, de utriusque medici consilio, quibusvis quadragesimalibus, ac quatuor anni temporibus et vigiliis, aliisque diebus, in quibus ieiunium ab Ecclesià indictum, aut carnium, ovorum et lacticiniorum usus de iure, vel consuetudine, seu aliàs prohibitus existit vel fuerit, carnibus, ovis, butyro, lacticiniis et aliis cibis prohibitis huiusmodi uti et vesci; singulis quoque presbyteris saecularibus et cuiusvis Ordinis regularibus, qui ad hoc ab infrascriptà Congregatione electi et a praedicto in Urbe vicario approbati fuerint, ut singulos pauperes, ministros et servientes huiusmodi hospitii apostolici a quibusvis excommunicationis, etiam maioris, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, quibus innodati fuerint, necnon quibuscumque eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam talibus de quibus dicta Sedes merito consulenda foret, videlicet in casibus, tam Ordinariis locorum quam etiam eidem Sedi reservatis, non tamen in iudicium deductis, neque contentis in litteris in die Coenae Domini legi solitis, semel in ingressu dicti hospitii apostolici, et iterum ab omnibus supradictis, nullo prorsus excepto, in mortis articulo, confessione tamen eorum diligenter auditâ, in foro tantum conscientiae absolvere, iniunctâ inde eis pro modo culpae suo arbitrio poenitentià salutari, perpetuo concedimus et indulgemus.

De infirmis, convalescentibus et mortuis pauperibus.

§ 22. Quotiescumque autem pauperes, in huiusmodi hospitio eiusque locis et habitationibus degentes, aegrotare contigerit, ad nosocomia eiusdem Urbis pro pauperibus aegrotis erecta et destinata, quae illos iuxta eorum instituta omnino recipere debeant, transmittantur; quique convaluerint, iterum in hospitium eiusque loca et habitationes praefatas reducantur; itaut accessus et recessus hu-

iusmodi curribus dictorum nosocomiorum, ut in aliis similibus aegrotis servari solet, peragatur: defunctorum vero vestimenta a nosocomiis, in quibus illi ab humanis decesserint, hospitio apostolico praefato prompte et fideliter restituantur. Ceterum aegrotis, si quos ad nosocomia ab hospitio eiusque locis et habitationibus huiusmodi transportari non posse aliquando contigerit, ecclesiae sacramenta a parochis, in quorum districtu idem hospitium eiusque loca et habitationes sita existunt, vel ab aliis de eorumdem parochorum licentiâ ministrentur. Illorum vero cadavera, qui in hospitio Lateranensi decesserint, in coemeterio hospitii ad Sancta sanctorum, quos vero in locis praefatis ad Ripam Magnam nuncupatam, seu ad Pontem Sixtum mori contigerit, in earumdem ecclesiarum sepulturis et coemeteriis interim constructis et construendis respective absque ullo parochorum emolumento sepeliantur.

Consulitur hospitii et puellarum utilitati. § 23. Utque ingentibus expensis, quae tanto operi necessariae sunt, aliqualiter suppleatur, volumus, mandamus et apostolicâ auctoritate hospitio praefato concedimus et indulgemus, ut pauperes praedicti, vel in hospitio conviventes, vel extra illud, ut praefertur, commorantes, habitum tamen hospitii gestantes, et a Congregatione ad hunc effectum eligendâ, eleemosynas ad portas ecclesiarum et in aliis locis benevisis, nunquam tamen intra ecclesias, ad beneficium praefati hospitii eiusque pauperum alimoniam modeste quaestuare nedum possint, sed debeant, nec a tali quaestuatione desistatur seu recedatur, etiamsi redditus huiusmodi hospitii omnium pauperum invalidorum manutentioni sufficientes, imo excedentes quoquomodo acquirerentur; quidquid enim unquam, Deo dante, huiusmodi manutentioni superesse contigerit, in dotationem puellarum, quae in hospitio praefato laudabiliter convixerint, arbitrio Congregationis praefatae erogandum et convertendum esse et fore decernimus. Ac ne eaedem puellae subsidiorum dotalium, quae a confraternitatibus, locis et personis piis Urbis praefatae uberrime dispensantur, remaneant expertes, ut illae omnibus et singulis indultis, facultatibus et privilegiis puellas aliorum conservatoriorum, locorum et domorum piarum eiusdem Urbis ad huiusmodi subsidia assequenda quomodolibet habilitantibus, perinde ac si ipsis seu memorato hospitio apostolico nominatim concessa fuissent, uti, frui et potiri perpetuo valeant, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus indulgemus. Et nihilominus easdem praefati hospitii puellas ad quaecumque subsidia dotalia etiam nationaliâ obtinenda, tametsi in eorum propriis seu particularibus domibus vel in regionibus, quarum puellis distributio subsidiorum huiusmodi aliquibus vel singulis annis destinata sunt, non habitent, seu requisita vel ex dispositione fundatorum, benefactorum, aut largitorum, vel ex quacumque etiam inveteratâ consuetudine, vel ex quibusvis statutis, vel constitutionibus apostolicis praescripta non habeant, similibus motu, scientiâ et potestatis plenitudine, etiam tenore praesentium, amplissime et plenissime, praemissis et aliis non obstantibus, habilitamus et dispensamus.

De Congregatione, eiusque facultatibus et officiis. § 24. Ac insuper, ut huiusmodi hospitii pauperum invalidorum perpetuae conservationi, felici regimini, et salubri progressui et incremento, maiori qua fieri potest diligentiâ et attentione, sit opportune consultum, Congregationem, partim ex Romanae Curiae praelatis, partim ex aliis viris, omnibus virtute,

charitate, pietate, rerumque experientiâ praestantibus, compositam, atque additione et incorporatione praefatorum Camerae nostrae thesaurarii et commissarii generalis et quatuor pariter probatorum virorum, ut praefertur, adauctam, et in unum redactam, qui tamen quatuor viri non amplius ad annum, sed in futurum, adinstar ceterorum, pariter ad nostrum et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrium sint et intelligantur deputati, praeficimus, deputamus et constituimus, seu iam praefectam[1], deputatam et constitutam, et, ut praefertur, adauctam, confirmamus et innovamus, ut huiusmodi Congregatio pro tempore existens, et nostro nostrorumque successorum Romanorum Pontificum arbitrio renovanda, confirmanda, seu constituenda, perpetuis futuris temporibus circa ea, quae instituti huiusmodi observantiam, animarum salutem, corporum alimoniam, rectamque hospitii normam et disciplinam, necnon oeconomicam administrationem, rerumque bonorum et iurium conservationem et defensionem, providam ministrorum et officialium etiam sacerdotum, et tam regularium quam saecularium electionem, distributionem et amotionem, salvâ tamen quoad regulares erga eorum superiores obedientiâ, et quamcumque tum spiritualium tum temporalium superintendentiam, directionem et administrationem concernunt, in Domino praesideat, solerter invigilet et incunctanter incumbat; eidemque Congregationi quaecumque statuta, ordinationes, constitutiones et regulas, licitas tamen et honestas, sacrisque canonibus et decretis sacri Concilii Tridentini non adversantes, condendi[2] et faciendi, ac conditas et factas, toties quoties opus fuerit, corrigendi, mutandi, reformandi, et alia de novo faciendi, opportunam et amplam facultatem concedimus et impartimur. Quae quidem statuta, ordinationes, constitutiones et regulae sic conditae, correctae, mutatae, reformatae et de novo factae, postquam per nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem approbatae fuerint, ab omnibus et singulis, quos illa et illae concernunt, inviolabiliter observari volumus, ac iuxta eorum et earum dispositionem et tenorem a quibusvis etiam iudicibus et superioribus, sublatâ aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere.

*Exhortatio ad hoc hospitium augendum.*

§ 25. Postremo christifideles maiori quo possumus animi affectu hortamur in Domino, ut piissimo huic et saluberrimo hospitio, pro cuius perpetuâ conservatione et successivâ manutentione ingens et prompta impensa et maxima dos requiritur, et cuius facultates et redditus quo magis augentur, eo multiplicatur numerus pauperum alendorum et ampliantur opera charitatis, eleemosynis et benevisis elargitionibus manus porrigant adiutrices, centuplum in aeternis caeli tabernaculis recepturi.

*Clausulae.*

§ 26. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod omnes et singuli supradicti, ac alii quicumque in praemissis quomodolibet ius vel interesse habentes seu habere praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis, etiam cardinalatus, seu aliâ specificâ et individuâ mentione et expressione digni existant, iisdem praemissis eorumque singulis non consenserint, nec ad ea vocati seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum vel privilegiorum vigore consentire seu vocari et audiri semel vel pluries quoquo modo debuissent, aut ex aliâ quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore,

1 Edit. Main. legit *perfectam* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *concedendi* (R. T.).

praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel interesse habentium consensûs, alioque quolibet etiam quantumvis magno ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari nullatenus pôsse, sed semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios, irrevocabiles et perpetuos effectus sortiri et obtinere debere, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque et quomodocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate aut potestate fungentes et functuros, etiam causarum palatii apostolici auditores, praefatae Camerae thesaurarium, et clericos praesidentes, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 27. Non obstantibus praemissis, ac quorumcumque testatorum, fundatorum et piorum largitorum etiam ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter et expresse commutamus, et, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, prout etiam praefati Sixti praedecessoris, necnon felicis recordationis Symmachi, Pauli II, Pauli IV et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae et Camerae Apostolicae non alienandis, et de alienatis recuperandis, itidemque praefati Pii IV de gratiis qualecumque interesse praefatae Camerae Apostolicae concernentibus[1], in dictâ Camerâ intra certum inibi praescriptum tempus praesentandis et registrandis, itaut praesentes in eâ praesentari et registrari nullo unquam tempore vel modo necesse sit, necnon aliis quibuscumque apostolicis, ac etiam in generalibus conciliis editis et edendis constitutionibus, ordinationibus, ac Urbis nostrae et quorumcumque superius explicite vel implicite nominatorum et comprehensorum quibusvis, etiam iuramento vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, etiam in limine fundationis seu dotationis concessis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, et ad quorumvis instantiam, vel aliàs quomodolibet in contrarium eorumdem[2] praemissorum concessis, ac etiam pluries approbatis, confirmatis, iteratis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores,

1 Edit. Main. legit *concurrentibus* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *eorum* (R. T.).

formas, occasiones et causas, etiam quantumvis praegnantes, pias et privilegiatas, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis et exactissime adductis respective habentes, illis autem aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, harum serie, specialiter et expresse, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, plenissime et sufficienter, hac vice dumtaxat, derogamus, ac derogatum esse volumus et mandamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis. § 28. Nulli omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum erectionis, fundationis, constitutionum, approbationum, confirmationum, innovationum, roborationis, destinationis, assignationum, stabilimenti, concessionum, applicationum, unionum, appropriationum, aggregationum, incorporationum, additionis, voluntatum, mandatorum, sanationis, suppletionis, decretorum, statuti, indultorum, praefectionis, deputationis, commutationis et derogationis, aliorumque praemissorum infringere, seu ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCXCIII, X kalendas iunii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 maii 1693, pontif. anno II.

---

## LX (*al.* 59).

*Conceduntur Ordini SS. Trinitatis redemptionis captivorum omnia privilegia et indulgentiae aliorum Ordinum et religionum*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Salvatoris et domini nostri Iesu Christi, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, vices, licet immeriti, gerentes in terris, religiosos viros divinis obsequiis ac charitatis et misericordiae operibus, praesertim vero christifidelium captivorum redemptioni vacantes, pastorali benignitate complectimur, utque eadem opera alacrius continuent et utilius exequantur, gratiis et favoribus quibus possumus amplissimis confovemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae dictae concessionis Discalceatis eiusdem Ordinis olim factae. § 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Felix Pantaleo, procurator generalis Ordinis fratrum SS. Trinitatis redemptionis captivorum nobis nuper exponi fecit, fratres et religiosi eiusdem Ordinis in captivorum redemptione[2], gravissima quaeque discrimina et pericula ad id subeundo, pro viribus occupentur, ac, ut ad tam pii operis exercitium promptiores in dies reddantur, plurimum cupiant aliarum religionum et Ordinum gratias et privilegia a Sede Apostolicâ concessa, quae felicis recordationis Urbanus PP. VIII praedecessor noster, per quasdam suas sub plumbo anno Incarnationis dominicae MDCXXXIV, V kalendas aprilis, pontificatus sui anno XI, expeditas litteras, Congregationi fratrum Discalceatorum dicti Ordinis concessit et communicavit, Ordini praedicto il-

1 Eadem privilegia concessa fuerunt Discalceatis ab Urbano VIII per const. ed. MDCXXXIV, die 28 martii, pontif. XI; et in huius Pontificis constit. ed. MDCXCV, die 23 aprilis, pontif. IV, extat facultas eligendi sibi conservatores.

2 Edit. Main. legit *redemptionis* (R. T.).

liusque fratribus et locis per nos et Sedem eamdem pariter concedi et communicari: nos propterea idem Felix procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio amplissima dictorum privilegiorum et indulgentiarum.

§ 2. Nos igitur, Ordinem praedictum, ex quo uberrimi fructus in Ecclesiâ Dei ad illius laudem et christianae reipublicae necnon fidelium captivorum commodum et utilitatem in dies proveniunt, firmissimis praesidiis vallare desiderantes, ipsumque Felicem procuratorem generalem et singulares Ordinis huius personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, et attentâ relatione venerabilis fratris nostri Alderani episcopi Ostiesis, eiusdem S. R. E. cardinalis, Cybo nuncupati, Ordinis supradicti apud nos et Sedem praedictam protectoris, super praemissis eisdem cardinalibus factâ, eidem Ordini fratrum SS. Trinitatis redemptionis captivorum, illiusque domibus et regularibus locis sub illo comprehensis, necnon superiori generali pro tempore existenti, definitoribus et procuratoribus generalibus, visitatori, consultoribus, assessori, superioribusque provincialibus et conventualibus, aliisque cuiuscumque nominis officialibus, superioribus, ac religiosis omnibus et singulis in eo professis fratribus pro tempore ad captivos redimendos transmissis, et capitulis generalibus, personis regularibus, novitiis, conversis, donatis, oblatis, ministris, familiis, cunctisque tam officiariis, tam domesticis, et eorum domibus inservientibus, et ceteris dicti Ordinis, ac illius domorum et regularium locorum personis quibuscumque pro tempore existentibus, necnon quibusvis aliis personis, ac christifidelibus illorum ecclesias seu capellas pro tempore visitantibus, ut omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis et favoribus, indulgentiis, aliisque praerogativis et gratiis universis et singulis tam spiritualibus quam temporalibus, singulis domibus, conventibus et aliis regularibus locis ac personis tam canonicorum quam clericorum regularium ubivis existentium institutis, et non solum Ordinibus monasticis, regularibus, Mendicantium et non Mendicantium, tam pro redimendis captivis quam aliàs quomodolibet eidem Congregationi fratrum Discalceatorum dicti Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, illiusque domibus, conventibus et fratribus, necnon Ordini beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum, sed etiam aliis Congregationibus regularibus, et praecipue clericorum regularium Infirmis Ministrantium, et canonicorum Congregationis Lateranensis, SS. Salvatoris de Bononia, ac etiam S. Ruffi Valentiae, et S. Crucis Colymbriae, clericorum regularium de Somascha, et Pauperum Matris Dei ac Scholarum Piarum, ipsisque monasticis Congregationibus, etiam Cassinensi, aliisque monachis et monasteriis S. Benedicti, S. Hieronymi, Carmelitis Discalceatis, conventui B. Mariae de Guadalupe, necnon Societati Iesu, ipsisque Carthusiensium, Praemon-

stratentium, et reformatorum Cisterciensium, Servitarum, Olivetanorum Ordinibus, aliisque familiis et societatibus regularibus, militiis, hospitalibus quibuscumque, et piis locis regularibus, ac quibuscumque personis nunc et pro tempore existentibus praefatorum et quorumlibet Ordinum, Societatum et Congregationum regularium per nos et Sedem praedictam ac alios quoscumque praedecessores nostros Romanos Pontifices, necnon eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis Sedis praedictae nuncios, vel etiam tam apostolicà praedictà quam ordinarià et regià vel imperiali auctoritatibus respective, aut aliàs quomodolibet, quibuscumque verborum expressionibus et tenoribus, in genere vel in specie, ac particulariter, tam per modum communicationis et ampliationis, quam simplicis et individuae ac particularis et specialis concessionis, ac etiam motu proprio, et ex certà scientià, et de apostolicae potestatis plenitudine, etiam iteratis vicibus concessis hactenus, vel confirmatis aut approbatis, et quibus illi tam in vità quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones et iniunctarum poenitentiarum relaxationes, aut aliàs quomodolibet de iure, usu, aut privilegio vel consuetudine quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, quamvis illa sint speciali notà digna, difficilisque concessionis, et quae in generali concessione non veniunt, non solum per partecipationem, communicationem, illorum extensionem, et ad illorum instar, sed speciatim et nominatim, pariformiter et aeque principaliter, in omnibus et per omnia, absque ullà prorsus differentià, perinde[1] ac si illa primodicto Ordini, illiusque capitulis generalibus, superiori generali pro tempore existenti, illiusque superioribus et personis praedictis, specialiter et expresse nominatis, etiam per viam et modum simplicis et individuae ac particularis et specialis concessionis, etiam motu proprio, et ex certà scientià, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut communicationis et ampliationis concessa fuissent, quatenus tamen sint in usu et non revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, nec sacris canonibus aut decretis Concilii Tridentini contraria, uti, frui, potiri et et gaudere libere et licite possint et valeant: ita quod omnes et singuli primodicti Ordinis et illius domorum locorumque regularium superiores et ministri quocumque nomine appellati eosdem favores, gratias apostolicas et privilegia, quae aliarum religionum, Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Iesu, monasteriorum, conventuum, domorum aut locorum regularium et familiarum generales superiores, praepositi, provinciales, rectores, priores conventuales aut claustrales, visitatores, guardiani, custodes, aut alio quocumque nomine, titulo aut dignitate insigniti habent, similiter, ut supra, habeant; fratresque et personae regulares praedicti Ordinis generales, superiores, ministri, et ceteri àlii cuiuscumque appellationis praepositi et praefecti, in Ordine huiusmodi expresse professi, et in eius gremio et observantià viventes, fratres et personas regulares primodicti Ordinis cum privilegiis, gratiis et favoribus apostolicis Ordinum et Congregationum huiusmodi perpetuo secundum observantiam regularem et canonicum institutum dicti eorum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum regere et gubernare et respective visitare valeant,

1 Edit. Main. legit *proinde* (R. T.).

neque dictus Ordo super praefatis omnibus et singulis a quoquam quavis auctoritate vel nomine molestari, perturbari, inquietari, aut aliàs quomodolibet in iudicio et extra impediri possit, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

Clausulae

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper et perpetuo, tamquam ad divini cultus et bonorum operum augmentum et religionis propagationem tendentes, validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis firmiter atque inviolabiliter observari et adimpleri debere, nec ab illis ullo unquam tempore quovis praetextu, occasione vel causâ recedi aut resiliri, easdemque praesentes sub quibusvis similium aut dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, Sedemque praedictam, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis pro tempore factis, minime comprehendi vel confundi, sed[1] semper et perpetuo ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum atque validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, et de novo etiam sub quacumque posteriori datâ quandocumque eligendâ concessas esse et fore, ac Ordini primodicto suffragari, sicque et non aliàs per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, et Sedis Apostolicae praedictae nuntios, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Particulam *sed* nos addimus (R. T.).

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis, ac in synodalibus provincialibusque et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon regularium domorum, locorum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis primodicto Ordini, illiusque superioribus et personis, in genere vel in specie, ac aliàs sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam iteratis vicibus quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem, quod ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, et alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae sigillo et notarii publici manu obsignatis, stetur, eademque prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII iunii MDCXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 27 iunii 1693, pontif. anno II.

## LXI.

*Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium approbans quaedam statuta pro tribus coenobiis Recollectionis provinciae S. Michaëlis in Baeticâ Tertii Ordinis sancti Francisci*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Statuta praedicta condita fuere a definitorio provinciae.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum ministri provincialis, custodis et definitorum provinciae S. Michaëlis in Baeticâ fratrum Tertii Ordinis sancti Francisci Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod ipsi aliàs tres conventus Recollectionis nuncupatos in eâdem provinciâ erexerant ad hoc ut ii religiosi, qui in eo secessu vitam transigere ac Altissimo absque ullâ perturbatione famulari cupiebant, certos et determinatos conventus haberent; verum, quia, pro felici Recollectionis huiusmodi directione nullae aderant specialiter constitutae leges, definitorium dictae provinciae, ad tam salutarem institutionem constabiliendam iuvandosque eorum, qui eam amplexi fuissent, in viâ Domini progressus, nonnulla ediderat statuta tenoris qui sequitur, videlicet:

*Constitutiones pro conventibus Recollectionis provinciae Andaluciae religionis Tertii Ordinis Poenitentiae sancti Francisci, videlicet conventus Dominae nostrae* canonicos sanctos *fundati intra terminos villae de Olvera dioecesis de Malaga, conventus S. Ioannis Baptistae de Moranina intra terminos villae de Bollullos* del contado, *ac conventus S. Ioannis Baptistae de Alfarache extra muros Baeticae, ambo dioecesis Baetici archiepiscopatus.*

In primis, ut illa celsitudo sanctissimae paupertatis conservetur, ordinamus et statuimus ut communitas obligata maneat ad providendum quaeque necessaria singulis religiosis praememoratae Reformationis, quin aliquis ipsorum, nec sub necessitatis praetextu, absque provincialis speciali licentiâ, possit ad ullius rei usum habere recursum.

II. Quod constituatur in quovis conventu locus, ubi cuncta necessaria pro regulari vestitu reponantur, videlicet habitus, pallium, tunicae, tunicellae, et cetera sic.

III. Statuitur ut taliter in hisce honesta nuditas ac seraphica paupertas observetur, quod nullus religiosus pluribus induatur quam interiori unâ laneâ tunicâ, tunicellâ unâ, femoralibus de lino, habitu latitudinis sexdecim palmorum talari, ut in regulâ prescribitur, ac mantello ad habitus proportionem abbreviato; et quoad calceamenta singuli portabunt sandalies usque ad calcaneum apertas.

IV. Statuitur ut religiosi in cellis rebus curiosis aut ornatum construentibus non utantur; itaque dumtaxat habebunt crucem ligneam, tabulatum, aut arundineum lectulum, duo stragula, unum pulvinar, duas sedes humiles, parvulam unam mensam; et circa librorum usum, eos apud se habere poterit, quos iuxta exercitium et capacitatem reverendis pater[1] provincialis sufficientes censuerit.

V. Statuitur ut religiosorum nemo per se aut per interpositam personam possit

1 In Innocentii XI const. edit. MDCLXXXV, die 16 aprilis, pontificatus IX, extat decretum aliud circa electionem officialium; et in huius Pontificis constit. ed. MDCXCIII, die 19 novembris, pontificatus III, confirmatio erectionis praedictorum coenobiorum.

1 Edit. Main. legit *rev. patris* (R. T.).

retinere missarum eleemosynam, sed debeat quamcitius eam praelato manifestare et exhibere, et tunc praelatus ei facultatem praestabit, ut illas missas iuxta declaratam necessitatem applicet.

VI. Statuitur ut in matutinis mediâ nocte inviolabiliter per singulos dies Deum benedicant, quin in toto anni curriculo aliquando dispensetur tam caelestis hora, in qua a regalibus sedibus Altissimus venit, inter sacratissimae Virginis brachia primus intonuit, surgens in requiem suam, et noctem sicut diem illuminare monstravit. De cetero divinum officium paulatim, reverenter ac devote recitetur, nec ulla dies absque missâ conventuali pertranseat.

VII. Statuitur ut in singulis diebus per duas horas oratio mentalis exerceatur; primâ orâ ante Primam, et secundâ horâ post completorium: et insuper ad praedictarum horarum perfectiorem expeditionem unusquisque intra cellam suam in profundo silentio solus maneat ante completorium per unam horam, et ante missam officii [1] per aliam.

VIII. Statuitur ut religiosi quam minus possint e domo egrediantur, nec nisi a quindenâ in quindenam alicui licentia praebeatur.

IX. Statuitur ut per totum annum disciplinam habeant feriâ secundâ, quartâ et sextâ; exceptentur tamen praesignati dies, si cum solemnibus festivitatibus concurrant. Monemus necnon quod, si aliquis religiosus divino fretus auxilio, austeriorem vitam et carnis mortificationem vellet amplecti, ne propriae voluntatis fere imperceptibili laqueo cingens se pereat, ante omnia praelatum localem consulat, eiusque nutui se subiaceat, ut alius cingat eum et ferat quò non Satanae sed Deo proficiat.

X. Statuitur ut nec reverendus pater provincialis nec reverendus pater commissarius visitator possint mittere ullum religiosum ut in supradictis conventibus commorentur, quin prius constiterit eis de exemplari vitâ et spiritu probato religiosi commoraturi, nec praelatus localis eum commorantem habebit, nisi suppositâ approbatione religiosorum etiam per vota singulorum exhibitâ.

XI. Statuitur ut nullus religiosus possit eligi in praedictorum conventuum guardianum, quin prius laudabiliter per duos annos continuos in eis vitam eorum communem duxerit.

XII. Statuitur ut nullus religiosus, ob vitam improbam poenitentiâ correctus nunquam a superioribus praelatis ad commorandum in praefatis conventibus mittatur.

XIII. Statuitur ut post prandium et coenam tam benedictio quam gratiarum actio decantetur, itaut post prandium ad ecclesiam cuncti religiosi eant, prout in hac nostrâ provinciâ consuetum est, ac deinceps recitantes psalmum *Miserere mei, etc.*, regrediantur ad abstergendum scutellas in quibus manducaverunt.

XIV. Statuitur ut in singulis sabbatinis diebus omnes religiosi post vesperas conveniant ad scopandum conventum et ecclesiam, atque tunc ad purificandum altaria.

XV. Statuitur ut in singulis hebdomadibus inter religiosos conferatur et dilucidetur aliquod punctum mysticae theologiae, prout moris est.

XVI. Statuitur ne praedicti religiosi possint terras colere et in eis seminare nisi tantum unum aut duplex parvulum spatium in congruae sustentationis subsidium, at neque id fiat, nisi ex gratis et ad titulum paupertatis concessis, sicut decet paupertatis sanctissimae sectatores, prout in conventu de *canonicossanctos* observatur.

[1] Coniunct. *et* delemus (R. T.).

XVII. Statuitur ut in refectorio mensae non exornentur mappis, sed duobus linteolis pauperculis pro mundicie cuiusvis religiosi.

XVIII. Statuitur ut nemo ceterorum religiosorum provinciae possit apud tres Recollectionis conventus remanere nisi ut per aliquos dies, a reverendo patre provinciali deliberandos, serio spiritualia eorum exercitia sequatur, et dum aliquis sub alio fine ac praetextu accedat, duobus transactis diebus, subito recedere compellatur.

XIX. Praecavemus ut a saecularium colloquio penitus religiosi abstrahantur. Quapropter dum hospites recipere opus sit, ad devote et charitative eis necessaria ministrandum dumtaxat adsit pater guardianus aut praeses vel loco ipsorum religiosus modestior a patre guardiano destinandus et seligendus.

XX. Statuitur ut nemo ad habitum induendum recipiatur quin prius in praeordinatis inserviendo communitati exerceatur, si sit ad chorum, per unum mensem, et per duos, si sit ad laicatum[1] statum, et his peractis, circa sufficientiam et habilitatem pro statu suscipiendo singulorum vota sumantur.

XXI. Tandem ultimo statuitur ut nunquam qui in praestabilitis tribus conventibus habitum susceperunt, ab eis ad ceteros provinciae conventus transferantur, nisi gravi urgente causâ, aut pro bono communi provinciae; verumtamen haec approbanda per definitorium unà cum superioris generalis licentiâ. Et quicumque hanc regulam sequuti fuerint pax super illos ».

Ac proinde pro parte eorumdem ministri generalis custodis et definitorum praedictae Congregationi cardinalium supplicato, ut trium conventuum huiusmodi erectionem sive assignationem, sicut praemittitur factam, necnon statuta praeinserta confirmaret:

Decretum Congregationis.

Emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris sequentis, videlicet: *Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negocii et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentâ relatione eminentissimi Cybo Ordinis sancti Francisci apud Sanctam Sedem protectoris, referente eminentissimo de Lauraca, censuit suprascripta statuta esse approbanda, prout praesentis decreti vigore approbat atque confirmat. Romae, v iulii MDCXCIII.* G. cardinalis CARPINEUS, A. ALTOVITUS secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 3. Cùm autem, sicut praefati minister[1] provincialis, custos et definitores nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, ipsas praesentes lit-

1 Potius lege *laicalem* vel *laicorum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *ministri* (R. T.).

teras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, conventuum, provinciae et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris, die XV augusti MDCXCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 augusti 1693, pontif. anno III.

## LXII.

*Extenditur indultum Gregorii XV, hospitali S. Sixti de Urbe concessum, ad hospitium pauperum invalidorum de eâdem Urbe*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Constitutio Gregorii XV, qua assignantur hospitali bona pauperum ab his ante mortem non iudicata.

§ 1. Aliàs emanarunt a felicis recordationis Gregorio Papa XV praedecessore nostro ad favorem hospitalis S. Sixti pauperum mendicantium prope Pontem Sixtum nuncupatum de Urbe litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur videlicet:

« *A tergo:* « Dilecto filio gubernatori hospitalis S. Sixti pauperum mendicantium prope Pontem Sixtum de Urbe: *Intus vero:* Gregorius Papa XV. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

» Pietatis et christianae charitatis operibus, quae in isto hospitali S. Sixti pauperum mendicantium exerceri accepimus, inducimur, ut ea libenter concedamus, quae illius utilitatibus fore conspicimus opportuna. Cum itaque, sicut dilecti filii administratores[2] et officiales dicti hospitalis nobis nuper exponi fecerunt, interdum reperiantur pauperes, qui in dicto hospitali recipiuntur et recepti sunt, pecunias et alia bona mobilia, non solum modo secreto in dicto hospitali, sed etiam apud diversas personas possidere, nec illorum notitia, nisi secuto dictorum pauperum obitu, haberi possit, eoque casu saepius compareant eorumdem pauperum parentes sive haeredes ab intestato vel ex testamento in grave dicti hospitalis prae-

1 Hoc hospitale huic hospitio unitum fuit const. ed. MDCXCIII, die 23 maii, pontif. II, et a Clemente XI const. ed. MDCCXIV concessum fuit indultum reformatum absolvendi a reservatis.

2 Edit. Main. legit *administratoris* (R. T.).

iudicium: nos, indemnitati eiusdem hospitalis, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi, ut pauperes, qui in hospitali praedicto pro tempore recipiuntur, in actu eorum receptionis huiusmodi praecipiendo monere, ut, si ipsi aliqua bona mobilia vel immobilia possident, illa indicent, alioquin, si non indicaverint, eadem bona dicto hospitali acquirere libere et licite possis et valeas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impartimur, et nihilominus omnia et singula bona tam mobilia quam immobilia ubilibet existentia per eosdem pauperes, cum in ipsum hospitale recipiuntur, non indicaverint[1], eidem hospitali acquisita esse et fore, dictique hospitalis administratores et officiales bonorum omnium huiusmodi corporalem, realem et actualem possessionem, dicti hospitalis nomine, apprehendere libere et licite posse, nec eos desuper molestari vel inquietari posse, praesentes vero litteras validas, firmas et efficaces existere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate et tenore praedictis decernimus et declaramus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die ultimâ septembris MDCXXI, pontificatus nostri anno I ».

Extenditur ad hospitium invalidorum.

§ 2. Nunc autem nos, hospitii apostolici pauperum invalidorum a nobis in eâdem Urbe instituti, cui nuper hospitale S. Sixti huiusmodi cum omnibus et singulis suis membris, iuribus et pertinentiis universis per alias nostras sub plumbo desuper expeditas litteras univimus, aggregavimus et incorporavimus, ac unum idemque hospitium opusque pium constituimus et facimus, indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertas Gregorii praedecessoris litteras, ad favorem supradicti hospitalis S. Sixti emanatas, ut praefertur ad praefatum hospitium apostolicum pauperum invalidorum, itaut omnia et singula bona tam mobilia quam immobilia ubilibet existentia per eosdem pauperes invalidos, viros scilicet et mulieres in hospitio huiusmodi eiusque locis et habitationibus, tam de praesenti receptos, quam pro tempore recipiendos, quomodolibet possessa, quae ipsi minime indicaverint, eidem hospitio apostolico, servatâ tamen praefatarum Gregorii praedecessoris litterarum formâ et dispositione, acquisita esse et fore intelligantur, tenore praesentium extendimus et ampliamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac hospitio praedicto in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici et curiae Camerae Apostolicae generalem auditores, necnon vicarium, gubernatorem, et senatorem Urbis, ac S. R. E. camerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Camerae praesidentes clericos, thesaurarium generalem, aliosque officiales et ministros nunc et pro tempore quando-

1 Potius lege ... *recipiuntur possessa*, ... *quae ipsi non indicaverint* (R. T.).

cumque existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Urbis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, seu quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, eorumque reformationibus et novis additionibus, stylis, usibus et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII augusti MDCXCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 28 augusti 1693, pontif. anno III.

---

## LXIII.

*Extenditur indultum Clementis X conferendi nonnullos gradus in collegiis Societatis Iesu civitatum S. Fidei et Quitensis in Indiis Occidentalibus ad alios gradus, et in perpetuum*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Refertur indultum Clementis X pro gradibus philosophiae et theologiae ad decennium concessum.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Clementi Papa X praedecessori nostro, pro parte tunc in humanis agentis Alphonsi de Alarios presbyteri regularis Societatis Iesu ac procuratoris provinciarum Hispaniae et Indiarum Occidentalium dictae Societatis, exposito, quod, cum metropolitanae S. Fidei et cathedralis Quitensis ecclesiae, in partibus Indiarum consistentes, duo seminaria iuxta formam et dispositionem decretorum Concilii Tridentini in civitatibus S. Fidei et Quitensi respective erexissent, in quibus quamplurimi adolescentes, sub curâ et gubernio clericorum regularium Societatis praefatae educabantur, ac linguae latinae, philosophiae et sacrae theologiae studiis in collegiis Societatis et civitatum huiusmodi operam navabant, eosque in virtute et doctrinâ progressus faciebant ut[2] animarum saluti et conversioni gentilium (quorum in illis regionibus messis multa, operarii vero pauci) fructuose incumbere valerent; propinquior vero, nempe Limana, studii generalis universitas a S. Fidei mille quingentis, et a Quitensi, civitatibus praefatis, nonagentis[3] milliaribus respective distabat, ac proinde alumni seminariorum praefatorum ad eamdem universitatem Limanam, propter locorum distantiam

1 Cf. Clementis X constit. infra citatam, et huius Pontificis constit. edit. MDCXCIII, die 28 septembris, pontif. III.

2 Edit. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

3 Sic legit edit. Main. (R. T.).

viarumque incommoda ac eorum paupertatem, accedere nequibant, ut ibidem gradus academicos consequerentur, unde flos inventutis earumdem regionum eiusmodi honore privatus remanebat, non sine Ecclesiae atque reipublicae detrimento; ideoque ipse Alphonsus plurimum cupiebat, eisdem alumnis indulgeri, ut, absolutis studiis, et praevio rigoroso examine, baccalaureatûs, magisterii et doctoratûs in philosophiâ gradus a rectoribus, praefectis et magistris supradictorum collegiorum suscipere valerent, quemadmodum recolendae memoriae Gregorius Papa XIII, etiam praedecessor noster, alumnis seminarii Romani per quasdam suas litteras concessisse reperiebatur: idem Clemens predecessor, supplicationibus dicti Alphonsi nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, per quasdam suas in simili formâ Brevis die XVII aprilis MDCLXXV expeditas litteras, praefatis alumnis seminariorum S. Fidei et Quitensis civitatum huiusmodi, ut, peractis studiis, praevioque rigoroso examine, baccalaureatûs ac magisterii et doctoratûs in philosophiâ et sacrâ theologiâ huiusmodi gradus in collegiis praedictis ab illorum respective rectoribus, praefectis et magistris suscipere, ipsique rectores, praefecti et magistri eosdem gradus dictis alumnis, servatâ tamen ceteroquin memoratarum Gregorii praedecessoris litterarum formâ et dispositione, conferre libere, licite et valide possent et valerent respective ad decennium a die praesentationis earumdem Clementis praedecessoris litterarum computandum, auctoritate apostolicâ concessit et indulsit; et aliàs, prout in ipsis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Preces superiorum collegiorum

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii rectores et praefecti studiorum S. Fidei et Quitensis collegiorum praefatorum nobis nuper exponi fecerunt, in eisdem collegiis non solum artium, sive philosophiae et sacrae theologiae, sed etiam decretorum sive sacrorum canonum lectiones habeantur, et ad animarum salutem Ecclesiaeque utilitatem plurimum expediat alumnos praedictos gradibus academicis etiam in decretis sive sacris canonibus huiusmodi, post peracta studiorum curricula, decorari: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Extensio indulti ad omnes gradus scientiarum et in perpetuum.

§ 3. Nos igitur, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, veris existentibus narratis, indultum a memorato Clemente praedecessore ad artes et sacram theologiam restrictum, ac ad decennium tantum concessum, ut praefertur, generaliter et indistincte absque ullâ temporis praefinitione ad omnes scientias quae in collegiis supradictis edocentur, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, ampliamus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et effica-

ces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis quae supradictis Clementis praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I septembris MDCXCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 septembris 1693, pontif. anno III.

---

## LXIV.

*Declarantur nulla edicta praetoris Cremonensis de celebratione festi sancti Dominici*[1].

1 Confer constit. Innoc. X infra citatam. In Innocentii XI constit. edit. MDCLXXVIII, die 28 novembris, pontif. III, nulla declarata fuere acta consilii regii Castellae contra nuntium apostolicum; et in Clementis XI constitutione ed. MDCCVI, die 16 ianuarii, pontif. VI, reprobantur acta curiae saecularis contra episcopum Carthaginensem.

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Romanus Pontifex, aequi[1] bonique supremus assertor in terris a Domino constitutus, ecclesiasticae potestatis iura sarta tecta tueri, ac adversus quaecumque, per quae illis aliquid detrimenti inferri posset, traditâ sibi divinitus auctoritate, vindicare tenetur, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, aequitati et iustitiae rectoque ordini consentaneum esse in Domino arbitratur.

Idem tentatum fuerat a senatu et gubernatore Mediolanensibus anno MDCXCIII contra quos Innocentii X constitutio edita VI octobris.

§ 1. Aliàs siquidem per felicis recordationis Innocentium Papam X praedecessorem nostrum accepto, quod senatus Mediolanensis, per litteras circulares datas die XX iunii MDCLIII, necnon tunc existens gubernator Status Mediolanensis, per edictum publicatum die XXX eiusdem mensis iunii, mandaverant observari festum sancti Dominici die IV mensis augusti cuiuslibet anni in toto illo Statu, praecipientes ut populi et subditi eiusdem Status abstinerent ab operibus servilibus et artifices tabernas et apothecas clausas tenerent, prout servatur ceteris diebus festis ex praecepto, et ulterius in edicto praedicto expressum fuerat, festivitatem esse celebrandam cum omni devotione et pietate christianâ: idem Innocentius praedecessor, considerans quam perniciosum auctoritati ecclesiasticae id esse posset, cum principes laici, quos in rebus Ecclesiae obsequendi potius manet necessitas quam auctoritas imperandi, non habeant facultatem indicendi dies festos in honorem Sanctorum, de tunc pariter existentium S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum, quibus negotium discutiendum commiserat, consilio, praefatas litteras ac edictum emanata auctoritate laicali super observatione festi-

1 Edit. Main. legit *aeque* (R. T.).

vitatis eiusdem sancti Dominici fuisse et esse omnino nulla, nulliusque roboris et momenti, nec aliquo modo servanda, apostolicâ auctoritate declaravit; et aliàs, prout in ipsius Innocentii praedecessoris desuper in simili formâ Brevis die VI octobris MDCLIII expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur.

Declaratio ut in rubrica, cum revocatione dictorum edictorum aliorumque gestorum.

§ 2. Cum autem, sicut ad apostolatus nostri notitiam non sine grave animi nostri dolore pervenit, modernus praetor civitatis Cremonensis, non modo per suum edictum, nuper, videlicet die XXVIII iulii proxime praeteriti, promulgatum, iisdem circularibus litteris senatus Mediolanensis, quas memoratus Innocentius praedecessor, sicut praemittitur, nullas declaravit, potissimum inhaerens, festum ipsius sancti Dominici in civitate Cremonensi praefatâ eiusque districtu ita de cetero singulis annis celebrari ordinaverit ut mercatores et artifices omnes eo die officinas suas clausas tenere, ceteri vero quicumque operum publicorum cessatione festum huiusmodi iisdem modo et formâ, quibus reliqua ex praecepto colenda festa celebrantur, observare deberent, verum etiam quasdam subinde super praemissis curiae episcopalis Cremonensis iussu publice affixas schedulas, quibus, ne propter eadem praemissa conscientias christifidelium scrupulis irretiri contingeret, nullam in festo praefato adesse obligationem audiendi missam, sed illud pro festo ex solâ devotione colendo habendum esse cavebatur, per curiae saecularis satellites e locis, ubi affixae fuerant, divelli ac lacerari curaverit, necnon insuper, per aliud edictum, postmodum, nempe die III augusti etiam proxime praeteriti, curiae Cremonensis nomine publicatum, praecedens edictum, nonnullis etiam additis ecclesiasticae iurisdictioni magis iniuriosis, confirmare et innovare praesumpserit, et aliàs prout in ambobus edictis huiusmodi, quae, non approbandi, sed penitus et omnino reprobandi animo, praesentibus itidem pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, plenius dicitur contineri: hinc est quod nos, ex debito pastoralis officii, quod humilitati nostrae, meritis licet et viribus longe impari, commisit divina dignatio, iurisdictionem ecclesiasticam praedictam a perniciosis huiusmodi laicorum conatibus illaesam et illibatam tueri et conservare cupientes, ac memorati Innocentii praedecessoris vestigiis inhaerentes, necnon omnium et singulorum, quae in praemissis seu eorum occasione quovis modo acta et gesta fuerunt, seriem, causas et circumstantias, aliave quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus similiter pro plene et sufficienter expressis et exacte specificatis habentes, de venerabilium fratrum nostrorum dictorum S. R. E. cardinalium iisdem sacris ritibus praepositorum consilio, edicta praefata a memorato praetore civitatis Cremonensis super observantiâ festi eiusdem sancti Dominici (sicut praemittitur) promulgata, aliave quaecumque in praemissis seu eorum occasione in praeiudicium iurisdictionis ecclesiasticae quovis modo acta, gesta et ordinata, cum omnibus et singulis inde secutis et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, inania, invalida, irrita, ac a non habente potestatem attentata, et de facto praesumpta, nulliusque omnino roboris et momenti esse et perpetuo fore, auctoritate praefatâ tenore praesentium declaramus. Et nihilominus, ad maiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et

singula, salvis tamen ulterioribus provisionibus in eisdem praemissis contra quoscumque etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignos a nobis et hac Sanctâ Sede quandocumque et quomodocumque capiendis, harum serie itidem perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi debere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae memoratus Innocentius praedecessor in suis litteris praefatis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I septembris MDCXCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 septembris 1693, pontif. anno III

---

## LXV.

*Declaratur et ampliatur constitutio abrogationis discretorum ad provincias Baeticae et Navarrae fratrum Cappuccinorum, cum nonnullis ordinationibus*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Constitutio laudata.

§ 1. Aliàs emanarunt a nobis ad supplicationem carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici litterae in simili formâ Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet. « *Innocentius Papa XII, ad perpetuam rei memoriam,* Nuper pro, etc.[2]. Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX martii MDCXCIII, pontificatus nostri anno II ».

Preces regis catholici pro declaratione et ampliatione de qua in rubrica.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte eiusdem Caroli regis per praedictum ducem denuo nobis nuper expositum fuit, in praeinsertis nostris litteris trium provinciarum regnorum utriusque Castellae dicti Ordinis, nempe Castellae Veteris et Novae nuncupatae, nec non Baeticae et Navarrae provinciarum distincta et expressa mentio facta non fuerit, quinimo nec in eisdem litteris provisum fuerit quod, loco supradictorum discretorum[3] conventualium, sicut praemittitur, sublatorum et remotorum, pro tempore existentes earumdem provinciarum definitores et custodes, necnon is saltem, qui novissime in illis provincialatus officio respective functus fuerit, in earum definitoriis et capitulis provincialibus votum seu suffragium respective habere debeant, quemadmodum

1 Laudata constitutio edita fuit MDCXCIII, die 29 martii, pontif. II, et in const. ed. MDCXCIV, die 5 aprilis, pont. III, ampliatur ad alias provincias.

2 Vide supra pag. 514 (R. T.).

3 Edit. Main legit *decretorum* (R. T.).

ipse Carolus rex, pro peculiari suo in Ordinem praedictum devotionis affectu, commune ipsarum provinciarum bonum promovendi studio ductus, nobis supplicari fecerat; ac proinde opportune in praemissis a nobis provideri, necnon praeterea, quod in provinciis praedictis capitula provincialia de sesquianno in sesquiannum celebrari debeant, quemadmodum felicis recordationis Clemens Papa X praedecessor noster pro omnibus eiusdem Ordinis provinciis per quasdam suas itidem in formâ Brevis anno MDCLXXVI desuper expeditas litteras praescripsisse dicitur, decerni et ordinari plurimum desideret: nos, pio ac laudabili dicti Caroli desiderio hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus eiusdem Caroli regis nomine nobis per praedictum ducem super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Congregationis cardinalium consilio, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus: remotionem et abolitionem discretorum conventualium in provinciis utriusque Castellae fratrum Ordinis Minorum eiusdem sancti Francisci Cappuccinorum factas, ut praefertur, expeditasque desuper litteras nostras praeinsertas, intelligendas esse non solum respectu provinciae utriusque Castellae Veteris scilicet et Novae, verum etiam respectu provinciarum Baeticae, vulgo Andalusiae, nec non Navarrae: et, quatenus opus sit, remotionem, abolitionem et nostras litteras huiusmodi ad supradictas provincias Baeticae et Navarrae auctoritate et tenore praefatis extendimus et ampliamus. Praeterea eâdem auctoritate harum serie decernimus, quod, vice et loco praedictorum discretorum in tribus provinciis huiusmodi, sicut praemittitur, sublatorum et abolitorum, definitores atque custodes et immediatus exprovincialis earumdem provinciarum in ipsarum respective definitoriis et capitulis votum habeant, dictarumque provinciarum capitulo de sesquianno in sesquiannum deinceps celebrari debeant.

Clausula.

§ 3. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Commissio exequutionis.

§ 4. Quocirca venerabili fratri Friderico Archiepiscopo Mediolanensi, moderno et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, ipsas praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte interesse in praemissis habentium, seu alicuius eorum, desuper fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ illos et eorum quemlibet praesentium litterarum et in eis contentorum eorumdem commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittens illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias et censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti

remedia, appellatione postpositâ, compescendo [1], legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, poenas ipsas etiam reiteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII, praedecessoris pariter nostri, de unâ, et concilii generalis de duabus dictis, dummodo ultra tres dictas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac provinciarum et Ordinis huiusmodi, aliisve quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, nec non omnibus et singulis illis quae in litteris praeinsertis concessimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII septembris MDCXCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 12 septembris 1693, pontif. anno III.

---

## LXVI.

*Confirmatur decretum universitatis tonsorum de Urbe contra venditores suarum tonstrinarum* [2].

1 Edit. Main. legit *compescendi* (R. T.).

2 A Clementis XI const. edit MDCCXII, die 12 maii, pontif. XII, confirmantur statuta huius universitatis.

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Causae decreti.

§ 1. Exponi nuper fecerunt dilecti filii consules et universitas barbitonsorum almae Urbis nostrae, quod (cum, non sine gravi eorum artis detrimento, saepe contingat a nonnullis barbitonsoribus, sub praetextu quod dictam artem relinquere, et sive in patriam redire, sive principum vel aliorum primariorum virorum servitiis sese addicere velint, suas tonstrinas, prout est adventorum ad eas frequens numerus, quanti plurimi vendi; postea vero, in fraudem emptorum, novas tabernas tonsorias, aliquando quidem sub specie balnei, seu stufae, revera tamen nonnisi ad ea, quae barbitonsorum sunt, inibi exercenda, aperiri, atque illuc tonstrinarum a se venditarum adventores abduci) consules praedicti, praemissis consideratis, quo via dolis et fraudibus huiusmodi in posterum obstruatur, vigore facultatis sibi ad id per speciale rescriptum nostrum attributae, unà cum nonnullis aliis eiusdem universitatis officialibus, novissime statuerunt, sive decreverunt, ut de cetero suarum tonstrinarum venditoribus novas tabernas tonsorias, etiam sub specie balnei seu stufae, nonnisi post duos annos a die, quo suas tonstrinas praedictas vendiderint, aperire liceat, ita ut pro tempore existentes consules dictae universitatis tabernas illas, quae contra statuti seu decreti praedicti formam apertae fuerint, claudi facere valeant; ipsis tamen suarum tonstrinarum huiusmodi venditoribus unam ex tarbernis tonsoriis antiquis, quae a tonstrinâ venditâ intervallo ducentarum saltem cannarum mensurae romanae distet, emere minime prohibitum intelligatur.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expo-

sitio subiungebat, dicti exponentes statutum seu decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, statutum seu decretum praedictum a supradictis consulibus factum, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae universitatis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, seu quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene ac de verbo ad verbum expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV septembris MDCXCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 septembris 1693, pontif. anno III.

---

## LXVII.

*Declaratur et ampliatur Clementis X constitutio pro collegiis S. Fidei et Quitensis, Societatis Iesu in Indiis Occidentalibus de conferendis, tamquam in universitate, doctoris licentiati et magistri gradibus* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Causae constitutionis Clementis X, qua graduati in dictis collegiis censentur tamquam graduati in universitatibus. § 1. Aliàs felicis recordationis Clementi PP. X praedecessori nostro pro parte tunc existentium rectorum collegiorum civitatum Quitensis et S. Fidei novi regni Granatensis in Indiis Occidentalibus Societatis Iesu ac praefectorum studiorum earumdem civitatum exposito quod (cum in regnis carissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum regi catholico subiectis una ex qualitatibus, quas habere debebat qui volebat per concursum obtinere canonicatum et praebendam doctoralem vel magistralem cathedralium ecclesiarum dictorum regnorum, haec esset, quod lauream docto-

1 Vide supra pag. 518.

ratûs, licentiaturae vel magisterii accepisset in aliquâ studiorum universitate, vel in collegio S. Clementis Bononiensis per bonae memoriae Ægidium Albernotium, dum vixit, S. R. E. cardinalem fundato, prout in litteris recolendae memoriae Sixti IV et Leonis X Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum desuper emanatis uberius dicebatur contineri; in dicto autem novo regno Granatensi nulla adesset universitas studiorum tam sacrorum canonum et iuris civilis quam theologiae, et propinquior universitas esse in civitate Limanâ regni Peruani, quae per quingentas a S. Fidei et per trecentas a Quintensi civitatibus praefatis leucas respective distabat; et dilecti quidem filii clerici regulares dictae Societatis in eisdem civitatibus Quintensi et S. Fidei artes et theologiam docerent, ac praefectus[1] studiorum ibidem, vigore facultatis a piae memoriae Gregorio PP. XIII etiam praedecessore nostro per quasdam suas litteras incipientes *Quanta in vineâ Domini*, anno Incarnationis dominicae MDLXXVIII IX maii emanatas concessae, promoveret ad gradus philosophiae et theologiae, ac lauream doctoris, licentiati et magistri quibuscumque in scholis dictorum collegiorum studentibus conferret, verum dicti studentes a praefato praefecto studiorum ita graduati et laureati, si vellent concurrere ad canonicatus et praebendas doctorales vel magistrales supradictarum cathedralium ecclesiarum, oppositionem haberent, sub praetextu quod non essent iuxta dictas Sixti et Leonis praedecessorum litteras in universitatibus, vel in dicto collegio S. Clementis Bononiensis graduati, et alii concurrentes idcirco illos a concursu excludere tentarent) inde fiebat ut studentes dicti novi regni Granatensis, quo gradibus huiusmodi decorarentur, longum iter ad memoratam universitatem Limanam, civitatibus praedictis ut praefertur propinquiorem, suscipere, magnosque sumptus facere, ac etiam multis maris terraeque periculis se se exponere cogerentur; et in eâdem expositione subiuncto, quod praedictus Leo praedecessor supradictas Sixti praedecessoris litteras, quae ad graduatos in universitatibus studiorum restrictae erant, ad graduatos in dicto collegio S. Clementis Bononiensis extenderat, dicti vero rectores collegiorum et praefecti studiorum earumdem civitatum easdem litteras ad graduatos in dictis collegiis Quitensi et S. Fidei pariter extendi plurimum desiderabant, quo in his collegiis laureati et graduati ad canonicatus et praebendas doctorales et magistrales praedictos concurrere valerent: idem Clemens praedecessor, supplicationibus dictorum rectorum et praefectorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, auctoritate apostolicâ indulsit et declaravit ut laureati in praedictis collegiis Societatis Iesu, donec aliqua publica universitas proximior erecta fuisset, ac si in publicis universitatibus censerentur laureati, ideoque capaces ad obtinenda quaecumque beneficia huiusmodi gradum publicae universitatis ad praescriptum constitutionum apostolicarum et sancti Concilii Tridentini requirentia redderentur; et aliàs, prout in eiusdem Clementis praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XXX maii MDCLXXIV expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, uberius continetur.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii moderni rectores et praefecti[1] studiorum Causa dictae declarationis et ampliationis.

1 Edit. Main. legit *praefectos* (R. T.).

1 Ed. Main. legit *praefati* pro *praefecti* (R.T.).

S. Fidei et Quitensis collegiorum praedictorum nobis nuper exponi fecerunt, praefatae Clementis praedecessorris litterae ad eos, qui in artibus, sive philosophiâ et sacrâ theologiâ dumtaxat doctoris, licentiati et magistri gradus in supradictis collegiis susceperint, restrictae videantur, revera tamen in iisdem collegiis gradus huiusmodi, non modo philosophiâ et theologiâ praedictis, sed etiam in aliis omnibus scientiis, quae inibi edocentur, ac praesertim in decretis, sive sacris canonibus, ex novissimo huius Sanctae Sedis indulto conferantur: nobis propterea iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Declaratio et ampliatio ad alios gradus.

3. Nos igitur, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dictâ auctoritate tenore praesentium declaramus, indultum a memorato Clemente praedecessore concessum, ut praefertur, intelligendum esse etiam de iis, quibus in collegiis praedictis iidem gradus in decretis seu sacris canonibus supradictis collati fuerint; et nihilominus, quatenus opus sit, idem indultum ad eos, qui inibi dictos gradus etiam in decretis sive sacris canonibus huiusmodi, sicut praemittitur, susceperint, servatâ tamen ceteroqui praedictarum Clementis praedecessoris litterarum formâ et dispositione, auctoritate et tenore praedictis extendimus et ampliamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis actoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in supradictis Clementis praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII septembris MDCXCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 28 septembris 1693, pontif. anno III.

---

## LXVIII.

*Revocantur et reducuntur ad formam ordinariam peculiaria indulta testandi quibusdam cardinalibus, aliisque concessa, servatâ tamen Clemen-*

*tis IX eorumdem indultorum ampliatione* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Ut iudicium nostrum de vultu Dei prodeat, et oculi eius videant aequitates, acceptionem personarum, quae apud eumdem Deum non est, nullis humilitatis nostrae suffragantibus meritis, sed quantum nobis ex alto concessum est, arcere impense studuimus, illamque etiam a quibusdam indultis, quae a Romanis pontificibus praedecessoribus nostris concessa accepimus, seu quae in posterum concedentur, congruâ moderatione eliminare desideramus; nam, cum unum corpus simus in Christo, singuli autem alter alterius membra, grave videri non debet, si, qui in Ecclesiâ uni Domino famulantur, unâ eâdemque libertate congaudeant, et praesertim qui in eodem gradu sunt constituti, aliquando providis sanctionibus ad aequalitates reducantur, ut, sicut pari dignitate praefulgent, dispari nimis privilegio seu indulto non distinguantur; pondus enim et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile est apud Deum.

Causa constitutionis. § 1. Cum itaque praefati praedecessores nostri S. R. E. cardinalibus, qui pro ipsius Ecclesiae statu salubriter dirigendo assidue laborare non cessant, facultatem de fructibus ecclesiasticis et de bonis exinde seu aliàs quaesitis disponendi, tam in ultimâ voluntate quam aliàs, et respective eorum haeredibus ab intestato in praemissis succedendi, sub quadam moderatâ et congruâ formâ, de benignitate Sedis Apostolicae concedere consueverint; vice autem versâ nonnulli ex iisdem praedecessoribus, huiusmodi moderationem seu formam ampliantes, suis sive veris sive adscitis consanguineis vel affinibus et forsan etiam nonnullis aliis S. R. E. cardinalibus longe maiora indulta, et cum amplioribus facultatibus, modis, circumstantiis, clausulis, cautelis et derogationibus, concesserint; et propterea, sicut aliis nostris anno Incarnationis dominicae MDCXCII, X kalendas iulii, expeditis litteris modum circa donationes et redditnum ecclesiasticorum distributionem in consanguineos vel affines Romani Pontificis pro tempore existentis inviolabiliter servandum salubri moderatione praescripsimus, ita etiam huiusmodi indultorum ampliationibus, differentiis, ut praefertur, inter eiusdem S. R. E. cardinales, hac nostrâ speciali constitutione occurrere et opportune providere cupientes: motu proprio, non ad cuiusquam nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia quaecumque et singula indulta testandi, seu aliàs disponendi, et respective ab intestato succedendi, omnibus et singulis cardinalibus, praefatorum Romanorum Pontificum praedecessorum, qui illa concesserunt, consanguineis vel affinibus, seu illorum loco adlectis vel adscitis, et forsan etiam nonnullis aliis, quomodocumque, qualitercumque et quandocumque, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, modis, cautelis, circumstantiis, qualitatibus, et cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, et irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ ac potestatis plenitudine paribus, et ex quacumque causâ, etiam meritorum seu remunerationis la-

[1] In const. ed. MDCXCII, die 21 iunii, pontif. I, extat reformatio circa donationes et distributiones bonorum ecclesiasticorum in consanguineos vel affines Romani Pontificis.

borum et onerum, et aliàs quomodolibet, insimul vel ad partes, et semel, pluries, et quantiscumque vicibus et modis concessa, innovata et confirmata; eorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, pro plene et sufficienter expressis habentes, prorsus, omnino et irrefragabiliter moderamur, et ad terminos, modum et tenorem et formam ordinariam indultorum testandi, seu aliàs disponendi, et respective ab intestato succedendi, omnibus aliis eiusdem S.R.E. cardinalibus concedi solitorum, penitus, omnino ac in omnibus et per omnia reducimus: revocantes, cassantes ac irritantes prorsus et inane remanere et fore mandantes, quidquid in indultis ad favorem cardinalium consanguineorum seu affinium et forsan nonnullorum aliorum, ut praefertur, contra, praeter vel ultra modum et formam ordinariam cum omnibus aliis cardinalibus in praedictis servari solitam, fuerit quoquo modo concessum, indultum seu elargitum, perinde ac si praefata indulta ad favorem praedictorum cardinalium consanguineorum vel affinium, et forsan aliorum, ut praefertur, in hac parte seu in eis partibus non emanassent.

Mandatum servandi ordinariam formam in concedendis dictis indultis, quae aliàs nulla declarantur.

§ 3. Ad haec, cupientes super praemissis et circa ea similiter in posterum providere, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, statuimus, decernimus et ordinamus, quod illud idem, quod superius circa concessa indulta constituimus et mandavimus, similiter in quibuscumque indultis et facultatibus huiumodi, quae deinceps singulis eiusdem S. R. E. cardinalibus Romani Pontificis pro tempore viventis, ut praefertur, consanguineis vel affinibus sive veris sive adlectis et adscitis, et forsan etiam nonnullis aliis, etiam per nos et Romanos Pontifices successores nostros dictamque Sedem Apostolicam pro tempore concedentur, omnino et ad unguem debeat observari; quodque huius[1] indulta seu omnes litterae apostolicae desuper tam per Cancellariam quam per Cameram apostolicam, ac etiam per viam secretam, sive de Curiâ, vel sub annulo Piscatoris, sive aliàs, absque moderatione, reductione, aliisque praefatis, ac aliàs praeter vel contra formam et tenorem praesentis constitutionis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, etiam cum praesentium speciali et expressâ derogatione, ac sub quibusvis verborum tenoribus et formis, et cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et irritantibus, et aliis decretis, in genere vel in specie, pro tempore concedendae seu expediendae, in eâ parte seu in illis partibus quae erant[2] contra, praeter vel ultra formam ordinariam cum omnibus aliis cardinalibus in praedictis servari consuetam, nullius sint roboris et momenti, nec cuiquam, ac si non emanassent, suffragentur.

Confirmatio ampliationis dictorum indultorum a Clemente IX factae.

§ 4. Ceterum, perpendentes, universum eiusdem S. R. E. cardinalium collegium tamquam senatum universalis Ecclesiae in excolendâ vineâ Domini nobiscum assidue collaborare, ac propterea operae pretium ac congruum fore, ut, omni personarum acceptatione sublatâ, eosdem omnes et singulos cardinales potius amplioribus privilegiis et gratiis circa indulta huiusmodi pariformiter complectamur et communiamus: cum itaque felicis recordationis Clemens Papa IX, praedecessor noster, privilegia et facultates testandi praefatorum S. R. E. cardinalium ad illos etiam fructus extenderit et ampliaverit, qui, si naturales

1 Aptius lege *huiusmodi* (R. T.).
2 Potius lege *erunt* (R. T.).

essent, et a solo in quo sunt producti legitime et iuxta rei naturam fuissent sublati, et a manibus colonorum vel aliorum quorumcumque debitorum percepti, licet in horreis ecclesiarum vel in quovis alio loco adhuc inconsumpti, vel nullo modo aliis ipsorum cardinalium bonis immixti aut eorum patrimonio incorporati reperirentur, si vero civiles essent, postquam dies solutionis advenisset, fuissent per quoscumque debitores quomodolibet persoluti, et ad manus cardinalium vel eorum ministros pervenissent, seu in aliquo loco publico ad eorumdem creditum fuissent depositi; idque etiam idem praedecessor servari voluisset in terminis quomodolibet debitis pro affictibus bonorum et iurium quorumcumque, quos in dictis facultatibus comprehendi voluit et mandavit, si, modo quo supra, fructus tam civiles quam naturales, conductoribus et affictuariis locati et concessi, per illos fuissent percepti, quamvis termini solutionis affictuum per locatores fuissent posticipate conventi; et aliàs, prout in eiusdem Clementis cedulâ motusproprii, sub datum pridie kalendas martii, pontificatus sui anno primo, uberius continetur: hinc est quod, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, praefatam cedulam motusproprii, cum omnibus et singulis in eâ contentis, nedum amplissime et plenissime confirmamus et approbamus, sed, quia accepimus eamdem cedulam non fuisse pacifice observatam, seu illius executionem per varias interpretationes fuisse controversam et retardatam, omnino volumus et quibuscumque non obstantibus mandamus illam inviolabiliter observari, et, sublatâ quacumque contrariâ interpretatione, omnimodae exequutioni demandari; praesentibus pro tempore existentibus Camerae nostrae thesaurario generali, clericis praesidentibus, commissario pariter generali, ceterisque dictae Camerae officialibus et ministris, et quibuscumque aliis enixe prohibentes, ne in totum vel aliquâ in parte etiam minimâ effectum et exequutionem memoratae cedulae motusproprii, necnon praesentis nostrae constitutionis, in hac parte quoquo modo impediant vel retardent, minusque ad supradictorum fructuum, in praefatâ cedulâ motusproprii, ut praefertur, contentorum, incamerationem procedant, nec pro illis aliquam compositionem, ratam, portionem seu quantitatem etiam minimam quomodolibet sub quovis praetextu, causâ, quaesito colore et contrariâ interpretatione consequi seu praetendere valeant. Et nihilominus, ad maiorem cautelam, omnia et singula, quae in eâdem cedulâ continentur, hac in perpetuum valiturâ constitutione iterum et ex integro plenissime et amplissime servari mandamus, decernimus et sancimus; salvâ tamen et firmâ in ceteris, quae praefatae cedulae dicti Clementis praedecessoris non adversantur, remanente constitutione piae memoriae Urbani Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, quoad fructus beneficiorum inexactos, sub datum v aprilis anno Domini MDCXXVIII et pontificatus sui v, quam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus in omnibus et per omnia plenissime et amplissime praesentium tenore confirmamus, approbamus et innovamus.

Revocatio et reductio similium indultorum aliis personis concessorum et concedendorum.

§ 5. Quod si forsan aliqui, quocumque etiam patriarchali, archiepiscopali, episcopali, vel aliâ qualibet dignitate, gradu vel munere fungentes seu functuri, huiusmodi vel etiam in aliquâ parte similia indulta seu facultates quomodocumque, qualitercumque et quandocumque, et sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac quibuscumque

etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, et ex quacumque causâ, etiam meritorum, insimul vel ad partes, et semel vel pluries, ab eâdem Sede Apostolicâ antehac[1] assequuti fuerint, seu in posterum assequentur, convenire pariter existimamus ne iisdem[2] maioribus favoribus et gratiis quam praedicti S. R. E. cardinales potiantur et gaudeant. Ideoque, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, si quid in huiusmodi concessis vel concedendis indultis forsan contineretur, quod memoratis cardinalibus concedi, ut praefertur, non consueverit[3], in omnibus et singulis illis partibus, in quibus aliquid ultra seu contra tenorem et formam ordinariam cum dictis cardinalibus servari solitam fuerit quomodolibet concessum seu concedetur, iisdemmet modo, formâ, et cum revocationibus aliisque praemissis, moderamur, et ad terminos seu limites et formam ordinariam dictorum indultorum, omnibus cardinalibus, ut praefertur, concedi solitorum, in omnibus et per omnia, tenore praesentium, reducimus.

Clausulae. § 6. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod omnes et singuli supradicti, et alii quicumque, cuiusvis status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae et dignitatis, in praemissis quomodolibet ius vel interesse habentes seu habere praetendentes, iisdem praemissis non consenserint, nec ad ea vocati, citati seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari et audiri, semel vel pluries, quoquo modo debuissent, aut ex aliâ quacumque quantumvis piâ, iuridicâ, privilegiatâ et rationabili, ac etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, causâ et occasione, colore seu praetextu, titulo, etiam oneroso, et capite, etiam in corpore iuris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam maximo, substantiali, essentiali et formali aut incogitato defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, rescindi, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare nullatenus posse, sed ipsas praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque et quomodocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. camerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Camerae praesidentes clericos, et alios quoscumque, quavis auctoritate, praeeminentiâ et potestate fungentes et quadocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam,

1 Edit. Main. legit *ante hoc* (R. T.).
2 Forsan legendum *iidem* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *consueverint* (R. T.).

quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, et signanter illâ quod cardinales in constitutionibus et regulis per nos edendis non comprehendantur, nisi illae eorumdem cardinalium favorem concernant, vel ipsae edendae constitutiones de illorum seu maioris partis eorum consilio editae fuerint, ac etiam de iure quaesito non tollendo, illisque omnibus, quae praefati Urbanus et Clemens praedecessores in memoratis constitutione et cedulâ motusproprii respective voluerunt non obstare, necnon recolendae memoriae Pii Papae IV, pariter praedecessoris nostri, de gratiis, qualecumque interesse Camerae praedictae concernentibus, in[1] eâdem Camerâ, eiusque libris, intra certum inibi espressum tempus, praesentandis, insinuandis et registrandis, itaut easdem praesentes litteras ibidem praesentari, insinuari, aut registrari nunquam necesse sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et dictae Camerae aliisque quibuslibet decretis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibuscumque, sub quibusvis, et cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, et consistorialiter, ac aliàs quomodolibet, in contrarium praemissorum concessis, editis, confirmatis et approbatis, ac pluries et quantiscumque vicibus innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaelibet alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter ac exactissime expressis, insertis, servatis et specificatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse ac plenissime et amplissime derogamus et derogatum esse volumus et mandamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 8. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum moderationum, reductionum, revocationis, cassationis, mandatorum, statuti, decretorum, ordinationis, confirmationum, approbationum, voluntatum, prohibitionis, sanctionis, innovationis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCXCIII, idibus octobris, pontif. nostri anno III.

Dat. die 15 octobris 1693, pontif. anno III.

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

LXIX.

*Confirmatur decretum Congregationis particularis super nonnullis dubiis a fratribus Tertii Ordinis sancti Francisci propositis* [1].

**Innocentius Papa XII,
ad futuram rei memoriam.**

Decretum dictae Congregationis.

§ 1. Nuper a particulari Congregatione nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus in causà fratrum Tertii Ordinis sancti Francisci a nobis deputatà emanavit, super quibusdam dubiis in eàdem Congregatione propositis, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

« In causà Tertii Ordinis sancti Francisci, propositis infrascriptis dubiis, videlicet:

I. An, iuxta aliàs disposita in constitutione sanctae memoriae Pauli III de anno MDXLIX, servanda sit alternativa in electione generalis.

II. An decernendum sit etiam absentes a capitulo posse eligi in generalem.

III. An prohibendum sit ne quis gradum assecutus eligi possit in generalem vel procuratorem generalem.

IV. An procurator generalis eligendus sit a patre generali vel a capitulo.

V. An prohibendum sit ne proxime futurum capitulum generale celebretur Bononiae.

VI. An prohibendum sit ne pater generalis titulum provincialis conferat religiosis simplicibus.

VII. An prohibendum sit ne pater generalis deputet commissarios generales ad tempus indefinitum et ad omnes causas.

VIII. An prohibendum sit ne in congregationibus generalibus, vel capitulis intermediis, fiant novae constitutiones aut decreta, prout praetenditur factum fuisse in praeteritum, etiam contra constitutiones Ordinis:

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum dominorum cardinalium Cybo, de Carpineo, Casanate, de Norfolcia, de Laurea et Panciatici, a sanctissimo domino nostro particulariter deputata, et partibus ore et scriptis informantibus, respondit:

Ad 1$^{um}$: Deinceps non posse, nisi post duo capitula generalia, seu post duo sexennia, eligi generalem ex illà provincià ex qua fuerit generalis antecessor immediatus; quae tamen prohibitio minime intelligatur de procuratore generali, qui etiam intra dictum tempus ex praefatà provincià eligi possit.

Ad 2$^{um}$: Quemlibet religiosum, licet a capitulo absentem, sed ceteroquin praeditum omnibus qualitatibus per constitutiones Ordinis requisitis posse eligi in generalem.

Ad 3$^{um}$: Attento novo privilegio sanctissimi domini nostri Innocentii XII conferendi doctoratus et magisterii lauream, tam eligendum in generalem quam in provincialem debere esse magistrum.

Ad 4$^{um}$: Procuratorem generalem eligendum esse a definitorio tam capituli generalis quam capituli intermedii, et in casu illius deficientiae, ob mortem, renunciationem, vel aliam quacumque causam, extra tempus praedictorum capitulorum, eligendum esse a patre generali, cum approbatione sanctae Sedis Apostolicae, usque ad capitulum generale, seu capitulum intermedium proxime futurum, ita tamen ut ipse procurator generalis nunquam eligi possit ex illà provincià ex qua sit generalis.

Ad 5$^{um}$: Proxime futurum capitulum

1 De observantià constitutionum quoad laicos et oblatos, vide Innocentii XI, constitutionem editam MDCLXXXVIII, die 13 martii, pontif. XII; et, de electione ministri provincialis, Clementis XI constit. edit. MDCCVIII, die 9 augusti, pontificatus VIII.

esse convocandum et celebrandum in Urbe.

Ad 6$^{um}$: Titulos esse conferendos iuxta modum praescriptum in constitutionibus Urbani pro Minoribus Conventualibus, tit. XXI, num. 5.

Ad 7$^{um}$: Patrem generalem non posse nec debere deputare commissarium generalem, nisi quando ipse egreditur fines Italiae, et pro eo dumtaxat tempore quo extra Italiam commoratur.

Ad 8$^{um}$: Exhibenda et examinanda esse decreta ut asseritur facta, non retardatâ interim eorumdem executione.

Romae die XXIX maii MDCXCIII.

Et factâ sanctissimo de praemissis relatione, Sanctitas Sua Congregationis sententiam in omnibus benigne probavit. Romae VI octobris MDCXCIII ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut venerabilis frater noster Alderanus episcopus Ostiensis S. R. E. cardinalis Cybo nuncupatus, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protector, nobis subinde exposuit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum Alderanum episcopum, cardinalem et protectorem specialis favore gratiae prosequi volentes, eius supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, ac omnia et singula in eo contenta et expressa, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, aliisvè quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX octobris MDCXCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 19 octobris 1693, pontif. anno III.

## LXX.

*Confirmantur decreta super collatione lecturarum provinciae Castellae fratrum Eremitarum sancti Augustini* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Decretum definitorii provinciae anno MDCXCI die IV octobris.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Alphonsus Dominguez, frater expresse professus Ordinis eremitarum sancti Augustini ac procurator provinciae Castellae dicti Ordinis, quod aliàs [2], nempe die IV octobris MDCXCI, tunc existentes prior generalis et definitorium eiusdem provinciae, in capitulo intermedio congregati pro rectâ studiorum ipsius provinciae dispositione, decretum, quo modus conferendi lecturas eiusdem provinciae praescribitur, ediderunt, tenoris qui sequitur, videlicet: « Definitorium provinciae Castellae sancti patris nostri Augustini in capitulo intermedio congregatum die IV mensis octobris anno Domini MDCXCI, cum mature consideraverit quantum intersit provinciae recta studiorum dispositio, et quod lecturae conferantur benemeritis, decernit omnes lecturas artium huius nostrae provinciae conferri debere publico oppositionum concursu, hoc ordine faciendo. Assignatur dies fixa et certa ad incipiendas oppositiones feriâ secundâ post dominicam quintam post Pascha cuiuscumque anni, et habitâ licentiâ reverendi admodum patris provincialis pro tempore existentis (quae nisi iis, qui per quatuor integros annos theologiam audierint, non est concedenda), venient Matritum promovendi, afferendo secum testimonium suae professionis; et illis secundum ipsorum antiquitatem assignabitur dies ad legendum, itaut antiquior incipiat dictâ feriâ secundâ; et leget quotidie unus aut duo, si patribus iudicibus concursûs bene visum [1] fuerit, assignatis punctis, in Aristotele, sicut mos est in examinibus artium, eliget unum, supra quod intra spatium vigintiquatuor horarum lectionem unius horae completae in gymnasio theologico nostri collegii Matritensis dominae Mariae de Aragon coram omnibus, sicut fit in oppositionibus cathedralium universitatum, et post lectionem arguet unus ex oppositoribus, qui immediate legerit, et contra primum legentem arguat ultimus in antiquitate; postea arguent ambo patres regentes dicti collegii, et, si libuerit, aliquis ex patribus iudicibus concursûs, itaut in arguendo altera consumatur hora; finitis autem oppositionibus, ultimâ die convenient patres iudices, et secundum Deum et sanam conscientiam suis suffragiis, schedulis inscriptis, declarabunt quisnam ex oppositoribus sibi magis benemeritus [2] videatur; et qui per plura suffragia primus reperietur, ita publicabitur et scribetur ut talis; et procedetur ad secundum, et ad tertium, et ad ceteros; et si contigerit duos ex oppositoribus aequalia suffragia sortiri, ambo in ipso gradu scribantur in libro, quem mandamus asservari semper ad hunc effectum in archivio dicti collegii dominae Mariae de Aragon, in quo singulis annis scribetur oppositio facta, oppositores, et in quo gradu et ordine quis approbatus fuerit; quod totum subscribetur a patribus iudicibus concursûs infra designandis. Et copia dictae oppositionis et regula subscripta utique a dictis patribus remittetur reverendo admodum patri provinciali pro tempore existenti, qui, sub poenis a reverendissimo patre ge-

1 De numero magistrorum vid. constit. edit. MDCXCII, die 28 septembris, pontif. II; et Clementis XI const. ed. MDCCX, die 20 maii, pontif. X.
2 Edit. Main. legit *alii* pro *aliàs* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *bene risus* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *benemeritis* (R. T.).

nerali praescribendis huius confirmatione decreti, lecturas distribuet eo ordine, quo fuerint approbati a patribus iudicibus concursûs, conferendo meliorem priori in ordine designato, secundam in secundo, et non aliter. Declaramus in primo gradu esse lecturas conventuum, qui vocantur magni, et inter eas Pampilonensem. Nominamus in iudices concursûs reverendum admodum patrem provincialem pro tempore existentem, quatuor patres magistros antiquiores in provinciâ qui tempore concursûs potuerint interesse, et duos patres regentes dicti nostri collegii. Et si aliquis ex quatuor patribus magistris defuerit legitime impeditus, eius loco intererit magister antiquior ab illis, et si defuerit aliquis ex regentibus, eius loco ingredietur lector iubilatus antiquior qui tempore concursûs fuerit Matriti; et si pater lector collegii defuerit, eius locum supplebit pater rector absolutus immediatus existens Matriti tempore oppositionum, itaut semper sint septem ad minus iudices dicti conventûs[1]. Item declaramus oppositores, qui in unâ oppositione lecturam non obtinuerint, posse adhuc admitti ad secundam et tertiam pro distinctis annis; attamen ter repulsam passum, incapacem ut amplius admittatur ad similes oppositiones, nec reverendus pater provincialis pro tempore existens licentiam amplius concedere possit ut se ad concursum exponat, et a iudicibus nullatenus admittatur, sub poenis a reverendissimo patre generali praescribendis, prout sibi bene in Domino videbitur expedire ». Et subinde tunc etiam existens prior generalis eiusdem Ordinis decretum praeinsertum confirmavit per suum pariter decretum tenoris sequentis, nempe: « Magister frater Fulgentius Travalloni a Monte Elparo Giorginas, totius Ordinis fratrum eremitarum sancti patris nostri Augustini prior generalis. Cum decretum supra relatum de promovendis ad lecturas in nostrâ provinciâ Castellae, praevio concurrentium examine, augmento studiorum et doctrinae valde utile futurum sit, illud, vigore praesentium, nostrique muneris auctoritate, necnon de consilio admodum reverendòrum patrum assistentium, approbamus et confirmamus, atque pro ipsius inviolabili executione praecipimus patri provinciali pro tempore existenti, ceterisque concursûs iudicibus assignatis, in virtute Spiritus Sancti, et sub poenâ privationis utriusque vocis et inhabilitatis ad omnia officia omnibus futuris temporibus óbtinenda, nec ad lecturas artium aliter admittant aut promoveant, nisi sub praescriptis memorati decreti conditionibus, prout concurrentes maiori praerogativâ fuerint digniores. Quod si secus fieri contigerit, aliquâ praemissarum conditióne omissâ, tam pater provincialis quam iudices superius praefixis poenis ipso facto subiaceant, et nihilominus promotiones ipsae lectorum irritae ac nullius valoris habeantur. Datum in conventu sancti patris Augustini de Urbe, die v iunii MDCXCII. Frater FULGENTIUS TRAVALLONI prior generalis. Magister NICOLAUS SERRANO Ordinis secretarius ».

*Confirmatio relatorum decretorum.*

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Alphonsus procurator decreta huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrócinio communiri summopere desideret: nos, eumdem Alphonsum procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis oc-

1 Forsan legendum *concursûs* (R. T.).

casione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, decreta praeinserta a memoratis priore provinciali et definitorio[1], ut praefertur, cum omnibus et singulis in eis respective contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX octobris MDCXCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 19 octobris 1693, pontif. anno III.

1 Fors. deest *sancita* aût *lata* aut simile (R.T.).

---

## LXXI.

*Conceditur et statuitur, ut studentes coenobiorum S. Marci Florentini, S. Dominici Fesulani, S. Iacobi, S. Miniatis sua studia peragant in coenobiis strictae Observantiae et lecturas obtinere queant* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium. Militantis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, ad ea, per quae christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum laudabilibusque institutis suis inhaerentium statui et felici directioni opportune consulitur, propensis studiis intendimus, ac in illis commissi nobis caelitus officii partes interponimus, sicut rationi consentaneum esse in Domino arbitramur.

Species facti et causae huius constitutionis. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres studentes seu alumni S. Marci Florentini, S. Dominici Fesulani et S. Miniatis respective conventuum Ordinis Praedicatorum,

1 De numero magistrorum vide Innocentii XI const. edit. MDCLXXVII, die 20 novembris, pontif. II, et huius pontificis const. edit. MDCXCV, die 22 septembris, pont. V; in const. vero ed. MDCXCVII, die 23 iulii, pontif. VI, agitur de electione lectorum Congregationis S. Marci.

quod ipsi, tametsi habitum per fratres dicti Ordinis gestari solitum in conventibus praedictis susceperint, atque inibi quamexactissime constitutiones eiusdem Ordinis, iuxta praescriptum decretum[1] felicis recordationis Clementis VIII et Alexandri VII, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac specialium ordinationum Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae, observare hactenus studuerint, et adhuc studeant de praesenti, illisque superiores Ordinis praedicti polliciti fuerint se eis potestatem facturos eamdem plane vitae rationem, quam in conventibus supradictis inierant, Deoque spoponderant, continuandi; nihilominus de praesenti pro suis studiis prosequendis in eos dicti Ordinis conventus se conferre compelluntur, in quibus illud vivendi genus, cui ipsi in vim constitutionum praedictarum ac solemnium suorum votorum addicti reperiuntur, minime servatur. Quocirca exponentes praedicti, imbecillitatis suae probe conscii, se in suscepto instituto permanere posse diffidunt, ac pluribus illorum, qui, postquam aliquando studiorum causâ in conventus huiusmodi se transtulerant, nunquam ad pristinam vitae normam redierunt, exemplis edocti, ne sibi similiter ab arrepto proposito declinare contingat, summopere verentur, nisi a nobis districte prohibeatur ne ipsi, sub praetextu studiorum, a conventibus primodictis amoveri valeant, vel saltem decernatur ut nonnisi in alios conventus, in quibus revera tum vita communis observetur, tum regularis observantia vigeat, mitti debeant, quemadmodum per quoddam decretum a recolendae memoriae Innocentio PP. X etiam praedecessore nostro editum, et in capitulo generali Ordinis praefati in hac almâ Urbe die v iunii MDCL celebrato, ordinatione VI incipiente *De nutu iussuque, etc.*, acceptatum, necnon per aliud similiter decretum alterius capituli generalis eiusdem Ordinis Vallisoleti anno MDCV habiti, ordinatione XVI incipiente *In quibus, etc.*, praescriptum fuisse dicitur; quorum decretorum vigore quondam Ioannes Baptista de Marinis, dum vixit, magister generalis Ordinis supradicti, necnon venerabiles fratres Ioannes Thomas de Rocaberti Valentinus ac Antonius de Monroy Compostellanus respective archiepiscopi, dum munere itidem magistri generalis Ordinis huiusmodi respective fungebantur, nunquam permiserunt quod iuvenes, in primodictis conventibus educati, sacrarum bonarumque litterarum studiis alibi quam in conventibus strictae observantiae incumberent; unde vel eis, ut eadem studia in conventibus primodictis prosequi possent, concesserunt, vel potius illos in strictissimae observantiae provinciam Toletanam, sive congregationem B. Iacobi Venetiarum eiusdem Ordinis, ne scilicet minus perfectorum religiosorum contubernio eorum in viâ Domini fervor tepesceret, transmiserunt. Quinimo, cum in conventibus primodictis religiosorum ac praecipue studiosorum numerus excrevisset, dictus Antonius archiepiscopus tunc temporis magister generalis, conventuum huiusmodi studentibus indulsit, ut studia, quae ipsi sive in S. Mariae super Minervam de Urbe sive in Perusino respective conventibus perficere debuissent, in conventu S. Marci supradicto peragere possent, eâ tamen lege, quod, peractis studiorum curriculis, rigoroso examine in eodem conventu S. Mariae super Minervam habendo se

1 Potius lege *decretorum* (R. T.).

subiicere deberent, quemadmodum hucusque fieri consuevit.

Preces studentium.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, per quoddam statutum provinciae Romanae Ordinis supradicti, apostolicâ auctoritate, ut asseritur, confirmatum, caveatur expresse quod fratres provinciae praedictae ad lectoris gradum promoveri minime valeant, nisi in S. Mariae super Minervam seu Perusino conventibus supradictis studia sua peregerint: nobis propterea iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Statutum de loco studiorum.

§ 3. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum cardinalium, qui dilectos filios vicarium et procuratorem generales dicti Ordinis audiverunt, consilio, fratres studentes seu alumni supradictorum conventuum S. Marci Florentini, S. Dominici Fesulani et S. Iacobi S. Miniatis nunc et pro tempore existentes, studiorum causâ, non alibi quam in S. Marci Florentini praedicto, sive aliis strictae observantiae conventibus, cuiusmodi sunt conventus provinciae Toletanae ac congregationis B. Iacobi Venetiarum huiusmodi, a quoquam, quavis auctoritate vel superioritate fungente, de cetero mitti seu collocari possint, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus. Praeterea eisdem fratribus studentibus seu alumnis, ut suorum studiorum curriculo exacto, licet in S. Mariae super Minervam de Urbe, seu Perusino conventibus praefatis studia huiusmodi minime peregerint, necnon[1] peragant in futurum, nihilominus, servatis aliàs servandis, et dummodo ad id ceteroqui idonei reperiantur, ad gradum lectoris promoveri libere et licite valeant, in omnibus et per omnia, perinde ac si eadem studia in conventibus huiusmodi peregisse et complevisse reperirentur, auctoritate et tenore praefatis concedimus et indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis, Congregationis B. Iacobi Venetiarum provinciarum, et conventuum praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, seu quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus

1 Potius lege *nec* (R. T.).

omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus ; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx octobris MDCXCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 20 octobris 1693, pontif. anno III.

## LXXII.

*Confirmatur decretum Congregationis Concilii, quo conceditur vicariis generalibus Ordinis Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum in Indiis facultas eiiciendi inquietos et incorrigibiles* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Causa dicti decreti.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii moderni vicarii et procuratoris generalis Ordinis fratrum Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum exposito quod (cum in constitutionibus dicti Ordinis, cap. VI, dist. V, soli magistro generali prò tempore existenti eiusdem Ordinis, cum assistentià tamen sex religiosorum ipsius Ordinis, tribuatur facultas cognoscendi de causis fratrum inquietorum et incorrigibilium ipsius Ordinis, itaut, postquam de iis congnoverit, atque in illis rationes et circumstantias a constitutionibus praedictis requisitas adesse compererit, ipse solus magister generalis ad sententiam eorum eiectionis, iuxta formam in eisdem constitutionibus praescriptam, procedere possit; Ordo vero praefatus longe lateque diffusus in Indiis reperiatur) inquietorum et incorrigibilium fratrum huiusmodi in tam remotis partibus degentium scandalis et perturbationibus opportunum remedium adhibere nequibat; ac proinde pro parte dicti vicarii et procuratoris generalis praedictis cardinalibus supplicato, ut ad duos vicarios generales dicti Ordinis in eisdem Indiis commorantes praedicti magistri generalis facultatem extendere dignaretur, itaut eorum quilibet, itidem cum assistentià aliorum sex digniorum religiosorum in casibus necessariis, iuxta earumdem constitutionum praescriptum, ad inquietorum et incorrigibilium fratrum huiusmodi eiectionem procedere possit; qua ratione regularis observantiae ac divini servitii conservationi in partibus supradictis opportune consultum foret: emanavit a praedictà cardinalium Congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Die v septembris MDCXCIII sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, attentâ relatione eminentissimi domini cardinalis Ottoboni Ordinis praedicti protectoris, censuit petitam facultatis extensionem concedi posse, facto verbo cum Sanctissimo; et factâ per secretarium sub die XXVII eiusdem mensis relatione, Sanctitas Sua benigne annuit, accedente consensu generalis pro tempore, et iuxta normam in decreto de apostatis et eiectis praescribendam ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus vicarius et procurator generalis nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio

1 In huius Pontificis constitut. edit. MDCXCI, die 7 decembris, pont. I, extat confirmatio constitutionum huius Ordinis, et in Clementis XI constitut. ed. MDCCII, die 29 martii, pont. II, habetur earumdem moderatio.

communiri plurimum desideret: nos, specialem ipsi vicario et priori generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, seu quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV octobris MDCXCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 24 octobris 1693, pontif. anno III.

---

## LXXIII.

*Erigitur gubernium terrarum Civitatisvetulae et Tulphae cum superintendentiâ in civitate Cornetanâ*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

In supremo militantis Ecclesiae solio, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti, ad ea propensis studiis intendimus, per quae terrarum temporalis S. R. E. ditionis decor amplietur, illarumque hominum et incolarum status salubriter dirigatur. Exordium.

Erectio de qua in rubrica. § 1. Cum itaque nos nuper per nostram desuper editam constitutionem (ne salutari, quam in eâ erga nostros successorumque nostrorum Romanorum pontificum pro tempore existentium secundum carnem propinquos circa bonorum et redditaum ecclesiasticorum ac ad hanc sanctam Sedem et Cameram nostram apostolicam spectantium distributione servari praescripsimus, rationi ac disciplinae, per nimis magna stipendia seu honoraria aliàs nonnullis Sedis praedictae officiis seu muneribus, quae eorumdem Romanorum Pontificum consanguineis seu affinibus ut plurimum concedi consueverant, assignata, fraus

[1] Suppressum fuit officium gubernatoris in Civitatevetulâ per const. ed. MDCXCII, die 22 iunii, pont. I; et in const. ed. MDCXCVIII, die 5 augusti, pont. VIII, praescribitur forma regiminis in civitate Lauretanâ.

fieret) certa inibi expressa officia seu munera huiusmodi cum omnibus et singulis illorum et cuiuslibet eorum iuribus, praerogativis, stipendiis, salariis et emolumentis quibuscumque, atque inter haec gubernatoris terrae nostrae Centumcellarum, sive Civitatisvetulae, Viterbiensis dioecesis, officium perpetuo suppresserimus et extinxerimus; abinde vero citra terra praedicta (tametsi antiquis, iisque amplissimis, quinimo etiam per nos innovatis auctisque celeberrimi portûs privilegiis, copiosoque non tam indigenarum, quam exterorum ad illam advenientium numero insignis existat) per unum iudicem locumtenentem nuncupatum gubernata fuerit, ac proinde eius honorificientiae et utilitati, modo et formâ per eamdem nostram constitutionem minime vetitis, uberius prospiciendum sit; et, sicut accepimus, etiam terra nostra Tulphae, Sutrinae dioecesis, incolarum non minus multitudine, quam aliis nominibus celebris, per alium similiter iudicem commissarium nuncupatum ab uno ex dilectis filiis Camerae praedictae clericis praesidentibus terrae huiusmodi pro tempore gubernatore singulis annis deputari solitum regi et gubernari consueverit: hinc est quod nos, prospero felicique terrarum praedictarum regimini et gubernio, quantum cum Domino possumus, peramplius consulere volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praefatam terram Tulphae, eiusque comitatum et districtum, ab eorumdem clericorum praesidentium ac cuiuslibet eorum iurisdictione seiungimus et separamus, commissariique in eâdem terrâ Tulphae de praesenti existentis officium, necnon illius nomen, titulum, denominationem, essentiam et naturam, perpetuo supprimimus et extinguimus. In praefatis vero Civitatisvetulae et Tulphae terris, illarumque comitatibus et districtibus, unum gubernium perpetuum, sub superintendentiâ venerabilium fratrum nostrorum nunc et pro tempore existentium eiusdem S.R.E. cardinalium consultationibus civitatum et terrarum Status nostri ecclesiastici praepositorum, pro uno gubernatore ad nostrum et Sedis praedictae beneplacitum constituendo et deputando, qui in utrâque vel alterâ signaturâ nostrâ referendarius, aut noster et dictae Sedis notarius protonotarius nuncupatus de numero participantium seu alterius praelaturae titulo insignitus existat, ac hyemali quidem vernoque tempore in memoratâ terrâ Civitatisvetulae in domo per Cameram praefatam hactenus assignatâ pro tempore existenti gubernatori armorum dictae terrae (cui proinde, loco domûs huiusmodi, ultra eius consuetum stipendium, annua sexaginta scuta monetae romanae pro pensione alterius domûs per eum in eâdem terrâ Civitatisvetulae arbitrio suo conducendae, dari et praestari mandamus) residere debeat, aestivo autem et autumnali tempore etiam in dictâ terrâ Tulphae residere possit, omnimodamque iurisdictionem in omnibus et singulis causis civilibus, criminalibus, ac meris et mixtis dilectorum filiorum universitatum et hominum terrarum huiusmodi, illarumque comitatuum et districtuum, etiam quoad officiales, ministros, milites, nautas, remiges, ceterasque personas quocumque nomine nuncupatas, tam in triremibus nostris pontificiis, earumque classe, quam in praesidio supradictae terrae Civitatisvetulae nunc et pro tempore existentes, et libere habeat et exerceat (salvâ tamen, quoad officiales, ministros, mi-

lites, aliosque praefatos in gravioribus causis, nempe in quibus imponenda erit poena corporis afflictiva, dilectorum filiorum Camerae praedictae thesaurarii generalis, quippe cui aliàs curam praedictarum triremium pontificiarum earumque classis, sub certis modo et formâ tunc expressis, demandavimus, ac commissarii generalis armorum Status Ecclesiastici supradicti, nunc et pro tempore existentium, respective auctoritate et superioritate, itaut illos gubernator praedictus in iisdem causis gravioribus respective, ut praefertur, consulere debeat), tenore praesentium erigimus et instituimus.

Concessio superintendentiae in civitate Cornetana.

§ 2. Ceterum ad ea, quae ad ipsius gubernii sic erecti et instituti iurisdictionis et dignitatis augmentum cedere possunt, favorabiliter intendentes, eidem gubernio (praeviâ civitatis nostrae Cornetanae eiusque comitatus et districtus separatione et dismembratione a quacumque civitatis pariter nostrae Viterbiensis pro tempore existentis gubernatoris superioritate) etiam ipsius civitatis Cornetanae illiusque comitatus et districtus praedictorum regimen, directionem ac superintendentiam (itaut pro tempore existens terrarum praedictarum gubernator in civitate Cornetanâ eiusque comitatu et districtu praedictis cum titulo et denominatione superintendentis eamdem penitus iurisdictionem, quam prius inibi civitatis Viterbiensis gubernator huiusmodi habere et exercere consueverat, pari modo et absque ullâ prorsus differentiâ habere et exercere debeat) harum serie coniungimus, unimus et incorporamus. Ipsi autem gubernatori ac superintendenti provisionem menstruam sexaginta scutorum monetae supradictae (pro ratâ scilicet vigintiduorum scutorum huiusmodi, ex salario aliàs auditori pro tempore existenti triremium praedictarum solvi solito, pro residuali vero summâ, ex redditibus et proventibus furni panis venalis dictae terrae Civitatisvetulae, donec aliter per nos vel Sedem praedictam provideatur) in fine cuiuslibet mensis realiter et cum effectu persolvendam, praeter alia incerta emolumenta, licita tamen et honesta, antehac locumtenenti et commissario respective praedictarum terrarum pro tempore existentibus dari et praestari consueta, earumdem tenore praesentium constituimus et assignamus. Praeterea volumus atque decernimus, quod curia gubernatoris et superintendentis supradicti, pro iustitiae servitio, ultra barigellum et tres birruarios in eâdem terrâ Civitatisvetulae de praesenti (ut pariter accepimus) existentes, alios quatuor birruarios habere, ac, quidquid pro salario seu stipendio eorumdem quatuor birruariorum solvendo defuerit, ex redditibus et proventibus furni huiusmodi, donec pariter per nos vel Sedem supradictam aliter provideatur, suppleri debeat.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanaverint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissime et totalis laesionis, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensûs, alio ve quolibet etiam quantumvis magno et

substantiali ac incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, inpugnari, infringi, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac dictae S. R. E. camerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis Sedis et Camerae praedictarum officiales et ministros, et alios quoscumque quavis praeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac nostrâ et Cancellarie Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, necnon recolendae memoriae Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis, qualecumque interesse Camerae praedictae concernentibus, in eâdem Camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, itaut praesentes litteras ibidem praesentari et registrari nunquam necesse sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Camerae, civitatum et terrarum praedictarum quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis et locis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x novembris MDCXCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 10 novembris 1693, pontif. anno III.

---

## LXXIV.

*Confirmatur erectio trium coenobiorum Recollectionis in provinciâ Baeticâ Tertii Ordinis sancti Francisci*[1].

[1] In const. edit. MDCXCIII, die 15 augusti, pontif. III, confirmata fuerunt quaedam statuta, et

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

In praecedenti constitutione confirmata fuerant quaedam statuta, non autem erectio coenobiorum.

§ 1. Aliàs nos, supplicationibus dilectorum filiorum ministri provincialis, custodis et definitorum provinciae S. Michaëlis in Baeticâ fratrum Tertii Ordinis sancti Francisci nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum quoddam a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ emanatum, quo nonnulla statuta a definitorio dictae provinciae pro felici directione trium conventuum Recollectionis nuncupatorum in eâdem provinciâ non ita pridem erectorum edita confirmabantur, toto statutorum huiusmodi tenore inserto, per quasdam nostras in simili formâ Brevis die xv augusti proxime praeteriti expeditas litteras approbavimus et confirmavimus, prout in iisdem litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Preces superiorum.

§ 2. Cum autem, sicut minister provincialis, custos et definitores praedicti nobis nuper exponi fecerunt, in decreto supradicto statuta praefata dumtaxat confirmata fuerint, ipsi vero exponentes etiam eorumdem conventuum erectionem apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio dictae erectionis.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes amplioris favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum cardinalium consilio, et attentâ relatione quam venerabilis frater noster Alderanus episcopus Ostiensis eiusdem S. R. E. cardinalis Cybo nuncupatus dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protector eisdem cardinalibus super praemissis fecit, erectionem praedictorum trium conventuum Recollectionis in eâdem provinciâ factam, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus pariter et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, conventuum, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis

const. edit. MDCXCV, die 20 iulii, pontif. v, praecipitur observantia statutorum in collegio S. Isidori de Urbe.

et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI novembris MDCXCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 21 novembris 1693, pontif. anno III.

## LXXV.

*Conceduntur privilegia capellanis communibus Sanctitatis Suae* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Nomina capellanorum.

Grata familiaritatis obsequia, quae dilecti filii Ioachinus Tenacciolus Civitatiscastelli canonicus saecularis et collegiatae ecclesiae S. Nicolai in Carcere Tulliano de Urbe, Carolus Emigdius Ridolphus Asculanus, Hieronymus Ferrarius Novariensis, Ioannes Dominicus Cozzardus Romanus, Bernardinus Brusettus Venetus, et Dominicus Palloccius Sabinensis dioecesis presbyteri, moderni capellae nostrae pontificiae capellani familiares nostri, nobis et Apostolicae Sedi hactenus impenderunt, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistunt, necnon vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus eorum personas tam familiari experientiâ, quam etiam fidei dignorum testimoniis iuvari percepimus, nos inducunt ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Hinc est (*reliqua vide in Innocentii XI const. edit.* MDCLXXX, *die* 2 *augusti, pontif.* I).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV decembris MDCXCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 4 decembris 1693, pontif. anno III.

1 Similia privilegia concessa fuere ab Alexandro VIII const. edit. MDCXC, die 2 augusti, pontif. I, et conceduntur a Clemente XI const. edit MDCCXII, die 7 decembris, pontif. XII.

## LXXVI (*al.* 77).

*Confirmantur et declarantur Pii IV, Pauli V et Innocentii XI constitutiones super sportulis iudicum et tribunalium Urbis* [1].

**Innocentius episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium a causis huius constitutionis petitum.

Circumspecta Romani Pontificis providentia nihil relinquit incertum, nihil praeterit inordinatum, sed omnia suo pastorali commissa officio, quoties opus est, certâ lege determinat, ac, ne quis fines rebus provide et accurate praescriptos transgrediatur, ordinationes desuper editas innovat, confirmat, declarat et ampliat prout rationabiles causae persuadent, et in Domino conspicit salubriter expedire; praesertim vero, ut lites in hac almâ Urbe, ad quam christianus

1 Laudatas constitutiones Pii IV, Pauli V et Innocentii XI require sub datis infra notatis. Ab eodem Innocentio XI praescripta fuere stipendia et taxae pro rectâ montium directione const. edit. MDCLXXXIX, die 6 iunii, pontif. XII. Ab hoc Pontifice vero suppressa nonnulla officia, quorum hîc mentio habetur, const. edit. MDCXCII, die 17 septembris, pontif. II. In const. edit. MDCXCIX, die 30 ianuarii, pontif. IX, confirmatur constitutio super datis et promissis pro iustitiâ vel gratiâ.

orbis pro institiâ iugiter confluit, moderatis, et minoribus quibus par est et fieri potest, expensis agantur, casus, in quibus illae debentur, ordinate praescribit, ac etiam debitas limite congruae moderationis concludit. Cum autem inter huiusmodi expensas sportulae iudicum delegatorum connumerentur, earumdem quoque determinationi et moderationi particulariter prospicit, ac determinationem et moderationem huiusmodi, rerum et temporum circumstantiis attente pensatis, apostolicae confirmationis, declarationis, seu novae provisionis munimine corroborat.

A Pio IV et Paulo V determinatae fuerunt sportulae pro auditoribus Rotae.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Pius IV, in suis anno Incarnationis dominicae MDLXI, VI kalendas ianuarii, super reformatione causarum palatii apostolici auditorii, aliàs Rotae Romanae, et Paulus[1] V, Romani Pontifices praedecessores nostri, etiam in suis anno eiusdem Incarnationis MDCXII, kalendis[2] martii, super reformatione tribunalium Urbis praefatae, sub titulo de Auditorio Rotae, respective expeditis litteris, statuerunt eodem verborum tenore qui sequitur[3]: « Ut debitus modus sportulis imponatur, non possint auditores a[4] partibus per se vel alium quovis modo sportularum nomine aliquid petere vel exigere, sed nec a sponte dantibus ultra taxam infrascriptam accipere, videlicet: In causis pecuniariis seu profanis, aut quae aliàs pretio[5] quoquo modo aestimari possint, si aestimatio rei, de qua agetur, non excedat summam mille ducatorum, aureos decem; a mille vero usque ad decem millia, viginti quinque; a decem millibus usque ad viginti millia, quinquaginta; ab inde supra usque ad quamcumque summam, centum. In beneficialibus vero, si redditus annuus, de quo agetur, non excedat summam centum ducatorum, similiter decem; a centum vero usque ad mille, viginti quinque; a mille usque ad tria millia, quinquaginta; ab inde vero supra, centum aureos pro sportulis cuiuscumque sententiae definitivae dumtaxat, ut praefertur, accipere valeant. Si vero causa aestimationem non facile accipiat, sportulae moderatae pro rerum et personarum qualitate iuxta taxas praedictas recipi possint. Nec aliquid ultra non solum ipsis auditoribus, sed nec eorum familiaribus vel consanguineis, aut aliis quibusvis personis, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, exceptis esculentis et poculentis quae triduo consumi possint, ipsarum sententiarum aut auditorum intuitu praestari possit. Quas quidem sportulas iuxta taxam praedictam apud notarium causae post subscriptam sententiam et notario traditam, et non antea, deponi, et auditori consignari volumus; quodque notarius depositionem et consignationem huiusmodi in actis notare et specificare teneatur ».

A laudatis Pontificibus idem factum fuit respectu auditoris et tribunalis Camerae.

§ 2. Similiter idem Pius praedecessor in aliis suis litteris super reformatione tribunalis auditoris causarum curiae Camerae Apostolicae, sub datum anno Incarnationis praefatae MDLXII, IV nonas iunii, infrascriptis verbis reassumptis[1] in memoratis Pauli praedecessoris litteris, sub titulo de auditore Camerae et eius tribunalis ita sancivit[2]: « In causis ordi-

1 Male edit. Main. legit *Pauli* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *anno . . . millesimo sexcentesimo, undecimo kalendas martii* (R.T.).
3 Confer tom. VII nostrae ed. pag. 157, et tom. XII, pag. 69 (R. T.).
4 Male in loc. parall. tom. VII omittitur praepositio *a* (R. T.).
5 In loc. parall. tom. VII additur *nummario* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *reassumpsit* (R. T.).
2 Confer tom. VII nostrae ed. pag. 209, et tom. XII, pag. 65 (R. T.).

nariis auditor praedictus, seu eius in civilibus locumtenens, non recipiat sportulas, neque notarius aliquid pro notâ sententiae, sed[1] in causis commissariis et declaratoriis contumacialibus tantum ». Et ibi[2]: « In causis, quae ordinarie secundum auditoris facultates in eius tribunali introductae fuerint vel introduci potuerint, sive post coeptam causam superveniat commissio, sive ante impetrata sit, sive in primâ, sive in ulteriori instantiâ, nullâ in re augeat impensam, sed quoad hoc habeatur semper causa pro ordinariâ, itaut etiam ratione sententiae neque notarii neque iudices qui[3] propterea accipiant ultra id quod accipere potuissent si commissio non adesset. Permittimus tamen eius in civilibus locumtenenti, in causis per commissionem ab initio introductis, etiam sui naturâ ordinariis, ob magnam laborum assiduitatem et emolumentorum tenuitatem, sportulas moderatas iuxta praesentem constitutionem recipere. Declarantes nihilominus in reliquis omnibus causas intelligi ordinarias, nec notarios quidquam amplius exigere posse aut debere, quam in aliis ordinariis permissum est ».

A praedicto Paulo V praescriptae fuere sportulae tribunalibus Capitolii, causarum criminalium et civilium.

§ 3. Itidem memoratus Paulus praedecessor in praefatis eius litteris super reformatione tribunalium Urbis ad alias infrascriptas determinationes in materiâ sportularum devenit. Sub titulo scilicet de Capitolio[4] et eius officialibus per haec verba[5]: « Capitaneus appellationum pro revocatione seu moderatione quarumcumque inhibitionum sportulas nullo modo accipiat » : sub titulo vero de iudicibus criminalibus Urbis, ut infra[6]: « Iudices criminales Urbis, seu locumtenentes, et eorum subditi[1], quibus certum a nobis constitutum salarium est, illo contenti, nihil prorsus aut pecuniae aut alterius cuiuscumque rei, etiam minimae quantitatis, a quoquam etiam sponte dante accipiant, neque pro sportulis seu propinis sententiarum, vel pro decretis, absolutionibus aut relaxationibus quibuscumque in quibuscumque causis etiam delegatis et commissariis, neque quovis alio modo, titulo vel nomine, etiam muneris vel regaliorum, quamvis esculentorum vel poculentorum[2], etiam in casibus alioqui de iure vel quacumque constitutione permissis, sub privationis officii, et inhabilitatis in posterum ad quodlibet iudicandi munus, et aliis nostro et successorum nostrorum arbitrio infligendis poenis. Camerarius, thesaurarius et praesides Camerae, item hospitalium, confraternitatum ac aliorum locorum piorum seu collegiorum rectores, et alii quicumque habentes in Urbe iurisdictionem criminalem et facultatem iudices deputandi, non deputent in criminalibus causis alios iudices, quam aliquem ex ordinariis sibi benevisum, qui nullas debeat recipere sportulas, ut supra sancitum est ». Rursus sub titulo de iudicibus in causis civilibus[3]: « Mandata de manutenendo in possessorio summariissimo[4] nullus iudicum det, nisi per viam decreti, non autem cedulae, nec quidquam sportularum aut propinae pro eis etiam a sponte dantibus accipiatur ». Denique sub titulo de sportulis seu propinis[5]: « Nullus iudicum ordinariorum Urbis et Romanae Curiae cuiuscumque

1 Edit. Main. legit *se* pro *sed* (R. T.).
2 Nempe in Bullâ Pauli V, tom. XII, pag. 66 (R. T.).
3 Ex loc. parall. legendum *quicquam* (R. T.).
4 Perperam ed. Main. legit *de Capitulo* (R.T.).
5 Vide tom. XII, pag. 69 (R. T.).
6 Confer tom. XII, pag 73 (R. T.).

1 Aptius, ut puto, in loco parall. legitur *substituti* (R. T.).
2 In loc. parall. *quamvis esculentum et poculentum* (R. T.)
3 Vide tom. XII, pag. 78 (R. T.)
4 Edit. Main. legit *summarioriissimo* (R. T.).
5 Confer tom. XII, pag. 80 (R. T.).

dignitatis, etiam speciali notâ dignus, in causis civilibus ordinariis ratione sportularum seu propinarum aliquid prorsus accipiat etiam a sponte dare volentibus. In commissariis autem pariter civilibus, ubi de summâ scutorum viginti quinque agitur, et infra, nihil prorsus; a viginti quinque usque ad centum inclusive, scuta tria; a centum usque ad ducentum, scuta sex; a ducentum usque ad quamcumque summam, scuta decem, et non ultra. Pro quacumque sententiâ declaratoriâ ob non paritionem monitorii in contumaciam, non ultra iulios septem cum dimidio. Pro declaratoriâ in vim litterarum, aut aliàs habente vim definitivae, si summa sit certa, accipiant iuxta taxam praedictam, si vero incerta, sed agatur ad ipsarum litterarum exequutionem, accipiant iuxta causae et personae qualitatem, dummodo non ultra quinque aureos. Pro quacumque interlocutoriâ sive decreto ante sententiam definitivam, nihil omnino. Similiter et pro decreto mandati de manutenendo, item decreto moderationis inhibitionis, et multo magis pro decreto taxationis expensarum, nihil omnino recipiatur. Capitaneus autem appellationis[1] Curiae Capitolii recipiat sportulas iuxta[2] ab Urbis statutis, non tamen in casibus sibi hac constitutione interdictis. At praedictas sportulas, sive propinas, ut supra taxatas iudicibus, nonnisi de manibus notarii causae, et sententiâ prius ab ipsis subscriptâ, accipere ullo modo liceat; debeantque propterea notarii librum habere, in quo dictas sportulas seu propinas notent, cum pro iudicibus deponuntur; ubi, cum postea latâ sententiâ iudici persolvuntur, ipse iudex manu propriâ notato deposito subscribat se illum[1] recepisse; quae sic ut supra iudici data, deinceps inter expensas litis taxandas ac reficiendas omnino ponatur et victori reficiatur, usu quocumque contrario non obstante ».

Tandem ab Innocentio XI confirmatum fuit decretum Congregationis de sportulis iudicum ordinariorum et commissariorum.

§ 4. Postremo recolendae memoriae Innocentius Papa XI, etiam praedecessor noster, in suis super confirmatione decretorum Congregationis reformationis tribunalium Urbis, anno praefatae Incarnationis MDCLXXXIX, IV kalendas iulii, expeditis litteris, inter alia decretum eiusdem Congregationis sub titulo de sportulis vel propinis confirmavit et inviolabiliter servari mandavit, cuius decreti tenor sequens est[2]: « Cum, inter cetera quae disponuntur per constitutionem sanctae memoriae Pauli V super reformatione tribunalium, illud praesertim enixe praecipiatur, ut nullus iudicum ordinariorum Urbis et Romanae Curiae cuiuscumque dignitatis, etiam speciali notâ dignus, in causis civilibus ratione sportularum seu propinarum aliquid prorsus accipiat etiam a sponte dare volentibus; in commissariis autem pariter civilibus, ubi de summâ scutorum vigintiquinque agitur, et infra, nihil prorsus; a vigintiquinque supra usque ad centum inclusive, scuta tria; a centum usque ad ducentum, scuta sex; a ducentum usque ad quamcumque summam, scuta decem, et non ultra: aliquae vero litigantium querelae ad aures Sanctissimi pervenerint adversus eiusdem constitutionis in hac parte inobservantiam: idcirco, de eius mandato, re mature ac pluries examinatâ, decretum et declaratum fuit, praefatam constitutionem prohibentem sportulas iudicibus ordinariis, ab[3] omnibus iudicibus, qui non sunt vere commissarii, observari debere iuxta universalitatem litterae ac

1 In loc. parall. leg. *appellationum* (R. T.).

2 Ex loc. parall. lege *iuxta taxam ei constitutam* (R. T.).

1 Forsan *illam* (R. T.).

2 Vide tom. XIX nostrae edit. pag. 934 (R. T.).

3 Edit. Main. legit *in* pro *ab* (R. T.).

verborum, quacumque limitatione vel interpretatione, sive argumento, aut contrariâ consuetudine sublatis ac reiectis; iudices vero ordinarios esse omnes illos, qui sint deputati ad aliquam universitatem vel aliquod genus causarum, adeo ut commissarii sint solum illi qui per commissionem specialem deputati sunt ad certas et particulares causas, istosque teneri pariter observare dictam constitutionem, ut summas propinarum per eam taxatas nullatenus excedere, atque plus exigere valeant. Ut autem omnis dubitandi vel contraveniendi occasio tollatur, censuit Congregatio exprimere et recensere, quinam sint iudices ordinarii Urbis et Romanae Curiae; iique sunt infrascripti, aliis non exclusis, quatenus adsint (eis tamen nullatenus praeiudicatum censeatur quoad illas sportulas vel propinas, quae expresse ac litteraliter, non autem per argumenta vel illationes et interpositiones, aut per subauditos intellectus, eis deferuntur ac tribuuntur per eamdem constitutionem Pauli V, sive per privilegia et concessiones apostolicas particulares, non autem per consuetudinem), iique sunt sequentes, cum declaratione, quod per descriptionem non censeatur statutus ordo aliquis, nec alicui praeiudicatum: dominus cardinalis camerarius, eiusque auditor et iudices deputati etiam in criminalibus; dominus cardinalis vicarius, eiusque vicesgerens et locumtenens, aliique iudices ab eo deputati; domini cardinales archipresbyteri trium basilicarum patriarchalium, eorumque vicarii et auditores aliique deputati; domini cardinales titulares in eorum titulis Urbis, et in sex episcopatibus, eorumque vicarii, auditores et alii deputati: domini cardinales protectores collegiorum, monasteriorum, hospitalium et locorum piorum, eorumque auditores, et alii iudices et deputati; dominus gubernator Urbis, eiusque locumtenentes, ac iudices civiles, unus vel plures, etc.; dominus auditor camerae, eiusque locumtenentes, et iudices deputati; dominus senator Urbis, eiusque collaterales, capitaneus appellationum, et alii deputati; dominus thesaurarius generalis, eiusque auditor, aliique iudices ab eo deputati etiam in criminalibus; domini praesides et praefecti respective viarum, grasciae, zecchae, riparum, annonae, archivii et carcerum, eorumque auditores, aliique deputati; dominus praefectus sacri palatii apostolici, eiusque auditor et locumtenens[1], et alii deputati, tam quoad Palatinos, quam quoad Tusculum et Arcem Gandulphi, et villas; dominus commissarius armorum, eiusque auditor, vel alii deputati; dominus iudex vel auditor confidentiarum, iudex fabricae S. Petri, iudex militum, iudex Castri S. Angeli, iudex triremium seu classis maritimae, assessores aedilium seu magistrorum viarum, consulum agriculturae, camerarii riparum, protomedici et consulum artium vel mercatorum et dohanarum. Eâ declaratione adiectâ, quod huiusmodi dispositio locum habeat etiamsi dicti iudices seu deputati procedant in gradu recursûs, seu in secundis vel aliis instantiis, quae praefatis tribunalibus competerent; omnesque praefatos et alios iudices ordinarios ad normam eiusdem constitutionis adhuc esse tales, atque in praefatâ prohibitione comprehensos esse, quamvis eis commissio superveniat, vel quod eis iniungatur ut procedant de vel cum voto Rotae sive alterius tribunalis vel personae, aut quod procedere profiteantur pro executione litterarum apostolicarum, sive in vim cuiuscumque deputationis generalis, et quoties non sit expressa et

1 In loco parall. legitur *locumtenentes* (R. T.).

specialis deputatio ad certas et particulares causas unde dici valeant veri commissarii, ut supra, salvâ tamen quoad auditorem Camerae dispositione dictae constitutionis Pauli V in titulo de auditore Camerae, § *Permittimus tamen:* atque aliàs quidquid etiam sponte solutum esset, illicitum censeri debeat. Ideoque tam iudices quam notarii recipientes incurrere censeantur poenas inflictas per constitutiones apostolicas, neque ita solutum veniat sub condemnatione et taxâ expensarum; quinimo, ut eisdem qui solverunt competat repetitio tam a iudice quam a notario ad eorum electionem, absque eo quod aliqua consuetudo in contrarium ullo unquam tempore induci valeat, et quam irritam, cassam et reprobatam esse, decretum et declaratum fuit. Quodque illi iudices tam ordinarii quam commissarii, quibus per eamdem constitutionem Pauli V vel per speciale indultum conceditur posse exigere sportulas, ut supra, non possint[1] in totâ causâ exigere, nisi unicam propinam iuxta taxam, ut supra, quamvis plures essent personae in causâ, adeut si victoria ambas vel plures partes tangat, omnes proportionabiliter et pro ratâ concurrant ad dictam unicam propinam solvendam, neque divisio sententiarum vel punctorum, eorumque reservatio, in hoc quidquam suffragari valeat; adeout idem iudex in eâdem causâ unicam tantum propinam percipiat». Hactenus decretum in praefatis Innocentii praedecessoris litteris confirmatum.

Confirmatio praedictorum.

§ 5. Cupientes itaque tot litigantium ad Urbem praefatam confluentium indemnitati, etiam in hac parte, uberius consulere, ac controversias et gravamina circa huiusmodi sportulas, quantum nobis ab alto conceditur, dirimere et arcere, necnon totius Curiae Romanae decori et dignitati plenius prospicere, ut illius iudices, causidici, litigantes ipsi, ea quae a nobis et a supradictis praedecessoribus nostris desuper statuta et declarata fuerunt, in unum redacta commodius et facilius habere, ponderare, et exequutioni demandare valeant, motu proprio, ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, necnon de nonnullorum dilectorum filiorum eiusdem Romanae Curiae praelatorum et virorum pietate, doctrinâ, prudentiâ et rerum usu praestantium ad hunc effectum de mandato nostro congregatorum consilio, praefatas Pii, Pauli et Innocentii praedecessorum litteras huiusmodi, in iis quae cum infrascriptis nostris declarationibus seu decretis compatibilia sunt, tenore praesentium approbamus, confirmamus et innovamus, illisque perpetuum et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac ab omnibus et singulis, quos illae concernunt, penitus et sub inibi contentis per contrafacientes incurrendis poenis, et cum omnibus inibi desuper decretis, quorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac si de verbo ad verbum inserti essent, haberi volumus, observari statuimus atque decernimus. Non intendimus tamen, per relationem seu numerationem iudicum et tribunalium in praeinsertis dictarum litterarum Pauli et Innocentii praedecessorum particulis ut praefertur confirmatis, quoquomodo seu in aliquâ etiam minimâ parte recedere a suppressione, abolitione et abrogatione nonnullorum ex iisdem iudicibus et tribunalibus, quas in aliis nostris anno Incarnationis praefatae MDCXCII, XV kalendas octobris expeditis litteris statuimus et ordinavimus, sed easdem suppressionem, abolitionem et abrogationem, cum omnibus inibi contentis, salvas, illaesas, inta-

1 Edit. Main legit *possit* (R. T.).

ctas et illibatas remanere, ac in omnibus et singulis earum partibus inviolabiliter et inconcusse attendendas, observandas et exequendas fore et esse omnino volumus et mandamus.

Causae novarum declarationum.

§ 6. Praeterea (ad dirimendas quotidianas controversias, quae ex litigantium et praecipue succumbentium importunitate emergere solent super interpretatione praeinsertarum Pii, Pauli et Innocentii praedecessorum litterarum in taxandis sportulis et honorariis iudicum delegatorum et tribunalium dictae Urbis, in eâ praesertim parte in qua determinatur quod ubi causa aestimationem non facile accipiat, sportulae moderatae pro rerum et personarum qualitate iuxta taxas in eisdem litteris constitutas, recipi possint) motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, necnon de simili dictorum praelatorum et virorum consilio, ad infrascriptas declarationes seu sanctiones religiose servandas in omnibus causis in posterum expediendis devenire decrevimus.

Declarationes novae referuntur.

I. Et primo in causis quarumcumque servitutum urbanorum et rusticorum praediorum, retractuum, seu iuris congrui, taxatio sportularum fiat ad mensuram ipsius servitutis seu iuris in litem deducti, illiusque aestimatio desumatur tantum ab eo quod ratione dictae servitutis aut iuris minui seu augeri de iure solet de valore rei controversae.

II. In causis adoptionum, arrogationum, legitimationum, filiationum, et similium, sportulae regulari debeant a valore rei pariter in iudicium deductae, nempe a valore haereditatis, si petatur haereditas, a valore alimentorum si petantur alimenta, et sic de aliis.

III. In causis praecedentiarum, aliarumque praeeminentiarum vel iurium inter privatas personas tam ecclesiasticas quam saeculares, taxatio sportularum excedere non possit aureos viginfiquinque; inter magnates vero, collegia, capitula, universitates et similes, aureos quinquaginta vel centum, inspectâ tamen rerum et personarum qualitate.

IV. In causis iurispatronatus, si lis sit inter praesentatos, sportulae nullum recipiant augmentum, etiamsi patroni sint in causâ adhaerendo seu assistendo eorum praesentatis; ubi vero patronus seu patroni institerint apud acta pro canonizatione eorum iuris in petitorio, tunc, quoties in sententiâ sequatur petita canonizatio, valor sportularum commensuretur a valore beneficii; idemque servetur in causis, in quibus agatur de iure instituendi, eligendi, nominandi seu conferendi unum aut plura beneficia, vel alio iure simili.

V. In causis alimentorum, pensionum ecclesiasticarum, atque in aliis iuribus vitalitiis, aestimatio sportularum fiat iuxta mensuram. *Text., in leg. haereditat.* 68 *ff. ad leg. Falcid.*

VI. In causis in quibus agatur de iure decimandi, quotizandi, aut perpetuo exigendi aliquam annuam praestationem, sive in re sive in pecuniâ, non excedatur in exigendis sportulis taxa seu aestimatio, quae corresponderet capitali ipius annuae praestationis, nullâ habitâ ratione ad annuas praestationes seu fructus decursos lite pendente.

VII. Ubi pendente iudicio coram iudice ordinario supervenerit commissio, ut ille procedat de seu cum voto Rotae, sive alterius tribunalis vel congregationis, tunc idem iudex ordinarius in prolatione sententiae aliquas sportulas accipere non possit; si vero fuerit iudex delegatus, sportulae ab ipso accipiendae non excedant aureos decem.

VIII. Eamdemque mensuram scutorum decem auri excedere non valeat quilibet praelatus aut iudex ordinarius di-

ctae Romanae Curiae in causis vere delegatis seu commissariis, etiamsi fuerit S. R. E. pro tempore camerarius, in Urbe eiusque districtu vicarius in spiritualibus generalis, praefatae Urbis gubernator, causarum curiae Camerae Apostolicae generalis auditor, dictae Urbis senator, vel dictae Camerae thesaurarius generalis, sub praetextu quod agatur de re magni valoris, aut quod ita in eorum tribunalibus passim vel pluries servatum fuerit.

IX. Hoc idem servetur in causis commissis Congregationi plurium praelatorum, vel cum seu de eiusdem sive eorumdem voto; nam, licet causae sint de maioribus, non possunt tamen a singulis accipi maiores sportulae quam scutorum decem auri.

X. Si fuerit inter partes concordatum aut alio modo recessum a lite, etiam ab alterâ partium, per viam tamen purae et liberae renunciationis in qualibet instantiâ et in quacumque parte iudicii ante sententiam definitivam, non possunt litigantes ullo modo compelli ad expediendam sententiam seu ad solvendas sportulas.

XI. Huiusmodi declarationes respective serventur tam in Rotâ quam in Camerâ, aliisque quibuscumque tribunalibus et iudicibus praefatae Urbis, quibus ex constitutionibus apostolicis aliisque ordinationibus non est prohibitum accipere posse sportulas seu propinas.

XII. Pro declaratione reformationum seu litterarum Pauli et Innocentii praefatorum utrobique sub titulo de sportulis seu propinis, volumus et decernimus, quod nullus iudex ordinarius Urbis praefatae in causis et negotiis, in quibus agatur de exequutione et verificatione decretorum nostrarum Congregationum, quidquam prorsus accipere valeat ratione sportularum, etiam a sponte dare volentibus, neque in causis et negotiis praedictis liceat notariis conficere regestra, sed omnia tam a iudicibus quam a notariis expleantur iure ordinario prout in ceteris causis et negotiis eorum tribunalis.

XIII. Postremo ubicumque in hac sportularum materiâ quaestio aliqua emerserit super interpretatione, declaratione aut exequutione praesentium et praefatarum litterarum, ut praefertur, confirmatarum Pii, Pauli et Innocentii praedecessorum, standum esse sancimus iudicio et declarationi dicti gubernatoris Urbis et duorum digniorum in ordine succedentium ex Congregatione reformationis tribunalium dictae Urbis, qui, si ita videbitur, possint etiam votum eiusdem totius Congregationis exquirere, omni alio recursu et appellatione sublatis.

§ 7. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis respective contenta quaecumque, etiam ex eo quod omnes et singuli supradicti, ac alii quicumque in praemissis quomodolibet ius vel interesse habentes seu habere praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis seu aliàs specificâ, et individuâ mentione et expressione digni existant, iisdem praemissis non consenserint, nec ad ea vocati seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum et privilegiorum vigore consentire seu vocari et audiri semel vel pluries quoquo modo debuissent, aut ex aliâ quamtumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, alioque quolibet etiam quamtumvis magno ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in contro- Clausulae.

versiam revocari, ad terminos iuris reduci seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari nullatenus posse, sed easdem litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque et quomodocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et dictum S. R. E. camerarium, aliosque cardinales, etiam de latere legatos, necnon Camerae praefatae praesidentes clericos, aliosque officiales et ministros, ceterosque quoslibet quacumque auctoritate, praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque omnibus, quae praefati Pius, Paulus et Innocentius praedecessores in memoratis eorum litteris respective voluerunt non obstare, ac praemissis, circa ea quae praesentibus adversantur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibuscumque etiam praefatorum tribunalium decretis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, privilegiis quoque et indultis et litteris apostolicis quibuscumque, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus et consistorialiter ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, ac etiam pluries et quantiscumque vicibus confirmatis, innovatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis, servatis et specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse, plenissime et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus et mandamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, voluntatum, statutorum, decretorum, mandatorum, sanctionis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCXCIII, pridie nonas decembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 4 decembris 1693, pontif. anno III.

## LXXVII (*al.* 76).

*Indicitur iubileum universale pro pace inter principes christianos*[1].

**Innocentius Papa XII,**

**Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium ex perturbato rerum statu petitum.

Ubi primum humilitatem nostram ad supremi apostolatus fastigium evexit Altissimus, cum universam plane christianam rempublicam longe lateque saevientium bellorum procellis agitari videremus, nihil pastorali officio, quo immerentes fungimur, antiquius fuit, quam catholicos principes, diuturnis et acerbissimis dissidiis inter se decertantes, ad pristinae charitatis compagem revocare. Cuius enim vel ferreum pectus non commovissent tot populorum caedes, tot urbium incendia, excidia regnorum? Quis ad tot tantasque fideli populo, absque ullo sacrarum ac profanarum rerum discrimine, calamitates non exhorruisset? Aut quomodo pontificia nostra sollicitudo, qua ad opponendum nos tamquam murum pro domo Dei iugiter tenemur, ad innumera inde exorta et sane gravissima orthodoxae religionis detrimenta non exarsisset? Hinc maiori qua potuimus paternae charitatis contentione atque operâ, qua precibus apud Deum, cuius praestabilem super hominem malitiâ bonitatem invocare non cessavimus, qua officiis apud principes, quos ad salubria pacis consilia cuixe cohortari atque ad praelianda bella Domini ipsismet quibus inter se digladiantur armis adversus communem et teterrimum christiani nominis hostem excitare atque urgere curavimus, publicae christiani orbis causae hactenus non defuimus, nec adesse in posterum desinemus. Cum autem studia haec nostra optato, quem sperabamus, fine adhuc vacua videamus, cum Propheta ingemiscere compellimur: *Expectavimus pacem et non est bonum, tempus medelae et ecce formido, tempus curationis et ecce turbatio.* Quocumque enim pro apostolici muneris nostri debito animum curasque convertimus, ita sunt omnia vel multiplicatis belli cladibus attrita, vel gliscentibus in dies discordiis prona in ruinam, ut spectaculum oculis nostris exhibeant semper luctuosius florentissimae nuper Europae provinciae misere nunc gementes inter praesentium aerumnarum sensum et metum futurarum, atque cum eiusdem Prophetae verbis loquamur: *Si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio; et si introiero in civitatem, ecce attenuati fame.* Verum quis dedit in direptionem Iacob et Israël vastantibus? Nonne Dominus ipse, cui peccavimus? Ipse profecto, quia noluimus in viis eius ambulare, et non audivimus legem eius, effudit super nos indignationem furoris sui et forte bellum. Accedamus igitur cum fiduciâ ad sacram misericordiarum Domini aram, et, expiatis per veram poenitentiam peccatis, caelestem iram placare, auctisque per ieiuniorum labores et eleemosynarum largitiones viribus orationis, divinam opem in his urgentissimis Ecclesiae ac reipublicae necessitatibus unanimiter implorare connitamur, ut ineffabilis Dei benignitas, cordium contritorum holocausta in odorem suavitatis accipiens, quietem populis, ac regibus et principibus christianis arctam et indissolubilem animorum concordiam, paremque catholicae fidei coniunctis viribus et consiliis tuendae et propagandae zelum largiri dignetur. Ecce nunc do-

1 Indixit universale iubileum initio sui pontificatus const. edit. MDCXCI, die 12 novembris, pontif. I, et iterum pro eâdem pace const. edit. MDCXCV, die 3 decembris, pontif. V.

minici adventûs dies acceptabiles, dies salutis, qui sicuti nos ad impensium orandum, ita divinam clementiam ad liberalius indulgendum invitant, et spem certam faciunt consequendi veram illam et caelestem pacem, sine qua nequit ea ipsa, quam nos afflictis rebus opem laturi incessanter inquirimus, pax humana consistere. Haec autem, ut ferventiori spiritus ardore maiorique fructu peragantur, ex prisco Romanae Ecclesiae omnium matris et magistrae more, caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostrae commisit divina dignatio, aperire, et largâ manu erogare decrevimus.

Concessio indulgentiae plenissimae.

§ 1. Itaque, de omnipotentis Dei misericordià et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in almâ Urbe nostrâ degentibus, qui solemni processioni, quam ferià quintâ currentis hebdomadae, etc., (*reliqua vide in Alexandri VIII const. edit.* MDCLXXXIX, *die* 23 *decembris, pontif.* I).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII decembris[1] MDCXCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 8 decembris 1693, pontif. anno III.

---

## LXXVIII.

*Confirmatur decretum Congregationis particularis super concessione indultorum suscipiendi ordines extra tempora*[2].

1 Ed. Main. ad marg. legit 7 *septembris* (R. T.).
2 In Innocentii XI const. ed. MDCLXXXVI, die 30 ianuarii, pontif. X, agitur de ordinatis cum falsis dimissoriis; et in huius pontificis const. ed. MDCXCIV, die 4 novembris, pontif. III, de ordinationibus alienorum subditorum.

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Causa decreti.

Sanctissimus dominus noster Innocentius Papa XII, pro pastorali suo in commissum sibi gregem dominicum zelo ac tuendae disciplinae ecclesiasticae studio, prospicere volens, ne indulta suscipiendi extra tempora a iure statuta ordines nimis facile concedantur, Congregationi particulari eminentissimorum dominorum cardinalium Carpinei, Casanatis, Marescotti, Colloredi, Panciatici et Albani, necnon illustrissimorum dominorum Sperelli, Ciampini, Sacripantis, meique secretarii infrascripti specialiter deputatae expendendas commisit causas ex quibus praefata indulta tribui solent, ut[1] Sanctitati Suae referri posset quae ratio deinceps ineunda modusque adhibendus videretur in concessione similium indultorum.

Decretum Congregationis.

§ 1. Quae quidem Congregatio in aedibus praefati eminentissimi Carpinei die X novembris atque iterum VII decembris anni currentis habita, re mature discussâ, censuit indulta huiusmodi, si Sanctissimo placuerit, concedi posse ex causis infrascriptis, videlicet:

Quibus concedenda praedicta indulta.

§ 2. Ut quis beneficio, vi cuius arctatur ad presbyteratus ordinem suscipiendum, vel alteri etiam perpetuo beneficio quod obtinet, vel capellaniae ad vitam sibi concessae, per seipsum inservire possit. Ob penuriam sacerdotum in illis partibus vel in monasterio pro regularibus. Ob solatium patris vel matris, dummodo quinquaginta aetatis annos excedant, et orator saltem per triennium in clericali habitu honeste et laudabiliter vixerit. Item concedi posse censuit eadem indulta referendariis utriusque signaturae, familiaribus Summi Pontificis, canonicis cathedralis vel etiam collegiatae ecclesiae, eorum-

1 Edit. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

que coadiutoribus, magistris seu etiam baccalaureis in sacrâ theologiâ, doctoribus utriusque vel saltem canonici iuris licentiatis, dummodo singulos praefatos gradus in pubblicâ et approbatâ universitate obtinuerint. Iis etiam, qui saltem per triennium sedulam theologiae studiis operam navaverint. Ac tandem vigesimum sextum aetatis annum excedentibus, si per triennium in clericali habitu honeste et laudabiliter vixerint.

Quibus vero deneganda.

§ 3. E contra censuit non expedire ut eadem indulta concedantur ex eo quod quis diaconus, subdiaconus, litterarum apostolicarum scriptor sit, seu magister in artibus, nobilis, aut praesens in Curiâ, vel quod philosophiae cursum absolverit, aut alicui ecclesiae adscriptus fuerit ad cuius servitii titulum ex apostolico indulto clerici ordinari possunt, aut onus missarum, non tamen ex beneficio ecclesiastico proveniens, habere se doceat. Insuper censuit indulta huiusmodi esse deneganda iis qui aliquâ dispensatione indigent impedimenti ex eorum delicto provenientis. Et, sede episcopali vacante, infra annum a die vacationis, minime danda iis, qui beneficii ecclesiastici recepti seu recipiendi occasione arctati non fuerint.

Item pro quibus diebus, quâ de causa et quomodo concedenda.

§ 4. Item nunquam concedenda pro festivis diebus continuis, sed semper pro interpolatis aliquo temporis spatio, arbitrio episcopi definiendo.

Ad monitio ad episcopos, nuntios et legatos apostolicos.

§ 5. Denique censuit episcopos omnes, ac etiam apostolicos nuncios et legatos, litteris in formâ Brevis circularibus admonendos, decrevisse Sanctitatem Suam indulta praedicta non ita passim, sed ex certis tantum legitimisque causis concedere, nec episcopos ad eorum exequutionem adstringere, sed illam semper ipsorum arbitrio, oneratâ eorumdem conscientiâ, relinquere. Item per eadem indulta licentiam non tribui promovendi quempiam ad patrimonii titulum, nisi ad normam Concilii Tridentini, sess. XXI, cap. II. Eos vero omnes, qui ab Apostolicâ Sede facultatem obtinent conferendi ordines extra tempora, vel aliis respective tribuendi licentiam ut conferant, maxime cavere [1] debere, ne praescriptos sibi in iisdem facultatibus limites, cuiusvis consuetudinis aut exempli praetextu, transgrediantur.

Confirmatio relati decreti.

§ 6. Haec autem omnia et singula suprascripta decreta, auditâ ex me integrâ eorum relatione, sanctissimus dominus noster laudavit et approbavit, ac tam in Datariâ et Secretariâ Brevium, quam a ceteris omnibus ministris et officialibus Curiae, ad quos pertinet, perpetuo et inviolabiliter servari mandavit; sublatâ omnibus quacumque facultate praedicta indulta, aliter quam ad formam eorumdem decretorum, in posterum expediendi. Hac die XIV decembris MDCXCIII.

Dat. die 14 decembris [2] 1693, pontif. anno III.

---

## LXXIX.

*Conceduntur indulgentiae perpetuae hospitiis pauperum, ac congregationibus Charitatis erectis et erigendis* [3]

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Causae huius concessionis.

§ 1. Cum autem [4] inter gravissimas multiplicesque curas, quibus ex sacrosancti apostolatus humilitati nostrae divinitus commissi debito incessanter urgemur, illa praecipue animum nostrum angat sollicitudo, quam de pauperum et ege-

1 Male ed. Main. legit *carere* pro *cavere* (R. T.).
2 Ed. Main. ad marg. habet 13 octobris (R. T.).
3 In const. ed. MDCXCIII, die 23 maii, pontif. II, concessa fuit indulgentia plenaria perpetua hospitio pauperum invalidorum de Urbe: vide etiam constit. seqq.
4 Partic. *autem* praeter rem esse videtur (R. T).

norum necessitatibus tum spiritualibus tum temporalibus sublevandis corde iugiter versamus; ac proinde, quemadmodum, ne quisquam indigens aut mendicus esset inter nos, Eius auxilio adiuti, cuius oculi in pauperem respiciunt, quemque electis suis in novissimo die dicturum credimus: « Quamdiu feceritis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis »: non ita pridem hospitium apostolicum pauperum invalidorum in almâ Urbe nostrâ, ex qua bonorum operum exempla in omnes christiani orbis partes promanant, ereximus et instituimus, ita similiter ubique locorum et gentium, ac praesertim in reliquis civitatibus et locis temporalibus S. R. E. ditionis, eiusmodi hospitia, per quae eorumdem pauperum animae et corporis saluti opportune consulatur, seu saltem pias quasdam congregationes *Charitatis* nuncupatas, ubi scilicet istae ad rectam ac salubrem ipsorum pauperum directionem et curam sufficere videbuntur, erigi ac institui, sicubi vero, benedicente Domino, hospitia seu congregationes huiusmodi erecta seu erectae et instituta seu institutae fuerint, conservari et augeri summopere cupiamus; atque ad id tum venerabilium fratrum archiepiscoporum et episcoporum, aliorumque ecclesiarum praelatorum et ordinariorum, tum dilectorum filiorum nostrorum et Apostolicae Sedis de latere legatorum, necnon praesidentium et gubernatorum provinciarum, civitatum, oppidorum et locorum quorumcumque nobis et dictae Sedi tam mediate quam immediate subiectorum zelum, vigilantiam et pietatem, datis ad eos iussu nostro litteris, excitare atque urgere potissimum curaverimus:

Concessio indulgentiae plenariae perpetuae.

§ 2. Hinc est quod nos, Illius, qui mendicus et pauper dici non abhorruit, et propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut eius inopiâ nos divites essemus, vices, licet immeriti, gerentes in terris, ut christifideles ubicumque existentes eo alacrius tam pium ac salutare opus in pauperum praedictorum utilitatem promovere connitantur, quo spiritualium gratiarum, quarum dispensatores a Domino constituti sumus, muneribus uberius noverint se refectos, paternae charitatis studio providere cupientes, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis hospitiorum seu congregationum huiusmodi ubivis tam hactenus canonice erectorum seu erectarum quam in posterum quandocumque canonice pariter erigendorum seu erigendarum deputatis, aliisque quocumque nomine nuncupatis ministris et officialibus, die, quo sua respective ministeria seu officia susceperint, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; ipsisque, necnon omnibus et singulis eorumdem hospitiorum pauperibus, quos in hospitiis praedictis, seu etiam in hospitalibus infirmorum, ad[1] quae ab ipsis hospitiis translati fuerint, ab humanis decedere contigerit, ac personis in hospitiis huiusmodi inservientibus quibuscumque, nunc et pro tempore existentibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere pariter poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam; praeterea illis vere quoque poenitentibus et confessis, et sacrâ communione refectis, qui sui quisque hospitii ecclesiam et capellam seu oratorium, vel saltem maiorem vel parochialem seu aliam ecclesiam suae quisque civitatis,

1 Edit. Main. legit *ob* pro *ad* (R. T.).

terrae, oppidi, vel loci ab Ordinariis locorum respective designandam, in duabus dumtaxat anni festivitatibus per eosdem Ordinarios semel tantum pariter ad id designandis, a primis vesperis usque ad occasum solis festivitatum huiusmodi, annis singulis, devote visitaverint, et ibi pro felici pii operis huiusmodi progressu et propagatione, ac pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, itidem plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Demum eisdem hospitiorum et congregationum huiusmodi deputatis, ministris et officialibus quibuscumque praesentibus et futuris, quotiescumque congressibus pro salubri ipsorum hospitiorum directione, seu ipsis congregationibus iuxta earum institutum ubivis faciendis respective interfuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus ad suum quisque officium pertinens peregerint, pro quolibet opere huiusmodi, sexaginta dies de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulae. § 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII decembris MDCXCIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 28 decembris 1693, pontif. anno III.

## LXXX.

*Conceditur indulgentia plenaria perpetua aegrotis in hospitali SS. Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Urbe*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Concessio dictae indulgentiae in articulo mortis. Ex iniuncti nobis divinitus sacrosancti apostolatus officii debito animarum saluti, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus aegrotis in hospitali SS. Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Urbe pro tempore morientibus, in cuiuscumque eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi, ac sacrà communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die V ianuarii MDCXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 5 ianuarii 1694, pontif. anno III.

---

## LXXXI.

*Eximuntur praelati regni Neapolis a iure Camerae Apostolicae assequendi spolia et fructus suarum ecclesiarum, in harum tamen utilitatem convertenda*[2].

1 Similem indulgentiam vide in constitutione praecedenti; et aliam pro hospitali oppidi de S. Claudii Parisiensis dioecesis in const. ed. MDCXCIV, die 20 iulii, pontif. IV.

2 Hac de re plures laudantur Pontificum constitutiones infra §§ 6 et 7; et in huius Pon-

**Innocentius Episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Inscrutabili aeternae sapientiae arcano universi orbis ecclesiis, meritis licet imparibus, praesidentes, vigilis more pastoris, in omnes agri dominici partes mentis nostrae oculos circumferimus, ut, quidquid earumdem ecclesiarum, illarumque antistitum statui, decori, commodis, tranquillitati et necessitati convenire censemus, ad maiorem Dei gloriam sollicitis et beneficis studiis promoveamus, prout, rerum, locorum et temporum circumstantiis attente pensatis, in Domino conspicimus salubriter expedire.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Hinc, dum ad regni Neapolis metropolitanas et alias cathedrales ecclesias, ut plurimum inopes et exiguas, utpote inter se valde propinquas et ad magnum numerum centum triginta quinque, comprehensis invicem unitis, ascendentes, quot in pluribus ac etiam maioribus regnis et dominiis non existunt, convertimus nostrae considerationis intuitum, non sine gravi animi moerore perpendimus, plerasque earum archiepiscopales et episcopales, necnon aliquorum praesulum inferiorum, seu dignitatum quasi episcopalem iurisdictionem seu ordinariorum iura habentium, mensas, ob dioecesum angustias, incolarum et agricolarum deficientiam, terraemotuum frequentiam, aliasque temporum iniurias, dignitatis splendori necessariis seu congruis carere redditibus, istosque, respectu aliquarum mensarum huiusmodi, vix ad annuam summam scutorum ducentorum, vel aliam paulo maiorem, ascendere, et propterea praefatas metropolitanas, et alias cathedrales, ceterasque dictorum praelatorum inferiorum ecclesias illâ, quam Dei domus exposceret, maiestate et eleganti structurâ, necnon decenti supellectile sacrâ, necessariisque reparationibus indigere, ministrorum quoque ecclesiasticorum sufficientiam et idoneitatem, ob huiusmodi vel inopiam vel opulentiam[1], desiderari, piaque opera inibi in dies decrescere et alicubi defecisse. Unde etiam aures benignius et attentius porreximus querimoniis nuper ad nos pro parte venerabilium fratrum nostrorum archiepiscoporum et episcoporum eiusdem regni delatis[2] a spoliorum subcollectoribus, quibus tametsi per opportunas Sedis Apostolicae eiusque officialium provisiones satis mandatum fuisse noscatur, ut, viventibus praesulibus huiusmodi, a bonorum ex redditibus suarum ecclesiarum et multo magis aliunde per eos acquisitorum sequestratione, possessione et occupatione prorsus abstinerent, nihilominus aliqui ex iisdem subcollectoribus, suis facultatibus abutentes, nec poenas, quibus in trangressores, ut par est, iustitiâ mediante, animadverti non fuit praetermissum, reformidantes, quinimo, ubi magis commiseranda fuisset inopia vel angustia, molestias et rigorem lucri gratiâ multiplicantes, subsequestrationis, assecurationis, vel alio praetextu huiusmodi, archiepiscopos, episcopos et praelatos inferiores aegritudine pressos et in extremis etiam laborantes commodo, usu et possessione bonorum praefatorum vel aliquorum ex illis privare, seu aliter ipsos ipsisque inservientes perturbare praesumpserint.

Exemptio a praedictis spoliis motu proprio facta.

§ 2. Cupientes propterea eiusmodi malis opportunum adhibere remedium,

tificis constit. edit. MDCXCIII, die 15 octobris, pont. III, revocantur peculiaria indulta testandi cardinalibus, aliisque concedi solita.

1 Forsan *angustiam*, vel *non opulentiam* legendum (R. T.).

2 Heic aliqua exciderunt, ex. g. *super molestiis ipsis illatis* (R. T.).

ac decori, commodis et indigentiis respective ecclesiarum et antistitum huiusmodi, istorumque in extremis et sic de summâ rerum agentium, tremendumque Dei iudicium mox subiturorum, quantum fieri potest, quieti et tranquillitati in hac parte consulere: motu proprio, ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ab omni et quocumque iure, quod ad Cameram Apostolicam ex antiquissimâ consuetudine et constitutionibus apostolicis hactenus spectasse dignoscitur, percipiendi, exigendi, habendi et assequendi omnes et singulas quascumque pecunias, res, effectus, iura, semoventia, et bona etiam stabilia, cuiuscumque pretii, valoris, speciei, qualitatis existant, per memoratos archiepiscopos, episcopos et praelatos inferiores dicti regni, etiam ex Ordinibus regularibus assumptos, ex redditibus, fructibus et proventibus suarum ecclesiarum quomodocumque vere et proprie acquisita, *spolia* nuncupata, necnon fructus naturales a solo separatos et civiles tempore mortis perceptos, seu exactos ex redditibus praefatarum ecclesiarum, et etiam inconsumptos et incommixtos, non tamen pendentes seu inexactos, specialis dono gratiae perpetuis futuris temporibus dictos archiepiscopos, episcopos et praelatos inferiores regni praefati omnino eximimus et liberamus, ac exemptos et liberatos esse, fore et censeri volumus et mandamus. Ad effectum tamen, et non aliàs, aliter, nec alio modo, ut praemissa omnia et singula ad praefatas metropolitanas aliasque cathedrales et reliquas, quibus memorati archiepiscopi et episcopi seu praelati praesederint, illisque non indigentibus, ad parochiales ecclesias eorum regimini commissas, spectare, ac ad earumdem favorem et in beneficium seu utilitatem cedere, applicari, converti, seu erogari debeant.

Eaque disponendi facultas Ordinariis conceditur in favorem suarum ecclesiarum.

§ 3. Praefatis tamen archiepiscopis et episcopis et praelatis, ut congruos usus, applicationes et erogationes praemissorum in beneficium et utilitatem huiusmodi ecclesiarum, in quos seu quas eadem praemissa applicanda, eroganda seu exponenda esse censuerint, designare valeant, permittimus, indulgemus et opportunam facultatem desuper concedimus et impartimur, ac super praemissis omnibus etiam conscientiam praefatorum archiepiscoporum et praelatorum oneramus. Quod si archiepiscopi, episcopi et praelati praedicti ad huiusmodi designationem seu dispositionem devenire noluerint, vel nequiverint, adhuc praemissa omnia et singula ad dictas ecclesias, ut praefertur, similiter spectare, et ad favorem, seu beneficium, usum, utilitatem earumdem ecclesiarum, prudenti archiepiscoporum, episcoporum et praelatorum huiusmodi successorum arbitrio, cum suorum capitolorum scientiâ et consilio, convertenda, applicanda et eroganda esse et fore omnino volumus et mandamus.

Item capitulis facultas ea custodiendi post praelatorum mortem.

§ 4. Ad haec capitulis et canonicis dictarum ecclesiarum et aliis quibuscumque inhibemus, ne viventes, etiam aegrotantes, et in extremis constitutos archiepiscopos, episcopos et praelatos praefatos commodo, usu et possessione omnium praemissorum vel aliquorum ex illis sub sequestrationis, assecurationis vel alio praetextu privare seu illos illisque inservientes quoquo modo perturbare seu molestare praesumant: sed dumtaxat postquam iidem archiepiscopi, episcopi et praelati fuerint viam universae carnis ingressi, memoratis capitulis eorumque vicariis capitularibus respective praemissorum inventarium

rite et fideliter conscribendi, illaque interim assecurandi; archiepiscopis vero, episcopis et praelatis praefatis successoribus super praemissis, prout de iure, inquirendi, procedendi, iudicandi et exequendi, ac cum scientiâ et consilio suorum respective capitulorum, ut praefertur, convertendi, applicandi et erogandi, omnem et quamcumque facultatem, iurisdictionem et auctoritatem necessariam et opportunam respective concedimus et impartimur.

Reducuntur ad praesentium formam aliae constitutiones et facultates.

§ 5. Propterea litteras apostolicas felicis recordationis Pauli III anno Incarnationis dominicae MDXLII, III nonas ianuarii, et Pii IV die XXI mai MDLX, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, si quae sunt, super praemissis editas, etiam speciali et individuâ notâ dignas, necnon omnes et quascumque facultates, iurisdictiones et auctoritates tam in genere quam in specie dilecto filio moderno ac pro tempore existentibus in dicto regno Sedis praefatae nunciis et collectoribus generalibus, illorumque subcollectoribus concessas, in omnibus et singulis quae praemissis adversantur, moderamur, reformamus, et ad limites ac formam praesentium reducimus, et pro moderatis, reformatis et reductis habere volumus et decernimus, illis aliâs in suo robore permansuris; sicque, et non aliter, facultates, iurisdictiones et auctoritates huiusmodi in posterum quomodocumque concedendas, observari, attendi et exequi volumus et mandamus; districtius etiam inhibentes omnibus et singulis nunc et pro tempore in dicto regno existentibus subcollectoribus, seu aliis officialibus et ministris, ne, sub indignationis nostrae, privationis officiorum, aliisque gravibus arbitrariis poenis, audeant quoquo modo seu in aliquâ parte praesentibus contravenire.

Excipiuntur nonnullae constitutiones.

§ 6. Per praesentes tamen non intendimus recolendae memoriae Romanorum Pontificum pariter praedecessorum nostrorum Pii V super rebus sacris, vasibus, ornamentis et paramentis ecclesiasticis, ad ecclesias, quibus defuncti praesederant, spectantibus, III kalendas septembris anno eiusdem Incarnationis MDLXVII, Iulii III die XXVI iunii anno Incarnationis praefatae MDL, cum illius declarationibus, Sixti V die I ianuarii anni MDLXXXIX, et Urbani VIII die V aprilis anni MDCXXVIII super fructibus ecclesiarum tempore mortis archiepiscoporum seu episcoporum vel aliorum pendentibus vel inexactis, necnon praefatorum Pii IV die XXV aprilis anni MDLXI et Sixti V kalendis februarii anno praedictae Incarnationis MDXC super dictarum ecclesiarum fructibus pro tempore quo illarum sedes vacaverint, aliasque, si quae sint, super his editas litteras apostolicas, harum omnium et singularum tenores circa praemissa pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, in aliquo immutare, infringere seu revocare, sed easdem in suo robore et statu quoad haec salvas, illaesas et illibatas adhuc permanere declaramus, volumus atque sancimus.

Clausulae.

§ 7. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod omnes et singuli supradicti, ac alii quicumque in praemissis quomodolibet ius vel interesse habentes seu habere praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis, seu aliâs specificâ et individuâ mentione seu expressione digni existant, iisdem praemissis non consenserint, nec ad ea vocati seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari et audiri semel vel pluries quoquo modo debuissent, aut ex aliâ quan-

tumvis iuridicà et privilegiatà causà, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, alioque quolibet etiam quantumvis magno ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari nullatenus posse, sed easdem praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, necnon Camerae praefatae thesaurarium generalem et praesidentes clericos, praefatumque in dicto regno nuncium et collectorem, aliosque quoscumque qualibet auctoritate, praeeminentià et potestate fungentes et functuros, sublatà eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, aliisque nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, et piae memoriae Symmachi, Pauli II, Pauli IV aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, et alienatis recuperandis, ac praefati Pii IV de gratiis, qualecumque interesse dictae Camerae concernentibus, intra certum inibi expressum tempus exhibendis et registrandis, itaut easdem praesentes litteras ibidem exhiberi et registrari nunquam necesse sit, aliisque quibuscumque apostolicis, et in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum praefatarum ac Nunciaturae Neapolis, etiam iuramento, confirmatione apostolicà, vel quavis firmitate alià roboratis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis ac litteris apostolicis, sub quibusvis tenoribus et formis, cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibus aliisque decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientià et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis et innovatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formà in illis traditâ observatà, exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, harum serie, specialiter et expresse, plenissime et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 9. Volumus autem ut earumdem

Fides transumptorum.

praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum exemptionis, liberationis, voluntatum, mandatorum, permissionis, indulti, concessionum, onerationis, moderationis, reformationis, reductionis, decreti, inhibitionis, declarationis, sanctionis et derogationis infringere, seu ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCXCIV, III kalendis februarii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 30 ianuarii 1694, pontif. anno III.

---

## LXXXII.

*Confirmantur, extenduntur et reformantur constitutiones Gregorii XI, Sixti IV et Iulii II super facultatibus protectorum Ordinum regularium* [1].

**Innocentius episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium ex causis huius constitutionis petitum.

Christifidelium, qui, spretis saeculi huius illecebris, sub suavi religionis iugo, divini Numinis sese manciparunt obsequiis, salubriori regimini et felicioribus in Domino progressibus, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere satagentes, inter multiplices curas, quibus occurrentium rerum negotiorumque varietatibus obsidemur, ad illam quoque nostrae considerationis aciem dirigimus, per quam huiusmodi religiosorum Ordines, S. R. E. cardinalium protectioni commissi, ita eiusdem protectionis perfruantur subsidio, ut claustralis disciplinae vigor illibatus permaneat, institutique observantia sartatecta servetur, ac propterea, quae curae huiusmodi protectorum, et quae curae censurae superiorum regularium respective et magis apte conveniunt, congruâ distinctione ordinentur, seu potius, quae respectu alicuius Ordinis per Romanos Pontifices praedecessores nostros proinde desuper ordinata noscuntur, quoad illum confirmationis nostrae munimine constabiliantur, et quoad eumdem et alios Ordines, praefatis protectoribus sive similiter sive dissimiliter commendatos, pro unâ eâdemque regulâ, ad limites tamen praesentium, pariformiter constituantur.

§ 1. Sane, licet S. Franciscus de Assisio in eius regulâ, per Sedem Apostolicam confirmatâ, hisce verbis praecepit: « Per obedientiam ad hoc iniungo ministris, ut petant a domino Papa unum de S. R. E. cardinalibus, qui sit gubernator, protector et corrector istius fraternitatis, ut semper subditi et subiecti pedibus eiusdem S. R. E. stabiles in fide catholicâ paupertatem et humilitatem et sanctum evangelium domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promittimus, observemus »; nihilominus nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri protectoris huiusmodi facultates declarandas, finesque, quibus illae concludi deberent, praescribendos esse, in Domino existimarunt, suisque desuper editis litteris decreverunt.

Moderatio facultatis cardinalis protectoris pro Ordine fratrum Minorum a Gregorio XI facta.

§ 2. Cum enim aliqui eorumdem protectorum suam potestatem nimium extendisse dicerentur in pluribus, ex quibus in Ordine Minorum graves perturbationes et scandala fuissent exorta, felicis

recordationis Gregorius Papa XI praedecessor noster suis VI kalendas iunii pontificatus sui anno III expeditis[1] litteris, ut idem Ordo in suâ primaevâ quiete permaneret, de virtute in virtutem iret assidue, et, quibuslibet amotis praepedimentis, eradicatisque spinis et tribulis, fructum non solum consuetum, sed etiam uberiorem afferret, ad radicalem submotionem turbationum et scandalorum huiusmodi iam exortorum, et ne orirentur in posterum providere, ac eiusdem Ordinis pro tempore existentibus protectoribus transgressionis suae potestatis occasionem tollere efficaci remedio cupiens, auctoritate apostolicâ eisdem protectoribus districtius inhibuit ne praesumerent quaecumque ordinata, statuta sive disposita, aut ordinanda, statuenda seu disponenda per generalia vel provincialia aut custodialia capitula infringere, reprobare, corrigere, suspendere aut dispensare super his seu contra ea, vel eorum aliquid quomodolibet immutare, nisi contra praemissos articulos in praefatâ regulâ, ut praefertur, positos, vel aliquem ipsorum, existeret manifeste; aut quemcumque praelatum seu officialem dicti Ordinis, seu alicuius loci eiusdem, quocumque nomine nuncuparetur, ponere seu instituere, aut deponere, destituere seu privare, aut a suo officio suspendere seu impedire super eius libero exercitio quovis modo; aut aliquem fratrem Ordinis antedicti ad lectoratum aut quamcumque lecturam seu studium vel gradum promovere, aut promotos ab eis removere, seu etiam revocare; aut de loco ad locum mittere aut mutare, sive alicui fratrum eorumdem eundi ad quodcumque monasterium, vel locum alium, vel domum, vel aliquam personam, licentiam impartiri; et ne insuper quemvis singularem fratrem memorati Ordinis de quocumque crimine vel delicto punire, vel a poenâ seu poenitentiâ liberare, aut eam minuere, augere vel immutare; aut etiam alicui fratri locum, cameram, cellam, libros vel alias res dicti Ordinis concedere, vel eius usui deputare; aut quemcumque, per praelatos eiusdem Ordinis aut alios deputatum, quomodolibet amovere; nec etiam de rebus aut correctione fratrum dicti Ordinis, nisi in casibus praemissis contentis in praefatâ regulâ, seu eorum aliquo, se aliquatenus intromittere quovis modo, itaut dictus Ordo seu fratres eiusdem Ordinis in nullo subessent futuris protectoribus, nisi in casu in quo ipsorum fratrum communitas vel generale capitulum (quod abesset) a praedictis articulis vel eorum aliquo deviassent; alioquin, si secus fecissent, id decrevit irritum et inane. Et nihilominus fratres qui contra eiusmodi inhibitionem quidquam impetrassent, seu, post inhibitionem eiusmodi, usi fuissent etiam per alios impetratis, punirentur illis poenis, quibus fuissent pro gravibus culpis secundum statuta dicti Ordinis puniendi, et nihilominus essent actibus privati legitimis, et a suis, si quae habuissent, suspensi officiis ipso facto. Ceterum memoratus Gregorius praedecessor eosdem futuros protectores hortatus fuit attentius, quod per facti efficaciam sic nominis sui officii procurarent effectum, ut Ordo ipse per eos non laederetur in aliquo, sed potius ab adversis, pro tempore forsan imminentibus, seu[1] opportuno defensionis clypeo protegeretur et a noxiis praeservaretur: sic acturi provide, et aequitatis ac modestiae limites servaturi, ut non traheretur ad noxam, quod provisum fuerat ad salutem, sed ex charitativis gestis eorum Ordo praefatus quietem et conso-

[1] Edit. Main. legit *expeditas* (R. T.)

[1] Forsan *sub* pro *seu* (R. T.).

lationem perciperet, et ipsi protectores magnum apud Deum praemium sortirentur, et super contrario non oporteret dictae Sedis providentiam aliud remedium adhibere.

Confirmata et declarata fuit dicta moderatio Gregorii XI a Sixto IV.

§ 3. Successive recolendae memoriae Sixtus Papa IV, etiam praedecessor noster (qui, cum sibi in minoribus constituto memorati Ordinis generalis cura et administratio incubuisset, saluberrimum, opportunum et necessarium dicto Ordini fuisse conspexerat, ut protectores, ultra praefixum ab eiusdem Ordinis regulâ, auctoritatem non extenderent, nam expertus fuerat et viderat quanta pax, quies, utilitas, quantaque commoda praefato Ordini et fratribus eiusdem ex firmâ et inconcussâ praefatarum litterarum dicti Gregorii pariter praedecessoris observantiâ provenerant, quae et quantae perturbationes, iacturae, incommoda, damna et gravia scandala in dicto Ordine suscitata fuerant, quoties illius protectores, suae auctoritatis limites excedere attentantes, in particularibus dicti Ordinis et fratrum eiusdem causis et negotiis se intromittere, et usurpatâ sibi auctoritate ea videre, cognoscere, iudicare et decernere voluerant), cupiens ut religio et Ordo praefatus, quem affectuosissimâ charitate complectebatur, utpote quia in eo a teneris annis enutritus, et doctrinâ ac regularibus disciplinis et moribus institutus fuerat, quieto consistens statu, virtutibus et meritis augeretur et multiplicaretur, ut fidei catholicae et christianae reipublicae augmentum et multiplex ac solidum fundamentum ex eiusdem Ordinis fratrum operibus et exemplis, sapientiâ, splendore, ac fructuosis studiis et praedicationibus provenirent, promptissimo et liberali animo, uti dignum censuit et debitum, ut ea, quae pro ipsius Ordinis quiete, pace, tranquillitate et prosperitate a Romanis Pontificibus praedecessoribus provide statuta et ordinata fuerant, illibata perdurarent, suae approbationis munimine solidavit, interpretatus fuit et declaravit, prout ipsius Ordinis tranquillitati conspexit salubriter expedire. Praemissâ igitur dictarum memorati Gregorii praedecessoris litterarum insertione, ac praeviâ huiusmodi narrativâ, idem Sixtus praedecessor, ut de cetero ipsius Ordinis professoribus omnis evagandi extra religionem occasio tolleretur, et vera suis praelatis obedientia, in qua religionis verum et solidum fundamentum et robur consistit, exhiberetur, praefatique Ordinis et fratrum eiusdem negotia et causae, non alibi, neque per alios, quam in ipso Ordine et per ipsius praelatos tractarentur, agitarentur, iudicarentur et determinarentur, tunc existentis generalis dicti Ordinis ministri ac totius generalis capituli in hac parte supplicationibus[1] inclinatus, inhibitionem ac litteras praefatas memorati Gregorii praedecessoris auctoritate apostolicâ suarum tenore litterarum approbavit, et robur perpetuae firmitatis obtinere debere decrevit. Et per eas protectori praefato pro tempore existenti, nisi in illis casibus et articulis in regulâ dictorum fratrum expressis et praefati Gregorii praedecessoris litteris declaratis, neque in illis, dum non universi, sed aliqui ipsius Ordinis professores in quovis numero a fidei unitate et[2] sacrosanctae Romanae Ecclesiae obedientiâ deviarent, vel regulam praefatam non servarent, sed[3] de eorumdem deviantium et non observantium regulam correctione aut reductione ac aliis quibuslibet causis et negotiis dicti Ordinis se intromitteret, inhibitum fuisse, dictâ auctoritate decrevit et de-

1 Edit. Main. legit *supplicantibus* (R. T.).
2 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).
3 Particula *sed* prorsus delenda (R. T.).

claravit. Hortatusque fuit illum, qui ad officium protectionis huiusmodi (quod tunc per obitum bonae memoriae Bessarionis episcopi Sabinensis, dicti Ordinis, dum viveret, protectoris, vacabat) assumi et deputari contigisset, et ipsius successores dicti Ordinis protectores, ac eis in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo inhibuit, ne, extra praedictos articulos et casus in regulâ praefatâ contentos et expressos, nec etiam in illis, cum non universus Ordo, sed aliqua ipsius pars vel speciales personae errarent, ipsorum fratres querelas audire, seu de ipsorum causis et negotiis contra litteras et declarationes huiusmodi intromittere se quoquo modo praesumerent; sed curarent, vigilarent et intenderent, uti erat eorum officium, et praedicti sancti Francisci et praefatae Sedis intentio fuerat, ipsum Ordinem in quieto, tranquillo et pacifico statu conservare et augere, et ab impugnantibus, molestantibus et perturbantibus protegere, defendere et tueri, ne, secus agendo, Ordinem praefatum non solum non protegerent, conservarent et exaltarent, ut tenebantur, sed, in animarum suarum perniciem et dicti Ordinis detrimentum et scandalum, perturbarent, destruerent et confunderent, ut in eiusdem Sixti praedecessoris anno Incarnationis dominicae MCDLXXII, V kalendas februarii, pontificatus anno II, expeditis litteris continetur.

Approbatio dictae moderationis Gregorii et declarationis Sixti a Iulio II edita.

§ 4. Quas, ac alias praefatas memorati Gregorii praedecessoris litteras, piae memoriae Iulius Papa II etiam praedecessor noster, qui in minoribus constitutus, cardinalatûs honore fulgens, dicti Ordinis protector vigintisex annis et ultra fuerat, dictosque fratres tamquam peculiares filios in visceribus charitatis gerens, eadem commoda et tranquillitatem sinceris affectibus exoptabat, praeviâ ambarum praefatarum insertione, aliis suis litteris sub datum anno Incarnationis praefatae MDVIII, idibus octobris, pontificatus sui anno IV, approbabavit, ac earumdem suarum litterarum patrocinio communivit.

Confirmatio constitutionum praefatorum Pontificum motu proprio facta.

§ 5. Cupientes itaque et pluries animo attente revolvimus[1] etiam in hac parte apostolicae sollicitudinis studium apponere, ac nolentes salutaris provisionis remedium iamdiu a nobis praemeditatum, ac etiam a quampluribus diversorum Ordinum regularibus suppliciter petitum, diutius differre, dictorumque Romanorum Pontificum praedecessorum vestigiis inhaerentes, motu proprio, ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, necnon de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum pietate, doctrinâ, prudentiâ et rerum usu praestantium ad hunc effectum de mandato nostro congregatorum consilio, praefatas memoratorum Gregorii, Sixti et Iulii praedecessoris litteras tenore prasentium approbamus, confirmamus et innovamus, et ad primaevum statum, pristinumque usum reducimus et reintegramus, illisque in omnibus et per omnia perpetuum et inviolabilis firmitatis robur adiicimus.

Extensio earumdem constitutionum ad omnes Ordines, religiones et congregationes utriusque sexus.

§ 6. Insuper, ut in omnibus et singulis quorumcumque regularium Ordinibus memoratorum protectorum curae commissis, seu committi consuetis, una eademque et pariformis huiusmodi protectionum sit et perpetuo esse debeat regula et disciplina, omnia et quaecumque, tam in praefatorum praedecessorum ut praefertur confirmatis, quam in praesentibus nostris contenta, in omnibus et singulis sive S. Francisci sive cuiuscumque alterius regulae vel instituti

1 Potius lege *revolventes* (R. T.).

ac quomodocumque erectis, reformatis seu existentibus, ac erigendis, reformandis seu futuris et quomodolibet nuncupatis seu nuncupandis Ordinibus, religionibus, congregationibus vel reformationibus, tam virorum quam mulierum, curae protectorum Ordinis, cuius illi seu illae existunt, generaliter commissorum seu commissarum, observanda, attendenda ac omnimodae executioni demandanda esse et fore, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, hac in perpetuum valiturâ constitutione, sancimus et mandamus. Et nihilominus, ne huiusmodi protectores in aliquibus negociis, causis seu rebus, quae universum Ordinem seu totum corpus religionis non concernunt, ex quacumque causâ, occasione, titulo seu praetextu, sese quoquo modo intromittant seu ingerant, etiam tenore praesentium penitus prohibemus, statuimus atque decernimus.

Revocatis protectorum facultatibus, cardinalium Congregationi conceduntur omnes appellationis gradus.

§ 7. Hinc, cum (retento praefatarum a nobis confirmatarum et ad omnes Ordines regulares extensarum ac praesentium nostrarum litterarum themate) congruere et in consequentiam venire videatur, ut memorati protectores etiam a cognitione et definitione causarum, seu litium, vel negotiorum dictos regulares, vel eorum bona, iura, domos, aliaque ut praefertur particulariter concernentium, pariter seu magis abstinerent; vice autem versâ causae et lites, instantiae, petitiones vel negotia huiusmodi, sive ex indultis, privilegiis aut constitutionibus apostolicis, sive ex regulis, vel statutis, seu ordinationibus aliquorum Ordinum, sive ex declarationibus vel decretis dictae S. R. E. cardinalium aliquibus Congregationibus praepositorum, sive ex usu vel quacumque consuetudine, in aliquâ instantiâ, seu gradu cuiuscumque appellationis vel recursûs, a memoratis protectoribus seu eorum aliquibus hactenus cognita, examinata, seu indicata fuerint, vel cognosci, examinari seu iudicari potuisse vel debuisse dignoscerentur seu praetenderentur: propterea, ut modus, forma, et ordo in praefatis confirmatis et extensis ac praesentibus nostris litteris constituti suum plenarium et consimilem etiam in hac parte sortiantur effectum, omnibus et singulis praefatis indultis, privilegiis, constitutionibus, regulis, statutis, ordinibus, declarationibus, decretis, usibus et consuetudinibus (quorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, pro plene et sufficienter expressis habemus) plenissime et amplissime, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, derogamus, et derogatum esse volumus et mandamus, illis aliàs in suo robore permansuris; ac, quamcumque instantiam, sive gradum cuiuscumque appellationis vel recursûs coram protectoribus seu ad protectores huiusmodi removentes, tollentes, seu recusantes, quamcumque instantiam prout de iure et iuxta Ordinis instituta relinquimus, et cuiuscumque appellationis seu recursûs gradum, quem singulis cardinalibus protectoribus tenore praesentium omnino et absolute adimimus, ipsis cardinalibus insimul tamen in Congregatione negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ convenientibus earumdem tenore praesentium restituimus, concedimus, tribuimus et impartimur, seu verius utrumque seu duplicem appellationis gradum, qui super praemissis prius ad cardinales protectores praefatos, et successive vel respettive, omisso medio, ad memoratam Congregationem devolvebantur, in eâdem Congregatione consolidamus, annectimus et unimus, et ad unum cognitionis seu appellationis gradum reducimus.

Revocantur ad novam formam protectorum facultates aliquas agendi, vel aliquos deputandi.

§ 8. Ad haec, cum pariter ex indultis, privilegiis seu constitutionibus apostolicis, vel ex regulis, statutis seu ordinationibus, sive ex usibus et consuetudinibus, vel aliàs quoquo modo, aliqua nonnullos praelatos, superiores, seu alios in aliquibus Ordinibus eligendi seu deputandi, vel alia quaeque facultas seu auctoritas nonnulla quaecumque gerendi, committendi, mandandi, demandandi seu ordinandi, praefatis protectoribus seu aliquibus eorum quomodolibet attributa, commissa, commendata, seu demandata specialiter vel generaliter contra formam praefatarum Gregorii et Sixti praedecessorum litterarum existat[1]: hinc nos huiusmodi electiones seu deputationes ad limites sacrorum canonum seu regularum et instituti, vel ad modum et formam in comitiis generalibus seu per nos auctoritate apostolicâ statuendum et statuendam, reducimus, et reductas esse volumus et mandamus.

Protectorum facultates congregationibus conceduntur.

§ 9. Quo vero ad cetera, facultatem seu auctoritatem, quam iisdem singulis cardinalibus protectoribus in praemissis et circa ea penitus adimimus, eorumdem cardinalium Congregationibus, iuxta cuiuslibet Congregationis facultates, congrua congruis referendo, similiter restituimus, concedimus, tribuimus et impartimur; sub eâ tamen moderatione seu declaratione, ut praefatae Congregationes in illis dumtaxat, quae ad protectores huiusmodi ex constitutionibus et ordinationibus apostolicis, seu ex statutis, regulis vel constitutionibus cuiuslibet respective Ordinis, non autem ex usu, consuetudine, vel aliàs spectarent, loco eorumdem protectorum subrogentur et subrogatae sint et intelligantur.

Congregationes a quo petere debeant votum, vel committere informationem et executionem.

§ 10. Quia vero saepe saepius contingit, ut in causis seu negotiis, quae in memoratis dictorum cardinalium congregationibus proponuntur, exquiratur super expositis informatio, ac quandocumque etiam votum, seu delegetur resolutorum exequutio, eamdem proportionem seu distinctionem, quam praemisimus, etiam in hac parte servari mandamus, ut nimirum in respicientibus totum Ordinem protectorum curae ut praefertur commissis seu relictis, iisdem protectoribus; in ceteris vero casibus et negotiis, superiori generali seu procuratori generali, et in utroque seu alterutro casu, etiam congregationi, sive assistentium, sive definitorum, sive consultorum, sive aliter quomodocumque nuncupatae, hic in Urbe vel in alio Italiae loco existenti, in qua Ordinis negotia tractantur seu tractari solent vel debent, et quoad illos Ordines, in quibus huiusmodi insimul et continue conveniens congregatio non existit, seu existit, sed extra Italiam, eidem procuratori generali, vel soli, vel insimul etiam nonnullis aliis eiusdem Ordinis superioribus seu praelatis, tametsi in diversis locis in Italiâ seu extra eam respective ut praefertur commorantibus, arbitrio semper cuiuslibet ex praefatis cardinalium Congregationibus, iuxta rerum, locorum, et personarum qualitates et circumstantias respective, informatio et votum, ut praefertur, necnon exequutio huiusmodi, congrua congruis referendo, et servatâ ceteroquin quoad singulos Ordines formâ propriae regulae, statutorum, seu instituti, remittatur, delegetur seu committatur.

Protector et vocales in electionibus huiusmodi respectus et conatus contemnant.

§ 11. Perpendentes etiam christianae reipublicae prae ceteris expedire ut Ordinibus regularibus praelati inculpatae vitae morumque integritate, virtutibus, meritis, rerumque experientiâ praestantiores et aptiores praeficiantur, et ad hunc effectum omnimodam et ab

1 Edit. Main. legit *existant* (R. T.).

humanis respectibus undequaque immunem et sacrosantam libertatem in illorum electionibus nedum mirabiliter conferre, sed requiri: memoratos protectores in Domino hortamur, et enixe obsecramus, ac electoribus pariter in Domino et in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus, seu hortationes, obsecrationes et praecepta huiusmodi renovamus, ut in comitiis, praesertim generalibus, quibus eosdem pro tempore praesidere et respective interesse contigerit, nedum interesse, et aliis intra claustra degentibus, sed exteris ipsis quibuscumque etiam laicis quacumque maiestate, praeeminentiâ, gradu et dignitate fulgentibus, propriae indifferentiae ac unici in Dei gloriam et religionis bonum respectûs ita se praebeant singulare specimen et exemplar, talemque huius rectae intentionis et melioris operationis odorem diffundant, ut illi propterea vexationes et importunas commendationes, ubi Spiritus Paraclitus spirat et praesidet, inutiles et incongruas esse et fore certius agnoscentes, ab iisdem prorsus abstineant seu desistant, indeque tam intrinsecus quam extrinsecus omnibus vexationibus, commendationibus, machinationibus, humanisque finibus eliminatis et explosis, integra, illibata et intacta vocalibus remaneat eligendi facultas, et tam superioris generalis quam aliorum respective praelatorum undequaque libera, optima et canonica sequatur electio, ad quam cum voto, si quod, et eo modo, quod protectori iuxta cuiuscumque Ordinis regulas, statuta, vel aliàs competit, Deum eiusque honorem et gloriam dumtaxat prae oculis habens, concurrat.

Solis convenientibus protectoribus et vocalibus conceditur facultas eligendi.

§ 12. Nolumus tamen absentium vota, ac protectoris, nec cuiuscumque alterius, nec etiam ipsarum cardinalium Congregationum auctoritate suppleri, seu alios vocales eorumdem absentium loco seu vice subrogari, deputari seu eligi; sed ius eligendi in solis iuxta iuris et instituti regulas ad hunc effectum assumptis, et in destinatis et tempore convenientibus, consolidari, seu aliàs, prout de iure, permanere, omnino volumus et mandamus.

Praedicta omnia protectoribus interdicta nulla declarantur.

§ 13. Ut autem praemissa omnia et singula eo magis debitum consequantur effectum, et exequutioni demandentur, ac ad maiorem cautelam seu declarationem, omnia quaecumque et singula, quae in praemissis confirmatis et extensis et praesentibus nostris litteris sunt quoquo modo explicite vel implicite memoratis protectoribus interdicta, in posterum annullamus, cassamus et irritamus, seu potius nulla, cassa, inania, irrita, nulliusque roboris et momenti ipso iure et ipso facto omni meliori modo declaramus atque decernimus.

Inhibitio facta protectoribus et superioribus religiosis circa praemissa.

§ 14. Mandantes iisdem tunc et pro tempore in futurum existentibus protectoribus, ne cuncta vel singula praemissa quoquo modo iniungant, faciant, mandent, committant, permittant, sive tolerent; necnon quibuscumque regularibus utriusque sexus tum superioribus, etiam generalibus, tum subditis, ne iisdem omnibus et singulis, ut praefertur, praemissis pareant, obediant, morem gerant, adhaereant, seu illa tolerent vel permittant, sive omnia vel singula praemissa quaecumque fiant seu attententur per sententias vel decreta, sive in formâ iudiciali, sive extraiudiciali, tam per patentes quam per privatas litteras, seu epistolas, sive per se ipsos, sive per quoscumque alios, nedum per viam praecepti, iussionis, mandati vel commissionis, sed etiam commendationis, et sive palam, sive secrete, tum in quibuscumque scriptis, tum oretenus, et tam directe quam indirecte, mediate vel

immediate, ac aliis quibuscumque formis et modis, nihil penitus omisso: praefatorum omnium conscientias desuper onerantes.

*Revocantur ad praescriptam formam omnes protectorum facultates.*

§ 15. Propterea omnes quascumque et singulas facultates, auctoritates et iurisdictiones, quomodocumque, qualitercumque et quomodocumque, tam in genere quam in specie, omnibus et singulis antehac sive nunc existentibus protectoribus huiusmodi, et tam eorum personis, quam gradui, muneri, vel officio concessas et attributas vel communicatas, seu ab illis quoquo modo exerceri consuetas, etiam speciali et individuâ mentione, moderatione seu revocatione dignas, earumdem omnium et singularum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, pro plene et sufficienter expressis habentes, in omnibus et singulis quae praemissis adversantur, moderamur, reformamus, et ad limites, modum, formam et tenorem praesentium reducimus, et pro sic moderatis, reformatis et reductis haberi, censeri et intelligi volumus et decernimus, sicque pariter, et non aliàs quam servatâ formâ praesentium omnium ac singulorum in illis contentorum, facultates, iurisdictiones et auctoritates huiusmodi, necnon deputationes eorumdem protectorum in posterum quomodocumque concedendas, attribuendas, seu communicandas, et respective faciendas, observari, attendi, intelligi et exequi omnino volumus et mandamus.

*Committitur praemissorum executio Congregationi episcoporum et regularium auditori Camerae Apostolicae.*

§ 16. Quocirca praefatae Congregationi memoratorum negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum cardinalium, et dilecto filio curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, per apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus, omnibus et singulis praemissis semper salvis et in suo robore permanentibus, Congregatio vel auditor praefati praesentes litteras, in eâ parte quae[1] praedictam moderationem seu limitationem facultatum protectorum huiusmodi ac in contrarium desuper ab iisdem protectoribus gerendorum nullitatem seu irritationem dumtaxat concernunt, ubi et quandoque opus fuerit, quoties pro parte quorumcumque desuper interesse habentium Congregatio vel auditor praefati fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque desuper efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes in dictâ parte dumtaxat firmiter observari, et singulos, quos eaedem litterae in dictâ parte concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes, eos quomodolibet indebite molestari, contradictores, auctoritate nostrâ, appellatione postpositâ, compescendo.

*Clausulae.*

§ 17. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod omnes et singuli supradicti, et alii quicumque cuiusvis status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae vel dignitatis, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, in praemissis quomodolibet ius vel interesse habentes seu habere praetendentes, iisdem praemissis non consenserint, nec ad ea vocati seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum vel privilegiorum vigore consentire seu vocari et audiri semel vel pluries quoquo modo debuissent, aut ex aliâ quacumque iuridicâ, privilegiatâ et rationabili, ac etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, causâ et occasione, colore, praetextu, titulo, etiam oneroso, et capite, etiam in corpore iuris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis

1 Vel lege *quâ*, vel postea *concernit* pro *concernunt* legendum (R. T.).

aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel interesse habentium consensûs aliove quolibet etiam maximo, substantiali, essentiali et formali aut incogitato defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, rescindi, in controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare nullatenus posse, sed easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque et quomodocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et quoscumque nuncios et cardinales, etiam de latere legatos, necnon quascumque eorumdem cardinalium Congregationes, et quosvis alios qualibet auctoritate, praeeminentiâ et potestate fungentes et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 18. Non obstantibus omnibus et singulis praemissis, et, quatenus opus sit, nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, et signanter illâ de iure quaesito non tollendo, et aliâ quod cardinales in constitutionibus et regulis per nos edendis non comprehendantur nisi illae eorumdem cardinalium favorem concernant vel ipsae edendae constitutiones de illorum seu maioris partis eorum consilio editae fuerint, aliisque quibuscumque, etiam in generalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, etiam apostolicis, necnon quorumcumque et singulorum Ordinum regularium, religionum, congregationum seu reformationum institutis, regulis, statutis, decretis et ordinationibus quibuscumque, etiam in limine erectionis, fundationis seu reformationis, etiam in comitiis generalibus quoquomodo factis, ac usibus, stylis et consuetudinibus quibuscumque, etiam centenariis et immemorabilibus, privilegiis quoque et indultis ac litteris apostolicis quibuscumque, sub quibusvis tenoribus et formis, et cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, confirmatis et approbatis, ac pluries et quantiscumque vicibus innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, causas et occasiones, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expres-

sis, insertis, servatis et specificatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, harum serie, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus et mandamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 19. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 20. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, reductionis, reintegrationis, sanctionis, mandatorum, prohibitionis, statuti, decretorum, derogationum, voluntatum, ademptionum, restitutionum, concessionum, consolidationis, annexionis, unionis, hortationis, obsecrationis, praecepti, renovationis, annullationts, cassationis, irritationis, declarationis, onerationis, moderationis et reformationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCXCIV, XIV kalendas martii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 16 februarii 1694, pontif. anno III.

---

## LXXXIII.

*Assignantur puellis Conservatorii Divinae Providentiae de Urbe decem subsidia dotalia ex quibusdam archiconfraternitatibus et confraternitatibus*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Causae dictae assignationis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, Conservatorio Divinae Providentiae nuncupato de Urbe multum levamenti proventurum sit, si dilectis in Christo filiabus in illud nunc receptis, ac pro tempore recipiendis pauperibus puellis, aliquot subsidia dotalia, ex illis quae a nonnullis archiconfraternitatibus ac confraternitatibus eiusdem Urbis distribui solent, annis singulis assignentur: nos, considerantes summopere decere puellas praefatas, quo facilius statui suo consulere valeant, huiusmodi subsidiis adiuvari, illasque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, necnon quorumcumque testamentorum aliarumque etiam ultimarum voluntatum atque dispositionum tenores, et alia quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut de cetero annis singulis decem subsidia dotalia, ex iis quae per archiconfraternitates et confraternitates infrascriptis puellis maritandis vel monachandis dispensantur, unâ cum pretio vestis eis dari solitae,

1 Similis assignatio fit puellis hospitii pauperum invalidorum de Urbe constitutione sequenti.

totidem[1] puellis conservatorii praefati nunc et pro tempore existentibus (etiamsi forsan iuxta formam et dispositionem quorumcumque testamentorum aliarumque ultimarum voluntatum, ac tam causâ mortis, quam inter vivos dispositionum et ordinationum, statutorum quoque ac consuetudinum et usuum quorumvis, qualificatae non sint) a dilectis filiis modernis seu pro tempore existentibus archiconfraternitatum huiusmodi administratoribus, officialibus seu ministris quocumque nomine nuncupatis, ad quos ea res spectat et pro tempore spectabit, ad effectum matrimonii vel monachatûs, realiter et cum effectu praestari et assignari debeant, tenore praesentium praecipimus et mandamus. Ita videlicet ut quatuor subsidia huiusmodi, quorum duo sint quinquaginta, reliqua vero duo sint quadraginta scutorum monetae romanae pro quolibet, ab archiconfraternitate Annunciationis beatae Mariae Virginis in ecclesiâ eiusdem S. Mariae super Minervam de Urbe praefatâ canonice institutâ (eâ tamen lege ut in his quatuor subsidiis unum subsidium dotale, quod ipsa archiconfraternitas uni ex puellis conservatorii huiusmodi quotannis praestare consuevit, comprehensum intelligatur, et itaut, si unquam propter considerabilem eiusdem archiconfraternitatis redditaum diminutionem cetera subsidia dotalia, quae dicta archiconfraternitas aliis puellis distribuere solet, diminui contigerit, pari modo dicta quatuor subsidia, salvo tamen semper eorum numero praedicto, diminui debeant); alia tria subsidia, quorum unumquodque sit viginti quinque scutorum parium, a confraternitate SS. Rosarii in ecclesiâ supradictâ canonice similiter institutâ, aliud itidem subsidium vigintiquinque scutorum similium a confraternitate S. Hieronymi Charitatis de eâdem Urbe; reliqua demum duo subsidia, quorum singula sint trigintaquinque scutorum et vigintiquinque baioccorum eiusdem monetae, ex iis quae a quondam Bernardini Rustici Castellani[1] relicta fuerunt, quaeque a SS. Salvatoris ad Sancta Sanctorum pro medietate ac Confalonis respective archiconfraternitatibus seu confraternitatibus pariter de Urbe pro aliâ medietate dispensantur, unum scilicet a dilectis etiam filiis modernis seu pro tempore existentibus guardianis et camerario eiusdem archiconfraternitatis seu confraternitatis SS. Salvatoris, alia vero a dictâ archiconfraternitate Confalonis respective praestentur et assignentur.

Modus et forma conferendi dictas dotes.

§ 2. Porro decem subsidiorum dotalium huiusmodi praestatio et assignatio ita fieri debeat, ut decem puellae dicti conservatorii annis singulis ad illa, sicut praemittitur, admittendae nullatenus a memoratis earumdem archiconfraternitatum administratoribus, officialibus seu ministris visitentur et eligantur, seu nominentur, sed illarum electio, seu nominatio, ac omnimoda de decem subsidiis dotalibus huiusmodi disponendi facultas, ad dilectos pariter filios modernos seu pro tempore existentes deputatos eiusdem conservatorii (quorum erit eas puellas eligere seu nominare, quae vitae ac morum honestate, modestiâ, aetate, aliâve ratione ceteris antecellant) penitus pertineat; ubi vero ab iis electio seu nominatio huiusmodi, ut praefertur, facta fuerit, cedulae subsidiorum huiusmodi promissoriae, quae sane liberae prorsus et absque ullo vinculo aut conditione, iuxta modum a Congregatione eorumdem deputatorum praescribendum, faciendae erunt, unâ cum pretio vestis, sicut praemittitur, dari solitae, ipsis deputatis consignari debeant,

1 Edit. Main. legit *totidemque* (R. T.).

1 Potius lege *Bernardino*, etc. (R. T.).

penes eos asservandae, donec et quousque iisdem puellis sic electis seu nominatis, cum nimirum eas in religione vel matrimonio, iuxta earum vocationem collocari contigerit, tradantur; ita tamen ut si quae ex illis, quae sic electae seu nominatae fuerint, bonum sui specimen praebere non perrexerint, qua in re memoratae Congregationis deputatorum iudicio omnino standum erit, illae a commodo et beneficio in eorumdem subsidiorum dotalium sibi assignatorum cadant, nec illa seu illorum cedulas petere, consequi et obtinere valeant, sed subsidia eis assignata, seu illorum cedulae huiusmodi, quemadmodum etiam illa, quae, ob puellarum, quibus assignata erant, mortem ante earum matrimonium vel monachatum respective secutam, sive ob aliam rationem effectum suum sortita non fuerint, aliis puellis eiusdem conservatorii per eosdem deputatos pariformiter eligendis seu nominandis assignentur, nec ista in eorum numero, quae puellis praefatis, sicut praemittitur, quotannis assignari debent, ullatenus computari, sed novae cedulae illorum promissoriae a supradictis archiconfraternitatum et confraternitatum praefatarum administratoribus, officialibus seu ministris ad favorem aliarum puellarum per eosdem deputatos, sicut praemittitur, subrogandarum seu nominandarum fieri, iisdemqe deputatis, modo et formâ supradictis, consignari debeant. Ceterum quaecumque conservatorii huiusmodi puellae, quae ad subsidia dotalia praefata, sicut praemittitur, admissae seu nominate fuerint, processionibus aliisque publicis functionibus in distributione eorumdem subsidiorum dotalium aut illorum occasione fieri solitis interesse minime teneantur, sed intra idem conservatorium sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumere, aliave pia opera, sive a dictarum archiconfraternitatum et confraternitatum statutis, sive a quorumvis testatorum et piorum largitorum, qui eadem subsidia praestari ordinarunt, dispositionibus iniuncta, adimplere possint et debeant. Eisdem vero puellis, statim ac matrimonium contraxerint, quod quidem parochi attestatione a duobus ex deputatis praedictis subcriptâ probari sufficiat, vel in aliquo monialium monasterio professionem regularem per ipsas moniales emitti solitam expresse emiserint, subsidia dotalia, eis, sicut praemittitur, assignata, libere et prompte, nullâque interpositâ morâ, ac absque ullâ cautione persolvantur. Singulas demum puellas praedictas ad plura quam duo ex decem subsidiis dotalibus supradictis per memoratos conservatorii huiusmodi deputatos nequaquam admitti seu nominare posse, harum serie decernimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictis puellis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac memorati Bernardini aliorumque testatorum et piorum largitorum praefatorum etiam ultimis voluntatibus et dispositionibus, quas, propter praemissa, sufficienter et expresse commutamus, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictarum archiconfra-

ternitatum et confraternitatum, aliisque quibusvis[1], etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, seu quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Ceterum non intendimus per ipsas praesentes litteras supradictum conservatorium in aliquo approbare.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI martii MDCXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 6 martii 1694, pontif. anno III.

---

## LXXXIV.

*Assignantur puellis hospitii pauperum invalidorum de Urbe viginti subsidia dotalia ex archiconfraternitate Annunciationis B. M. V.* [2].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Ex concessione pontificiâ puellae hospitii

§ 1. Aliàs nos, postquam hospitium pauperum invalidorum in palatio nostro pontificio apud ecclesiam S. Ioannis in Laterano de Urbe erexeramus et instituerámus, inibique, in mansionibus ab eis, quae sunt virorum, penitus seiunctis et separatis, etiam pauperes puellas, tuendae potissimum earum honestatis gratiâ, collocaveramus, ne illae, quas tamquam prae ceteris inopes ac miserabiles omnique prorsus humanâ ope destitutas in idem hospitium recipi mandaveramus, aut aliae quaecumque in illud pro tempore recipiendae puellae, a consequendis subsidiis dotalibus, quae per arciconfraternitates, confraternitates, aliaque loca pia et personas dictae Urbis distribui solent, excluderentur, easdem tunc et pro tempore existentes hospitii supradicti puellas ad subsidia dotalia huiusmodi etiam nationalia obtinenda, tametsi, iuxta consuetudines, usus et statuta quaevis archiconfraternitatum, confraternitatum, et aliorum locorum piorum praefatorum sive quorumcumque testatorum et piorum largitorum qui eadem subsidia praestari ordinarunt dispositiones, qualificatae non essent, seu aliàs praescriptis requisitis carerent, sub certis modo et formâ tunc expressis, habilitavimus, ac habiles et capaces fecimus et declaravimus, et aliàs, prout in nostris anno Incarnationis dominicae MDCXCIII, XIII kalendas iunii, pontificatus nostri anno II sub plumbo desuper expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

capaces sunt dotum etiam nationalium.

Assignatio praedictarum dotum motu proprio facta.

§ 2. Nunc autem nos, dilectas in Christo filias hospitii huiusmodi puellas amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ

[1] Edit. Main. legit *quibus* (R. T.).
[2] Vide const. praec. et const. ed. MDCXCIII, die 23 maii, pontif. II.

latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, dilectis filiis modernis et pro tempore existentibus administratoribus, officialibus seu ministris quocumque nomine nuncupatis archiconfraternitatis Annunciationis beatae Mariae Virginis in ecclesiâ eiusdem S. Mariae super Minervam de Urbe praefatâ canonice institutae, ad quos ea res spectat et pro tempore spectabit, tenore praesentium praecipimus et mandamus, ut ipsi singulis annis viginti subsidia dotalia, quorum decem sint quinquaginta, reliqua vero decem quadraginta scutorum monetae romanae pro quolibet, ex illis quae per eamdem archiconfraternitatem pauperibus puellis dispensantur, unâ cum pretio vestis eis dari solitae, totidem puellis hospitii praefati nunc et pro tempore existentibus, ad effectum matrimonii vel monachatûs, realiter et cum effectu praestent et assignent, seu praestari et assignari curent et faciant, eâ tamen lege, ut, si unquam, propter considerabilem eiusdem archiconfraternitatis redditnum diminutionem, cetera subsidia dotalia, quae dicta archiconfraternitas aliis puellis distribuere solet, diminui contigerit, pari modo dicta viginti subsidia, salvo tamen semper eorum numero praedicto, diminui debeant.

Modus et forma distribuendi praedictas dotes.

§ 3. Porro viginti subsidiorum dotalium huiusmodi praestatio et assignatio ita fieri debeat, ut viginti puellae hospitii praefati nullatenus a memoratis eiusdem archiconfraternitatis administratoribus, officialibus seu ministris visitentur, eligantur seu nominentur, sed illarum electio seu nominatio, ac omnimoda de viginti subsidiis dotalibus huiusmodi disponendi facultas, ad Congregationem dilectorum pariter filiorum modernorum et pro tempore existentium hospitii huiusmodi deputatorum, cuius erit eas puellas eligere seu nominare, quae vitae ac morum honestate, modestiâ, aetate, aliâve ratione ceteris antecellant, penitus pertineat; ubi vero a Congregatione praefatâ electio seu nominatio huiusmodi, ut praefertur, facta fuerit, cedulae subsidiorum huiusmodi promissoriae, quae sane liberae prorsus et absque ullo vinculo aut conditione, iuxta modum a memoratâ Congregatione praescribendum, faciendae erunt, unâ cum pretio vestis, sicut praemittitur, dari solitae, dictis deputatis consignari debeant, penes eos asservandae, donec et quousque iisdem puellis sic electis seu nominatis, cum nimirum eas in religione vel matrimonio iuxta earum vocationem collocari contigerit, tradantur, ita tamen ut, si quae ex illis, quae sic electae seu nominatae fuerint, bonum sui specimen praebere non perreverint, qua in re memoratae Congregationis iudicio standum erit, illae commodo et beneficio eorumdem subsidiorum dotalium sibi assignatorum cadant, nec illa seu illorum cedulas petere, consequi et obtinere valeant, sed subsidia eis assignata seu illorum cedulae huiusmodi, quemadmodum etiam illa quae, ob puellarum, quibus assignata erant, mortem ante earum matrimonium vel monachatum respective secutam, sive ob aliam rationem, effectum suum sortita non fuerint, aliis puellis eiusdem hospitii, per dictam Congregationem pariformiter eligendis seu nominandis, assignentur, nec ista in eorum numero, quae puellis praefatis, sicut praemittitur, quotannis assignari debent, ullatenus computari, sed novae cedulae illorum promissoriae a supradictis administratoribus, officialibus seu ministris ad favo-

rem aliarum puellarum per Congregationem praefatam sicut praemittitur subrogandarum seu nominandarum fieri, iisdemque deputatis modo et formâ supradictis consignari debeant. Ceterum quaecumque hospitii huiusmodi puellae, quae ad subsidia dotalia praefata, sicut praemittitur, admissae seu nominatae fuerint, processionibus aliisque publicis functionibus in distributione eorumdem subsidiorum dotalium aut illarum occasione fieri solitis interesse minime teneantur, sed intra idem hospitium sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumere, aliave pia opera, sive a dictae archiconfraternitatis statutis, sive a quorumvis testatorum et piorum largitorum praefatorum dispositionibus iniuncta, adimplere possint et debeant. Eisdem vero puellis, statim ac matrimonium contraxerint, quod quidem parochi attestatione a duobus ex deputatis praedictis subscriptâ probari sufficiat, vel in aliquo monialium monasterio professionem regularem per ipsas moniales emitti consuetam expresse emiserint, subsidia dotalia, eis, ut praefertur, assignata, libere, prompte, nullâque interpositâ morâ, ac absque ullâ cautione persolvantur. Singulas demum puellas praefatas ad plura quam duo ex viginti subsidiis dotalibus supradictis per memoratam Congregationem deputatorum nequaquam admitti seu nominari posse, harum serie decernimus et ordinamus.

Clausulae. § 4. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictis puellis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac supradictorum testatorum et piorum largitorum etiam ultimis voluntatibus, quas, propter praemissa, sufficienter et expresse commutamus, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae archiconfraternitatis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Contrariorum derogatio.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI martii MDCXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 6 martii 1694 pontif. anno III.

---

## LXXXV.

*Confirmatur Constitutio Clementis VIII, qua interdicitur monachis Congregationis regularis Castellae Ordinis Cisterciensis in regno Portugalliae appellatio ad exteros iudices, et manifestatio negotiorum Congregationis* [1].

1 Laudata const. edita fuit MDXCII, die 22 augusti, pontif I. In huius Pontificis const. ed. MDCXCIII, ianuarii, pontif. II, prohibita fuit acceptio illegitimorum et expulsorum; et in Clementis XI const. ed. MDCCI, die 19 februarii, pontif. I, agitur de vocalibus.

Innocentius Papa XII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ex iniuncto nobis caelitus apostolicae servitutis munere, illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pro felici christifidelium sub suavi monastici instituti iugo vota sua Altissimo reddere laudabiliter satagentium statu conservando[1], illorumque religiosâ quiete firmiter stabiliendâ pie provideque emanasse noscuntur, ut solidiori robore perennent, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

Constitutio Clementis VIII refertur. § 1. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, ut religiosae monachorum Congregationis regularis observantiae S. Bernardi Castellae Ordinis Cisterciensis tranquillitati prosperoque regimini salubriter consuleret, litteras in simili formâ Brevis edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

« *Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.* Pastoralis nostrae sollicitudinis ratio postulat, ut in his auctoritatis nostrae partes libenter interponamus, per quae religiosorum statùs quieti ac prospero regimini opportune consulitur. Sane, cum religiosorum proprium sit in humilitatis et obedientiae spiritu Deo servire, et a saecularium rerum curâ, a qua, cum religionem profitentur, omnino se subtraxisse debent, penitus liberos esse[2], nihil magis eorum quietem perturbare potest, quam si, contra proprium huiusmodi institutum, superioribus obedientiam recusare, ac ad saeculares personas pro eorum regularibus negotiis recurrere non vereantur. Hoc siquidem incommodum ex Ordine Cisterciensi submovere eique obviare cupientes, felicis recordationis Alexander IV, Pius II et Innocentius VIII, ac alii forsan Romani Pontifices praedecessores nostri, per suas perpetuo valituras constitutiones inter cetera statuerunt, quod personae regulares Ordinis Cisterciensis aliquo praetextu vel occasione ab ordinationibus et correctionibus quibuscumque tam suorum abbatum et praelatorum quam etiam abbatis et capituli generalis appellare, aut curas et querelas suas extra dictum Ordinem educere (praeterquam pro notoriâ ac manifestâ iniustitiâ, et in eventum denegatae iustitiae, a capitulo generali ad Sedem Apostolicam tantum appellare et recursum habere) non possint, prout in eorumdem praedecessorum litteris plenius continetur. Cum autem hoc ipsum in Congregatione regularis observantiae sancti Bernardi regnorum Castellae, quae eiusdem Ordinis Cisterciensis existit, et eisdem privilegiis ac regularibus institutis utitur, inviolabiliter observari maxime deceat, et nos summopere cupiamus eiusdem Congregationis quieti et prospero regimini opportunius etiam consulere: motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ex voto venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis regularium tunc praepositorum, constitutiones praedictorum praedecessorum nostrorum ac litteras desuper confectas, quarum tenores praesentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis haberi volumus, et in eis contenta quaecumque, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus, approbamus et innovamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis apostolicae robur adiicimus, easque in dictâ Congregatione

1 Edit. Main. legit *conservandi* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *liberasse* pro *liberos esse* (R. T.).

regularis observantiae sancti Bernardi regnorum Castellae, aeque ac si pro eâ[1] nominatim editae fuissent, sub poenis omnibus in illis constitutionibus eo ipso incurrendis, inviolate perpetuo observari debere decernimus et mandamus. Et nihilominus hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione sancimus ac statuimus et ordinamus pro perpetuis futuris temporibus ut[2] nulli omnino personae dictae Congregationis regularis observantiae sancti Bernardi liceat ab ordinationibus, visitationibus, correctionibus, reformationibus, privationibus, depositionibus, aliisque poenis et sententiis suorum abbatum, visitatorum, aliorumque praelatorum, seu etiam abbatis reformatoris generalis eiusdem Congregationis, ad aliquem iudicem sive ecclesiasticum sive saecularem, aut aliam quamcumque personam quavis auctoritate et dignitate, etiam regali[3], ducali, aut aliâ mundanâ, aut etiam archiepiscopali, episcopali vel aliâ ecclesiasticâ praefulgentem, appellare, aut aliàs quoquo modo recursum habere; sed ab eorum superioribus ordinariis ad abbatem generalem, et ab illo ad capitulum intermedium, et ab isto ad capitulum generale recurrere, et coram eis de eorum iuribus experiri, iuxta dicti Ordinis et Congregationis privilegia et regularia instituta, teneantur; a praedicto tamen capitulo generali pro notoriâ et manifestâ iniustitiâ, ac in eventum denegatae iustitiae, ad Sedem Apostolicam, ut praefertur, dumtaxat recurrere valeant. Insuper eiusdem Congregationis abbati reformatori generali, aliisque abbatibus, abbatissis, prioribus, priorissis, monachis, monialibus, et universis et singulis utriusque sexus regularibus personis perpetuo interdicimus

1 Edit. Main. legit *per ea* (R. T.).
2 Particulam *ut* nos addimus (R. T.).
3 Edit. Main. legit *legali* (R. T.).

et prohibemus, ac in virtute sanctae obedientiae districtius praecipiendo mandamus, ne ullo[1] unquam tempore, non solum de huiusmodi causis, sed etiam de quibuscumque aliis rebus et negotiis Congregationis, ad quascumque personas saeculares et ecclesiasticas extra dictam Congregationem, etiam reges, duces et alios principes saeculares, necnon quoscumque in ecclesiasticâ dignitate constitutos, archiepiscopos, episcopos et alios ecclesiasticos praelatos, scribere culpas religiosorum et poenas quibus plectuntur, et alias res, quae extraneis personis nota esse minime decet, tam per litteras et memorialia, quam oretenus, per se vel per aliquam interpositam personam, directe vel indirecte, tacite vel expresse, quovis quaesito colore vel ingenio significare et notas facere, de eorum praelatis aut de omnibus aut singulis utriusque sexus eiusdem Congregationis regularibus personis supranominatis penes praedictas personas conquesti, aut coram illis aliqua ipsorum praelatorum et dictarum personarum crimina obiicere, aut alia facere, dicere, tractare, quae ad religionem seu religiosos ipsos pertineant, audeant seu praesumant. Qui vero in aliquo praemissorum contra praesentium tenorem venire aut aliquid attentare praesumpserint, eos excommunicationis latae sententiae, ac perpetuae privationis activae et passivae vocis, ac dignitatum, officiorum et administrationum quorumcumque, inhabilitatisque ad illa et alia in posterum obtinenda, carcerisque mancipationem unius anni, in cuius omnibus quartis et sextis feriis disciplinas in capitulo suscipiant, et in refectorio panem et aquam tantummodo in terrâ manducent, poenas, ad quas incurrendas solae appellationum interpositiones ac

1 Vocem *ullo* nos addimus (R. T.).

litterae aliaque contra tenorem huiusmodi attentata ubique tam in iudicio quam extra fidem faciant, eo ipso incurrisse et incurrere declaramus, poenasque huiusmodi, a nobis tantum et Romanis Pontificibus remittendas, contra eos irremissibiliter infligimus et promulgamus. Mandantes in virtute sanctae obedientiae universis et singulis archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, seu, ut praefertur, in ecclesiasticâ dignitate constitutis, et aliis personis ecclesiasticis, ut pro dictae[1] Congregationis quiete illius religiosos quoscumque ad eos forsan recurrentes contra praemissa delinquentes eorum superioribus puniendos relinquant, nec illis aliquo modo contra earumdem praesentium tenorem faveant, aut delinquendi occasionem praebeant; reges autem, duces et principes temporales paterne in Domino hortantes, ut, qui libertatem ecclesiasticam et religiosorum quietem tamquam catholici principes tueri tenentur, huius Congregationis prosperum et pacificum statum, qui ex praemissorum occasione maxime pendet, conservari curent et studeant. Decernentes insuper praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel quocumque alio defectu notari, impugnari vel redargui posse, neque sub quibusvis similium vel dissimilium litterarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque indices ordinarios et delegatos, et causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, ac alios ad quos spectat, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca dilecto filio abbati et reformatori generali Congregationis praedictae nunc et pro tempore existenti per praesentes committimus et mandamus, quatenus praemissa omnia statim post praesentium susceptionem in Congregatione praedictâ et in omnibus eius utriusque sexus monasteriis publicari, eaque omnia tam per se quam per visitatores ordinarios omnesque alios inferiores eiusdem Congregationis praelatos ab omnibus utriusque sexus eiusdem Congregationis regularibus personis inviolabiliter observari faciat, contradictores et inobedientes supradictis et aliis poenis iuxta eiusdem Congregationis regularia statuta, aliisque opportunis iuris et facti remediis, appellatione omnino postpositâ, compescendo. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus, provincialibus ac synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quibuscumque statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et ad verbum expressa mentio habenda esset, tenores huiusmodi, ac si ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Volu-

1 Edit. Main. legit *praedictae* vice *pro dictae* (R. T.).

mus autem quod praesentes litterae inter statuta et definitiones eiusdem Congregationis perpetuo observandae describantur; et earum transumptis, etiam impressis, manu secretarii dictae Congregationis, aut alicuius notarii publici, necnon sigillo ipsius Congregationis vel alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae obsignatis, indubia ubique in iudicio et extra aeque ac praesentibus ipsis fides adhibeatur.

Datum Romae, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXII augusti MDXCII, pontificatus nostri anno I ».

Confirmatio relatae constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii monachi Congregationis praefatae in regno Portugalliae nobis nuper exponi fecerunt, ipsi praemissa, quo firmius subsistant et inviolabilius serventur, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Clementis praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus ac innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in praeinsertis Clementis praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur in iudicio et extra illud, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV martii MDCXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 24 martii 1694, pontif. anno III.

---

## LXXXVI.

*Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de lectoribus monachorum eremitarum sancti Hieronymi Lombardiae post duodecim annos ad prioratus titulares promovendis*[1].

1 De electione priorum aliorumque extat Gregorii XIII const. edit. MDLXXIV, die 26 maii, pontif. III, et huius Pontificis const. ed. MDCXCV, die 19 ianuarii, pontif. IV.

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Id determinatum fuerat a capitulo generali MDCLXXVI, et confirmatum a dicta Congregatione.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum Euphemiani Volpini a Placentia et Petri Hieronymi Coquicomi a Mediolano monachorum expresse professorum Congregationis eremitarum sancti Hieronymi Lombardiae, et lectorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod aliàs, nempe anno MDCLXXVI, in capitulo generali dictae Congregationis monachorum speciale quoddam decretum ad favorem monachorum lectorum editum fuerat pro eis, qui in civitatibus duodecim annorum spatio legissent, et ad id studium adiuncto sacrae Scripturae studio, duodecim publicas cathedras magistrales sustinuissent, concedebatur, ut priores titulares existerent, eodem modo, quo aliàs a felicis recordationis Clemente Papa X praedecessore nostro monachis Congregationis praedictae, qui prioris generalis ipsius Congregationis officium laudabiliter exercuissent, indultum fuerat, ut, absoluto officio huiusmodi, priores pariter titulares existerent et declarati intelligerentur; verum, tametsi subinde, videlicet die XVI decembris MDCLXXVIII, decretum huiusmodi a memoratâ Congregatione cardinalium confirmatum, eiusque observantia superioribus pro tempore existentibus supradictae Congregationis strictissime iniuncta fuissent, prout in decreto ab eâdem Congregatione cardinalium desuper emanato uberius dicebatur contineri, nihilominus postmodum, nempe in alio capitulo generali eiusdem Congregationis anno MDCLXXXII celebrato, decretum capitulare praefatum a definitoribus ipsius capituli nesciebatur qua ratione revocatum fuerat; at, cum subinde eidem Congregationi cardinalium pro simili decreti huiusmodi revocatione obtinendâ supplicatum fuisset, ipsa Congregatio cardinalium, rei gravitate perpensâ, nihil desuper absolute decreverat, sed rem ipsam per suum decretum similiter remiserat tunc in humanis agenti Paulo eiusdem S. R. E., dum vixit, cardinali Sabello nuncupato, praefatae Congregationis monachorum apud Sedem Apostolicam protectori; qui subinde per quamdam suam die V augusti MDCLXXXII scriptam epistolam tunc existenti abbati generali dictae Congregationis monachorum, se quidem praefatae Congregationi cardinalium pro abolitione supradicti decreti capitularis retulisse, sed nihil ab eâ desuper re solutum fuisse, ac proinde nec a se nec ab ipsâ Congregatione cardinalium decretum ullum memorati decreti capitularis abrogatorium editum fuisse significaverat; ideoque pro parte eorumdem Euphemiani et Petri Hieronymi, asserentium se qualitatibus vigore dicti decreti capitularis requisitis praeditos esse, et inde ipsam eorum Congregationem desiderare ut ipsi tamquam de eâ benemeriti prioratus titulo decorarentur, eidem Congregationi cardinalium supplicato, ut, antequam dieta pro eorum promotione convocaretur, primodictum decretum supradicti decreti capitularis confirmatorium a praefatâ cardinalium Congregatione, sicut praemittitur, emanatum, ad eorum favorem approbare et confirmare dignaretur: emanavit ab ipsâ Congregatione cardinalium decretum tenoris sequentis, videlicet: « Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, audito patre priore generali praedicti Ordinis, et attentis narratis, censuit ac decrevit servandum esse decretum pri-

mum capituli generalis ab eâdem sacrâ Congregatione die XVI decembris anni MDCLXXVIII confirmatum, prout praesentis decreti vigore servari mandavit, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Romae, XVIII decembris MDCXCIII».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut memorati Euphemianus et Petrus Hieronymus nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos Euphemianum et Petrum Hieronymum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictis Euphemiano et Petro Hieronymo, aliisque, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis monachorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III aprilis MDCXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 3 aprilis 1694, pontif. anno III.

---

## LXXXVII.

*Extenduntur binae constitutiones, de abrogandis discretis pro capitulis fratrum Cappuccinorum, ad alias provincias Aragoniae, Valentiae, Catalauniae, Sardiniae et Maioricae*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Binarum constitutionum tenor.

§ 1. Aliàs pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici nobis exposito, quod tam praedictorum et Minorum sancti Francisci

1 Harum constitutionum prima edita fuit MDCXCIII, die 29 martii, pontif. III, altera vero MDCXCIII, die 12 septembris, pont. III; in constit. ed. MDCXCVI, die 14 augusti, pont. VI, agitur de iis, qui sunt loco discretorum abrogatorum.

de Observantià nuncupatorum quam aliorum diversorum Ordinum fratres, in regnis utriusque Castellae existentes, sua capitula provincialia cum interventu superiorum localium conventuum Ordinum huiusmodi absque discretis seu sociis, qui olim ab ipsis conventibus ad effectum sua suffragia ferendi in eisdem capitulis eligi consueverant, tunc celebrari solebant; id siquidem, praeterquam quod decretis Concilii Tridentini, sess. xxv, cap. vi, ibi: « Nec in posterum liceat provinciales, aut abbates priores, aut alios quoscumque titulares ad effectum electionis faciendae constituere, etc. », magis conforme videbatur; necessarium quoque compertum fuerat tum ad tollenda damna et incommoda, quae ex eorumdem discretorum seu sociorum electione in religiosae pacis et concordiae, quae in Ordinibus praedictis semper florere debet, praeiudicium proveniebat, tum ad impediendas relaxationes, quas dependentia, quam tunc superiores a suis subditis habebant, producebat; ipsi enim superiores, ut dictos suos subditos pro iis in discretos seu socios huiusmodi eligendis, quos, ad effectum se perpetuo suarum provinciarum gubernio confovendi, eligi necesse erat, benevolos haberent, regularis disciplinae conservationi, prout eorum officii erat, incumbere negligebant; quocirca, quoties dictorum regnorum religiosi, regularis disciplinae huiusmodi tuendae zelo ducti, ad ipsius Caroli regis patrocinium pro eorumdem discretorum seu sociorum abrogatione ab hac Sanctâ Sede impetrandâ confugerant, illud semper eis adfuerat, donec huiusmodi gratiam consecuti fuissent; et in eâdem expositione subiuncto, quod dictus Carolus rex certior factus fuerat fratres Ordinis Minorum eiusdem sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum in regnis praedictis existentes non modo eadem incommoda et damna, quae olim religiosi aliorum Ordinum praefatorum ex electione discretorum seu sociorum huiusmodi experti fuerant, pati, sed et alia multa concurrere, propter quae fratres praedicti usum eligendi discretos aut socios praedictos in provinciis dictorum regnorum abrogari plurimum desiderabant, adeoque ipsius Caroli regis zelum sollicitabant, ut apostolicae desuper auctoritatis nostrae partes interponi similiter curaret: nos, supplicationibus eiusdem Caroli regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, discretos praedictos in provinciis utriusque Castellae fratrum dicti Ordinis Cappuccinorum, sub certis modo et formâ tunc expressis, auctoritate apostolica sustulimus et removimus, et aliàs, prout in nostris in simili formâ Brevis die xxix martii mdcxciii desuper expeditis litteris plenius continetur. Subinde vero pro parte eiusdem Caroli regis nobis iterum exposito, quod in praefatis nostris litteris trium provinciarum regnorum utriusque Castellae dicti Ordinis Cappuccinorum, nempe Castellae Veteris et Novae nuncupatae, necnon Baeticae et Navarrae provinciarum, distincta et expressa mentio facta non fuerat, quinimo nec in eisdem litteris provisum fuerat, quod, loco supradictorum discretorum conventualium, sicut praemittitur sublatorum et remotorum, pro tempore existentes earumdem provinciarum definitores et custodes, necnon is saltem, qui novissime in illis provincialatus officio respective functus fuerat, in earum definitoriis et capitulis provincialibus votum seu suffragium respective habere deberent, quemadmodum ipse Carolus rex, pro peculiari suo in Ordinem praedictum devotionis affe-

ctu, commune ipsarum provinciarum bonum promovendi studio ductus, nobis supplicari fecerat; ac proinde opportune in praemissis a nobis provideri, necnon praeterea, quod in provinciis praedictis capitula provincialia de sesquianno in sesquiannum celebrari deberent, quemadmodum felicis recordationis Clemens Papa X praedecessor noster pro omnibus eiusdem Ordinis provinciis per quasdam suas itidem in formâ Brevis anno MDCLXXVI desuper expeditas litteras praescripsisse dicebatur, decerni et ordinari plurimum desiderabat: nos, porrectis nobis hac in re pro eiusdem Caroli regis parte precibus benigne annuentes, eâdem auctoritate declaravimus, remotionem et abolitionem discretorum conventualium in provinciis utriusque Castellae fratrum dicti Ordinis Capuccinorum factas ut praefertur, expeditasque desuper litteras nostras praedictas, intelligendas esse non solum respectu provinciae utriusque Castellae, Veteris scilicet et Novae, verum etiam respectu provinciarum Baeticae, vulgo Andalusiae, necnon Navarrae, et, quatenus opus esset, remotionem, abolitionem, ac nostras litteras huiusmodi ad supradictas provincias Baeticam et Navarram dictâ auctoritate extendimus et ampliavimus[1]. Praeterea eâdem auctoritate decrevimus, quod, vice et loco praedictorum discretorum in tribus provinciis huiusmodi, sicut praemittitur, sublatorum et abolitorum, definitores atque custodes et immediatus exprovincialis earumdem provinciarum in ipsarum respective definitoriis et capitulis votum haberent, dictarumque provinciarum capitula de sesquianno in sesquiannum deinceps celebrari deberent: et aliàs, prout in aliis nostris in eâdem formâ Brevis die XII septembris proxime praeteriti desuper emanatis litteris, quarum et praedictarum nostrarum litterarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, uberius continetur.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Carolus rex nobis nuper denuo exponi fecit, ipse binas litteras nostras praedictas ad provincias Aragoniae, Valentiae, Cataloniae, Sardiniae et Maioricae dicti Ordinis fratrum Capuccinorum per nos extendi plurimum desideret: nos, piis eiusdem Caroli regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus eiusdem Caroli regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Congregationis nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus a nobis particulariter deputatae consilio, binas nostras litteras supradictas, omniaque in illis disposita quoad provincias fratrum Capuccinorum utriusque Castellae, Veteris scilicet et Novae, necnon Baeticae et Navarrae, ad provincias eorumdem fratrum Capuccinorum Aragoniae, Valentiae, Cataloniae, Sardiniae et Maioricae, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus pariter et ampliamus. Extensio praedictarum constitutionum.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Camerae Apostolicae auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Clausulae.

1 Edit. Main. legit *ampliamus* (R. T.).

Derogat in contrarium. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum et Ordinis huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, necnon omnibus et singulis illis, quae in praefatis nostris litteris concessimus non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v aprilis MDCXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 5 aprilis 1694, pontif. anno III.

---

## LXXXVIII.

*Statuitur ut procurator et commissarius generales fratrum Minorum de Observantiâ eligantur in capitulo generali de sexennio in sexennium*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Sacrosancti apostolatus sollicitudo, quam, meritis licet et viribus longe impares, auctore Deo, gerimus, nos stimulat ad ea peculiari studio statuenda, quae prospero christifidelium divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum statui ac regimini opportunis rationibus consulatur.

Statuit ut in rubrica. § 1. Cum itaque nos nuper per[1] alias nostras in simili formâ Brevis litteras, ut procurator generalis provinciarum Reformatorum Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ, et Reformatorum seu Strictioris Observantiae nuncupatorum, qui antehac de triennio in triennium a pro tempore existente Ordinis huiusmodi apud sanctam Sedem Apostolicam protectore deputabatur, deinceps de sexennio in sexennium in capitulo generali eiusdem Ordinis eligatur, in eiusquè electione votum sive suffragium fratres vocales earumdem provinciarum Reformatorum familiae cismontanae dicti Ordinis tantum ibidem unâ cum ministro generali pro tempore existente Ordinis supradicti insimul congregati habeant et ferant, ac habere et ferre libere et licite possint et valeant, sub certis modo et formâ tunc expressis, statuerimus et ordinaverimus; et, sicut accepimus, felici dictorum filiorum fratrum de Observantiâ dicti Ordinis gubernio regularique illorum disciplinae magnopere condubile futurum sit id ipsum quoad illorum procuratorem generalem et commissarium generalem Curiae Romanae, qui hactenus de triennio itidem in triennium a ministro generali supradicto, de definitorum generalium eiusdem Ordinis consilio et assensu, seu aliàs, institui et deputari consueverunt, pariformiter per nos statuatur: hinc est quod nos, qui Ordinem praedictum in visceribus paternae gerimus charitatis, salubri fratrum de Observantiâ praefatorum directioni, quantum cum Domino possumus, similiter providere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apo-

1 Simile statutum habetur pro procuratore generali Reformatorum in constit. ed. MDCXCIV, die 7 aprilis, pontif. III. In const. ed. MDCXCIII, die 20 februarii, pontif. II, concessa fuit facultas confirmandi guardianos, et promovendi definitores ad guardianatum; et in const. ed. MDCXCIV, die XI maii, pontif. III, agitur de distributione officiorum in provinciâ S. Iacobi Hispaniarum.

1 Praeposit. *per* nos addimus (R. T.).

stolicae potestatis plenitudine, quod de ceteris perpetuis futuris temporibus procurator generalis ac commissarius generalis Curiae praefatae eorumdem fratrum de Observantiâ, qui hactenus de triennio in triennium a memorato ministro generali, sicut praemittitur, institui seu deputari consueverunt, in capitulo generali eiusdem Ordinis de sexennio in sexennium eligantur, in eorumque respective electione votum sive suffragium fratres vocales illius familiae tantum, cismontanae scilicet, seu ultramontanae, ex qua nimirum ceteroqui iuxta regularia Ordinis praedicti instituta per Sedem Apostolicam approbata procurator generalis et commissarius generalis Curiae huiusmodi respective assumendi erunt, unâ cum eodem ministro generali ibidem insimul congregati habeant et ferant, ac habere et ferre libere et licite possint et valeant, tenore praesentium statuimus et ordinamus. Quod si procuratoris generalis ac commissarii generalis sic electorum officium, sive eorum alterum, per cessum vel decessum illa seu illud pro tempore obtinentium vel obtinentis, seu aliàs quomodolibet, vacare contigerit, ad nos seu pro tempore existentem Romanum Pontificem pro opportunâ desuper provisione obtinendâ recurratur. Ceterum, ut ad eorumdem procuratoris generalis ac commissarii generalis electiones iuxta earumdem tenorem praesentium faciendam quanto citius, nempe in capitulo generali dicti Ordinis propediem, benedicente Domino, in Hispaniis celebrando[1], deveniri possit, officia praefata, quibus dilecti filii moderni procurator generalis ac commissarius itidem generalis eiusdem Curiae de praesenti funguntur, ac illorum quodlibet, tametsi illa vigore quarumvis litterarum patentium eis ac eorum cuilibet a dilecto filio moderno ministro generali dicti Ordinis desuper expeditarum, ac forsan etiam auctoritate apostolicâ confirmatarum, diutius durare deberent, usque ad proxime futurum capitulum generale supradictum dumtaxat durare, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, harum serie decernimus et declaramus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi fuerint, sive ex aliâ quacumque causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut ad terminos iuris rèduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari et adimpleri, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam

1 Edit. Main. legit *celebrandi* (R. T.).

de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, in genere vel in specie, seu aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis, servatis et specificatis respective habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v aprilis MDCXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 5 aprilis 1694, pontif. an. III.

---

## LXXXIX.

*Statuitur ut procurator generalis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ et Reformatorum eligatur in capitulo generali, et de sexennio in sexennium* [1].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Statuit ut in rubrica.

§ 1. Cum nos nuper, per[2] nostram[3] super moderatione facultatum quorumvis etiam S. R. E. cardinalium Ordinum regularium quorumlibet apud nos et Sedem Apostolicam protectorum editam constitutionem, inter alia, quamcumque eisdem protectoribus nonnullos Ordinum huiusmodi superiores seu ministros deputandi attributam potestatem sustulerimus et abrogaverimus, superiorumque seu ministrorum huiusmodi electiones ad sacrorum canonum seu regularium eorumdem Ordinum institutorum limi-

1 Vide const. praec. In const. ed. MDCXCII, die 17 maii, pontif. I, agitur de quadam alternativâ; et in const. ed. MDCXCV, die 12 septembris, pontif. V, de electione guardianorum, aliorumque.

2 Praeposit. *per* nos addimus (R. T.).

3 Edit. Main. legit *nostrum* (R. T.).

tes, seu aliàs ad modum et formam in comitiis generalibus ipsorum Ordinum seu per nos et Sedem praedictam respective statuendum et statuendam reduxerimus, et reductam esse voluerimus et mandaverimus; ac proinde quaecumque antehac pro tempore existenti Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ et Reformatorum seu strictioris observantiae nuncupatorum apud eamdem Sedem protectori procuratorem generalem provinciarum Reformatorum[1] dicti Ordinis in Romanâ Curiâ residentem de triennio in triennium deputandi sive quarumdam apostolicarum littterarum vigore sive aliàs competens facultas sublata et abrogata remanserit: hinc est quod nos, ut procuratoris generalis huiusmodi electio recte et canonice in posterum fiat, quantum cum Domino possumus, providere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut procurator generalis supradictus, qui de triennio ad triennium ab eodem protectore, sicut praemittitur, deputari hactenus consuevit, deinceps de sexennio in sexennium in capitulo generali eiusdem Ordinis eligatur, in eiusque electione votum sive suffragium fratres vocales earumdem provinciarum Reformatorum familiae cismontanae dicti Ordinis tantum ibidem unâ cum ministro generali pro tempore existente Ordinis supradicti insimul congregati habeant et ferant, ac habere et ferre libere et licite possint et valeant, tenore praesentium perpetuo statuimus et ordinamus. Quod si procuratoris generalis sic electi officium, ante expletum sexennium, per cessum vel decessum illud pro tempore obtinentis, seu aliàs quomodolibet, vacare contigerit, ad nos seu pro tempore existentem Romanum Pontificem pro opportunâ desuper provisione obtinendâ recurratur. Porro ut ad procuratoris generalis huiusmodi electionem iuxta earumdem tenorem praesentium faciendam quantocitius, nempe in capitulo generali dicti Ordinis propediem, benedicente Domino, in Hispaniis celebrando, deveniri possit, officium praedictum, quo dilectus filius Petrus Paulus de Cellis, frater expresse professus provinciae Thuscicae eiusdem Ordinis, de praesenti fungitur, tametsi illud vigore litterarum patentium ei a venerabili fratre nostro Alderano episcopo Ostiensi eiusdem S. R. E. cardinali Cybo nuncupato Ordinis huiusmodi apud nos et Sedem praedictam protectore desuper expeditarum diutius durare deberet, usque ad proxime futurum capitulum generale supradictum dumtaxat durare debet. Ceterum ipsi Petro Paulo procuratori generali, quem munus suum fideliter hactenus et laudabiliter exercuisse accepimus, ut votum seu suffragium in eodem proxime futuro capitulo generali habere et ferre, necnon omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indultis, quibus fratres dicti Ordinis, qui integri triennii spatio procuratoris generalis huiusmodi munere in Curiâ praefatâ functi fuerunt, tam de iure, usu et consuetudine, quam aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, pari modo et absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui et gaudere libere pariter et licite possit et valeat, in omnibus et per omnia, perinde ac si munere huiusmodi per integrum triennium functus fuisset, harum serie concedimus et indulgemus. Praeterea privilegia, praerogativas, gratias et indulta huiusmodi eidem Petro Paulo procuratori generali non ex gratiâ vel favore aut privilegio personali, sed intuitu realium

[1] Edit. Main. legit *Reformatarum* (R. T.).

laborum et tamquam iustum praemium ei debitum concessa fuisse, et de iure competere, nec in felicis recordationis Urbani VIII et Clementis X aliorumve Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum litteris vel decretis super revocatione et abrogatione sive annullatione quorumcumque privilegiorum et indultorum personalium fratribus dicti Ordinis contra vel praeter constitutiones seu statuta ipsius Ordinis concessorum vel concedendorum, hactenus emanatis et quandocumque emanaturis, nullo modo comprehensa fuisse vel esse aut fore, seu comprehensa censeri, praetendi vel intelligi, neque eiusmodi revocationes, abrogationes et annullationes illi nullatenus obstare, aut eum illarum occasione seu praetextu quomodolibet molestari, perturbari vel inquietari posse, earumdem tenore praesentium decernimus et declaramus.

Clausulae.

§ 2. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari et adimpleri, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos, et Apostolicae Sedis nuntios, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, nostrae[1] et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum et Ordinis praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, in genere vel in specie, seu aliàs quomodolibet, in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in

1 De more solito legendum *nostrâ* (R. T.).

iudicio et extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI aprilis MDCXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 6[1] aprilis 1694, pontif. anno III.

---

## XC.

*Conceditur alumnis provinciae novi regni Granatensis Ordinis eremitarum S. Augustini in Indiis Occidentalibus facultas suscipiendi gradus scholasticos in eorum collegio S. Nicolai civitatis S. Fidei*[2].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Exordium. Ex iniuncto nobis divinitus pastoralis sollicitudinis munere sacrarum bonarumque litterarum studia inter christifideles Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatos, ubique locorum, ac praesertim in remotissimis ab hac Sanctâ Sede partibus, opportunis rationibus fovemus et promovemus, ac ut debitus virtuti honor rependatur libenter providemus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, religionis decus et incrementum, ac catholicae fidei praesidium et prorogationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Causa concessionis. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Iosephus Bernaldo de Quiros de Lima, definitor ac procurator generalis provinciarum Quitensis et novi regni Granatensis in Indiis Occidentalibus Ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini, quod, cum aliâs dicta provincia novi regni Granatensis, ab initio suae fundationis, Peruanae eiusdem Ordinis et dictae Quitensi provinciis unita esset, privilegio, quod eius alumni in Quitensi sub S. Fulgentii per quasdam felicis recordationis Sixti Papae V praedecessoris nostri ac Limanâ sub S. Ildephonsi respective denominationibus per alias recolendae memoriae Pauli Papae V praedecessoris pariter nostri in simili formâ Brevis litteras respective erectis studiorum generalium universitatibus ad magisterii seu doctoratus aliosque scholasticos gradus promoveri possent, fruebatur: verum, quia illa postmodum a dictis aliis duabus provinciis subdivisa fuit, privilegio huiusmodi destituta remansit, ac exinde illius alumni praefati pro gradibus huiusmodi consequendis, vel extraneos adire, vel ad provincias septingentorum circiter milliarum intervallo distantes iter cum nimio sumptu et incommodo suscipere coguntur.

Concessio praedicta ad instar illius universitatibus Quitensi et Limanae factae. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicta provincia novi regni Granatensis doctrinâ et regulari observantiâ adeo florescat, ut in his ipsi provinciae Quitensi antecellat; ac proinde dictus Iosephus plurimum cupiat a nobis indulgeri ut in collegio sub titulo S. Nicolai episcopi intra vel extra septa conventûs Nostrae Divae de Gratiâ nuncupatae civitatis S. Fidei eorumdem Ordinis et provinciae novi regni Granatensis erigendo provinciae huiusmodi alumni gradus praedictos suscipere valeant: nos, eiusdem Iosephi votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis,

1 Edit. Main. ad marginem habet 7 (R. T.).

2 In Urbani VIII const. ed MDCXXV, die 24 aprilis, pontif. II agitur de promovendis in gradibus in Hispaniâ et Indiis; et in Clementis XI const. ed. MDCCI, die 4 iunii, pontificatus I, conceditur alumnis civitatis Lagunae facultas suscipiendi gradus in eorum collegio.

a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, et attentâ relatione venerabilis fratris nostri Palutii episcopi Praenestinensis eiusdem S. R. E. cardinalis de Alteriis nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, super praemissis eisdem cardinalibus factâ, praefatis alumnis provinciae novi regni Granatensis huiusmodi, qui fratres expresse professi dicti Ordinis fuerint, ut, peractis in collegio erigendo praedicto seu alibi studiorum suorum curriculis, praevioque rigoroso examine, baccalaureatûs ac magisterii et doctoratûs in philosophiâ et sacrâ theologiâ gradus in eodem collegio ab illius rectore pro tempore existente suscipere, ipsique rectori eosdem gradus dictis alumnis ad formam praedictarum Sixti et Pauli praedecessorum litterarum conferre libere, licite et valide possint et valeant respective, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subsciptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam exra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV aprilis MDCXCI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 24 aprilis 1694, pontif. anno III.

---

## XCI.

*Erigitur oppidum Alesiense Nemausensis dioecesis in civitatem eiusque ecclesia S. Ioannis Baptistae in cathedralem*[1].

1 Similis erectio oppidi de Pekim Machoanensis dioecesis extat in Alexandri VIII const. ed. MDCXC, die 10 aprilis, pontif. I.

**Innocentius episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium a cura animarum petitum.

Animarum zelus[1] nullis terminis comprehensus, universalisque dominici gregis cura nobis, licet immeritis, ex alto commissa, necnon unigeniti filii Dei et domini nostri Iesu Christi ad infima huiusmodi pro humano salvando genere descensus, ipsiusque praeceptum Apostolis[2] demandatum: *Ite, praedicate evangelium omni creaturae,* mentem nostram continuo sollicitant, ut studiis assiduis ad ea intendere debeamus, per quae fides nostra catholica ubique ab omni expurgetur zizaniâ, omnisque vepris expers surgat et propagetur, errantesque oves, diabolicâ fraude haeresumque pravitate correptae[3], ad ovile, verique luminis agnitionem reducantur. Propterea novas sedes novosque pastores instituere debemus, ut facilius oves ipsae, sic deperditae, se in eas reducere valeant, praesertim etiam cum sublimium regum vota et gesta id exposcant, et comperiamus in Domino pro animarum salute id expedire.

Descriptio oppidi Alesii.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, carissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum et Navarrae rex christianissimus, ad Dei solum cultum, eiusque orthodoxae legis observantiam, sanctae matris Ecclesiae exaltationem, haeresumque extirpationem et haereticorum confusionem enixe intentus, divinâ piis eius conatibus favente gratiâ, tot millia subditorum, a viâ salutis per Satanae suggestiones aberrantium, ad eiusdem sanctae matris Ecclesiae gremium propriâ applicatione et curâ feliciter reduxerit; cupiens eosdem suos subditos, uti adhuc teneros vitis evangelicae, qui Christus est, palmites, in ipsius fide verâ peramplius confoveri et consolidari, ac commodius instrui et gubernari, inter alia ad hoc vere suum regium intentum conducentia media, nullum aliud opportunius fore compererit, quam si recenter conversis christifidelibus in vallibus Hebbennicis[1], vulgo *Les Sevennes*, constitutis, et numerum quinque milliadum[2] excedentibus (qui ex solâ praesistentiâ venerabilis fratris nostri episcopi Nemausensis, in cuius dioecesis territorio valles praedictae sunt, ob earumdem vallium a civitate Nemausensi, ubi ipse episcopus residet, aspero, montuoso, laborioso et difficili plurium leucarum intercedente itinere distantiam, ibidem visitationis adeo necessariae munus et pastoralia munera et solatia recipere non valent) proprius praesul et pastor animarum attribueretur et assignaretur, qui proprias oves cognosceret et pasceret, ac ab ipsis vice versâ in veritate docendâ et praestandâ obedientiâ agnosceretur; ac proinde ut dictarum vallium territorium a dioecesi Nemausensi separare, oppidumque Alesii (quod ipsarum vallium caput, muris cinctum, arce et praesidio munitum, praefecturâ decoratum, quinque regularium utriusque sexus coenobiis, hospitali et duabus confraternitatibus insignitum, bis mille fere familiis, quas inter plures nobiles, ac tres ex quatuor partibus neophytae, constans, aëris etiam salubritate ac soli fertilitate gaudens, ac ad id valde aptum commodum et opportunum est) in civitatem, inibique existentem saecularem et collegiatam ecclesiam S. Ioannis Baptistae (amplae et elegantis structurae,

1 Bulla ista legitur etiam in *Gallia Christiana*, tom. VI, inter instrumenta ad ipsum tom. VI adiecta, pag. 255 et seq. (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *Apostoli* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *correptus* (R. T.).

1 In *Gallia Christiana* leg. *Gebennicis* (R.T.).
2 Edit. Main. legit *mistriadum*, in *Gallia Christiana* legitur *milliadum* (R. T.).

sex cappellis et sacrâ suppellectile ad divina peragenda, non tamen ad pontificalia exercenda, decenter ornatam, aliisque requisitis satis instructam) in cathedralem, ibique sedem episcopalem erigere et collocare, ac aliàs desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Erectio, de qua in rubricâ. § 2. Nos, cui[1] nihil magis cura est quam ut fides catholica illibata ubique floreat et augeatur, non de inventâ ove, sed de[2] integri pene gregis ad ovile Christi reductione congaudentes, ac ipsi Ludovico regi congratulati[3], ne desit his Ecclesiae novis filiis qui frangat panem puraeque doctrinae pabula praebeat, ac singulorum vultus, ut episcopum decet, inspiciat et agnoscat, maturâ super his in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium rebus consistorialibus praepositâ, cui negotium dismembrationis et erectionis huiusmodi discutiendum a nobis commissum fuerat, habitâ deliberatione, oppidum praedictum epicopali et civitatis titulo dignum iudicantes, piisque dicti Ludovici regis desideriis libenter annuentes, de eorumdem ac aliorum venerabilium fratrum nostrorum praefatae S. R. E. cardinalium consilio et assensu, oppidum praedictum ab ordinariâ iurisdictione dicti episcopi Nemausensis, de expresso eius ac illius cathedralis capituli et canonicorum consensu, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo segregamus, dividimus, separamus et dismembramus; illudque, ac eius clerum et populum, quoad legem dioecesanam, ab episcopi Nemausensis superioritate, iurisdictione, potestate, subiectione, visitatione et correctione prorsus eximimus et liberamus; ac oppidum praedictum civitatis, illiusque incolas civium nomine, titulo et honore decoramus, illudque in civitatem Alesiensem denominandam, et in eo saecularem et collegiatam ecclesiam, sancto Ioanni Baptistae dicatam, duasque dignitates, decanatum videlicet et sacristiam, cum aliis decem canonicatibus habentem, in cathedralem ecclesiam sub invocatione eiusdem sancti Ioannis Baptistae pro uno episcopo Alesiensi nuncupando, qui illi praesit, ac ecclesiam ipsam ad formam cathedralis ecclesiae redigi faciat, necnon episcopalem iurisdictionem, auctoritatem et potestatem exercere, omniaque et singula quae ordinis, iurisdictionis et cuiusvis alterius muneris episcopalis sunt, et ad illa ac synodi dioecesanae convocationem et celebrationem spectant et pertinent, ac quae alii tam in illis regnis et provinciis, quam alibi ubicumque constituti episcopi in suis ecclesiis, civitatibus et dioecesibus de iure et consuetudine aut aliàs quomodolibet facere, et quibus uti solent et possunt, pariformiter, aeque principaliter, et absque ullâ prorsus differentiâ, in suis ecclesiâ, civitate et dioecesi Alesiensi respective facere, gerere et exercere, ac uti, frui et gaudere libere et licite possit et debeat, ac pro tempore existenti archiepiscopo Narbonensi iure metropolitico, prout ante separationem et dismembrationem huiusmodi suberat, subiaceat, cum sede et mensâ aliisque insigniis episcopalibus, necnon praeeminentiae[1], et honoribus et privilegiis, immunitatibus et gratiis spiritualibus et temporalibus, personalibus, realibus et mixtis, quibus ceterae cathedrales ecclesiae regnorum et provinciarum huiusmodi similiter de iure, consuetudine, privilegio aut aliàs quomodolibet utuntur, potiun-

1 Ita etiam *Gallia Christiana* (R. T.).
2 Praeposit. *de* nos addimus (R. T.).
3 Male ed. Main. legit *congratulari*; aptius *Gallia Christiana* leg. *congratulantes* (R. T.).

1 Aptius lege *praeeminentiis* (R. T.).

tur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, de similibus consilio et potestatis plenitudine, dictâ apostolicâ auctoritate, perpetuo erigimus et instituimus; ac eidem sic erectae ecclesiae Alesiensi ipsum oppidum sic in civitatem erectum pro civitate, et alia octo civitates nuncupata, ac alia trigintasex inferiora oppida, et reliqua quinquaginta quinque oppidula, cum eorum omnium et singulorum respective parochiis et territorio, quinquaginta longitudine, latitudine vero triginta circiter milliaribus italicis extenso, pro dioecesi, necnon ecclesiasticas[1] pro clero, et saeculares personas pro populo, de consilio, potestate et auctoritate similibus, etiam perpetuo concedimus, attribuimus et assignamus; civitatemque, clerum et populum huiusmodi episcopo Alesiensi quoad episcopalem, et archiepiscopo Narbonensi, pro tempore existentibus, quoad metropoliticam iurisdictionem et superioritatem, de paribus consilio et potestatis plenitudine, etiam perpetuo subiicimus.

Pro dote mensae episcopalis assignatur abbatia ecclesiae S. Petri Psalmodiensis.

§ 3. Ac insuper, cum dilectus filius Ludovicus de Calvieres, abbas abbatiae olim forsan regularis, sed iam nunc, omni in eâ regularitate cessante, ad saecularem statum redactae saecularis et collegiatae ecclesiae S. Petri Psalmodiensis vulgo de Psalmodi nuncupatae in oppido Aquarum-mortuarum dictae Nemausensis dioecesis existentis, regimini et administrationi dictae abbatiae, ac omni et cuicumque iuri sibi in illâ vel ad illam quomodolibet competenti et per eum praetenso, in manibus nostris ad praemissorum et infrascriptorum effectum cesserit; nosque cessationem eamdem ex dictâ causâ duxerimus admittendam: nos, abbatiam ipsam, et titulum collativum, et denominationem abbatiae et collegiatae, firmâ ceteroqui remanente illius parochialitate, de[1] praefati Ludovici regis (ad quem, dum illa pro tempore vacat, ius ad illam nominandi, vigore concordatorum dudum inter Sedem Apostolicam et clarae memoriae Franciscum olim eorumdem Francorum regem initorum, pertinere dignoscitur) assensu[2], perpetuo quoque supprimimus et extinguimus; ac illius sic suppressam et extinctam abbatialem[3] (cuius fructus ad quingentos florenos auri in libris Camerae Apostolicae taxati reperiuntur, verus autem valor ad octodecim millia librarum turonensium ascendit) mensae episcopali Alesiensi pro eius dote similiter perpetuo applicamus et appropriamus, capitularem vero mensas[4], et capitulum, necnon praeposituram, quae principalis, et archidiaconatum, cantoriam et subcantoriam, quae reliquae dignitates inibi erant, ac decem canonicatus et totidem praebendas illius, ad sic erectam ecclesiam Alesiensem, similibus consilio et auctoritate, pariter perpetuo ita transferimus et traducimus, ut ex duobus Alesiensi et Psalmodiensi capitulis huiusmodi unicum ipsius episcopi Alesiensis proprium capitulum, in quo praepositura Psalmodiensis prima post pontificalem, ac (excepto decanatu Alesiensi, quem nos, certis nobis notis de causis adducti, ex nunc, prout ex tunc, et e contra, postquam illum per cessum vel decessum, aut aliàs quomodolibet, quandocumque ac ubicumque vacare contigerit, perpetuo quoque similiter supprimimus et extinguimus, ac mensae

1 Edit. Main. et etiam *Gallia Christiana* leg. *ecclesias* (R. T.).

1 Male *Gallia Christiana* leg. *et* pro *de* (R. T.).

2 Vox *assensu* nobis deesse visa fuit (R. T.).

3 Nempe *mensam;* in *Gallia Christiana* legitur *abbatiam* (R. T.).

4 Plurale *mensas* comprehendit etiam *abbatialem* ante dictam; cohaerenter suae lectioni *Gallia Christiana* habet *mensam* (R. T.).

capitulari Alesiensi annectimus et incorporamus, expresso ad id moderni decani accedente consensu) reliquae aliae dignitates, archidiaconatus secunda, cantoria tertia, sacristia, Alesienses respective nuncupandae quarta, ac subcantoria quinta, necnon Alesienses et decem Psalmodienses respective canonicatus et praebendae sint, permaneant et persistant, duodecimque presbyteri, duoque acolythi, ac unus clericus, ad nutum praepositi et capituli Alesiensis amovibiles, pro divinis ministeriis ipsius ecclesiae Alesiensis servitiis[1] iuxta providam a praeposito et capitulo praefatis sibi faciendam iniunctionem, ac cum congruae mercedis assignatione, vel quotidianarum distributionum participatione, ad arbitrium eorumdem praepositi et capituli, ibidem deputentur, sacristaque Alesiensis curam inibi, ut antea, regat, exerceat et administret animarum, canonici vero utriusque capituli capitulares suas, quoad vixerint, respective praebendas, prout ante erectionem huiusmodi faciebant, percipiant, advenienteque eorum seu alterius ex ipsis obitu vel cessione, omnes et singulae praebendae ad invicem successive in communem mensam capitularem Alesiensem semper reintegrentur et consolidentur, donec omnes illius praebendae ad fructuum, redditnum et proventuum aequalitatem perveniant, satisfactis interim per eosdem capitulares respective cuiusque eorum capituli et mensae capitularis etiam respective oneribus et obligationibus solitis, debitis et consuetis, et tam dignitates quam canonicatus et praebendas huiusmodi nunc et pro tempore obtinentes capitulum cum mensâ capitulari, sigillo ac arcâ communibus, aliisque insigniis capitularibus constituant, et apud dictam ecclesiam Alesiensem residere, stallumque in choro, ac locum et vocem in capitulo ipsius, necnon in actibus et functionibus ecclesiasticis intra et extra ipsam ubilibet, iuxta eorum respective antianitatem receptionis dumtaxat, absque ullâ aliâ cuiusvis gradus seu qualitatis distinctione, et in[1] ipsâ ecclesiâ singulis diebus horas canonicas, tam diurnas quam nocturnas, necnon conventuales aliasque missas, servatâ ecclesiarum disciplinâ, uniformiter celebrare et decantare, illisque interesse, ac aliàs dictae ecclesiae Alesiensi in divinis deservire, ceteraque onera iniuncta et pro tempore iniungenda subire, exercere et adimplere respective debeant et teneantur, ac tam in choro quam capitulo, processionibus et aliis actibus et functionibus habitus de iure gestari solitos etiam deferre et gestare libere et licite possint et valeant.

*Quid de praesenti decano Alesiensi.*

§ 4. Praeterea nos (pro promptiori praemissorum et infrascriptorum executione et adimplemento, ac prospero felicique Alesiensis[2] statu et successu procurando et manutenendo)[3] quod, si modernus decanus Alesiensis, non obstante eius ad haec expresso consensu, honoribus et praeeminentiis ad suam dignitatem de iure spectantibus gaudere velit, illis, ac eodem stallo in choro quo usque[4] ad datam praesentium potitus fuit, ac etiam, postquam ad sacerdo-

1 In *Gallia Christiana* legitur *servituri*, et forsan legendum foret *ipsi ecclesiae Alesiensi servituri* (R. T.).

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

2 Nempe *ecclesiae*; vel *Alesiensium* legendum: male, ut puto, *Gallia Christiana* legit *Alesiensi* (R. T.).

3 Male *Gallia Christiana* hic interiicit *decernimus*; nam omnia quae sequuntur pendent a verbis *statuimus ordinamus ac etiam declaramus*, quae sequuntur in fine syntaxis pag. 268 *b*, lin. 25 (R. T.).

4 Male tum edit. Main. tum *Gallia Christiana* legunt *quousque* (R. T.).

tium promotus erit, praecedentiâ[1], alternative tamen cum praeposito Psalmodiensi, vel annuatim, vel per menses, aut aliàs prout melius ipsis videbitur, iuxta illorum desuper ineundam[2] conventionem, usque ad diem, quo, per illius cessum vel decessum, aut aliam quamcumque dimissionem vel amissionem, dictum decanatum vacare contigerit, potiri et frui debeat; quodque, si contigerit capitulares Nemausenses congregari, prout de more, pro impositionibus decimarum, vel pro impositarum rationibus reddendis, et ibi agi etiam debeat de interesse praefati capituli Alesiensis, eidem capitulo Alesiensi liceat unum vel duos de gremio deputare ad interessendum congregationibus seu comitiis capitularibus, qui deputati, vel alter illorum, comitiis praefatis praecedere debeant canonicis Nemausensibus, et ita[3], si[4] contingat capitulares Alesienses pro similibus impositionibus et illarum rationum redditionibus congregari, liceat eidem capitulo Nemausensi similiter unum vel duos de gremio eligere, qui comitiis[5] Alesiensibus intervenire, et pariter canonicos Alesienses praecedere debeant; cura porro animarum, et alia onera ecclesiae Psalmodiensis, quae abinde ad ecclesiam Alesiensem transferri non poterunt, seu quae ibi a capitularibus Psalmodiensibus destinata fuerunt adimpleri, per ibidem existentem rectorem curatum, ac talem, quem iidem canonici Psalmodienses necessarium iudicarunt[6], numerum presbyterorum, assignatis rectori curato ac presbyteris huiusmodi pro congruâ eorum sustentatione omnibus et singulis fructibus decimalibus parochiae eiusdem ecclesiae Psalmodiensis, iuxta desuper cum interventu et auctoritate episcopi Nemausensis praefati initam transactionem, omnino adimpleantur; in ecclesiâ vero Alesiensi futurus et pro tempore existens episcopus curam animarum praefatam per sacristam et eius vicarium, ut antea, unâ cum eisdem emolumentis quibus ante erectionem huiusmodi fruebatur et potiebatur, exerceri faciat; ac pro sui episcopali residentiâ, usu et habitatione aedes per dioecesanos, qui iuxta morem provinciae Quitaniae[1] habitationem episcopalem construere tenentur, destinandas vel construendas, aut iusto pretio emendas, habeat et possideat, necnon iure eligendi et deputandi scholarum praeceptores seu magistros quoad easdem scholas, antea et hactenus ad praecentorem ecclesiae Nemausensis spectante et pertinente, omnimode fruatur, utatur et gaudeat, respective statuimus, ordinamus ac etiam declaramus, expressis ad haec omnia et singula tam archiepiscopi Narbonensis, quam episcopi et etiam praecentoris necnon Nemausensis ac Alesiensis et Psalmodiensis ecclesiarum huiusmodi capitulorum, respective accedentibus assensibus et consensibus[2]. Insuper etiam episcopo, dignitatibus, capitulo et canonicis praefatis, ut[3] (pro dictae[4] ecclesiae Alesiensis ac illius mensae capitularis, sacristiae et fabricae, earum[5] rerum et bonorum tam spiritualium quam temporalium prospero et fe-

1 In *Gallia Christiana* legitur *praesidentiâ et praecedentiâ* (R. T.)

2 Perperam edit. Main. legit *iucundam* (R.T.).

3 Vox *ita* deest in *Gallia Christiana* (R.T.).

4 Particula *si* nos addimus (R. T.).

5 Male *Gallia Christiana* leg. *conciliis* (R.T.).

6 Aptius *Gallia Christiana* legit *iudicarint* (R. T.).

1 In *Gallia Christiana* leg. *Occitaniae* (R.T.).

2 Edit. Main. legit *consentientibus* (R. T.).

3 Vel particul. *ut* delenda, vel legendum *ut habeant* (R. T.).

4 In *Gallia Christiana* legitur *praedictae* loco *pro dictae;* non bene, ut puto (R. T).

5 Legerem *earumque;* in *Gallia Christiana* est *eorumque* (R. T.).

lici statu, regimine, gubernio, directione, ac onerum illis incumbentium supportatione, missarum, horarum canonicarum, divinorum tam diurnorum quam nocturnorum officiorum, processionum, funeralium, anniversariorum et aliorum praefatorum celebratione, necnon de dignitatibus, canonicatibus et praebendis, aliisque beneficiis et ministeriis ecclesiasticis pro tempore providendorum receptione, admissione, residentiâ personali, distributionum etiam quotidianarum et aliorum emolumentorum quorumcumque divisione, repartitione et admissione, poenarum per absentes, et divinis, suis loco et tempore, non assistentes, seu onera et ministeria eis incumbentia subire negligentes incurrendarum impositione, singulorum praesentiis et absentiis notandis[1], caeremoniis et ritibus in cathedrali ecclesiâ, choro, capitulo, processionibus et aliis actibus praefatis, servatis[2] servandis, et ministris dictae ecclesiae Alesiensi necessariis deputandis et amovendis, servitiis et ministeriis per eos obeundis et agendis, salariis et stipendiis eorum cuilibet assignandis, ac quibusvis aliis rebus in praemissis ac circa ea quomodolibet necessariis et opportunis) quaecumque statuta, ordinationes et capitula et decreta, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus praesertim vero Concilii Tridentini decretis et constitutionibus apostolicis non contraria, edendi, et edita pro temporum et rerum varietate et qualitate limitandi, corrigendi, declarandi, interpretandi, ac in meliorem formam redigendi, seu alia de novo etiam ex integro condendi, et per eos, ad quos pro tempore spectabit, sub poenis in contravenientes statuendis, observari faciendi, plenam, liberam et omnimodam facultatem concedimus et impartimur; necnon episcopo, ut praefertur, ac dignitates in praefatâ ecclesiâ Alesiensi obtinentibus, ac capitulo et canonicis eiusdem ecclesiae, aliisque capituli et ecclesiae huiusmodi personis et ministris pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, praeeminentiis, praerogativis, concessionibus, facultatibus, indultis, favoribus et gratiis, quibus alii praefati et aliarum ecclesiarum dignitates obtinentes, capitula et canonici, aliaeque civitates et dioeceses, ac eorum cleri, incolae et habitatores, eorumque res et bona fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, etiam quoad habitûs delationem, ut praefertur, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, concedimus et indulgemus.

§ 5. Ac eidem Ludovico regi eiusque successoribus (attentâ assignatione praefatae mensae abbatialis, et unione eiusdem capituli, de praefati Ludovici regis consensu, dictae mensae episcopali, ac capitulo Alesiensi, ut supra, factâ) ius nominandi ad praefatam ecclesiam Alesiensem, dum illa pastoris solatio destituta fuerit; illi vero, seu illis ad quos praesentatio seu nominatio ad dignitates, canonicatus et praebendas, necnon beneficia et ministeria huiusmodi ex fundatione vel dotatione de iurepatronatus pertinere[1] dignoscitur (quae quidem nominatio ad ecclesiam Alesiensem nobis seu Romano Pontifici successori nostro pro tempore existenti per praefatum Ludovicum regem, eiusque, ut praefertur, successores Galliarum reges, quo vero ad praesentationes ad dignitates, canonicatus et praebendas ac be-

*Regi christianissimo, aliisque, ius nominandi vel praesentandi conceditur.*

[1] Edit. Main. legit *notandi* (R. T.).
[2] Vox *servatis* delenda videtur (R. T.).

[1] Male edit. Main. legit *pertinente* pro *pertinere* (R. T.).

neficia et ministeria huiusmodi, quandocumque et quotiescumque per cessum vel decessum aut aliàs quomodolibet vacare contigerit, etiam coram Ordinario Alesiensi, pro tempore existenti, per patronos fieri respective debeant[1], prout antea ad dictam abbatiam S. Petri Psalmodiensis, et ad dignitates, canonicatus et praebendas, necnon beneficia et ministeria utriusque collegiatae ecclesiae unitae huiusmodi respective spectabat), etiam perpetuo reservamus, concedimus et assignamus.

Clausulae. § 6. Ac easdem praesentes ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vel quovis alio defectu, etiam ex eo quod causae, propter quas praemissa emanarunt, coram nobis vel alibi verificatae, et quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, ad id vocati, citati, auditique non fuerint, et praemissis non consenserint, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam vocari, ad terminos iuris reduci, [2] remedium impetrari, vel sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per quascumque constitutiones apostolicas, aut Cancellariae Apostolicae regulas, quandocumque, etiam in crastinum assumptionis successorum nostrorum ad summi apostolatus apicem, vel aliàs quandocumque editas, seu sub quibusvis tenoribus et formis emanatas, et in posterum edendas et emanandas, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum, etiam sub quacumque posteriori datâ per pro tempore existentes episcopum ac dignitates, capitulum et canonicos huiusmodi eligendâ, restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac denuo concessas, semperque validas esse et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, necnon episcopo, dignitatibus et canonicis huiusmodi pro tempore existentibus perpetuo suffragari, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum. § 7. Non obstantibus nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de gratiis, indultis et indulgentiis ad instar non concedendis, ac de exprimendo vero annuo valore, ac de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, et quibusvis apostolicis, necnon in synodalibus, provincialibus et generalibus conciliis editis vel edendis constitutionibus; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specifica et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, expressio ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse, harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCXCIV, XVI kalendas iunii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 16 maii 1694, pontif. anno III.

1 Vel hic lege *debeat*, nempe *nominatio;* vel etiam in fine parenthesis lege *spectabant*, nempe *praesentationes* (R. T.).

2 Deesse videtur *adversus illas* (R. T.).

XCII.

*Confirmatur concordia inter fratres provinciae S. Iacobi in Hispaniâ Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ super divisione provinciae et officiorum* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium

Debitum pastoralis officii, quo catholicae Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae sapientiae atque clementiae abundantiam praesidemus, exigit, ut, paternam religiosorum virorum, quos in pacis amoenitate vota sua Altissimo reddere decet, curam gerentes, illa, quae pro dirimendis inter eos exortis dissidiis, perpetuoque stabiliendâ animorum concordiâ, prudenti providoque conventa noscuntur esse consilio, quo firma semper atque inviolabilia permaneant, apostolici muniminis nostri praesidio roboremus.

Legitimâ auctoritate et iusta de causa instituta fuit praesens concordia a procuratoribus partium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Franciscus Diaz a S. Bonaventura, lector iubilatus et definitor generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, ac Benedictus de Noriega, sacrae teologiae lector itidem iubilatus, necnon Didacus del Castillo, verbi Dei praedicator, fratres expresse professi provinciae S. Iacobi in Hispaniâ dicti Ordinis ac procuratores diversarum respective partium seu nationum eiusdem provinciae, quod, cum iuxta constitutionum apostolicarum et statutorum generalium eiusdem Ordinis dispositionem cuique provinciae Ordinis praedicti sua particularia statuta concedere fas sit, prout nationum, temporum et locorum aliarumque circumstantiarum exigit ratio, praecipue quando per eadem generalia statuta non satis provisum reperitur paci ac utilitati alicuius provinciae, quae particularibus et accomodatioribus indiget legibus ut immunis reddatur a iurgiis, litibus et partialitatum zizaniis quae ceteroqui oriri ac in dies non sine maximo ipsius Ordinis dedecore excrescere possent; ipsa vero provincia S. Iacobi tali potissimum indigeat provisione, ut malis, quae ob lites inter partes praedictas nonnullis abhinc annis vertentes perpessa est, opportunum remedium adhibeatur: ipsi exponentes, legitimis suffulti mandatis ad effectum procurandi et obtinendi a Sanctâ Sede, nomine earumdem partium, ea quae in posterum in praedictâ provincia servari oporteat, ut lites huiusmodi dirimantur, nec illae in posterum reviviscant, aut aliae suboriantur, neque divisio aliqua amplius in illâ praetendatur, pro pace et quiete dictae provinciae, necnon regularis disciplinae, qua illa antehac eximie floruit, instauratione, charitative et religiose ad concordiam super praemissis (reservato tamen desuper nostro et huius Sanctae Sedis beneplacito) devenerunt, cum diversis pactis et conditionibus, prout continetur in scripturâ desuper emanatâ tenoris qui sequitur, videlicet:

Concordiae tenor.

« In conventu S. Isidori fratrum Hibernorum almae Urbis Ordinis Minorum de Observantiâ, die XXVII novembris anni Domini MDCXCIII, convenerunt in unum reverendus admodum pater frater Franciscus Diaz a S. Bonaventura, lector iubilatus, sancti Officii qualificator, sacrarum Congregationum Indicis et Rituum consultor, provinciae S. Iacobi primus pater, et definitor generalis Ordinis praedicti, frater Be-

[1] In const. ed. MDCXCII, die 9 decembris, pontif. II, agitur de alternativâ officiorum inter provincias Gallicas et alias; et in const. ed. MDCXCVI, die 7 ianuarii, pontif. V, de alternativâ in provinciâ Ianuensi.

nedictus de Noriega, sacrae theologiae lector iubilatus, et frater Didacus *del Castillo* praedicator, omnes professi et alumni praedictae provinciae S. Iacobi regularis observantiae in Hispaniâ memorati Ordinis et instituti, et procuratores respective diversarum partium et nationum praedictae provinciae in lite, quae ab aliquot retro annis vertitur inter partes praedictas super divisione officiorum aut partitione eiusdem provinciae, ut inferius latius constabit. Qui quidem patres, attentâ mente recogitantes praefatam provinciam a seraphico pâtre sancto Francisco in primo capitulo generali Portiunculae, anno a primâ Ordinis et regulae approbatione apostolicâ septimo, a fundatione vero conventûs Compostellani, per eumdem sanctum patriarcham mirabiliter inceptâ, quarto, rite erectam ac institutam extitisse, destinato ad ipsam in eodem capitulo uno e dilectissimis sociis ipsius seraphici patris, qui eidem tamquam provincialis minister praeesset, a cuius ministeriatu usque ad tempus praesens regularis semper in ipsius conventibus seu eremitoriis viguit observantia, illinc ad quamplures provincias nonnullasque Hispaniarum ditionum reformationes, studio ac zelo alumnorum eiusdem provinciae vel institutas vel promotas, cunctis Ordinis saeculis feliciter propagata atque transfusa; necnon prae oculis insimul habentes quod praefata provincia, quae olim magnam partem regnorum Hispaniae ac Lusitaniae complectebatur, iam nunc ad eam solam amplitudinem redacta est, quae faciliter in quolibet triennio lustrari ac visitari valet a quovis vigilanti superiore: hinc, publico eiusdem provinciae decori ac perpetuae fratrum ac monialium ipsius tranquillitati quamcitius consulere meditati sunt. Concordiae itaque super lite diuturnâ studentes, et desiderantes obviam ire scandalis et inconvenientibus, quae hucusque ex illâ pullularunt et in dies pullulare poterunt, tam quoad disciplinam regularem, quam quoad litterarum (quibus semper praedicta provincia maxime floruit) splendorem, amice et charitative tractarunt de dirimendâ praedictâ lite et discordiâ per viam compositionis et concordati; et post maturam et longam discussionem punctorum, in quibus maxime vertebatur dissidium, tandem convenerunt in transactione mutuâ suorum respective iurium et praetensionum sub infra exprimendis conditionibus inviolabiliter (accedente tamen sacrae episcoporum et regularium Congregationis consensu, necnon Apostolicae Sedis confirmatione) in perpetuum observandis.

I. Primo itaque concordes dixerunt, et mutuo sibi promiserunt, quod pro parte patrum Castellanorum, Asturicensium et forensium renunciaretur praetensioni dividendi dictam provinciam, pro qua in sacrâ Congregatione instabant; sicut de facto praedicti patres Benedictus de Noriega et Didacus *del Castillo*, utentes facultate quam habent a suis principalibus, nomine eorum, praedictae praetensioni renunciarunt, volentes quod praedicta provincia in suâ, qua de praesenti gaudet, amplitudine conservetur: et inconvenientibus, quae praedictam divisionem exigere videbantur, occurrendum esse remediis ab eisdem omnibus excogitatis, et mox suo ordine ponendis. Conventio inter partes non dividendi provinciam vel eius officia;

II. Deinde subiunxerunt, quod etiam pro parte patrum forensium renunciaretur Brevi tripartitionis officiorum in eorumdem favorem iam de anno MDCLXXXIV a sanctissimo domino nostro Innocentio XI felicis recordationis expedito, et de facto memoratus pater Didacus *del Castillo*, Sed sub sequentibus conditionibus:

eorum procurator, utens suâ facultate, vice et nomine suorum principalium, renunciavit omni iuri quaesito aut quaerendo, et ex praedicto Brevi quomodolibet ipsis obvenienti aut resultanti, et sub infra ponendis conditionibus acquievit sententiae ab eminentisssimo Ordinis protectore iampridem ex commissione apostolicâ contra praememoratum Breve prolatae, ac omnimodae executioni mandatae. Ne vero patres praedicti forenses fraudentur per hoc officiis, muneribus et honoribus provinciae, mutuo hinc inde consensu praedicti concordantes, sequentem perpetuo practicandam providentiam adhibuerunt.

*Ut omnes religiosi provinciae ad quatuor nationes reducantur, suppresso nomine forensium.*

III. Nimirum omnes fratres nati extra terminos provinciae, sive in ipsâ vestiti, sive in eâ sint incorporati, sine alicuius nationis discrimine recipiendi sunt, prout re ipsâ recipiuntur, et vi huius concordiae ex nunc in perpetuum acceptantur inter fratres nativos eiusdem provinciae, cum aequali iure ad distributionem officiorum, ac isti habent. Sed, cum provincia ista constet principaliter quatuor nationibus iuxta modum, quo nationes distinguuntur et reputantur in universitate Salmaticensi, scilicet Gallaeciae, Camporum, Cantabriae ratione principatus Asturiarum, qui in dictâ universitate cum Cantabris reputatur, et Extremadurae, cuius caput est ista civitas Salmantina, ad has quatuor nationes, ad effectum distributionis officiorum postea statuendae, omnes alias Hispaniarum et extra Hispanias nationes hoc modo reduxerunt, nempe: Ad nationem Gallaeciae reducuntur fratres omnes nationis Lusitaniae, et quotquot nati sunt extra Hispaniarum continentiam, prout iam apostolico decreto reducti reperiuntur, et tamquam si nativi Gallaeci essent in posterum reputandi. Ad nationem Cantabriae pertinebunt Astrues, et quotquot nati sunt in terminis nationis Cantabriae, iuxta dismembrationem huius nationis in praedictâ universitate Salmantinâ, et ita, ultra praedictum Asturiarum principatum, continebit pars ista Montanaburgorum, Guipuscoam, Alavam, Vasconiam meram, seu Viscayam, Rivogiam et Navarram. Ad nationem Campensem pertinebunt fratres praedictae nationis incipiendo a confinibus Gallaeciae, sed insuper natio Castellae Novae, quod vulgo *Mancha* in eâdem universitate nominatur. Denique ad nationem Extremadurae pertinebunt omnes fratres dioecesis Salmanticensis, quae, ut praefertur, est illius nationis caput, et omnes alii ad hanc nationem pertinentes, iuxta morem illius universitatis, et cum illis fratres ex nationibus Andalusiae et Aragoniae. Et cum sub hac distributione comprehensi reperiantur omnes fratres qui sunt et esse possunt in praedictâ provinciâ, proinde convenerunt quod in posterum, sub poenâ perturbatorum pacis et dyscolorum a trangressoribus ipso facto incurrendâ, abstineatur a nomenclaturâ forensium, ut minus bene sonante inter eos qui omnium rerum proprietatem a se abdicarunt ut non habeant domum aut locum, aut aliquam rem, sed sunt (ut in regulâ ipsâ monetur) peregrini et advenae in hoc saeculo in paupertate et humilitate Domino famulantes; ideo omnes a natione, ad quam pertinent, denominationem capiant.

*Ut servetur quaedam regula in distributione officiorum.*

IV. Hac factâ incorporatione omnium nationum inter nationes intraneas provinciae, praedicti patres, ut praefertur, concordes addiderunt, quod, ad pacem perpetuo in provinciâ conservandam, et praeoccupandum unius nationis praedominium, ac congruam omnium nationum satisfactionem introducendam (quod erat praecipuum inconveniens quod urge-

batur pro divisione), officia provinciae deinceps sic dividantur in singulis capitulis et congregationibus, sub poenâ nullitatis omnium electionum ipso iure et facto incurrendâ, ut scilicet uno triennio minister provincialis et duo definitores fiant de fratribus nationis Gallaeciae cum suis incorporatis indistincte; custos vero et alii duo definitores ex aliis tribus nationibus ex adverso: cum vero praedictae tres nationes, iuxta praefatam distributionem et incorporationem, restent fere aequales, et eadem aequalitas regulariter perseveratura merito credatur, tria ista officia inter ipsas distribuantur ita ut unus, aut definitor, aut custos, quae duo munera aequivalenter se habent, assumatur de natione Camporum cum suis incorporatis, alter de natione Asturiarum cum suis Cantabris incorporatis, alter de natione Extremadurae cum suis incorporatis. Sequenti vero triennio vice versâ minister provincialis et duo definitores eligantur de corpore harum trium nationum eodem ordine, ut scilicet minister assumatur ex unâ, unus definitor ex aliâ, et alius definitor ex tertiâ, cum suis respective incorporatis, sic tamen ut provincialatus, quando huic parti obtigerit, per easdem nationes ordinate et successive decurrat, nisi in aliquo casu id adamussim servari nequeat, manifeste reluctante iustitiâ distributivâ aut electionis necessariâ libertate; quod, ne cavillandi contra praesentem concordiam ansa praebeatur, determinandum erit a toto capitulo per secreta suffragia alba et nigra, si aliquando casus occurret, qui nonnisi rarissime et difficile occurret; custos vero et alii duo definitores de natione Gallaeciae cum suis respective incorporatis eligantur, quin unquam sub ullo[1] praetextu aut motivo, etiam urgentissimo, fraudare[1] valeat haec natio seu portio aliquod[2] ex officiis sibi per hanc alternativam competentibus, haud facile siquidem ad illa deficient in praefatâ portione viri satis idonei. Guardianatus vero et vicariatus monialium eâdem proportione distribuantur, scilicet media eorum pars detur fratribus Gallaecis cum suis incorporatis, et pars altera fratribus ex tribus aliis nationibus per partes aequales, procurando ut tam in primâ divisione faciendâ inter Gallaecos et alias nationes, quam in subdivisione quae inter tres praedictas nationes fieri debet, servetur non solum quantitas et numerus, sed etiam qualitas et graduatio conventuum, ut scilicet ex praecipuis sex conventibus, tres obveniant Gallaeciae cum suis incorporatis, et tres distribuantur inter praedictas tres nationes concurrentes ex adverso, ut unaquaeque ex his unum praecipuum conventum obtineat, et sic de reliquis, ut omnis discordiae et querimoniae aditus praecludatur. Nec poterit aliquis a praedictis officiis et muneribus excludi sub praetextu quod vitam communem non observet, nisi legitime constet de eius inhabilitate ad observandam regulam, iuxta declarationes Romanorum Pontificum et expositiones sanctorum Bonaventurae, Bernardini, Ioannis de Capistrano et aliorum probatissimorum expositorum ipsius; qui enim eam iuxta praememoratas declarationes et expositiones observaverint, licet non sint sequaces vitae quae non est communis omnibus regulam stricte ad litteram et secundum rigidiores declarationes observantibus, sequuntur tamen vitam communem illis qui eam non transgrediuntur et alicuius peccati gravis in ipsius observantiâ rei non sunt, quod sufficit

1 Edit. Main legit *illo* pro *ullo* (R. T.).

1 Potius lege *fraudari* (R. T.).

2 Forsan legendum *aliquo* (R. T.).

ad hoc ut ab officiis non excludantur, si aliàs ex vitio et malitià aut ex alio notabili defectu indigni vel incapaces non censentur: illi siquidem qui studio, aetate et observantià diuturnâ vires ad austeritates corporales substinendas amiserunt, prudentiâ tamen, experientiâ, scientiâ et zelo robustiores, ac magis sanos seu iuniores sunt supergressi, eisdem aptiores creduntur ad spirituale gubernium religionis. Ad vicariatus autem monasteriorum monialium S. Clarae Tertii Ordinis et Immaculatae Conceptionis assumantur solum viri pii, scientià ac zelo religionis praediti, aetatem quadraginta annorum excedentes, qui de earum institutis et modo conducendi animas Deo dicatas ad spirituales cum Sponso aeterno nuptias sint plene instructi; et, si patres definitorii contrarium, fecerint, sciant se rationem Domino reddituros de exiguo ipsarum profectu in viâ perfectionis.

Lecturae philosophiae et theologiae per examen concedendae.

v. Sub praefatâ tamen officiorum distributione non debent cadere lectores philosophiae aut theologiae, propterea quod, cum pauci sint numero concurrentes, et expediat ad haec munera promovere non solum sufficientes, sed optimos, si praedictâ lege distribuantur, saepe continget ut compellantur electores eos promovere, qui forte minus perspicaces sunt (ne alternativae legibus contradicant), postpositis habilioribus et ad docendum aptioribus, cum summâ honoris provinciae et rei litterariae iacturâ. Ideo pro promovendis lectoribus philosophiae proponi debet liber concursus inter collegiales tantum Albanensis collegii, qui saltem in eodem collegio unum cursum ab exacto theologiae triennio compleverint, et contra quos nulla in regulari disciplinâ infamia fuerit suborta (hi enim a collegio arcendi sunt, qui vero in ipso conservantur, eo ipso censentur sufficientes quoad morum probitatem), et ex his illi eligantur, qui in litterario examine maiora dederunt profectûs et futurae utilitatis specimina, undecumque sint, et omni respectu posthabito. At, ne privata affectio in publicum praeiudicium aliquando detorqueat presens concordatum, per definitorium provinciae sex iudices huius concursûs deputentur, ex quibus unus et praecipuus erit minister provincialis, si concurrere voluerit, vel alius, cui suas vices commiserit, et cum ipso duo lectores theologiae iubilati vel actuales de suo corpore, et pro alio corpore tres lectores, vel iubilati, vel actuales, et, qui de corpore trium nationum assumuntur, unus de unâ, et unus de aliâ, et unus de tertiâ natione eligantur, et si minister fuerit de hac parte, ipse pro suà natione iudex erit. Hi, priusquam concursum aperiant, in unum congregati, septimum eligent de illo corpore de quo non est provincialis, qui solum suffragium feret in casu, quo non contingat electio per suffragia sex electorum provinciae; et omnes septem, coram secretario examinis per provincialem deputando[1], iuramentum facient super quatuor sancta Evangelia de bene eligendo his verbis: *Ego N., iudex deputatus ad promotionem lectorum philosophiae, quorum examen et concursus in proximo sunt, iuro per haec sacrosancta Evangelia domini nostri Iesu Christi, quae manu tango, sub poenâ periurii et aeterni reatûs, me illos electurum ad praedictas lecturas, nullo habito privato respectu patriae, sanguinis vel affectionis, quos ex vi examinis et concursûs incundi, magis habiles et idoneos cognovero ad hoc munus obeundum cum provinciae utilitate et discipulorum profectu: sic Deus me adiuvet, et haec*

1 Edit Main. legit *deputandum* (R. T.),

*sancta Evangelia.* Et de iuramento secretarius examinis actum rogabit, quod ab omnibus subscribetur. Finito examine de more provinciae et ad praescriptum statutorum generalium convenient praedicti iudices; et praeses proponet unam lecturam, et unusquisque ex sex electoribus mittat in urnam nomen illius quem aestimavit aptiorem; quod ut facilius et brevius fiat, poterit quilibet portare series sufficientes omnium nominum concurrentium; et si aliquis in eo scrutinio reperiatur habuisse quatuor suffragia, ille erit ipso iure electus; sin minus, relinquantur pro secundo scrutinio duo illi qui plura habuerunt suffragia; et si hi reperientur in secundo scrutinio aequales, adhibeatur septimus iudex, qui suo suffragio litem dirimat; si vero contigerit quod in primo scrutinio nedum non sequitur electio, sed, propter suffragiorum dispersionem aut aequalitatem, non possunt haberi duo illi qui remaneant pro secundo scrutinio, adhibeatur septimus; et omnes secreto eligant unum ex illis excludendum, qui erit ille qui plura habebit suffragia; et si opus sit, sic fiat quoadusque secundum scrutinium reducatur ad duos, ex quibus sex electores eligant, sicut dictum est; et in casu aequalitatis, adhibito septimo, electio resolvatur. Et unius conventûs provisâ lecturâ, prosequatur ad alium sub eâdem formulâ.

Ita etiam collegiaturae collegii Albanensis, pro quo studiorum methodus traditur, necnon regularis disciplinae.

vi. Pariter collegiaturae praedicti collegii Albanensis per concursum et examen provideantur, vocatis illis, qui, expleto triennio theologiae, testimonio lectorum sub quorum disciplinâ studuerunt, apti sunt concurrere, qui quidem in praedicto collegio ultra triennium non commorabuntur, sed, [1] triennio expleto, ad aliquem conventum studii theologiae seu philosophiae mitti poterunt, indispensabiliter locum cedant aliis; si qui vero iudicio ministri provincialis, ex his qui collegium absolverunt, apti concursui lecturae censebuntur, poterunt etiam ad eumdem concursum vocari. In praedicto vero collegio censuerunt mutandam esse methodum exercitii, videlicet ut non exponantur disputandae nisi selectiores et utiliores quaestiones unius tractatus, quibus bene intellectis, aliae quaestiunculae facile patent, et, ut locus sit ut collegiales melius praeparentur, nonnisi una quaestio quotidie, vel mane in aestate, vel vespere in hyeme exagitetur; disputatio tamen post propositionem et probationem conclusionis ad duas integras horas protendatur; finito vero uno tractatu, alius incipiatur, et principaliores etiam quaestiones discutiantur, et postea ad alium fiat processus; nam hoc modo poterunt potiores tractatus totius theologiae uno triennio percurri; sed ne philosophiae difficultates exsolescant, die iovis et sabbati (singulis namque diebus exercitia habenda sunt) proponat defendens duas conclusiones philosophicas loco conclusionis theologiae, de quibus fiet controversia, unâ horâ de primâ et alterâ de secundâ, et hae in quaestionario praefigentur iuxta ordinem, quo in cursu philosophico traduntur. Circa alia autem, quae ad mores religiosos, observantiam regulae, cultum divinum, ac disciplinam regularem spectant, executioni mandentur statuta provinciae pro dicto collegio edita, eaque introducantur quae pro simili alio collegio confirmata inveniuntur in Brevi sanctae memoriae Innocentii XI, *Ecclesiae Catholicae* incipiente, die XVIII septembris MDCLXXXV promulgato.

Tandem praedicatorum praecipuorum electio.

vii. Etiam convenerunt praedicti patres, quod nec praedicatores praecipui conventuum, qui conventuales dicuntur,

1 Videtur deesse vox *qui* (R. T.).

debeant cadere sub legibus praedictae distributionis; sed quod libere eligantur per definitorium illi, de quibus magis sperari possit auditorum profectus et religionis decus, non attendendo an sint de hac vel illâ natione; minus enim in re tanti ponderis duxerunt habendam esse rationem de unius nationis satisfactione, quam de Dei servitio, proximorum aedificatione et splendore provinciae.

*Ut nullus excludatur undevis sit a receptione habitus.*

VIII. Consimiliter, ut personarum omnis periculosa acceptio praecludatur, nulli ex his, qui in provinciâ praedictâ vestiri desiderant, habitus denegetur, undevis sit, eo respectu quod sit de hac vel illâ natione, sed quotquot reperientur sacrum habitum, Deo vocante, postulare, si habeant qualitates per apostolicas et Ordinis constitutiones praescriptas, et numerus fratrum receptionem non impediat, sine cunctatione acceptentur; et ad omnem fraudem in re tanti ponderis, et quae pacem tamdiu desideratam turbare sufficit, superior provincialis, qui fuerit de opposito convictus, poenâ privationis a suo munere irremediabiliter coërceatur. Ne vero numerus fratrum plus iusto possit excrescere, sub eâdem poenâ cohibetur ne aliquos iuvenes admittat ad habitum, praeterquam in conventibus recollectionis, prout antiquus provinciae mos semper tulit. Ad officium autem seu munus magistri novitiorum, viri probi, experti, zelo religionis pollentes, devoti, ac maturae aetatis assumantur; qui eidem cum decore Ordinis et profectu iuventutis Deo dicatae plane ac congruenter satisfacere queant; et si possibile fuerit, sint definitores habituales seu lectores, aut praedicatores iubilati, vel saltem exguardiani, et in observantiâ regulae et exercitio orationis mentalis satis versati; et qui laudabiliter huic muneri operam navaverint, ceteris praeferantur in remunerationibus a capitulis seu congregationibus in futurum impertiendis.

*Ut vitentur longiorum itinera religiosorum.*

IX. Praeterea concordes dixerunt, quod, ad praecavendum inconveniens quod urgebat postulantes divisionem ex longissimo intempestivo et periculoso fratrum discursu dimanans in notorium damnum salutis corporalis et purae regulae observantiae notoriam iacturam et praeiudicium, deinceps superior provincialis fratres, qui sunt de familiâ in conventibus citra montes, non destinabit ad conventus ultra montes, et multo minus ad distantiores, vel e converso, nisi publici muneris vel studiorum causâ, sed conventuum indigentiae succurratur per fratres assumptos de conventibus vicinioribus vel vicinis. Quod si aliquando contrarium practicari oporteat, saltem ita transitus moderetur, ut non compellatur frater, qui est in remoto citra montes conventu, convolare ad remotum ultra montes, et operam dent ut praedicti transitus non fiant nec summâ aestate[1] nec summâ hyeme ob imminens utriusque in illis partibus stationis[2] periculum; provincialis autem, qui sub praetextu puniendi aliquem religiosum seu alio quovis titulo contrarium fecerit, severe puniatur a superiore generali, ab eoque, si excessus nimius fuerit et iteratus, ab officio suspendatur. Eâdemque poenâ plectatur, si dyscolos, litigiosos, aut inobservantes ad conventus recollectionis transmiserit; ii siquidem[3] conventus, tamquam destinati ad exercitia orationis mentalis et purioris observantiae regulae, praeservandi sunt ab omni eo quod ipsis in similibus exercitiis praeiudicium afferre queat, ac pro moderatione ac punitione excessuum praefatorum fratrum

1 Edit. Main. legit *aetate* (R. T.).
2 Italice *stagione* (R. T.).
3 Praeposit. *in* delemus (R. T.).

aptiores creduntur conventus principaliores provinciae, in quibus facilius reprimuntur tam metu carceris et supplicii, quam auctoritate superiorum et patrum, quibus abundare et ornari solent communitates praefatorum conventuum.

Ut certa lege amoveantur iuvenes professi. x. Cum discursus fratrum recenter professorum et parum in observantiâ regulae radicatorum perniciosissimus sit, et capitalis origo regularis disciplinae relaxationis, quia, cum parum sint assueti indigentiis et pressuris itinerantium, facile refrigescunt, et sibi suadent quavis etiam communi necessitate omnia licere quae contra ius divinum non sunt, esto regulâ quam professi sunt prohibeantur, hic tamen inordinatus abusus in praedictâ provinciâ nimis, non sine aliquâ partialitatis suspicione, invaluerit, cum iuvenes, statim ac professionem emittunt, studiorum causâ compelluntur longissime iter facere, et si in collegio locus non sit, iterum regredi ad conventus, in quibus non sunt professoria, nec sub disciplinâ magistri clericorum, prout par est, degunt: inhaerentes praedicti patres apostolicis constitutionibus Clementis VIII et Urbani VIII, necnon decretis sacrae Congregationis super statu regularium, quibus praecipitur ut recenter professi, si a loco novitiatus discedere necesse sit ut subintrantibus novitiis locum cedant, destinentur ad conventus in quibus sunt professoria, ubi sint sub curâ et disciplinâ magistri clericorum, in quibus simul disciplinae regulari et litteris debent operam navare, utque[1] simul praecludatur aditus querelae aliquarum nationum ortae super eo quod sui clerici de studiorum commoditate non providentur, concordarunt, quod omnes clerici, postquam professionem emiserunt, destinandi sunt ad studia philosophica, in quibus ipsis assignetur locus distinctus a loco sacerdotum, et ibi sint (prout provincia habet in praxi) sub curâ magistri clericorum et disciplinâ lectoris philosophiae, ut nullus possit conqueri sub praetextu denegatae studendi opportunitatis, prout haec Italiae familia, non sine fructu, perpetuo est executa a tempore vicariatus S. Ioannis de Capistrano, qui in suis statutis, cap. IX in fine, ait, se ad hoc fuisse inductum insinuatione Sanctissimi et felicis recordationis Eugenii IV, et plurium S. R. E. cardinalium exhortationibus.

xi. Ulterius desiderantes, quantum possibile sit, iuvenum discursibus obviare, et operam dare ut philosophicis disciplinis simul cum morum ornatu ditentur et commodius instruantur, necnon quod onus clericorum dividatur aequaliter inter conventus praecipuos, tamquam expediens iudicarunt, quod in conventibus Salmanticae, S. Iacobi Legionis et Oveti, in quibus modo traditur solum theologia, deinceps tradatur etiam philosophia, sic ut numerus studentium utriusque facultatis non excedat numerum eorum qui de praesenti theologiae tantum student, et ad supplendum numerum, qui videtur desiderari, erigantur utriusque facultatis studia in conventibus Monfortensi et Auriensi, in conventibus vero Zomarensi et Taurensi ac Tudensi solum philosophia tradatur. Hinc enim primo assequi posse sperant occurrere iuventutis discursibus magnâ ex parte, quia, cum in pluribus ex his conventibus sit novitiatus, quando ubi incipit cursus philosophicus, possunt in eodem conventu, in quo professi sunt, studere primo philosophiae et postea theologiae, deinde melius instruentur in disciplinis philosophicis ex concursu studii theologiae; nam lector philosophicus coram theologis sedulo munus Ut in certis coenobiis erigantur lecturae.

[1] Male edit. Main. legit *usque* (R. T.).

suum obire cogetur; ulterius theologi species philosophicas assistendo conferentiis huius facultatis excitabunt; quod ut commodius fiat, sic disponentur, ut die lunae, mercurii et veneris fiant conferentiae theologicae, diebus vero reliquis philosophicae: denique conventus graviores aequaliter sentient clericorum gravamen. Sed ne per hoc videantur lectores plus iusto multiplicari, duxerunt statuendum, quod in nullo studio, praeterquam in Salmantino, sint nisi duo lectores theologiae, et in nullo sit magister scholasticorum; hoc enim exercitium penitus odiosum videtur; sed unusquisque lector theologiae suas conclusiones defendet in aulâ, alternando per hebdomadas; ea vero, quae Salmanticae aut alibi praestare solet extra conventum scholasticorum magister, modernus lector theologiae praestare tenebitur; et hoc modo minori numero fratrum, quam de facto occupantur in quatuor studiis theologicis provinciae, sex studia auctoratius et commodius subsistent.

*Ut clerici indiscriminatim non addicantur quibuscumque studiis.*

XII. Sed quamvis omnes clericos ad professoria mittendi sint, in quibus philosophicis disciplinis studeant, non propterea omnes indistincte ad theologica studia post philosophiae positum tyrocinium sunt destinandi, sed illi dumtaxat, qui, posito examine, reperti fuerint in philosophiâ ita profecisse, ut de ipsis sperari possit quod in theologiâ progressus facient, et vel lectores, vel verbi Dei concionatores competentes evadere poterunt. Reliqui vero, qui ad theologiam scholasticam sufficientes reperti non fuerint, ad studia theologiae moralis, quae olim consultissime per statutum Congregationis Toletanae MDCLXXIII fuerunt erecta in conventibus Asturicensi et Corumnensi, et nunc denuo sunt instauranda, remittentur, in quibus per triennium operam dantes sub disciplinâ lectorum, de quibus infra, si habiles reperti fuerint, confessionario destinabuntur, sin minus perpetuae chori sequelae et altaris servitio, aliisque conventuum ministeriis mancipabuntur.

*Ut ad habitum recipiantur idonei.*

XIII. Ne vero provincia fratribus inutilibus iniuste gravetur, sub poenâ privationis vocis activae et passivae per decennium, voluerunt praedicti patres nomine suorum principalium remanere obstrictos ministros provinciales qui admittunt ad habitum iuvenes qui humanioribus litteris non fuerint competenter instructi; quod ut facilius executioni mandetur, minister nullum admittat, quem in consessu discretorii conventus non examinaverit, vel guardianus de eius commissione; sed ipse minister, dum provinciam visitat, tenetur iterum ab ipso non examinatos experiri, et si invenerit examinatores deliquisse, tamquam religioni iniurios eâdem poenâ punire, iuvenemque expellere, nisi forte fuerit ad moderamen chori vel organa pulsanda receptus, cum quibus poterit mitius instituere examen, sed hi post emissam professionem ad aliud ministerium litterarium minime contendant.

*Ut modus imponatur licentiae egrediendi e coenobio.*

XIV. Eumdem finem bonae educationis iuventutis prae oculis habentes, et adhaerentes decretis apostolicis memoratis, necnon diversis Ordinis statutis, poenâ privationis ab officio voluerunt ipso facto et irremediabiliter coërcendos esse guardianos, qui iuvenes philosophiae studentes sub quovis praetextu foras mittunt, exceptâ causâ sacros ordines recipiendi, aut qui eos extra conventum quaestuandi causâ, etiam in loco, ubi consistit conventus, exire permittunt, praeterquam in actibus communitatis, vel aliquando omnes simul recreationis causâ; verum si aliquando, etsi rarissime, exire oporteat, brevi reversurus iuvenis aliquis, nonnisi associatus

suo magistro conventu exeat, et cum eodem incedat et regrediatur; sacerdotes vero studentes nonnisi extra tempus lectivum de consilio et consensu lectorum necessitate postulante extra locum egredi permittantur.

Ut nonnulla serventur in electione et collatione privilegiorum praedicatorum.

XV. Alia eaque non levis occasio itinerandi nascitur ex abusu designandi in singulis capitulis, sive provincialibus, sive intermediis, tres aut plures praedicatores conventuales pro singulis quibusque conventibus contra mentem statutorum Segoviensium, quae, dum de ipsis mentionem faciunt, videntur supponere, unum debere esse tantum in quovis conventu. Ideo dixerunt praedictam corruptelam, ex qua, ultra ansam praedictorum discursuum, etiam sequitur[1] quod plures fratres quam oporteat exemptionibus gaudeant, omnino abolendam esse, unumque solummodo praedicatorem debere esse in unoquoque conventu qui gaudeat praerogativis et exemptionibus debitis praedictis praedicantibus per statuta generalia; ipse tamen tenebitur omnes conciones intra conventum et in ecclesiâ matrice solus facere. In conventibus vero principalioribus, in quibus infra annum est multa copia sermonum, dabitur ipsi coadiutor, cui inferiores exemptiones suo proportionatas labori definitorium taxabit. Et quia experimento comprobatum est, quod, ob remunerationis defectum, praedicatorum munus elanguit, ad accendendos animos iudicarunt quod in conventibus studii theologici, sive scholastici, sive moralis, statuatur ea series quadragesimae quae observatur in conventu Taurensi, et praedicatores, qui per duodennium laudabiliter munus suum in his conventibus obierint sine interpolatione, et postmodum per triennium integrum officium visitatoris Tertii Ordinis, aut magistri novitiorum exercuerunt in quovis conventu, in quo floreat praedictus Ordo vel novitiatus existat, gaudeat praerogativis sedendi immediate post lectores iubilatos, et aliis exemptionibus ipsis competentibus sub titulo praedicatoris iubilati, excepto suffragio; sed sicut iubilatis est praefixus numerus, ita et illis praefigatur, scilicet quod solum octo antiquiores debeant gaudere, reliqui vero optare in horum vacantiâ iuxta ordinem suae iubilationis; interim vero gaudeant supra praedicatores conventuales; si vero per sexennium, post duodennium praedicationis, visitationis praedictae vel magisteriatus novitiorum munus exerceant, gaudeant inter definitores habituales, nec locum illis cedant, qui postea ad definitionis[1] habitualis gradum conscenderint, nisi anteá iam sint definitores actuales: utrumque enim munus longe excedit sexennium solius visitationis, cui in statutis generalibus MDCXXXIII taxatur praecedentia intér definitores habituales; et qui hoc secundo modo suam iubilationem fuerint assecuti, omnes absque ullâ restrictione, statim ac per authentica documenta instar lectorum constare fecerint laudabilitatem sui exercitii, ad gaudendum admittantur.

Ut lectores morales certa lege privilegiis fruantur.

XVI. Cum, ex concordatis in superioribus, studia theologiae moralis denuo excitanda sint, et in ipsis maxime expediat praeficere duos lectores qui cursum scholasticum absolverint, qui resolutoriâ methodo brevi et facili tractatus morales percurrant, ut sub eorum disciplinâ habiles poenitentiarii instruantur, ad praedictorum iubilatorum incitamentum concordarunt, ut lectoribus, qui per sexennium post primam iubilationem hoc munus laudabiliter obierint, tractando materias morales methodo resolutivâ, et dictando opiniones sanas, se-

[1] Pessime edit. Main. legit *nescitur* (R. T.).

[1] Forsan *definitoris* (R. T.).

curas et magis probabiles ac tutiores, prout debent, hoc sexennium computetur ipsis pro sexennio scribendi et typis dandi theologiam scholasticam positivam vel moralem, et gaudeant illis praerogativis, quae per statuta generalia Vallisoletana MDCLXX praedictis scriptoribus conceduntur. Si tamen id per unum solum triennium fecerint, aut per idem triennium muneri magistri novitiorum aut visitationis Tertii Ordinis in uno e sex conventibus principalioribus novitiatuum provinciae vacaverint, praememoratos praedicatores iubilatos sex annorum praefatorum numerum praecedent. Ceterum nec his nec praedicatoribus iubilatis tempus computabitur ad praedictas praerogativas obtinendas, si simul fuerint guardiani eorumdem conventuum. In praefatis autem praerogativis nullum debet intelligi concessum ius subrogandi.

Ut certâ lege compleantur studiorum curriculi.

XVII. Ut vero necessarii et inexcusabiles transitus studentium et lectorum opportuno tempore fiant, neve iuvenes diu post professionem emissam studia desiderent, et denique ut omnes integrum tam philosophiae quam theologiae triennium adimpleant, concordarunt quod singulis quibuscumque annis debeant incipere aliquot studia philosophiae, in quibus locentur iuvenes recenter professi; et ad hunc finem instituatur concursus pro lectoribus eligendis eo tempore ut possint praedicti lectores incipere die sequenti Commemorationem Defunctorum, quae[1] omnia studia provinciae debent aperiri, et claudi pridie ad vesperam seraphici doctoris beati Bonaventurae, abrogatâ consuetudine quae hucusque invaluit contra morem et praxim omnium religionum, videlicet quod studia incipiant et terminentur per capitula provincialia et intermedia, ex qua pullulabat illud inconveniens, quod aliquando, ob dilationem capitulorum, studentes per septennium detinebantur, non dato loco spectantibus, aliquando, ob anticipationem eorumdem, solum per quinquennium philosophiae et theologiae operam dabant, contra praescriptum statutorum generalium et bonam studentium educationem; siquidem lectores, his suppressi accidentibus, nequeunt suas lectiones et tractatus, prout expedit, regulare. Illud vero infallibiliter observetur, sub poenâ iubilationis non obtinendae, quod lectura nullâ interruptione Adventûs et Quadragesimae discontinuetur, sed lectores iis temporibus, certe opportunioribus pro studiis, incessanter dictent, nec possint aut debeant praedicare, nisi forte in loco ita conventui vicino, ut sabbato post prandium possint exire, et regredi dominicâ ad continuandam lectionem; si quis vero guardianus sub quovis praetextu huic articulo refragari tentaverit, privatione sui muneris sine cunctatione puniatur.

Ut quaedam custodiantur circa electionem lectorum theologiae, doctrinam edocendam et gradus suscipiendos.

XVIII. Circa electionem lectorum theologiae concordarunt, quod sine novo concursu per definitorium assumantur ii qui cursum philosophicum absolverunt ordinate, ut, qui prius philosophiam docuerunt, prius ad theologiam tradendam vocentur, nisi aliquis ita emineat[1], ut ipsius definitorii iudicio, religionis decori ipsum aliis praeferri[2] summopere expediat. Quia vero, ut ipsi patres concordantes pluries audierunt, Romana Curia anxie desiderat, ut doctoris Seraphici doctrina, quae ab omnibus ubique commendatur ut pia, solida et devota, vigeat in religione nostrâ, expediens iudicarunt ut lectores tradant doctrinam ipsius Seraphici doctoris simul cum doctrinâ Subtilis, utriusque opiniones, quae

1 Potius lege *qua* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *immineat* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *praeferre* (R. T.).

ut plurimum conveniunt, ex utroque eruendo, confirmando et defendendo; ubi vero contrarii sunt et concordari nequeunt, eas problematice tradendo: sic enim brevi fiet, ut a provincià divi Iacobi derivetur in alias Hispaniae provincias doctrina seraphica cum maximo scholae nostrae splendore, sicut ab eàdem propagata est doctrina Scoti: et ad utriusque maiorem dilucidationem Ordinisque decorem, in universitatibus Salamantinâ, Ovetensi, et Compostellanâ poterit minister provincialis, de consilio et assensu patrum definitorum, nullo alio expectato, viros idoneos eisdem universitatibus praesentare, ad hoc ut in eis gradus, iuxta statuta Toletana tam congregationis generalis anni MDCLXXIII quam capituli generalis anni MDCLXXXII et ipsorum declarationem a sacrâ Congregatione episcoporum et regularium die XXIX decembris MDCLXXXVII approbatam, rite recipiant; in unâquaque tamen praesentatione pro qualibet universitate duo tantum assumentur religiosi praesentandi, unus e parte Gallaecorum cum suis incorporatis, et alter e parte Castellanorum cum aliis eidem adhaerentibus; et, aliquo ex his decedente, poterit alter ex eàdem parte substitui, ut nunquam aliqua e praedictis partibus simili honore fraudata vel inaequaliter cohonestata ac praedita reperiatur. Et in omnibus, quae ad hanc materiam tam intra quam extra claustra spectant, conventus et fratres praememoratae provinciae eâ[1] privilegiorum et indultorum communicatione gaudebunt quae confirmata invenitur in constitutione sanctae memoriae Innocentii XI *Exponi nobis*, die V septembris MDCLXXXVI expeditâ.

Ut libri et alia decedentium religiosorum concedantur coenobio.

XIX. Ut memoratae provinciae communes bibliothecae pristino splendori restituantur, et in dies cum profectu studiosorum augeantur, aestimarunt omnino opus esse ut statuta capituli generalis MDCXXXIII a felicis recordationis Urbano VIII de huius sacrae Congregationis consilio approbata, et nuperrime a sanctae memoriae Innocentio XI suis litteris *Exponi nobis*, sub datum MDCLXXXV specifice innovata et confirmata, usu et inalterabili praxi roborentur. Ulterius, cum iam per litteras felicis recordationis Martini V, incipientes *Ad hoc cura*, pro hac eàdemmet provinciâ specialiter editas[1], praescribatur, quod libri[2] decedentium fratrum bibliothecae illius, in quo decesserint, conventûs integre applicentur; praedicti patres, cupientes earum augmentum, dixerunt quod huiusmodi libri ipso iure praedictis bibliothecis respective conventuum, in quibus fratres eos habentes e vitâ migraverint, sint applicati, quin vel guardianus, vel alius frater, aut superior quicumque, etiam generalis, aliàs vel alio modo de eis disponere valeat, sub poenis in praedictis statutis et litteris apostolicis impositis contra extrahentes libros vel alias scripturas ex communibus conventuum bibliothecis. Pariter quaecumque alia a decedente religioso superfuerint, cuiusvis sint conditionis, eodem modo, ipso iure, eidem conventui censeantur incorporata, et officinis eiusdem respective applicentur, quibus publico commodo opportunius valeant accomodari, prout de eorumdem religiosorum superstitibus libris et ecclesiasticis ornamentis memoratis litteris Martini V dispositum invenitur, quin guardiani vel superiores alii alio modo disponendi facultatem habeant.

Ut eorumdem pecuniae applicentur a definitorio provinciae.

XX. Attamen, si, ratione editionis alicuius libri vel alterius similis necessitatis, concessum fuerit alicui religioso

1 Edit. Main. legit *ex* pro *eâ* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *editae* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *libro* (R. T.).

quod possit recurrere ad sindicum apostolicum, et ad hunc finem sint in eiusdem sindici potestate eleemosynae pecuniariae ab iis, quae pro communibus conventûs necessitatibus reponuntur a benefactoribus, distinctae, praedicto religioso decedente, eleemosynae eiusmodi, aut aliae quaecumque pecuniariae, non debent incorporari et confundi cum eleemosynis conventûs, sed guardianus cum discretis conventûs debet quamcitius potuerit sic agere, ut praedictae eleemosynae deponantur apud sindicum totius provinciae, a quo chirographum subscriptum de eorum receptione accipiat, et huiusmodi tradito, earum rationem definitorio provinciae exhibebit, a quo, et non alio, antedictae eleemosynae applicentur simili vel differenti necessitati, prout ipsi visum fuerit expedire; quod intelligi debet, nullâ decedentium fratrum exceptione habitâ, sive scilicet guardianus esset, sive provincialis, vel alio quovis gradu actuali vel habituali gavisus fuisset praedictus frater, qui decesserit; nam semper et in omni eventu de supersite pecuniariâ fratrum eleemosynâ hac modo disponendum est.

Ut minister provincialis rationem reddat eleemosynarum receptarum.

XXI. De eleemosynis vero iam applicatis pro expensis capituli tam provincialis quam intermedii et aliis publicis provinciae necessitatibus, iis praecipue quae ex propinis quibuslibet et ex provinciae missis dominicalibus resultant, teneatur minister provincialis eidem definitorio rationem reddere claram et distinctam, quam definitorium pro iustitiâ vel approbet vel reiiciat, et quod residuum fuerit, applicet, ut publicae utilitati magis expedire cognoverit; quod si minister praedictum computum reddere renuerit, poenis proprietariis impositis plectatur, et si fraus aliqua vel dolus in eo reddendo deprehendatur, vel aliquam pecuniam sibi sub quocumque praetextu aut motivo reservaverit, ab eodem definitorio privilegiis exministrorum provincialium in perpetuum privetur, nec unquam habilitari queat, nisi de consensu totius capituli provincialis per secreta suffragia praestando. Si autem definitorium in praemissis negligens fuerit, a superiore generali ad parendum compellatur, procedendo contra singulos patres usque ad poenam privationis officii irremissibiliter infligendam.

Ut superiores consulant religiosorum necessitatibus.

XXII. Ceterum, quia mutua fratrum et conventuum obligatio postulat, ut, si fratres nihil sibi ex proventibus undecumque venientibus reservant, prout supradicta statuta anni MDCXXXIII praescribunt, communitas eisdem in necessariis non deficiat; idcirco innovandas aestimarunt omnes Ordinis et apostolicas constitutiones, quae praescribunt, ut superiores locales omnibus suorum fratrum necessitatibus ita provideant, ut nihil, quod pro bono publico, aut pro victu et vestitu ac studiis religiosorum, eorumque transitu de uno ad alium conventum, seu pro mercede vecturae litterarum, iteratione[1] pro gravi religionis negotio, aut exactâ executione muneris sibi demandati, et aliis huiusmodi indigentiis attendendis secundum uniuscuiusque gradum et qualitatem ac benemerentiam in religione, necessarium sit iuxta discretorum provinciae vel conventûs respective dictamen et iudicium, ipsis quovis praetextu denegetur; alioquin, ultra quam superiores rei erunt fratrum transgressionis et ad pecuniam recursûs, si secus fecerint, sint suo munere ipso facto privati, et ad alia Ordinis officia inhabiles per sexennium, nec ullo gaudeant habituali privilegio ratione anteacti muneris, seu officii, si ex subscriptionibus et attestationibus fratrum suae communitatis, ad congregationes inter-

1 Forsan legendum *itineratione* (R. T.).

medias et ad provincialia capitula transmittendis, constare non fecerint provinciae definitorio, se iuxta discretorii iudicium praefatae obligationi ex integro satisfecisse. Unde in quovis conventu, praedicatorum, lectorum et aliorum fratrum cellae instruantur paupere et necessariâ supellectili, respectu habito ad statum uniuscuiusque, ut scilicet cellae praedicatorum et lectorum ac confessariorum, ultra mensam, lucernam, humiles sedes et lectulum (quibus iuxta laudabilem provinciae moderationem quaevis cellula instrui debet), competenti librorum numero suae professioni opportuno exornetur, itaut religiosus ex uno in alium conventum decedens, nihil quod sit transportari necesse habeat praeter proprios labores et manuscripta, quae omnia, et pauculos exquisitos libros, si in usu habuerit, conventus, unde recedet, ad conventum ad quem accedet transportare tenebitur, sub eisdem poenis superioribus respective infligendis. Porro sub eisdem poenis teneantur guardiani enixe operam dare, ut quamprimum in unoquovis conventu unus instituatur locus, in quo habitus, tunicae, et femoralia pro servitio fratrum conserventur, cui praeficiatur religiosus, qui eorum conservationis et munditiei curam gerat, ut, dum religiosis ex communi necessaria obvia sunt, privatae suppellectilis usum non affectentur[1], et, si affectent, iure possint a suo praelato, omni tergiversatione praeclusâ, puniri, et ad observanda, quae promiserunt Domino, coërceri. Pro infirmis vero tam actualibus quam habitualibus valetudinarium in singulis conventibus, vel saltem in principalioribus, ad quos ceterorum infirmi deferri queant, quamcitius constituatur, in eoque fratres omnes, cum aegrotaverint, sedulo ac charitative curentur; habituales vero de necessariis rebus exacte provideantur; si alterius conventûs fuerint, inde nisi recuperatâ sanitate abire non permittantur; ipsorumque superiores illud subsidium, ex communi sui conventûs, communitati illius, in quo valetudinarium fuerit, praestabunt, quod in provinciae definitorio taxatum fuerit; constituatur etiam ex communibus provinciae eleemosynis, seu erigatur a ministro provinciali, sub poenâ privationis officii ipso facto incurrendâ, infra unius anni spatium, officina in uno conventibus ad id commodioribus, in qua confici queat sagus, vulgo *sayal*, pro induendis omnibus provinciae fratribus, qui omnes ex eodem in posterum vestiri teneantur, aliàs vero induti ad officia et dignitates provinciae inhabiles indispensabiliter censebuntur: sagus autem illius coloris erit, quae ex lanâ albâ, et sive naturaliter sive artificialiter nigrâ, sine ullius alterius mixturâ, resultare valet; in ipso tamen et in aliis fratrum indumentis ea vilitas ostendatur, in qua asperitas et paupertas minoritica alte relucere possit.

Ut in reliquis custodiatur disciplina regularis a fratribus et monialibus.

XXIII. Quoad cuncta alia, quae ad disciplinam regularem tam fratrum quam monialium spectant, exacte debebunt observari decreta reformationis pro uno et altero regulari statu a felicis recordationis Clemente VIII et Urbano VIII edita, necnon Brevia Alexandri VII et Clementis IX pro monialibus regnorum Hispaniae, ad instantiam regiam iam pridem promulgata, statutaque generalia Ordinis, et praecipue Romana anni MDCLXXXVIII, praedictis decretis apostolicis exacte cohaerentia.

A Tertiariis et confratribus;

XXIV. Quoad Tertiarios vero et Cordigeros serventur statuta seu decreta capituli generalis Romae ut praefertur anno MDCLXXXVIII celebrati, omnimodaque adhibeatur cura ut in cunctis con-

1 Forsan *affectent* (R. T.).

fraternitatibus erectis seu erigendis in ecclesiis conventuum seu monasteriorum praedictae provinciae exercitium Viae Crucis et orationis mentalis quamcitius stabiliatur, eoque introducto, una e dominicis seu diebus festivis pro quolibet mense a superiore locali de assensu discretorii conventûs seu monasterii in perpetuum assignabitur ad consequendam indulgentiam plenariam novissime a sanctissimo domino nostro Innocentio XII in Brevi *Ad ea benigne* concessam. Et quia indulgentiae stationis SS. Sacramenti revocatae non sunt, ipsius recitatio quotidiana omnibus tam fratribus quam monialibus et tertiariis saecularibus enixe commendatur.

Ab eremitis, donatis et quaestuantibus;

xxv. Quoad Tertiarios seu eremitas habitu nostri Ordinis seu de poenitentiâ illegitime indutos, omnem adhibeant curam visitatores Tertii Ordinis praedicti, ut Ordinarii locorum eos irremissibiliter puniant iuxta praescriptum constitutionum apostolicarum, quas sacra Congregatio episcoporum et regularium die xxi martii MDCLXXXVI eisdem executioni omnino mandare praecepit. Legitime vero ac rite induti poterunt admitti ad pernoctandum et demorandum sub vulgari titulo et habitu donatorum in conventibus provinciae; licebitque guardianis eos ad quaestuandum transmittere, quando et quoties praesentia religiosorum non fuerit necessaria: et dum haec indispensabilis iudicetur, mittantur primo laici religiosi, secundo sacerdotes confessarii, quarto[1] praedicatores vulgo sabbatini dicti, quinto praedicatores qualificati, sexto lectores philosophiae actualis[2] muneri lectoratûs non incumbentes, septimo sacerdotes actuali studio sive philosophiae sive theologiae applicati; nunquam tamen mittantur clerici *choristae* apud Hispanos nuncupati, nec posteriores patres in praefatâ serie appositi, nisi non adsint[1] vel sint iam occupati seu impediti anteriores, ut sic rectius consulatûr recessui intra claustra, quo quisque eorum indiget ad explendum suum munus respective. Quaestuantes autem, si eleemosynas omnes ex integro communitati non consignaverint, aut quidquam ex illis sibi sub quovis praetextu aut motivo reservaverint, poenâ proprietariorum a guardiano indefectibiliter puniantur.

A recollectis.

xxvi. Conventus recollectionis ad pristinum sui instituti rigorem quamcitius redigantur, in eisque novitiatus et professoria pro clericis seu choristis constituantur, ut sicut alii pro studiis et exercitiis litterariis deserviunt, ipsi pro educatione perfectâ et spirituali iuventutis provinciae in maximâ habeantur existimatione, poteruntque ibidem admissi ad professionem, et alibi professi, ad eos tamen transmissi pro opportuniori in bonis moribus radicatione, ex illis ad studiorum conventus a ministro provinciali, iuxta superius disposita, sine ullâ notâ transferri, necnon ad lecturas, aliaque munera et exercitia promoveri: quibus expletis, si ad eosdem recollectionis conventus sponte regredi voluerint, non poterunt impediri, ad huiusmodi tamen regressum nullus erit adstrictus, quia valde expediens censetur, quod omnes, qui recollectionis instituto sint mancipandi, speciali Dei vocatione illud libere ac spontanee amplectantur.

Ut certâ lege eligatur vicarius provincialis.

xxvii. Deinde (ad tollendas de medio difficultates quae emergere solent circa electionem vicarii provincialis in casu renunciationis, promotionis vel mortis ministri, quo casu statuta generalia MDCLI praescribunt quod dignior pro-

1 Deest *tertio* (R. T.).
2 Forsan *actuali* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *adsit* (R. T.).

vinciae pater, penes quem remanet facultas convocandi ad electionem vicarii, teneatur conscium reddere superiorem generalem de vacantiâ praedictâ, si consistat intra tres dietas a confinibus provinciae) dixerunt et declararunt, quod, quando superior generalis Matriti consistit, ubi est regulariter eius residentia, a memorato provinciae patre digniori certiorari debet de praedictâ vacantiâ; siquidem conventus Matritensis a confinibus praedictae S. Iacobi provinciae per tres dietas non distat, imo, si attendantur utriusque provinciae confinia, vix sexdecim leucae distantiae inter ipsa computantur, unde necessario in praedicto casu superior generalis est adeundus, et si electioni praeesse voluerit, omnino expectandus.

Acceptatio praemissorum omnium et modus petendi dispensationem super iisdem.

XXVIII. Dixerunt postremo, tam nomine proprio quam eorum omnium quorum procurationem agunt, se libere ac spontanee omnia supradicta pro firmo, stabili ac perpetuo concordato, a quovis alumno provinciae ex nunc inposterum semper observando, ad invicem acceptare, nec velle unquam contra aliquod ex praemissis quidquam praetendere. Declararunt tamen, quod, si circa ea, quae in praesenti concordiâ continentur, et aliàs Brevi aliquo seu decreto apostolico usque nunc munita et roborata non erant, aliquando necessarium seu expediens fuerit dispensare, vel quidquam addere seu minuere, vel immutare, proponatur prius in pleno capitulo provinciali dubium an expediat, seu necesse num sit vel non. Quod dubium resolvetur per suffragia secreta omnium vocalium, adhibitis ad id calculis albis et nigris; et si ex quatuor partibus capitularium tres integrae fuerint pro unâ parte, et quarta solum pro alterâ, illud resolvatur, in quod dictae tres partes integrae convenerint: parique modo postea debebit procedi, cum deveniatur ad dispensationem, additionem, diminutionem seu immutationem: et hoc ita indispensabiliter, ut quilibet excessus ultra quartam partem sufficiens sit ad impediendum illud, pro quo steterint suffragia ceterorum capitularium; nec unquam poterit id resolvi per viam compromissi, sed semper fiet a toto capitulo non intermedio, sed provinciali, et ad tempus tantum pro quo talis providentia credatur necessaria seu opportuna; si quid vero imposterum postulandum sit vel a S. Sede vel a capitulo generali seu superiore Ordinis vel familiae quocumque, ex quibus resultare queat praememorata dispensatio aut additio vel diminutio seu immutatio, sub eadem formâ, et servato eodem ordine, exquiratur prius consensus eiusdemmet capituli provincialis, praestandus similiter per suffragia secreta a tribus integris partibus vocalium, eoque deficiente, nullam vim obligatoriam habere possit quaevis dispositio, ordinatio, concessio aut constitutio ad introducendam aliquam novitatem seu alterationem per quam gubernium praemissum aut vita regularis provinciae mutari aut alterari queat; qui vero contrafecerint aut attentaverint, puniantur ad praescriptum statutorum Ordinis in capitulo generali MDCLXXXVIII innovatorum, et constitutionum apostolicarum Iulii II, Leonis X, Clementis VII, Iulii III et aliorum Romanorum Pontificum successorum editarum contra indebite procurantes indulta et privilegia quaecumque in simili aut aliâ materiâ, quas sanctae memoriae Innocentii XI in praecitato Brevi *Exponi nobis* ultimo confirmavit, ligatique censeantur ipso facto censuris ibidem taxatis et praescriptis.

Subscriptiones.

XXIX. Ad quorum omnium firmitatem, praesentatis prius suorum principalium

legitimis procurae mandatis, se die, mense et anno ut supra, proprià manu subscripserunt frater Franciscus Diaz a S. Bonaventura, primus provinciae pater, ac omnium vocalium partis Gallaecorum et plusquam quingentorum fratrum illius necnon plurium vocalium et fratrum ceterarum partium procurator; frater Benedictus de Noriega lector iubilatus, et vocalium ac fratrum plurium Asturiarum, Legionis et Castellae procurator; frater Didacus del Castillo vocalium et plurium fratrum Extremadurae ac aliorum regnorum procurator».

Preces procuratorum partium.

§ 2. Quare exponentes praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio relatae concordiae.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, concordiam praeinsertam, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Committitur executio.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Compostellano et episcopo Ovetensi, ac dilecto filio scholastico ecclesiae Salmanticensis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte interesse in praemissis habentium, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos praesentium litterarum et in eis contentorum huiusmodi commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illos desuper a quoquam, quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii PP. VIII praedecessoris nostri de unâ, et conci-

lii generalis de duabus dictis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praefatorum Ordinis et provinciae, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus ; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX maii MDCXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 19 maii 1694, pontif. anno III.

---

## XCIII.

*Conceditur indulgentia plenaria perpetua in articulo mortis aegrotis in hospitali oppidi de S. Cloud Parisiensis dioecesis* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Concessio praedictae indulgentiae.

Ex iniuncto nobis divinitus sacrosancti apostolatus officii debito animarum saluti, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, ac supplicationibus dilectissimi in Christo filii nostri Philippi a Francia ducis Aurelianensis nomine nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus aegrotis in hospitali oppidi seu loci de S. Cloud Parisiensis dioecesis ab eodem Philippo duce (ut asseritur) fundato pro tempore morientibus, in cuiuscumque eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX iulii MDCXCIV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 20 iunii 1694, pontif. anno IV.

1 Similis indulgentia concessa fuit hospitali SS. Salvatoris de Urbe const. edit. MDCXCIV, die 5 ianuarii, pontif. III. Vide etiam const. sequentem.

---

## XCIV.

*Conceditur indulgentia plenaria perpetua in articulo mortis aegrotis in archihospitali S. Spiritus in Saxia de Urbe* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Concessio praedictae indulgentiae.

Ex iniuncti[2] nobis divinitus sacrosancti apostolatus officii debito, animarum saluti, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus aegrotis in archihospitali S. Spiritus in Saxia de Urbe pro tempore morientibus, in cuiuscumque eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, plenariam omnium peccatorum suorum in-

1 Vide similem const. praecedentem.
2 In const. praeced. legitur *iniuncto* (R. T.).

dulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII augusti MDCXCIV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 18 augusti 1694, pontif. anno IV.

## XCV.

*Conceditur facultas recitandi officium et celebrandi missam beatae Ioannae Alphonsi V filiae, monialis Ordinis S. Dominici, in toto regno Portugalliae et dicto Ordine ab omnibus utriusque sexus* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium a causis huius concessionis petitum.

Exigit iniunctae nobis divinitus apostolicae servitutis ratio, ut sacrarum virginum, in caelis cum Christo earum sponso regnantium, cultum et venerationem in terris promovere studeamus, sicut pia regum orthodoxorum praeclaris in Ecclesiam Dei meritis fulgentium, necnon religiosorum propriae alienaeque saluti laudabiliter incumbentium studia postulant, et nos, locorum et temporum qualitatibus mature perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam, ad Ecclesiae decus et praesidium, ac ad spiritualem fidelium aedificationem atque consolationem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Concessio praedicta.

§ 1. Itaque gloriosae beatae Ioannae, clarae memoriae Alphonsi V dum vixit Portugalliae et Algarbiorum regis illustris natae, monialis non professae Ordinis sancti Dominici, merita devotâ consideratione [1], magnaque [2] carissimi in Christo filii nostri Petri Portugalliae itidem et Algarbiorum regis illustris, necnon carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Sophiae reginae eius uxoris, per dilectum filium Benedictum de Fonseca eiusdem Petri regis apud nos et Sedem Apostolicam residentem [3], ac etiam dilectorum filiorum Antonini Cloche magistri generalis et Paulini [4] Bernardini fratris expresse professi dicti Ordinis in sacrâ theologia magistri, causae beatificationis seu canonizationis eiusdem beatae Ioannae postulatoris, nomine nobis humiliter porrectis supplicationibus favorabilem assensum praebere cupientes, ipsorumque Antonini magistri generalis et Pauli singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, ut in posterum quolibet anno die XII maii, anniversariâ obitûs memoratae beatae Ioannae, possit de illâ in toto regno Portugalliae ab omnibus utriusque sexus christifidelibus, tam saecularibus quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, necnon in universo Ordine praefato recitari officium et celebrari missa de Communi Virginum sub ritu semiduplici, iuxta rubricas bre-

1 Confirmatus fuit cultus huius Beatae in const. edit. MDCXCIII, die 4 aprilis, pontif. II; et ab Innocentio XIII const. edit. MDCCXXIV, die 15 februarii, pontif. III, cultus B. Andreae de Comitibus; Benedicti vero XIII constit. edit. MDCCXXVI, die 10 decembris, pontif. III, est de B. Agnete Ordinis S. Dominici.

1 Deest *recolentes* aut simile (R. T.).
2 Potius lege *atque* (R. T.).
3 Videtur deesse *oratorem* (R. T.).
4 Paulo post legitur *Pauli* (R. T.).

viarii et missalis romani, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX augusti MDCXCIV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 30 augusti 1694, pontif. anno IV.

---

## XCVI (*al.* 97).

*Confirmantur constitutiones pro archiconfraternitate S. Hieronymi Charitatis de Urbe*[1].

**Innocentius Papa XII**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Ad pastorale fastigium, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae sapientiae atque clementiae abundantiam evecti, illa, quae pro felici piarum sodalitatum quarumlibet, praesertim in almâ Urbe nostrâ, ex qua bonorum operum exempla in omnes christiani orbis partes assidue diffunduntur, salubriter sancteque institutarum, regimine et directione provide constituta atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, apostolici muniminis praesidio libenter constabilimus.

Constitutiones praedictae conditae fuere iussu Pontificis a congregatione particulari praelatorum.

§ 1. Cum itaque nos nuper, ad uberes ac multiplices pietatis et christianae charitatis fructus, quos ad omnipotentis Dei gloriam cum maximâ christifidelium dictae Urbis aedificatione archiconfraternitas sub titulo seu invocatione sancti Hieronymi Charitatis in eâdem Urbe canonice, ut accepimus, erecta ac instituta, adiuvante et incrementum largiente Domino, laudabiliter proferre hactenus studuit et adhuc de praesenti studet, paternae dirigentes considerationis intuitum, pro feliciori in dies eiusdem archiconfraternitatis gubernio et progressu nova quaedam statuta per nonnullos dilectos filios Romanae Curiae praelatos, pietate, prudentiâ ac rerum usu praeditos, partim ex antiquis colligi[1], partim vero de novo confici curavimus[2], quae in unum volumen redacta sunt tenoris qui sequitur, videlicet:

Cap. 1. — *Principio e progressi della venerabile arciconfraternita della Carità di Roma sino al tempo presente.*

Ebbe quest' archiconfraternita il suo principio dalla santa memoria di Leone X, al cui tempo alcuni curiali ed officiali della Corte di Roma, che s'impiegavano in sovvenire i poveri vergognosi di Roma ed i carcerati, animati dalla felice memoria del cardinale Giulio de' Medici, allora vice-cancelliere di santa Chiesa, che fu poi innalzato al trono pontificio sotto il nome di Clemente VII, si unirono sino al numero di ottanta e più confratelli, de' quali taluni erano vescovi, et altri prelati, alcuni officiali della Corte Romana, et altri curiali; ed a spese proprie, e con quelle somministrategli anche dal detto allora cardinale Giulio de' Medici, distribuivano in tutte le domeniche

1 Confirmata fuit et in archiconfraternitatem erecta cum concessione indulgentiarum a Leone X const. edit. MDXX, die 27 ianuarii; sacris congregationibus Charitatis concessa fuit indulgentia plenaria in huius Pontificis constit. edit. MDCXCIII, die 14 decembris, pontif. III; et in const. edit. MDCC, die 21 iunii, pontif. IX, confirmantur constitutiones pro Congregatione Charitatis in Indiis occidentalibus.

1 Male ed. M. habet *Collegii* pro *colligi* (R. T.).
2 Aptius lege *curaverimus* (R. T.).

ai poveri vergognosi il pane ed altri alimenti; visitavano le prigioni mediante le persone a ciò deputate; procuravano che con celerità si amministrasse la giustizia, particolarmente ai poveri; pagavano le spese della cattura, e facevano portare alla sepoltura decentemente coperti i cadaveri dei poveri morti, precedendo a quelli la croce, i lumi, almeno un sacerdote, ed alcuni altri che l'accompagnavano. Onde il medemo Leone X di suo moto proprio confermò tale istituto coi suoi statuti, dando la facoltà di far riformare e mutare, tante volte quante e come fosse parso ai confratelli, gli statuti e le ordinazioni per il felice governo della confraternita, erigendola in archiconfraternita, ed in capo di tutte le confraternite della Carità, in qualunque luogo istituite e da istituirsi, concedendole e comunicandole respettivamente molte indulgenze, come più ampiamente si contiene nella Bolla del sopraddetto Leone X, sotto la data del 27 gennaro nell'anno dell' Incarnazione del Signore 1520. Continuò la medesima archiconfraternita con felici progressi, regolandosi col suo primiero instituto, e con diverse ordinazioni, provvisioni e decreti fatti fino dal 1539 dalle congregazioni generali e particolari della medema, che furono compilati e riferiti in un libretto stampato nel 1603 sotto il titolo o denominazione di costituzioni di essa arciconfraternita, con i quali ed altri simili decreti ed usi è stata finora la medema amministrata. In questo stato di cose la Santità di nostro Signore Papa Innocenzo XII, alla quale sono state fatte supplichevoli istanze che si degnasse confermare ed accrescere il buon ordine e pio istituto dell'archiconfraternita, desiderando il maggior avanzamento delle opere pie che con molta pietà ed edificazione dei fedeli da quella si esercitano, per soddisfare alle dette suppliche ha ordinato che si riformassero, facessero di nuovo e si confermassero respettivamente gli statuti dell'archiconfraternita, con darne l'incombenza ad una congregazione particolare di alcuni prelati, che li hanno fatti, ordinati e compilati nel modo che segue.

### Cap. II. — *Dell'opere pie; e prima dell'elemosina del pane.*

santur, quatenus opus sit, innovantes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium eiusdem Concilii Tridentini interpretum, qui quaecumque antehac super praemissis ab ipsorum cardinalium Congregatione in particularibus casibus edita decreta, declarationes seu responsa ad earumdem praesentium limites reducenda esse censuerunt, consilio, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem, veteris disciplinae instaurationem, totiusque christiani populi aedificationem, hac generali nostrâ et perpetuo valiturâ constitutione decernimus et declaramus, nulli episcopo, seu cuiusvis loci Ordinario, tametsi cardinalatus honore fulgeat, licere exterum quempiam, ac si ratione originis, seu domicilii, iuxta modum inferius declarandum, legitime contracti, non subditum, ad clericalem tonsuram promovere, cuiusvis beneficii ecclesiastici ei statim ac tonsurâ huiusmodi insignitus fuerit conferendi, seu ad quod is a patronis iam praesentatus seu nominatus fuerit, praetextu, etiamsi beneficium praedictum de novo eâ expresse adiectâ lege fundatum fuisse constiterit ut quis immediate post clericalem characterem susceptum ad illud instituatur; praeterea clericum, qui legitime iam a proprio episcopo ad eamdem clericalem tonsuram, seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non posse ab alio episcopo, ratione ac titulo cuiuscumque beneficii in illius dioecesi obtenti, ad ulteriores ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales litteras proprii episcopi tam originis quam domicilii super suis natalibus, aetate, moribus et vitâ sibi concedi obtinuerit, easque episcopo ordinanti in actis illius curiae conservandas exhibuerit. Licet vero clericus ratione cuiusvis beneficii in alienâ dioecesi obtenti subiici dicatur iurisdictioni illius episcopi in cuius dioecesi beneficium huiusmodi situm est, eam tam[1] de cetero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo eiusmodi subiectionem ad effectum suscipiendi ordines acquirere censeatur, nisi beneficium praedictum eius sit redditûs ut ad congruam vitae sustentationem, sive iuxta taxam synodalem, sive, eâ deficiente, iuxta morem regionis pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublatâ quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus eiusdem beneficii cum adiectione patrimonii etiam pinguis quod ipse ordinandus in eâdem seu aliâ quavis dioecesi obtineret: ac episcopus sic ordinans tam de praedictis testimonialibus litteris quam de redditu beneficii huiusmodi expressam in consuetâ collatorum ordinum attestatione mentionem facere debebit.

De ordinatione clericorum ratione originis.

§ 4. Ceterum subditus ratione originis is tantum sit ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in eâ dioecesi, in qua ad ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturae, vel cuiusvis alterius temporalis morae seu permanentiae eius patris in illo loco; quo casu nullatenus eiusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum et naturalis patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicut praemittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario eius loci litteras testimoniales, ut supra, obtinere, illasque

1 Potius lege *tamen* (R. T.).

episcopo ordinanti per eum in collatorum ordinum testimonio similiter recensendas praesentare teneatur. At si pater in alieno loco, ubi eius filius natus est, tamdiu ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de iure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime ut praefertur contractum pro ordinatione eiusdem filii attendi debeat.

Item de illorum ordinatione ratione domicilii.

§ 5. Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines is dumtaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel maiorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum huiusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum huiusmodi habere iureiurando affirmet. Si quis autem a propriae originis loco in eà aetate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suae originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum ordinum litteris facienda erit.

Ac tandem de eorum ordinatione ratione familiaritatis.

§ 6. Ad haec nullus episcopus alienae dioecesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros seu minores ordines vel etiam primam tonsuram promovere seu ordinare praesumat absque eius proprii originis scilicet seu domicilii praelati testimonialibus litteris, ut supra, et nisi, ad praescriptum Concilii Tridentini praefati, sess. XXIII, cap. IX *De Reform.*, familiarem praedictum per integrum et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit, beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam, iuxta modum superius praefinitum, sufficiat, quacumque fraude cessante, statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis a die factae ordinationis, re ipsà illi conferat, ac in ordinationis huiusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis ac litterarum praedictarum mentionem facere teneatur.

De auctoritate episcopi in suos subditos ab illis ordinatos.

§ 7. Porro, ut quicumque fraudibus aditus omnino praecludatur, volumus et apostolicà auctoritate statuimus atque decernimus, ut episcopus quilibet suos ratione originis sive domicilii subditos clericos quoscumque ab alienis episcopis quavis auctoritate etiam cum suis commendatiis litteris promotos, nedum ad formam Concilii Tridentini supradicti, sess. XIV, cap. III *De Reform.*, quoad scientiam examinare valeat, verum etiam ordinum eis collatorum testimoniales litteras, gratis tamen, recognoscere, ac diligenter perquirere, an quoad illos praesentis constitutionis forma et dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis beneviso ad docendum de eiusmodi adimplemento, itaut, quos eo termino elapso id minime praestitisse competerit, a susceptorum ordinum exercitio, si ita et quamdiu ei expedire videbitur, suspendere, illisque, ne in altari aut in aliquo ordine ministrent, interdicere possit.

Poenae in contravenientes.

§ 8. Ita vero praemissa omnia et singula perpetuo ac inviolabiliter observari atque adimpleri volumus, ut, si quid in iisdem praemissis seu eorum aliquo secus fiat, ordinans quidem a collatione ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus poenis pro modo culpae nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque subiaceat.

Clausulae. § 9. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime et inviolabiliter observari, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eosdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et[1] Sedis nuntios, et aliosve[2] quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 10. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, in genere vel in specie, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur et insererentur, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, eisdem praesentibus pro expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 11. Volumus autem, ut praesentes litterae in valvis ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, publicentur et affigantur, sicque publicatae et affixae omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent, quodque earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis. § 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decretorum, declarationis, voluntatis, statuti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCXCIV, pridie nonas novembris, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 4 novembris 1694, pontif. anno IV.

1 Deest *Apostolicae* (R. T.).

2 Vel *et alios* lege, vel *aliosve* (R. T.).

## XCVIII (*al.* 100).

*Statuitur ut nullus monachus S. Hieronymi Lombardiae eligi possit in superiorem ante annum trigesimum-sextum* [1].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Causa huius constitutionis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Sigismundus Politius, abbas generalis, et moderni consultores Congregationis monachorum eremitarum S. Hieronymi Lombardiae, quod eidem Congregationi gravissimae obveniunt inquietudines ex monachorum iuvenum ambitu, qui, professione regulari vix emissà, laicorum saepe sive etiam ecclesiasticorum principum commendationibus adiuti, in superiores eligi satagunt, et quandoque etiam, iis, ad quos spectat, intercessorum auctoritati obsistere minime valentibus, de facto eliguntur.

Preces supplicantium.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, experientià compertum sit ex eorum gubernio, quibus aetatis maturitas ac rerum usus minime suffragantur, in Congregatione huiusmodi eiusque monasterii maximas perturbationes et scandala exoriri; nobis propterea exponentes praefati humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicà dignaremur.

Statutum praedictum.

§ 3. Nos igitur, ex commissi nobis divinitus pastoralis officii debito, ad ea quae recto eiusdem Congregationis regimini conducibilia sunt favorabiliter intendentes, ipsosque exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, ut de cetero nullus dictae Congregationis monachus, tametsi in sacro presbyteratus ordine constitutus existat, in priorem seu superiorem eligi seu assumi possit, nisi trigesimum sextum suae aetatis annum compleverit, auctoritate apostolicà, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicà, vel quavis firmitate alià roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad prae-

1 De prioribus titularibus agitur in constitutione infra relatà sub num. C; et in const. edit. MDCXCVIII, die 18 octobris, pontif. VIII, de electione generalis in et extra capitulum.

missorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die . . . pontificatus nostri anno . . .

*Haec constitutio legitur sine tempore, sed extat descripta in libro mensis ianuarii* MDCXCV, *et a Sanctissimo signata die* XXIII *novembris* MDCXCIV.

Dat. die 23 novembris 1694, pontif. anno IV.

---

## XCIX (*al.* 98).

*Confirmantur indulgentiae perpetuae a Innocentio XI concessae, et aliae conceduntur comitantibus SS. Sacramentum pro Viatico delatum* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Debitum pastoralis officii, quo catholicae Ecclesiae regimini divinâ dispositione praesidemus, exigit, ut, ad augendam fidelium religionem promovendamque animarum salutem piâ charitate intenti, spiritualium gratiarum concessiones, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ad incitandam fovendamque eorumdem fidelium erga sanctissimum augustissimumque Corporis et Sanguinis domini nostri Iesu Christi sacramentum, pietatem atque devotionem, provide et salubriter emanasse noscuntur, apostolici muniminis nostri patrocinio roboremus, eiusdemque SS. Sacramenti cultum uberiori caelestium munerum elargitione, quantum nobis ex alto conceditur, ampliare studeamus.

Ab Innocentio XI concessa fuit indulgentia comitantibus SS. Sacramentum.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Innocentius PP. XI praedecessor noster omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, tam in almâ Urbe nostrâ, tunc suâ, quam alibi ubicumque locorum degentibus, qui praefatum sanctissimum Eucharistiae sacramentum, cum ad infirmos pro Viatico deferretur, devote comitati fuissent, ac pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, quacumque vice id egissent, si cum lumine, septem annos et totidem quadragenas, si vero sine lumine illud ut praefertur comitati fuissent, quinque annos et quinque quadragenas respective de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet per eos debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ, sub certis modo et formâ tunc expressis, misericorditer in Domino relaxavit, et aliàs prout in ipsius Innocentii praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die I octobris MDCLXXVIII expeditis[1], quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Confirmatio indulgentiae Innocentii XI.

§ 2. Nunc autem nos, memorati sanctissimi sacramenti venerationem in dies magis magisque augeri, piumque ac laudabilem, quem benedicente Domino in

1 Hae indulgentiae ab Innocentio XI concessae fuere in const. ed. MDCLXXVIII, die 1 octobris; et in constit. ed. MDCLXXIX, die 20 septembris, pontif. III, extensa fuit quaedam indulgentia in die Commemorationis Defunctorum. In Clementis vero XI const. edit. MDCCI, die 26 septembris, pontif. I, conceditur indulgentia visitantibus Domum Lauretanam.

1 Extant in tom. XIX, pag. 103 (R. T.).

Urbe praefatâ, ex qua bonorum operum exempla in omnes christiani orbis partes diffunduntur, sacratissimum hoc salutis nostrae pignus, cum ad infirmos defertur, decentius comitandi morem, certis desuper dilecti filii nostri in eâdem Urbe vicarii in spiritualibus generalis auctoritate praescriptis regulis, institui curavimus, ubique locorum et gentium extendi et propagari summopere cupientes; concessionem a memorato Innocentio praedecessore, sicut praemittitur, factam, ac desuper expeditas eius litteras praefatas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus, confirmamus et innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Concessio indulgentiae mittentibus facem. § 3. Praeterea omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, ubicumque existentibus, qui, legitimo aliquo impedimento detenti, sanctissimum Eucharistiae sacramentum supradictum, cum illud ad infirmos deferri contigerit, personaliter comitari nequiverint, sed tamen lucem seu facem per alios eâ occasione deferendam miserint, et, ut praefertur, oraverint, quacumque vice id egerint, tres annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet per eos debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ harum serie relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulae. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v ianuarii MDCXCV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 5 ianuarii 1695, pontif. anno IV.

---

## C (*al.* 99).

*Statuitur ut soli exprocurator generalis et lectores theologiae monachorum S. Hieronymi Lombardiae eligi possint in priores titulares* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Sollicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae regimini divinâ dispositione praesidemus, nos admonet, ut, paternam congregationum virorum religiosorum uberes bonorum operum fructus adspirante superni favoris auxilio proferre iugiter satagentium curam gerentes, illarum quieti et salubri directioni, quantum nobis ex alto conceditur, consulere studeamus.

Id exprocuratoribus concessum fuerat a Clemente X. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Congregationis monachorum eremitarum sancti Hieronymi Lombardiae, quod aliàs felicis recordationis Clemens PP. X praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis expeditas litteras concessit et ordinavit ut monachi Congregationis praefatae, qui procuratoris [2] generalis ipsius Congregationis officium laudabiliter exercuissent, absoluto officio huiusmodi, priores titulares [3] vocem activam et passivam in capitulo generali dictae Congregationis haberent, et capaces essent ut ad generalatum eligerentur, aliisque pluribus et quidem singularibus privilegiis fruerentur; postmo-

1 Id concessum fuit lectoribus in const. edit. MDCXCIV, die 3 aprilis, pontif. III; et in const. supra relatâ sub num. XCVIII praescripta fuit aetas pro superioribus eligendis.

2 Male supra pag. 613 *a* ex Main. legimus *prioris* (R. T.).

3 Deest *existerent, et* (R. T.).

dum vero per quoddam decretum in capitulo generali eiusdem Congregationis editum, et a Congregatione tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ approbatum, haec omnia dictae Congregationis monachis sacrae theologiae lectoribus, qui duodecim annis continuis legissent, et duodecim cathedras laudabiliter itidem sustinuissent, similiter concessa fuerunt, idque eâ ratione factum fuit ut iuvenes his sibi propositis praemiis ad sacrarum litterarum studia amplectenda et prosequenda alacriores redderentur.

Causa praedicti statuti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, desiderium assequendi prioratum titularem huiusmodi, qui ratione privilegiorum perpetuorum ei annexorum magis conspicuus quam ipsemet prioratus regiminis factus est, plerosque alios eiusdem Congregationis monachos, praenarratis exprocuratorum generalium sive lectorum qualitatibus destitutos, ad illum sibi aliorum meritorum praetextu a dictâ Congregatione cardinalium procurandum excitaverit, et in dies excitet; inde vero fieri possit ut priorum titularium huiusmodi numerus brevi temporis spatio numerum priorum regiminis superet, et sic vocem in capitulis generalibus habentium numerus, qui iuxta constitutiones absque speciali huius Sanctae Sedis indulto augeri nequit, semper magis multiplicetur, gravesque insuper confusiones in eisdem capitulis generalibus oriri possint: nobis propterea dictus procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Statutum ne alius monachus praeter praedictos promoveatur ad prioratum titularem.

§ 3. Nos igitur, ipsius procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, ut de cetero nullus dictae Congregationis monachus, nisi qui procuratoris generalis ipsius Congregationis officium laudabiliter exercuerit, aut sacrae theologiae lector fuerit ac duodecim annis continuis legerit necnon duodecim cathedras laudabiliter itidem sustinuerit, ut praefertur, quorumvis assertorum meritorum aliove quolibet titulo, colore seu praetextu, in priorem tutelarem assumi seu recipi unquam possit, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Camerae Apostolicae auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis illiusque monasteriorum, etiam iuramento, confirmatione aposto-

licâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transsumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV ianuarii MDCXCV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 15 ianuarii 1695, pontif. anno IV.

---

## CI.

*Statuitur ut canonici regulares S. Salvatoris, Ordinis sancti Augustini, executioni mandent constitutiones de regularibus professis ad eorum habitum non recipiendis* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Constitutiones executioni non mandabantur.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Marcus Antonius Matroni abbas generalis et Angelus Antonius Castellini procurator generalis Congregationis canonicorum regularium S. Salvatoris Ordinis sancti Augustini, quod, tametsi per constitutiones dictae Congregationis cap. XV § XIX expresse prohibeatur ne quisquam alterius cuiusvis regularis instituti professor ad habitum per canonicos regulares Congregationis huiusmodi gestari solitum absque expressâ capituli eiusdem Congregationis licentiâ ullo modo recipiatur, nihilominus frequenter aliarum congregationum seu Ordinum religiosi, ad praefatam Congregationem se transferre cupientes, secum super impedimento praedicto, itaut illo non obstante in eamdem Congregationem de consensu solius pro tempore existentis abbatis generalis dictae Congregationis, qui illum propter efficaces intercessiones atque commendationes plerumque invitus praestare compellitur, recipi valeant, dispensari obtinent.

Causa statuti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ex nimiâ dictos religiosos, ab aliis congregationibus seu Ordinibus, sicut praemittitur, translatos, recipiendi facultate, gravia eidem Congregationi damna, dissensiones et perturbationes saepius obvenerint, et in dies obveniant: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut, malis huiusmodi occurrendi ipsiusque Congregationis religiosae quieti et tranquillitati consulendi ergo, opportune in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Statutum praedictum.

§ 3. Nos igitur, eorumdem votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad

[1] In Clementis X const. ed. MDCLXXVI, die XXVIII februarii, pontif. VI, agitur de gubernio abbatum; et in Clementis XI const. ed. MDCCVIII, die 20 iunii, pontificatus VIII, confirmatur constitutio Pauli V contra ambientes.

effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, et attentâ relatione dilecti filii nostri Vincentii Mariae eiusdem S. R. E. cardinalis Ursini nuncupati, dictae Congregationis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, super praemissis ad eosdem cardinales transmissâ, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, mandamus, ut super iisdem praemissis constitutiones dictae Congregationis serventur.

Clausulae. § 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis autoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX ianuarii MDCXCV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 19 ianuarii 1695, pontif. anno IV.

---

## CII.

*Commutatur dies benedictionis et absolutionis generalis a Clemente X confirmata pro Ordine B. M. de Mercede redemptionis captivorum*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

§ 1. Dudum a felicis recordationis Clemente Papa X praedecessore nostro emanarunt ad favorem Ordinis fratrum Beatae Mariae Virginis de Mercede redemptionis captivorum litterae in simili formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet: Constitutio Clementis X.

« *Clemens Papa X, ad perpetuam rei memoriam.* Ex iniuncto nobis caelitus apostolicae servitutis munere, ea quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad spiritualem christifidelium aedificationem animarumque salutem provide concessa esse noscuntur, ut firma semper et illibata persistant, apostolici muniminis patrocinio, cum id a nobis petitur, libenter roboramus, et aliàs desuper statuimus, sicut in Domino salubriter expedire arbitramur. Exponi siquidem nuper fecit dilectus filius Matthias de Cardona, vicarius et procurator generalis totius Ordinis fratrum Beatae Mariae Virginis de Mer- Institutio, approbatio et mutationes huius benedictionis et absolutionis.

1 Nonnullarum constitutionum epilogus hîc describitur, sed dicta constitutio Clementis X edita MDCLXXIII, die 17 maii, pontif. IV, ex integro refertur. In Alexandri VIII const. ed. MDCXC, die 28 iulii, pontif. I, concessa fuerunt privilegia et indulgentiae regularium; et in huius Pontificis const. ed. MDCXCVI, die 30 iunii, pontificatus V, extat facultas recitandi officium B. Mariae de Jocos (Socos?).

cede redemptionis captivorum, quod dudum felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster (ad cuius notitiam pervenerat in eodem Ordine vigere morem antiquissimum ab immemorabili tempore observatum in diebus S. Catharinae virginis et martyris, ac Cinerum, et Coenae Domini, omnes tam religiosos quam saeculares nimirum in ecclesiâ praesentes et genuflexos, post confessionem a sacerdote coram omnibus recitatam, de more absolvendi et benedicendi, ut etiam aliae religiones facere consueverant) hanc facultatem, praeviâ dictâ confessione ut praefertur de more a sacerdote coram omnibus recitatâ, absolvendi et benedicendi omnes praesentes tam religiosos quam saeculares dictis diebus, apostolicâ auctoritate approbavit et confirmavit, ac eidem Ordini, quatenus opus esset, de novo concessit; et subinde, idem Clemens praedecessor, ut similis absolutio et benedictio generalis, etiam festis diebus sanctorum Laurentii et Antonii in praedicto Ordine eiusque monasteriis et conventibus fieri posset, dictâ auctoritate perpetuo concessit et indulsit; ac demum recolendae memoriae Urbanus Papa VIII pariter praedecessor noster feriam quintam in Coenâ Domini, in qua absolutio et benedictio generalis huiusmodi, sicut praemittitur, fieri poterant, in diem festum S. Petri Nolasci commutavit; et aliàs prout in terminis[1] praefatorum Clementis et Urbani praedecessorum litteris desuper in simili formâ Brevis expeditis uberius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus Matthias vicarius et procurator generalis praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Matthiae vicarii et procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, facultatem de more absolvendi et benedicendi omnes in ecclesiâ praesentes et genuflexos tam religiosos quam saeculares, praeviâ confessione a sacerdote coram omnibus recitatâ, in supradictis diebus S. Catharinae virginis et martyris, ac Cinerum, necnon S. Laurentii, S. Antonii et S. Petri Nolasci, Ordini praefato concessam, ut praefertur, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, eâ tamen lege ut in huiusmodi functione de cetero servetur formula infrascripta, videlicet: *Dominum nostrum Iesum Christum humiliter deprecamur, ut gratiae suae lumine illabatur cordibus vestris, vobisque benigne concedat omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones consequi, quas Summi Pontifices Ordini nostro cum specificâ facultate eas confraternitatibus nostris communicandi concesserunt iuxta privilegiorum apostolicorum tenorem, et sanctae Sedis Apostolicae decretorum dispositionem. Misereatur vestri omnipotens Deus, dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, confirmet et conservet in omni opere bono, et perducat vos ad vitam aeternam, qui in Trinitate perfectâ vivit et regnat in saecula*

1 Vel *praefatis* vel *eisdem* legendum pro *terminis* (R. T.).

*saeculorum. Amen.* Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibusque. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII maii MDCLXXIII, pontificatus nostri anno IV.

Commutatio praedicta. § 2. Cum autem, sicut dilectus filius Bernardus Carinnena et Spenza, vicarius et procurator generalis dicti Ordinis, nobis nuper exponi fecit, ipse ex supradictis diebus, quibus absolutio et benedictio generalis huiusmodi, sicut praemittitur, fieri solet, diem festum sanctae Catharinae virginis et martyris in feriam quintam in Coenâ Domini, qua scilicet christifideles, attentâ temporis paschalis opportunitate, ad ecclesias Ordinis supradicti pro eâdem absolutione et benedictione generali consequendâ magis dispositi accedent, commutari plurimum desideret: nos, ipsius Bernardi vicarii et procuratoris generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, facultatem impertiendi absolutionem et benedictionem generalem huiusmodi pro memorato die festo sanctae Catharinae virginis et martyris Ordini praefato concessam, ut praefertur, in feriam quintam in Coenâ Domini, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, servatâ tamen in reliquis praeinsertâ litterarum formâ et dispositione, perpetuo transferimus et transportamus.

Clausulae. § 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 4. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII ianuarii MDCXCV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 28 ianuarii 1695, pontif. anno IV.

---

## CIII.

*Confirmantur nonnulla decreta commissarii generalis pro alternativâ servan-*

*dâ in provinciâ Aquitaniae Ordinis Carmelitarum* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Pastoralis officii nobis divinitus commissi sollicitudo nos admonet, ut, paternam christifidelium, qui e fluctibus saeculi in portum vitae religiosae confugerunt, uberesque bonorum operum fructus in Ecclesiam Dei assidue proferre satagunt, curam gerentes, ea, quae pro tollendis animorum dissidiis, stabiliendâque inter eos fraternâ concordiâ provide constituta esse noscuntur, quo firmius semper atque inviolata persistant, apostolici muniminis nostri praesidio roboremus.

Causa decretorum.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii prior provincialis et alii superiores provinciae Aquitaniae Ordinis fratrum B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, quod, cum in provinciâ praefatâ, quae tribus nationibus constat, plures vigerent controversiae, pax tandem feliciter affulsit, alternativâ officiorum dictae provinciae distributione inter easdem nationes introductâ. Porro, ut pax huiusmodi firmiter servaretur, nec ullâ unquam ratione turbari posset, dilectus filius Angelus a S. Teresia, commissarius et visitator generalis dictae provinciae, nonnulla decreta edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Commissarii generalis diploma.

« Frater Angelus a S. Teresia, exprovincialis et definitor Carmelitarum provinciae Vasconiae, ac commissarius, visitator et praeses capituli provincialis in provinciâ Aquitaniae, dilectis nobis in Christo reverendis patribus provinciali, definitoribus, prioribus, ac reliquis eiusdem provinciae cuiuscumque sint qualitatis et gradus religionis, salutem.

Refertur institutio alternativae inter Arvernos, Lemovicenses et Tolosanos.

Cum reverendissimo patre de Villalobos generali nostro vigilantissimo, ex quo ad supremum Ordinis fastigium evectus est, nihil magis in votis fuerit [1], quam vestrae istius provinciae Aquitaniae tranquillitatem procurare, et in eâ exorta quaedam dissidia non tantum sedare, sed etiam omnem earum causam et occasionem auferre, ac penitus eradicare; cumque animadverterit ea omnia dissidia, lites, controversias, turbas et scandala, ac [2] disciplinae morumque relaxationem, quae, a multis iam annis in dies semper accrescens, proximum provinciae vestrae casum minaretur, ex eo ortum ducere, quod haec vestra provincia ex tribus nationibus et distinctionibus genio et moribus omnino diversis ac etiam repugnantibus constet, quarum una, dum regimen provinciae obtinet, aliis duabus ita dure imperitat, ut ea imperantis durities in aliis ambitionem excitet, illaeque, variis ac illicitis saepe modis, neglectâque morum praxi, hoc fere unum agant et moliantur [3], ut [4] alterius iugum excutere, eoque excusso, singulae pariter imperare conantur: hinc est quod idem reverendissimus Ordinis pater, huic tanto malo efficacem medelam afferre satagens, multis nos mensibus ante capituli vestri celebrationem commissarium suum ac visitatorem in hanc provinciam vestram destinavit, et deinde, per suum decretum die XI octobris Romae datum anno proximo elapso novem complectens articulos, suam nobis articulo VII omnem in eum finem auctori-

1 De alternativâ in provinciâ Castellae vide constit. edit. MDCXCIII, die 21 ianuarii, pont. III; in const. ed. die 11 februarii MDCXCVI, pontif. V, edita fuere quaedam decreta pro provinciâ Portugalliae.

1 Edit. Main. legit *fuerint* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *ad* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *agat et moliatur* (R. T.).
4 Particul. *ut* delenda, vel aliter ordinanda syntaxis, legend. ex. g. *conentur* (R. T.).

tatem, atque etiam definitorii generalis potestatem qua pollet, atque adeo condendi in universo Ordine leges impertiit[1], ut, sub beneplacito Summi Pontificis, omnia provinciae vestrae officia perfectâ aequalitate servatâ in posterum atque etiam modo distribuenda procurem, ut sic nulla distinctio ullam conquerendi causam habeat aut timendi perpetuam alterius distinctionis denominationem. Cumque aequalem officiorum omnium vestrae provinciae distributionem inter praefatas distinctiones, atque in favorem dignorum ex qualibet in hoc vestro capitulo provinciali iam fecerimus, atque eâ ratione iam cunctis sopitis litibus, quod experimentum vobis notissimum praefati medii vim et efficaciam indubie prodit et comprobat; hocque unum nobis supersit modo curandum ut eadem pax inducta perpetua sit et nullâ valeat ratione turbari: eâ de causâ opportunum atque omnino necessarium iudicavimus media ad illam pacem conservandam, nempe praefatorum officiorum distributionem, retinere, favore et praecepto nostro atque auctoritate firmare, in eum finem sequentia decernendo.

Decreta pro illa servanda.

I. Ut post superiores omnes huius vestrae provinciae per successivam mutationem fiant, scilicet, ut provincialis per turnum modo ex Alvernorum, modo ex Lemovicensium, modo ex alterâ distinctione, quam Tertiam seu Parlamenti Tolosäni vocant, instituatur.

II. Ut immediate post provincialis electionem idem reverendus pater provincialis ex alterâ distinctione socium sibi assumat; et cum in vestrâ provinciâ tredecim tantum conventus sint, ut ex eâ natione, ex qua in proximo capitulo provincialis erit assumendus, quinque eligantur priores, ex aliis vero singulis quatuor tantum.

III. Ut quaelibet distinctio aut socium unum iturum ad capitulum generale, aut provinciae custodem suppeditet.

IV. Ut ex eâ distinctione, seu natione, ex qua reverendus pater provincialis assumendus est, unus tantum definitor in posterum eligatur; ex eâ vero, ex qua assistens, alter; et ex illâ tandem, unde neque provincialis neque assistens assumendi sunt, duo reliqui definitores assumantur.

V. Ut novitii etiam ex aequo admittantur; poterit tamen provincialis in casibus extraordinariis unum aut alterum pro suâ prudentiâ superaddere.

VI. Ut, mortuo vel assumpto aliquo intra triennium definitore, non qui vota simpliciter plura habuerit in ultimo capitulo ei succedat, sed ille tantum, qui plura vota inter eos, qui ad eamdem cum mortuo vel assumpto distinctionem spectant, habuere.

VII. Ut, mortuo vel assumpto aut aliâ ratione absoluto provinciali (quod de assistente pariter intelligendum est), in illius locum eiusdem tantum distinctionis religiosus substituatur: tuncque tunc[1] primus definitor, sed ille tantum qui cum mortuo vel amoto distinctionis est, provinciam regat, et tres pariter eiusdem distinctionis religiosos nominari et reverendissimo pater praesentari curet, ut ex illis unum in vicarium provincialem assumat, iuxta formam num. VI, cap. VII, part. III constitutionum praescriptam.

VIII. Ut, mortuo vel assumpto aut amoto aliquo intra triennium priore, alter etiam eiusdem distinctionis a definitorio aut provinciali subrogetur, itaut illa electio, ut et ceterae electiones prio-

1 Edit. Main. legit *impertit* (R. T.).

1 Vox *tunc* praeter rem esse videtur (R. T.).

ris aliter factae, eo ipso irritae sint, ut si[1] nulla distinctio, sive in definitorio, sive in aliis officiis, summâ cum aequitate distributis, alteri prevalere ullâ ratione possit.

IX. Alia item officia, quae a definitorio replentur, iuxta praefatam aequalitatem distribuantur, velut lectoratus, supprioratus, magister novitiorum et professorum; itaut si quid[2] una natio aliquo triennio in officiis indivisibilibus sortita sit, illud sequenti triennio altera sortiatur.

Et haec omnia decreta sub Summi Pontificis[3] beneplacito sancita sunt.

Exhortatio ad executionem constitutionum.

Ceterum, cum ad fovendam pacem politica haec media sine speciali Dei auxilio non satis efficacia sint, ad illud a Deo impetrandum, praeter haec nostra decreta, exactam etiam constitutionum reformationis praxim[4] necessariam esse iudicavimus, atque adeo omnes superiores hortamur, ut, quae in eorum officio erga inferiores exercenda praescribuntur, summâ cum charitate et iustitiâ adimpleant. Inferioribus vero enixe volumus commendatum, ut, quae tam sancte circa assistentiam cleri, orationem mentalem et mansiones in cellulis ordinata sunt, fideliter exequi curent, supremo iudici rationem eâ de re aliquando tandem exactissime reddituri. Datum in Carmelo nostro Albiensi, die XVII maii anni Domini MDCXCIII.

Frater ANGELUS A S. TERESIA commissarius ac visitator generalis, qui supra.

*Locus † sigilli: et infra signatum,* Frater SATURNINUS AB ASSUMPTIONE assistens admodum reverendi patris commissarii et visitatoris generalis.

Praedicta decreta approbata

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, decreta huiusmodi, reservato desuper nostro et huius Sanctae Sedis beneplacito, ac cum approbatione dilecti pariter filii moderni prioris generalis dicti Ordinis facta fuerint: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Ia confirmat Pontifex.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectum filium modernum vicarium generalem dicti Ordinis super praemissis audiverant, consilio, decreta praeinserta a memorato Angelo commissario et visitatore generali, ut praefertur, edita, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscum-

1 Potius lege *sic* (R. T.).
2 Praeposit. *in* hinc abiicimus (R. T.).
3 Ed. Main. legit *Summis Pontificibus* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *praxis* (R. T.).

que iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictorum Ordinis et provinciae, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII martii MDCXCV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 7 martii 1695, pontif. anno IV.

---

## CIV.

*Conceditur Congregationi Discalceatorum Hispaniae Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum facultas sibi eligendi iudices conservatores*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Hoc privilegium concessum fuit diversis temporibus toti Ordini, necnon Ordini B. M. V. de Mercede.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus a Iesu procurator generalis congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, quod, cum aliàs, nempe anno MCDXLVII, felicis recordationis Nicolaus Papa V pradecessor noster fratribus dicti Ordinis regnorum Castellae et Legionis privilegium eligendi sibi iudices conservatores concesserit, ac subinde alii Romani Pontifices, praedecessores pariter nostri, fratribus praedictis in aliis regnis et provinciis degentibus idem privilegium attribuerint, privilegii huiusmodi, necnon communicationis privilegiorum, quibus alii Ordines Mendicantes fruuntur, Ordini praedicto per Sedem Apostolicam concessae intuitu, Congregatio tunc existentium S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, ad fratrum ipsius Ordinis preces, declaravit licere eis continuare in quasi possessione iuris deputandi iudices conservatores pro conventibus eiusdem Ordinis ubicumque existentibus. Postmodum vero, nempe die X septembris MDCLX, Congregatio tunc pariter existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, Ordini fratrum Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum, vigore communicationis dictorum privilegiorum ei per Sedem praedictam itidem concessae, ius eligendi sibi conservatores pro suis conventibus etiam competere, per suum decretum desuper editum similiter declaravit, decretumque huiusmodi recolendae memoriae Alexander VII etiam praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis subinde expeditas litteras confirmavit.

Causa concessionis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tametsi ius huiusmodi multo magis supradictae Congregationi fratrum Discalceatorum Hispaniae, quae, ut asseritur, non diversam, sed eamdem cum praedicto Ordine SS. Trinitatis, cui,

[1] Vide infra. In huius Pontificis const. ed. MDCXCIII, die 27 ianuarii, pontif. II, toti Ordini concessa fuerunt privilegia aliorum regularium, et in Clementis XI constit. edit. MDCCIII, die 21 novembris, pontif. III, praedictis Discalceatis conceditur facultas utendi altari portatili et absolvendi a casibus reservatis in locis infidelium.

ut praefertur, eodem iure uti concessum fuit, religionem constituit, et amplissimam privilegiorum communicationem sibi a piae memoriae Urbano Papa VIII, praedecessore pariter nostro, anno MDCXXXIV concedi obtinuit, competere videatur, nempe tam ex privilegio sibi proprio, quam vigore eiusdem communicationis; nihilominus, ne ullus relinquatur de iure huiusmodi disputandi [1] locus, nec illud, quando se offert occasio eo utendi, in controversiam revocari contingat, incidenterque desuper accessoriae disceptationes principalis causae decisionem impediant, dictus Petrus procurator generalis ipsi Congregationi Hispaniae facultatem eligendi sibi iudices conservatores, tam pro conventibus ipsius Congregationis, quam pro bonis in redemptionem captivorum impendendis, competere, servatâ tamen formâ constitutionum similis memoriae [2] Clementis Papae VIII et Gregorii Papae XV praedecessorum pariter nostrorum, a nobis declarari plurimum desideret:

Concessio praedicta iuxta constitutionem Clementis VIII, et Gregorii XV.

§ 3. Nos, ipsius Petri procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum dictae S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, eidem Congregationi fratrum Discalceatorum Hispaniae facultatem eligendi sibi conservatorem, servatâ formâ constitutionis dicti Gregorii praedecessoris, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et impartimur: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis secundodictorum cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII aprilis MDCXCV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 23 aprilis 1695, pontif. anno IV.

---

## CV.

*Eriguntur duae provinciae Lombardiae et Romana fratrum Praedicatorum in duas Congregationes S. Sabinae et*

[1] Edit. Main. legit *deputandi* (R. T.).
[2] Vox *memoriae* nos addimus (R. T.).

*S. Marci, cum nonnullis ordinationibus*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Ad pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem divinae sapientiae atque bonitatis abundantiam evecti, in id praecipue peculiari studio summâque animi contentione incumbimus, ut prospero felicique christifidelium in sortem Domini assumptorum et divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum statui, regimini et progressui, quantum nobis ex alto conceditur, providere iugiter satagamus; ac proinde novas eiusmodi religiosorum virorum Congregationes pro datâ nobis caelitus potestate interdum instituimus, sicut, personarum, locorum, rerum et temporum qualitatibus maturae considerationis trutinâ perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam, ad religionis incrementum, spiritualemque christifidelium aedificationem et animarum salutem in Domino expedire arbitramur.

Causa erectionis.

§ 1. Regularem itaque disciplinam in provinciis Lombardiae et Romanâ[2] Ordinis fratrum Praedicatorum custodire ac promovere, eamque, quo, ad perfectae maturitatis frugem, adspirante superni favoris auxilio, provecta, Ecclesiam Domini uberioribus in dies bonorum operum fructibus laetificet, apostolicae benignitatis favoribus excolere, ac felici infrascriptorum conventuum earumdem provinciarum fratrumque in eis degentium statui et gubernio ac incremento salubriter consulere cupientes, necnon eorumdem fratrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum super disciplinâ regulari specialiter a nobis deputatorum consilio, ac motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, conventus S. Sabinae de Urbe, S. Dominici Ravennatensis, S. Dominici Ferrariensis, S. Dominici civitatis S. Severini, S. Crucis et Omnium Sanctorum oppidi Boschi Dertonensis, et S. Catharinae oppidi seu loci Tridini Casalensis respective dioecesis, primodictae, necnon S. Marci Florentini, S. Dominici Fesulani, et eiusdem S. Dominici civitatis S. Miniatis, ac hospitium Liburni Pisanensis dioecesis, secundodictae respective provinciarum, eorumque fratres et personas quascumque, cum omnibus et singulis illorum membris, iuribus et pertinentiis universis, ab omni et quacumque iurisdictione, superioritate, correctione, visitatione, regimine, curâ et gubernio dilectorum filiorum modernorum et pro tempore existentium priorum provincialium earumdem provinciarum, tam in spiritualibus quam in temporalibus, tenore praesentium perpetuo eximimus et plenarie liberamus.

Dictae duae provinciae eximuntur a iurisdictione priorum provincialium.

§ 2. Ipsosque conventus in duas novas, primam nimirum sub S. Sabinae utriusque Lombardiae, secundam vero sub S. Marci Romanae respective pro-

Item eriguntur in dictas duas congregationes immediate subiectas magistro vel vicario generali.

1 In constit. edit. MDCXCIII, die 20 octobris, pontif. III, agitur de studentibus provinciarum Congregationis S. Marci; in const. ed. MDCXCVI, die 23 iulii, pontif. V, de electione lectorum; et in Clementis XI const. edit. MDCCIII, die 21 martii, pontif. III, confirmatur dismembratio quorumdam coenobiorum a provinciâ Germaniae.

2 Edit. Main. legit *Romanae* (R. T.).

vinciarum eiusdem Ordinis titulis nuncupandas Congregationes, quae dilecto filio moderno et pro tempore existenti magistro generali, sive eius loco in eâdem Romanâ Curiâ pro tempore residenti vicario generali Ordinis huiusmodi, immediate subiacere debeant, itaut in illas nulli alii ipsius Ordinis superiores, praeterquam earum vicarii ceterique earumdem Congregationum praelati iuxta morem deputari soliti, potestatem aliquam valeant exercere, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine ac tenore praefatis, pariter perpetuo erigimus et instituimus.

De vitâ communi iuxta Concilii Tridentini decreta.

§ 3. Ceterum in omnibus conventibus de praesenti spectantibus et qui deinceps spectabunt ad dictas Congregationes sic a nobis erectas et institutas, fratres omnes, ad regulae quam professi fuerunt praescriptum, exacte vitam instituere et componere, atque illa, quae communem vitam, victum et vestitum concernunt, iuxta Concilii Tridentini ac felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri decretorum tenorem fideliter ac inviolabiliter observare debeant et omnino teneantur.

De vicario generali eligendo.

§ 4. Utrique vero Congregationi de idoneo vicario generali ex fratribus alicuius ex conventibus eius Congregationis, cui is praeficiendus erit, qui illam, adiuvante Domino, salubriter dirigere valeat, quique in conventibus huiusmodi saltem per septennium exacte regularis observantiae specimen dederit, et, quantum fieri potest, alicui ex illis laudabiliter praefuerit, a magistro generali praefato de[1] biennio in biennium provideatur.

De vicario in casu mortis.

§ 5. Quod si vicarium sic institutum ante completum sui vicariatus tempus ab humanis decedere contigerit, is qui vicarii officio novissime functus fuerit, quatenus adsit, sin minus, prior antiquioris conventus eius Congregationis, quae suo vicario, sicut praemittitur, destituta remanserit, in omnibus et per omnia deficientis vicarii vices gerat, donec alter vicarius a magistro generali supradicto fuerit institutus; teneaturque hic provicarius statim de sequutâ huiusmodi officii vacatione eumdem magistrum generalem admonere, et ab eo novum vicarium exposcere. Porro vicarius pro tempore existens eamdem prorsus iurisdictionem et auctoritatem habeat in conventus et fratres suae Congregationis, quam, iuxta apostolicas et dicti Ordinis constitutiones, priores provinciales habent in suis provinciis. Possit quoque idem vicarius quoscumque fratres Ordinis supradicti undecumque venientes suscipere, et eidem de conventibus praefatae suae Congregationis per deputationem vel assignationem providere, (quod tamen criminosis, iuxta dicti Clementis praedecessoris decreta, nullatenus prodesse poterit); non autem intelligantur iidem fratres Congregationi huiusmodi incorporati, nec in priores aut magistros novitiorum institui valeant, nisi post quadriennium; eoque durante, si ad suos conventus vel provincias redire voluerint, licentia eis abeundi libere concedatur.

De fratribus a Congregatione egredientibus.

§ 6. Praeterea nulli ex fratribus dictarum Congregationum, sive intra eas habitum susceperit[1], sive aliunde per quadriennium, ut praefertur, incorporatus fuerit, permittatur transire ad conventus extra suam Congregationem, nisi de licentiâ vicarii unâ cum consilio sex graviorum patrum eiusdem Congregationis; quae tamen licentia non facile detur, sed omnimoda diligentia et charitatis officia adhibeantur, ut abire volentes in suscepto vitae instituto confirmentur;

1 Praeposit. *de* nos addimus (R. T.).

1 Edit. Main. legit *susceperint* (R. T.).

quod si adhuc in discedendi voluntate permanserint, tandem dimittantur, ne aliis impedimento sint.

Clausulae. § 7. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod aliqui[1] in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, aliive quilibet, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis legitimâ, iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, ad viam seu terminos iuris vel constitutionum dicti Ordinis reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris et facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed easdem praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari et adimpleri, sicque, et non aliter, in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et provinciarum ac conventuum huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordini et provinciis, ac conventibus, illorumque respective magistro generali et provincialibus, aliisque superioribus, fratribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis[1], in genere vel in specie, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, — Contrariorum derogatio.

1 Verba ista *etiam ex eo quod aliqui* nos addidimus (R. T.).

1 Videtur deesse *decretis* (R. T.).

illorum omnium et singulorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis, servatis et specificatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 9. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV iunii MDCXCV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 14 iunii 1695, pontif. anno IV.

## CVI.

*Confirmantur quaedam decreta capituli generalis monachorum Ordinis Cluniacensis*[1].

**Innocentius Papa XII.**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, cura animum nostrum sollicitat, ut promovendae atque excolendae inter viros religiosos Altissimi obsequiis sub suavi monasticae vitae iugo mancipatos regulari disciplinae peculiari studio summâque animi contentione incumbamus; ac proinde ea quae simili consilio constituta ac ordinata esse noscuntur consilio, ut firma semper atque illibata persistant, apostolici muniminis praesidio libenter corroboramus, eòque tendentia illorum superiorum in partem sollicitudinis nostrae vocatorum ac praesertim sublimi cardinalatus honore fulgentium vota paternâ charitate exaudimus, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam et religionis incrementum salubriter in Domino expedire arbitramur.

Insequentia statuta condita fuerunt in capitulo generali MDCXCIII.

§ 1. Exposuit siquidem nobis nuper venerabilis frater noster Emmanuel Theodosius episcopus Albanensis S. R. E. cardinalis Bullionius nuncupatus, monasterii Cluniacensis totius Ordinis Cluniacensis capitis perpetuus commendatarius, quod, pro felici prosperoque dicti Ordinis eiusque monachorum regimine et directione, nonnulla statuta seu decreta in capitulo generali ipsius Ordinis, quod novissime, videlicet anno MDCXCIII, in eodem monasterio, ipso Emmanuele Theodosio episcopo cardinali et commendatario in eo praesidente, celebratum est, edita fuerunt. Quae cum nobis pro parte eiusdem Emmanuelis Theodosii episcopi cardinalis et commendatarii exhibita fuissent, nos illa mature ac diligenter examinari et revideri, ac, ubi opus erat, corrigi et aptari curavimus, unde reducta fuerunt in formam tenoris qui sequitur, videlicet:

*Capituli generali Ordinis Cluniacensis anno MDCXCIII celebrati acta et statuta.*

Locus definitorii et definitores.

« Anno Domini MDCXCIII, die dominicâ II octobris, post Pentecostem XXII, factae fuerunt definitiones sequentes in camerâ definitorii monasterii Cluniacensis, et fuerunt definitores ii qui sequuntur, auctoritate apostolicâ electi et deputati, praesidente eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Emmanuele Theodosio a Turre Averniae, abbate generali eiusdem monasterii et totius Ordinis, videlicet:

Reverendus dominus Ludovicus de Nangis, prior maior abbatiae et totius Ordinis; rev. dominus Carolus de la Motte, prior claustralis monasterii B. M. de Charitate, sacrae theologiae professor; rev. dominus Hiero-

1 De reformatione horum monachorum vide Nicolai IV constit. edit. MCCLXXXIX, die 12 septembris, pontif. II.

nymus Cocquelin, collegii Dolensis principalis et comitatus Burgundiae visitator; rev. dominus Claudius de Vert, thesaurarius Cluniacensis; rev. dominus Odo Bernard, prior Ss. Petri et Pauli de Radolio; rev. dominus Eusebius de Combronne, prior claustralis Ss. Petri et Pauli de Sylviniaco; rev. dominus Hugo Cleuzel, prior claustralis Ss. Petri et Pauli de Coinciaco; rev. dominus Antonius Tevein, decanus et prior claustralis de Moyraco; rev. dominus Ioannes Henricus de Barbon, prior et camerarius abbatiae S. Theofredi Monasteriensis; rev. dominus Ildefonsus Sarrazin, prior claustralis S. Martini a Campis, sacrae theologiae professor; rev. dominus Ludovicus Moureau, prior collegii Cluniacensis in titulum doctor in utroque iure; rev. dominus Stephanus de Nesmond, prior claustralis de Abbatis Villa; rev. dominus Ioannes Baptista Graviers, prior claustralis S. Marcelli de Sauzeto; rev. dominus Claudius Roland, prior claustralis de Thiziaco; rev. dominus Michaël Petrus du Perray, prior claustralis de Nogentorotrodi.

*Auditores causarum*: Rev. dominus Paulus Rabuffon, subcamerarius Cluniacensis; rev. dominus Benignus de Vert, prior claustralis de Lehuno in Sanguine Jerso.

*Auditores excusationum*: Rev. dominus Iacobus de la Motte prior claustralis S. Dionysii de Carcere; rev. dominus Ioannes Marin, prior de Sezanna.

Prooemium ex temporis opportunitate petitum.

« Spes, quae differtur, affligit animam, divino testante oraculo. Diffiteri sane non possumus eamdem e dilato bono afflictionem in maximum spiritualis laetitiae argumentum converti, ubi illi, qui sitiunt iustitiam, et ante omnia debent regnum Dei quaerere, videant appropinquare tempus acceptabile et dies salutis. Tunc[1] enim sollicitudine non pigri, in restituendo pro viribus per decreta capituli generalis sacri Ordinis Cluniacensis anni MDCLXXXV primaevo nitore et splendore, spe gaudentes iam sumus. Vox turturis audita est, vineae dederunt odorem suum, flores apparuerunt in terrâ nostrâ, mox daturi fructus uberrimos, fructus pietatis, honoris et honestatis. Nunquam porro maior fiducia cor nostrum ad bonum perficiendum accendere debet, quam dum videmus colligata et inter se conglutinata sanctissimis concordiae vinculis vota et desideria summi domini nostri Innocentii Papae XII et regis vere augusti, vere magni, ut eminentissimum cardinalem Bullionium abbatem nostrum et caput totius nostrae Congregationis auctoritate suâ in restaurandâ disciplinâ regulari Ordinis Cluniacensis adiuvent, faveant et protegant. Is est Summus Pontifex, qui, sollicitus quomodo uni Deo placeat, evangelizat pauperibus, panem parvulis frangit, qui intelligit super egenum et pauperem, qui surdo auris, claudo baculus, oculus caeco, demum omnibus omnia factus est propter Christum, cuius vices gerit in terrâ, ut omnes adiuvet, confortet et Christi faciat. Regem vero habemus opitulantem, regem quem Deus de monte sancto suo conservet et vivificet, regem secundum cor suum; qui, dum excelsa a finibus terrae abstulit, opprobrium illico ab Israël sustulit, et veterem delevit ignominiam; qui, irascentibus frustra, frementibus et tabescentibus populis illis qui ruperunt pacta testamenti Dei vivi, omnes in unum colligatos conterit in circuitu et in magnitudine brachii sui. Ex aulâ denique convolavit abbas eminentissimus, qui, cum sit de semine virorum illorum per quos salus primo facta est in Ordine Cluniacensi, vere pastor et vere episcopus animarum nostrarum, venit evangelizare pacem, et mirificâ prudentiâ incredibilique lenitate, sub auspiciis pontificiis et regiis, opus nostrae restaurationis, toties tentatum, sed hactenus incompletum, aggredi, et nobis in unum conspirantibus perfi-

1 Forsan *Nunc* legendum (R. T.).

cere non recusat. Quem sane Deus adiuvet in tam sancto proposito.

Plurimae causae statutorum. » In primis, cum nobis praecipue incumbat pristinos mores et antiquas leges, quibus Ordo Clunaciensis tamdiu floruit, renovare, et in quantum in nobis erit restituere, inquisivimus causas, quibus disciplina regularis aut collapsa aut labefactata fuit, ut, iis cognitis, radices malorum, quae sensim irrepserunt, amputemus et resecemus. Sane agnovimus faciliorem et frequentiorem tam religiosorum Mendicantium quam ceterorum Ordinum ingressum alienos mores et in Ordine nostro invexisse, necnon licentiam et facultatem, quam quidam[1] inter abbates et priores commendatarios sibi arrogare voluerunt, concedendi loca seu portiones monachales personis saepe sine ullo delectu, in Ordine magnum dedecus intulisse. *Et licet Summi Pontifices nunquam intendant, dum provident monachis iam professis expresse in Ordine sancti Benedicti de beneficiis Ordinis Cluniacensis, eorum translationem aut migrationem confirmare, nisi prius idonei et capaces probati fuerint: tamen consuetudo pessima invaluit ut tales provisi a Summo Pontifice vel a collationibus ordinariis novae probationi et professioni in Ordine se nolint subiicere.* Unde plerumque evenit ut laxiori et emissiori vivendi modo addicti, nec ritibus Ordinis instructi, sensim nostrorum mores corrumpant. Plerique etiam, sub spe aut praetextu melioris frugis ineundae, a Sede Apostolicà sibi faciunt provideri de beneficiis aut officiis claustralibus Ordinis Clunaciensis cum decreto habitum regularem suscipiendi, sed, ubi primum illa beneficia aut officia obtinuerunt, se nullo examini existimant subiiciendos. Et si contingat eorum mores aut vocationem non probari, recurrunt ad alios et ad episcopos locorum, in quibus beneficia sita sunt, qui ipsos ad professionem regularem admitti iubent: quod omnino professionis regularis institutis adversatur, quia, ut ait sanctus pater Benedictus: *Noviter veniens quis ad conversionem non ei facilis tribuatur ingressus, sed, ut ait Apostolus, probate spiritus si ex Deo sunt.* Visum est etiam nobis consuetudinem peragendi novitiatum in quolibet monasterio sua habere incommoda, et vix in monasteriis, in quibus non potest monachorum sufficiens numerus sustentari, divinum officium cum eà qua decet reverentià posse celebrari; necnon in illis monasteriis proprietatem necessario foveri, in quibus, vestiarii loco, aut pensionis monachalis nomine, certa pecunia monachis annuatim persolvitur, nec posse hunc abusum prorsus a proposito regulari deviantem tolli, nisi vita communis in singulis monasteriis restauretur, necnon aliquis modus adhibeatur in regimine seu administratione fructuum, reddituum et obventionum, quae cuilibet monacho possunt competere ratione officii claustralis aut beneficii de quo provisus est in titulum. Observatum est etiam a visitatoribus provinciarum, saepe utile esse et commodum pro bono pacis et religionis monachum de uno monasterio ad aliud migrare ad tempus, et providendum esse ne sub praetextu stabilitatis monachi inhobedientes fiant. Insuper ex frequentiori superiorum mutatione ex unà parte, et ex eorumdem perpetuitate ex alià, non modicum hucusque provenisse incommodum animadversum est. Tandem, cum collegia, monachorum erudiendorum causà, sapienter a maioribus nostris instituta fuerint, et licet antiquitus in illis praefici deberent viri providi et litterarum divinarum et humanarum peritissimi,

1 Male edit. Main. legit *quamquidem* (R. T.).

ut alios verbo et exemplo instruerent, qui quidem ad nutum abbatis Cluniacensis poterant amoveri; tamen convenientibus, immo aliquando faventibus superioribus Ordinis, administrationes quaedam eorumdem collegiorum consueverunt dari in titulum, unde potest saepius evenire ut conferantur monachis, qui, licet aliunde capaces et idonei, tamen non habent certam industriam et providentiam quae in talibus muneribus obeundis necessaria est; et cum bonum privatum debeat cedere publico et communi, propositum est media omnia adhibenda ut deinceps eiusmodi administrationes non conferantur in titulum. Quibus omnibus mederi cum necessarium iudicatum fuerit, maturo examine ponderatis, et perpensis[1] omnibus hinc inde rationibus, statuta et ordinata sunt quae sequuntur :

De non recipiendis aliorum Ordinum religiosis.

I. Statutum est ne deinceps ulli monachi professi in aliis quibusve Ordinibus regularibus nullive religiosi Mendicantes admittantur seu recipiantur in monasteriis Ordinis Clunaciensis, nisi prius de suorum superiorum consensu et Sedis Apostolicae licentiâ necnon et de consensu abbatis Cluniacensis per legitima documenta appareat, et nisi benevolos receptores in uno e monasteriis Ordinis nostri invenerint, eâque lege ut de novo in uno e conventibus ad novitiatum ceterorum in Ordine admissorum designatis annum probationis cum effectu compleant. Nec admittantur ad professionem regularem in Ordine Cluniacensi emittendam de licentiâ abbatis Cluniacensis secundum statuta Ordinis, nisi a monachis eiusdem conventus, in quo novitiatum expleverint, capitulariter congregatis, viâ scrutinii secreti, et saltem a maiori parte capituli, capaces et idonei fuerint indicati.

1 Edit. Main legit *perpetuis* (R. T.).

De distributione portionum monachalium.

II. Nullus deinceps abbas aut prior commendatarius se intromittat de suscipiendis monachis, sed, secundum regulam sancti patris Benedicti, deligantur et probentur a monachis eiusdem conventus, in quo recipi debent. Nec liceat eiusmodi abbatibus vel prioribus commendatariis disponere de mansionibus, locis seu portionibus monachalibus, sed earum dispositio, prout iam sancitum est in capitulo generali anni MDCLXXVI, pertineat ad conventum et monachos eiusdem monasterii; qui quidem personam idoneam deligere tenebuntur infra sex menses a die vacationis computandos, et ad unum e novitiatibus mittere sic delectos, habitu regulari per priorem loci induendos infra idem tempus ; alioquin, ne numerus monachorum minuatur, de eis providebitur per abbatem Cluniacensem. Quod observandum censuimus non obstante quocumque pacto, conventione aut consuetudine in contrarium, quae potius corruptela quam consuetudo nominanda est.

De receptione eorum, qui beneficiis vel officiis Ordinis Cluniacensis donati sunt.

III. Nullus etiam in Ordine quocumque etiam sancti Benedicti expresse iam professus, et provisus a sanctâ Sede Apostolicâ vel a collatoribus ordinariis de beneficiis aut officiis claustralibus Ordinis Cluniacensis, admittatur in Ordine nostro vigore praefatarum provisionum, nisi velit prius in novitiatibus Ordinis, ut in primo articulo ordinatum est, novam probationem inchoare et perficere, et, anno elapso, subiici examini conventûs monachorum monasterii, in quo novitiatum compleverit, ut in primo articulo sancitum est. Et si contigerit a capitulo suffragiis et votis maioris partis capacem et idoneum non reperiri, tunc secedere ab Ordine teneatur, et beneficia seu officia cedere infra sex menses a die repudiationis eius ipsi intimandae computandos: alioquin, prae-

fato termino elapso, vacare praedicta beneficia et officia censeantur. Idem omnino statutum est circa illos, qui, sub spe aut saepius praetextu melioris frugis ineundae, dictae regularis disciplinae amplectendae voto provisiones beneficiorum regularium aut officiorum claustralium Ordinis Cluniacensis obtinent cum decreto habitum regularem suscipiendi, quos vulgo vocant cupientes profiteri; qui omnino non admittantur nisi secundum formam superius praenotatam et praescriptam; et si capaces et idonei reperti non fuerint, tunc beneficiis et officiis suis cedere debeant infra terminum supra determinatum; alioquin vacare censeantur.

De novitiatu.

IV. Nullus, sive religiosus, sive saecularis, poterit novitiatum inchoare et perficere nisi in monasteriis ad id specialiter a capitulo generali designatis, in quibus delecti ad loca seu ad mansiones monachales, vel de beneficiis aut officiis claustralibus provisi, sub litteris authenticis sigillo conventus munitis, aut, in casu negligentiae, abbatis Cluniacensis, ad probationem recipientur, et habitu regulari per priorem monasterii induentur, annoque novitiatus expleto, ut supra statutum est, ad professionem monasticam admittentur secundum statuta.

De numero monachorum eorumque conservatione.

V. Quia compertum est divinum cultum vix posse observari et divinum officium celebrari neque etiam observantiam regularem facile posse manuteneri in monasteriis in quibus sufficiens numerus monachorum non est, statutum et ordinatum fuit in qualibet provinciâ certa monasteria eligenda pro opportunitate sitûs et aedificiorum, in quibus stabiliatur numerus decem aut ad minus octo monachorum. Et si redditus, proventus et obventiones monasteriorum sic delectorum non valeant sufficere ad talem numerum sustentandum, tunc augeatur vel per unionem et suppressionem sacristiarum, ceterorum officiorum claustralium aliorum monasteriorum, aut prioratuum; et si illud commode fieri non poterit, saltem per translationem eorumdem officiorum, et per appellationem et incorporationem portionum aut mensarum monachalium.

De quorumdam monasteriorum contributione eiusque executione.

VI. Et quia ad divini cultus augmentum certum numerum monachorum alendum quilibet et singuli priores Ordinis ex primaevâ eorumdem prioratuum fundatione seu erectione tenentur; et cum nulla possit adversus Deum et leges fundationi addictas praescriptio opponi: visum est certas regulas statuendas, sub quibus huiusmodi applicatio mensarum et unio officiorum possit fieri. Ideo statutum est nihil omnino a prioratibus et monasteriis eiusdem Ordinis sub nomine portionum monachalium exigendum, in quibus actu, et de facto, et a quadraginta annis amplius et retro, nulla mensa aut portio monachalis praestita est, et quorum insuper redditus, proventus, iura et obventiones, deductis oneribus realibus, non ascendent ad summam mille et ducentarum librarum. Quoad vero ceteros prioratus et monasteria Ordinis, subiicientur contributioni earumdem portionum monachalium, eâ tamen lege ut semper salva et illaesa remaneat apud eosdem priores, qui eiusmodi contributioni, ut supra ordinatum fuit, subiecti non fuerunt, praedicta summa mille ducentarum librarum, nec possint ultra tertiam partem redditnum mensae monachorum destinatum gravari. Et quia ad id opus complendum, quod omnino cultui divino restituendo et disciplinae regulari in Ordine restaurandae congruens et necessarium iudicatum fuit, multi contradictores poterunt inveniri,

supplicatum est eminentissimo cardinali ut ad id adhibeat et pontificiam auctoritatem, quam humillime totum capitulum Cluniacense supplex ab Apostolicâ Sede postulat. Insuper procurabit eminentissimus cardinalis ut a viris providis inquiratur cito citius de redditibus, iuribus et proventibus cuiuslibet prioratus, ut possint illius celsitudini suppetias ferre. Et providebit etiam, ne, sub praetextu eiusmodi unionum, incorporationum aut applicationum mensarum monachalium, fundationes, quae in quolibet prioratu debent a prioribus vel monachis specialiter peragi, ceteraque eorumdem prioratuum onera et servitia propterea defraudentur.

De vitâ communi.

VII. In posterum monachis in monasteriis particularibus degentibus pensiones personaliter non solventur, sed redditus omnes, qui ipsis a prioribus pro sustentatione erogantur, vel de mensâ ad eos spectante quoquomodo proveniunt, in communi reponentur per cellerarium aut procuratorem, in capitulo a conventu eligendum, ministrandi ad necessariam in vitâ communi sustentationem monachorum. Decernimus quoque quod pro vestiario, loco pecuniae, vestes aliaeque res necessariae superioris paternâ providentis auctoritate per eumdem cellerarium aut procuratorem deinceps subministrentur omnibus, tantumque in iis rebus quotannis pro superioris providentiâ impendatur, quantum singulis monachis numeratâ pecuniâ praeberi consuetum fuerat: mandantes item ut quaecumque perniciose aliquid sibi tanquam suum sibique proprium habendi cupiditati favere visa erunt, omni studio penitus resecentur. Cellerarius autem, aut procurator, quoties libuerit conventui, aut ad minus quolibet anno, et sine ullâ morâ, receptorum et expensarum rationem coram priore et monachis ad id a conventu deputatis reddere exacte et fideliter tenebitur. In iis monasteriis in quibus officiarii claustrales aliique beneficia in titulum habentes consueverunt suorum officiorum aut beneficiorum proventus administrare, talem administrationem non exercebunt, nisi cum onere et debito reddendi rationem quotannis saltem superioribus suis de usu eorumdem proventuum praedictorum officiorum aut beneficiorum in exequendis debitis oneribus, eleemosynis largiendis, et aliis impensis faciendis.

De celebratione capituli generalis.

VIII. Capitula generalia, diutius intermissa, celebrabuntur exacte, ut canones Ecclesiae et sacrum Concilium Tridentinum praecipiunt, in posterum singulis trienniis dominicâ tertiâ post Pascha, in qua cantatur pro introitu missae *Iubilate*. Quae quidem capitula per praecedentia indicentur, et ad quae omnes tam abbates quam priores et decani conventum actu habentes, exclusis omnino prioribus ceteris, absque ullâ aliâ indictione aut convocatione convenient, adeout omnes ipso sabbato ante praedictam dominicam adsint, nec quisquam ante feriam sextam adventare praesumat. Prohibitum est ne in posterum ad capitula generalia a conventibus deputentur et mittantur monachi quos vocant conventuales, nisi in casibus qui tanti sint momenti ut vicarii generales aut visitatores sic ordinandum duxerint.

De obedientia monachorum.

IX. Professio religiosa deinceps in toto Ordine pro singulis monasteriis emittetur sub obedientiâ superiorum, a quorum obedientiâ sub eo praetextu se se substrahere non poterunt. Sed superioribus maioribus, aut visitatoribus sine contradictione obtemperabunt, cum ipsis utile aut necessarium visum fuerit eos mittere ad alia monasteria in eâdem provinciâ, aut etiam extra eamdem provinciam, cum abbates Clunia-

censes aut capitula generalia sic duxerint de iis disponendum.

De prioribus. x. Omnes priores claustrales in capitulis generalibus aut conservabuntur aut destituentur, prout definitores iudicaverint eos debere aut conservari aut destitui. Et si aliqui stare iudicio definitorum renuerint, eminentissimi abbatis, qui nunc est, aut successorum abbatum interpositâ auctoritate, tali se iudicio subiicere compellentur.

De collegiis praesertim Parisiensi. xi. Statutum est administrationes collegiorum Ordinis, et praecipue collegii Parisiensis de quo nunc provisus est dominus Ludovicus Moreau, qui illud provide, solerter et sagaciter rexit et gubernavit, non esse deinceps in titulum beneficii conferendas aut committendas; sed post obitum illorum, quibus de iisdem in titulum provisum fuit, in commissionem et simplicem administrationem nutu abbatis Cluniacensis amovibilem reducendas, prout iam ordinatum fuit in capitulo generali anni MDC. Cui quidem decreto idem domnus Ludovicus Moreau propter bonum Ordinis consensit, eâ tamen lege, ut, sub nullo praetextu, possit eius vitâ durante turbari in administratione bonorum eiusdem collegii. Quod omnes approbamus, ob cognitam eiusdem iam in Ordine Cluniacensi in rebus agendis et administrandis bonis collegii solertiam et singularem providentiam. De qua ei totus Ordo debet gratias rependere, et capitulum generale gratulatur. Ut faciliorem et commodiorem in praedicto collegio Parisiensi mansionem inveniant monachi Ordinis, qui ad illud studiorum causâ mittantur, statuimus, ut, praeter priorem seu administratorem collegii, et alios officiarios et bursarios et monachos actu in eodem collegio studentes, nullus possit sub quocumque praetextu habitationes seu mansiones in eodem collegio sibi reservare, et, qui illas obtinent aut obtinuerunt, secedere teneantur in monasteria, in quibus ratione suorum officiorum aut beneficiorum debent commorari.

De monasteriis nobilium. xii. Cum Ordo Cluniacensis magis Gallicae nobilitati debeat quam quilibet alius Ordo, statutum est ut certus numerus monasteriorum recipiendis nobilibus destinetur, in quibus ii soli recipientur, qui, factâ probatione, verâ et indubitatâ nobilitate reperientur insigniti; quae quidem monasteria designabit eminentissimus abbas, et in quibus admissi seu recepti nobiles, eam vivendi formam, quam invenerint, sequentur.

De habitu et egressu e monasterio. xiii. Cum nihil magis congruum sit monacho, quam ut habitu exteriori uniformitatem vitae cum aliis indicet et demonstret, statuimus ut omnes, qui deinceps in Ordine recipientur, uniformem habitum deferant, cuius formam eminentissimus cardinalis abbas designabit. Omnes quoque monachi Ordinis vestes longas seu talares et regulares in monasteriis et locis residentiae deferent, sub poenâ excommunicationis contra aliter facientes, cuius absolutio soli priori claustrali reservatur, prout ordinatum reperimus in statutis capituli anni MCDLVIII, et renovatum in capitulo generali anni MDCLXXVI. In itinere autem vestes deferent, ut in praefato capitulo praescriptum est. Quisquis autem sine regulari habitu, videlicet scapulari super vestem ab anteriori parte et posteriori ita dependente ut appareat sine ullis omnino globulis, repertus fuerit etiam in itinere, poenis praedictis statutis latis subiacebit, et omnibus superioribus iniungimus, ubi aliquos huius ordinationis praevaricatores invenerint, eos excipere sicut tanta inordinatio meretur. Eos declaramus incidere in casus reservatos abbati Cluniacensi et vicariis

generalibus et visitatoribus in actu visitationis; a quibus solis possint absolvi qui, quod Deus avertat, in tabernis manducare aut bibere praesumerent in locis suae residentiae, aut in eorum vicinia, quae quidem vicinia designabuntur a visitatoribus provinciae. Nec ullus monachus sine licentiâ prioris claustralis, ut habet regula, claustra seu septa monasterii egredietur.

De vitâ communi in omnibus monasteriis.

XIV. Cum nihil vitae monasticae conformius et magis ad conservandum paupertatis religiosae spiritum necessarium quam vita communis, ordinamus talem vitam in omnibus omnino monasteriis instituendam ubi non est, omnesque redditus in communi reponendos. Si tamen, ut fieri potest propter locorum dispositionem aliquibus in monasteriis aut proventuum diminutionem, statutum hoc nequiret servari, quantum fieri potest loca in eum statum [1] restituentur ut observetur.

De litibus inter se, vel monachos inter, et extra.

XV. Licet in praecedentibus capitulis generalibus sancitum fuerit inter monachos Ordinis, pacis et concordiae causâ, omnes lites amputandas, ideoque statutum fuerit, ubi aliqualis vel contentio oriretur inter monachos vel monasteria, amicabili compositione virorum prudentum terminandas; experientia docuit saepe monachos nolle statutis Ordinis pro eorum utilitate sancte institutis deferre, et plerumque vagandi animo atque a monasteriis recedendi studio lites conficere. Idcirco placuit renovari ea, quae iam salubriter ordinata sunt, ac statutum est omnes controversias inter monachos iudicio visitatorum Ordinis esse terminandas. Et si quis sibi gravamen factum conqueratur a visitatoribus, tunc recurret ad abbatem Cluniacensem, qui viros delectos religiosos cum iurisperitis, si ei libuerit, eliget, qui lites huiusmodi dirimant, quorum iudicio acquiescent. Insuper nullus prior aut procurator monasterii ullam litem instruet et defendet, nisi prius visitatori provinciae memoriale eiusdem mittat, ut de eo consulat, ut, si ipsi videbitur, eiusmodi litem ulterius prosequendi det licentiam. Quod si negotium debeat referri ad superiores curias, et sit alicuius momenti, tunc visitator curabit ut memoriale ipsi a monachis porrectum disquiratur in consilio iurisperitorum ab abbate Cluniacensi delectorum. Et ut litium expensis parcatur, has tunc lites prosequetur procurator generalis Ordinis, et expensae litis ipsi a monasteriis restituentur; nec licebit priori, sub praetextu eiusmodi litium, aut a monasterio abesse, aut alium monachum deputare, sine speciali veniâ abbatis Cluniacensis aut superiorum maiorum Ordinis. Ut omnes lites inter commendatarios et monachos Ordinis resecentur, si possibile est, in omnibus monasteriis aut prioratibus conventualibus partitio bonorum temporalium fiet, ut iam ordinatum fuit; et si contingat in aliquibus redditus adeo tenues esse, ut sufficere non possint expensis ad quas saepe contumacia commendatariorum in partitione monachis concedendâ adducit, tunc, ne bonum Ordinis retardetur, illam partitionem procurator generalis Ordinis prosequatur.

De monasteriorum restauratione.

XVI. In omnibus prioratibus conventualibus et monasteriis ruinae aedificiorum restaurentur; et ut sumptibus, si fieri potest, parcatur, procurator generalis Ordinis monebit litteris commonitoriis omnes priores ut oneri, ipsis ratione beneficiorum imposito, cito citius satisfaciant, et si commoniti satisfacere negligant aut renuant, tunc illos per vias iuris compellat.

1 Male edit. Main. legit *statutum* (R. T.).

De clausura.

XVII. Nullus in monasteriis et prioratibus sub quocumque praetextu pateat ingressus mulieribus, et ideo loca regularia undequaque claudantur, nec sit nisi unum ostium per quod in eo detur accessus, et si aliquae portae in hortis aut aliis locis pro commoditate rerum monasterii sint, non aperiantur nisi in casu necessitatis, et claves semper in cellâ prioris reponantur.

De prioribus, qui capitulo non interfuerunt.

XVIII. Quia multi priores claustrales ad capitulum generale non potuerunt[1], et enixe se excusarunt, eo quod ipsius necessaria non praestiterint priores commendatarii; contra illos, qui ad id tenentur, et inter quos partitio nondum facta fuit, procurator generalis aget.

De tonsurâ.

XIX. Non sine magno cordis dolore comperimus multos tonsuram adeo negligere, ut supposititios crines deferant; cui malo ut occurramus, artificiosas caesaries, quas contra decentiam monasticam esse nemo non dubitat, penitus omnibus in posterum inhibemus.

De novitiis et novitiatibus.

XX. Cum ex novitiorum bonâ institutione dependeat totius vitae sequentis perfectio, ordinamus quod deinceps novitii post annum probationis duos insuper annos in exercitiis regularibus transigant in eodem monasterio in quo annum novitiatus expleverint, antequam ad collegia studiorum causâ mittantur. Loca instituendis novitiis deputata sunt, quae sequuntur:

*Pro novitiis antiquae observantiae*, prioratus S. Eutropii Xantoniensis, prioratus de Cariloco, prioratus de Abbatisvilla, prioratus de Nogentorotreodi, et prioratus de Nantuaco, quem designamus pro iis qui in dicto prioratu et abbatiis de Balma et Gigniaco recipientur novitiis.

*Pro novitiis strictioris observantiae*, sacra abbatia Cluniacensis, prioratus B. Mariae de Charitate, prioratus S. Martini a Campis Parisiensis.

XXI. Quantum vero ad abbatiam S. Theofredi Monasteriensis, propter summam nostram erga eminentissimum cardinalem de Bonzy reverentiam et venerationem, eidem plenam et omnimodam praedictae suae abatiae eiusque dependentiarum dispositionem, sive quantum ad novitiorum receptionem, sive quantum ad cetera omnia, ut in praecedenti capitulo ordinatum est, duximus relinquendam, quamdiu vivet, et praedictam reget abbatiam eminentissimus cardinalis, cui multos annos apprecamur. Eo vero cedente aut decedente, monachi praedictae abbatiae et dependentiarum statutis Ordinis Cluniacensis se se conformabunt et subiicient, ut eam vivendi formam teneant, quam sancti patris Hugonis, sub quo praedictam abbatiam Ordini associatam fuisse demonstrant authentica eiusdem abbatiae cartulariorum instrumenta, successores et[1] Ordinis capitula instituerunt. Recipient quoque novitios suos, ut assolent monachi abbatiarum monasterii novi Pictaviensis et monasterii B. Mariae de Ageduno.

De quorumdam monasteriorum monialium clausura.

XXII. Auditis visitatoribus et vicariis generalibus de statu monasteriorum tam monachorum quam monialium, comperimus nonnulla monialium monasteria esse sine clausurâ. Ideo statuimus, ut, iuxta sapientissima sacri Concilii Tridentini decreta, quamprimum clausurâ firmentur.

De reformatione monasterii Lairacensis.

XXIII. Vox lamentationis et fletus auribus nostris intonuit, dum, referente vicario generali provinciae Vasconiae, miserum et deplorabilem statum monasterii Lairacensis audivimus. Agnovimus abominationem desolationis stare in loco sancto, ubi olim divinus cultus vige-

1 Deest verbum *convenire* aut simile (R. T.).

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

bat. Quamobrem eminentissimo abbati supplicatum est ut malis in dies ingruentibus occurrere et pro suâ auctoritate de congruis remediis providere dignetur.

De monasterii Lezatensis vitâ communi.

XXIV. Eodem quoque referente vicario generali nobis innotuit vitam communem in abbatiâ Lezatensi minime observari. Unde statuimus et ordinamus ut intra annum, si prius fieri non potest, instituatur, maxime cum illustrissimus episcopus Regiensis, eiusdem abbatiae commendatarius abbas, paratus sit omnia praestare, quae sui sunt muneris, ut loca sic disponantur ut facile possit observari.

De priore monasterii de Marciniaco.

XXV. Viso libello supplici porrecto nomine clarissimae in Christo filiae sororis Catharinae de la Chaize priorissae monasterii SS. Trinitatis de Marciniaco et sororum eiusdem monasterii, ut ratum haberet et gratum capitulum generale decretum factum ab eminentissimo cardinali Bullionio, tam suâ ordinariâ potestate, quam ipsi delegatâ a Summo Pontifice, quo quidem decreto suppressit mensam et titulum prioris in eodem monasterio propter gravia incommoda, et eodem decreto perlecto de die secundâ mensis martii anni currentis, idem approbamus et ratum habemus tamquam utile bono religionis et conforme legi fundationis, reservato tamen beneplacito apostolico hac in re particulariter et specifice obtinendo.

De Benedictinis in regno Poloniae.

XXVI. Exhibito nobis per dominum Casimirum Vincentium monachum a quibusdam monasteriis Poloniae deputatum supplici libello, quo, nomine monachorum quorumdam Benedictinorum regni illius, postulat in eodem regno eam, quam antiquitus tenent, ab abbate Cluniacensi et Ordine dependentiam conservari, non laetari non possumus in tam dissitis regionibus post tot rerum mutationes Cluniacensis Ordinis nomen, famam et splendorem vigere. Quapropter eminentissimi abbatis prudentiae remittimus ea ordinare, quae congrua cognoverit in tali negotio peragenda.

De litteris associationis cuidam concedendis.

XXVII. Decretum est, ut, propter magna et continua officia, quibus clarissimus dominus Antonius le Vaillant, sapientissimus in curiâ Parlamenti advocatus, de Ordine benemeritus est et[1] in dies benemeretur, eidem litterae associationis et participationis bonorum operum concedantur.

De visitatione abbatiae Cluniacensis.

XXVIII. Statutum est, ut, iuxta antiquum usum Ordinis, abbatia Cluniacensis tempore capituli a deputatis visitetur, absque praeiudicio visitationum singulis annis faciendarum.

De armis et aleis.

XXIX. Renovando statuta Ordinis iuxta canonum decreta condita, prohibemus omnibus armorum gestationem, sub poenis iuris, et eorumdem detentionem sine licentiâ. Prohibemus etiam venationes et aleas sub poenis a canonibus et statutis Ordinis, praecipue capituli anni MCDLVIII latis.

De institutione priorum.

XXX. Decretum est institutionem priorum claustralium ab abbate Cluniacensi traditam legendam esse in capitulo monasterii coram omnibus monachis, et in librum actuum capitularium inserendam intra tres menses a die adventationis priorum in sua monasteria, sub poenâ depositionis, si per eorum negligentiam legi aut inseri omittatur.

De iuramento in professione.

XXXI. Decretum est, ne deinceps aliud iuramentum a profitentibus in suâ professione pronuntietur, nisi quod ab eminentissimo domino cardinali nunc[2] abbate fuerit approbatum, et signo suo seu chirographo munitum; ita tamen ut huiusmodi iuramentum sacris canonibus, apostolicis et Ordinis Cluniacensis

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).
2 Forsan legendum *tunc* (R. T.).

constitutionibus ac sacri Concilii Tridentini decretis nullatenus adversetur.

De actis capituli. XXXII. Mittet procurator generalis duo tam huiusmodi capituli quam aliorum deinceps exemplaria ad singula monasteria, quae quater in quatuor anni temporibus integre in capitulo, praesentibus omnibus monachis, diligentiâ priorum perlegentur.

De ordinandis. XXXIII. Monachi ordinandi per superiores maiores ad monasteria regularia mittentur ibi per tres menses pro quolibet ordine sacro recollectioni vacaturi.

De taxâ pro expensis communibus. XXXIV. Cum experientiâ nobis innotuerit reductionem taxarum pro expensis communibus in ultimo capitulo factam impedire quominus satisfieri possit omnibus impensis necessariis Ordinis, decernimus eas exigendas prout decretum fuit die XV februarii anni MDCLXXXI. Rogamus vero eminentissimum abbatem ut procuratori vel procuratoribus generalibus alicuius mensae monachalis proventum velit attribuere ad ipsius congruam sustentationem. Verum residua summa impensarum communium, quae procuratori generali debetur, solvetur ut taxatae sunt in ultimo capitulo generali, nullâ dilatione interpositâ. Priores regulares communem cum monachis vitam, ut supra fuit ordinatum, non tenentes, sed pensiones tantummodo suis monachis erogantes, quoad vitam communem in suis monasteriis instituerint, quod ut quamprimum faciant exhortamur, taxam integram impensarum communium persolvent, nec tenebuntur monachi quidquam de suis pensionibus conferre.

De procuratoribus generalibus. XXXV. Dispositioni eminentissimi cardinalis abbatis relinquimus iudicium de necessitate instituendi aut unicum procuratorem generalem pro utrâque observantiâ, aut unicuique suum usque ad proximum capitulum generale. Qui procurator aut procuratores generales quotannis coram tunc abbate rationem reddet impensarum; et, ne detrimentum patiantur negotia Ordinis, eminentissimo abbati humiliter supplicamus, ut quamprimum post capitulum nomine etiam definitorum de eo provideat. Interea autem domnus Bernardus Michon, qui hactenus res et negotia Ordinis solerter et prudenter procuravit, munia procuratoris generalis exequetur.

De auctoritate concessa nonnullis. XXXVI. Quia nobis discessuris et absentibus forte supervenire poterunt res, quae ad resolutionem nostram spectarent, ne quid ruat in peius, omnimodam potestatem nobis commissam tradimus et committimus quatuor ex nobis in hac abbatiâ octo diebus post capitulum remansuris, scilicet reverendo domno Carolo de la Motte, reverendo domno de Vert, reverendo domno Ildefonso Sarazin, et reverendo domno Claudio Rolan, ut illis negotiis provideant.

De futuro capitulo. XXXVII. Statuimus proximum generale capitulum celebrandum dominicâ, in qua cantatur in Ecclesiâ Dei pro introitu missae *Iubilate*, anno Domini MDCXCVII in hac sacrâ Cluniacensi abbatiâ.

Sanatio actorum et absolutio a censuris. XXXVIII. Si qui intervenerint in praesenti capitulo generali formalitatum defectus, super his, eâ qua fungimur auctoritate, plene dispensamus. Et si a iure vel ab homine censuras aliqui incurrerint, nos auctoritate tam ordinariâ quam delegatâ, qua fungimur, ipsos absolvimus pro hac vice.

*Nominati sunt qui sequuntur provinciarum visitatores:*

*In provinciâ Lugdunensi:* Reverendus domnus Claudius Gendreau, prior et eleemosynarius abbatiae Lezatensis, baccalaureus in sacrâ theologiâ; R. D. Franciscus Jouber, prior in titulum Montis Berulphi.

*In provinciâ Franciae:* R. D. Clau-

dius de Vert, thesaurarius Cluniacensis; R. D. Richardus Gerard, prior claustralis S. Saturnini de Portu.

*In provinciis Delphinatus, Provinciae et Sabaudiae:* R. D. Caesar de la Sallas, prior in titulum de Fontibus; R. D. Benignus de Vert, prior claustralis de Lehuno in Sanguineterso.

*In provinciâ Averniae:* R. D. Franciscus de Gove, prior in titulum de Celsiniis; R. D. Ioannes Henricus de Barbon, prior et camerarius S. Theofredi Monasteriensis.

*In provinciâ Pictaviensi et Xantonensi:* R. D. Renatus Rousseau, abbas monasterii novi Pictaviensis; R. D. Carolus du Couroy, prior in titulum S. Eutropii Xantonensis.

*In provinciâ Vasconiae:* R.D. Ioannes Bouritat, prior pro antiquis B. Mariae de Paredo; R. D. Ennemundus Morel, prior in titulum de Alezio.

*In provinciâ Hispaniae:* R. D. Michaël Petrus du Perray, prior claustralis S. Dionysii de Nogentorotrodi; R. D. Stephanus de Nesmond, prior claustralis Ss. Petri et Pauli de Abbatisvilla.

*In provinciis Italiae et Longobardiae:* R. D. Petrus Govin, prior in titulum de Sales; R. D. Ioannes Gravier, prior claustralis S. Marcelli de Sausen.

*In provinciis Alemaniae, Lotharingiae et comitatus Burgundiae:* R. D. Hieronymus Cocquelin, principalis collegii Dolensis; R. D. Innocentius de Vautravers, prior claustralis B. Mariae de Vallibus.

*In provinciâ Angliae et Scotiae:* R. D. Ludovicus Moreau, prior in titulum collegii Cluniacensis; R. D. Claudius Roland, prior claustralis et sacrista S. Petri de Thisiaco.

*Visitatores monialium:* R. D. Franciscus de la Roche Guibal, prior de Longoponte, doctor sacrae facultatis; R. D. Petrus Symon, prior claustralis de Marciniaco.

*Electi sunt in superiores Strictioris Observantiae:*

*Vicarius generalis:* R. D. Paulus Rabusson;

*Visitatores:* R. D. Petrus Symon, R. D. Iacobus de la Motte;

*Priores:* prior claustralis sacrae abbatiae Cluniacensis, R. D. Stephanus Jouly; prior claustralis B. Mariae de Charitate, R. D. Carolus de la Motte; prior claustralis Martini a Campis, R. D. Hugo Donnodien; prior claustralis Ss. Petri et Pauli de Silviniaco, R. D. Eusebius Decoubronne; prior claustralis de Celsiniis, R. D. Ioannes Franciscus Constantin; prior claustralis S. Arnulphi de Crespeio, R. D. Ioannes Bombars; prior claustralis S. Marcelli Cabilonensis, R. D. Ludovicus Evurard; prior claustralis Ss. Petri et Pauli de Radolio, R. D. Antonius Tocquet; prior claustralis S. Stephani Nivernensis, R. D. Ioannes Simonin; prior claustralis S. Dionysii de Carcere, R. D. Iacobus de la Motte; prior claustralis S. Petri Monasteriensis, R. D. Gaspardus Despineu; prior claustralis de Monte Desiderio, R. D. Carolus da Zincourt; prior claustralis S. Lupi de Esserento, R. D. Ioannes Chevalier; prior claustralis S. Petri de Mausiaco, R. D. Ioannes Vernioll; prior claustralis S. Petri de Pomperiis, R. D. Placidus Delporte; prior claustralis S. Nazarii de Borbonio, R. D. Jacobus Ieanninet; prior claustralis Ss. Petri et Pauli de Coinciaco, R. D. Stephanus Hugonet; prior claustralis de Marciniaco, R. D. Petrus Symon.

*Vicarius generalis visitator Strictioris Observantiae in comitatu Burgundiae:* R. D. Hieronymus Cocquelin.

*Priores:* prior claustralis S. Hieronymi de Dola, R. D. Fulgentius Camus;

prior claustralis B. Mariae de Vallibus, R. D. Innocentius de Vautravers; prior claustralis de Mortua-aqua, R. D. Deicola Hogonet; prior claustralis de Castro, R. D. Franciscus Dorival; prior claustralis de Alta Petra, R. D. Albertus Chassignet; prior claustralis S. Petri de Valle-Clusa, R. D. Albertus Bole; prior claustralis S. Desiderati de Ledone Salitiario, R. D. Gabriel Boudret.

Publicatio relatorum decretorum.

Lectae et publicatae fuerunt supradictae definitiones in capitulo generali Ordinis Cluniacensis, eminentissimo et reverendissimo cardinali S. R. E. Emmanuele Theodosio de Turre-Averniae abbate Cluniacensi ibidem praesidente et capitulum tenente in dicto monasterio Cluniacensi, necnon praesentibus dominis abbatibus, prioribus, decanis, administratoribus, officiariis et religiosis dicti Ordinis ad sonum campanae ibidem capitulariter congregatis, die XVI mensis octobris, anno Domini MDCXCIII, praesentibus venerabilibus viris Iacobo Chauvet, presbytero curato B. Mariae de Pannellis Cluniacensis, baccalaureo in sacrâ theologiâ, et Claudio Ludovico Lambert, presbytero, testibus ibidem adstantibus, per me notarium regium Cluniaci commorantem sic signatae.

Subscriptiones.

Emmanuel Theodosius de Turre Averniae S. R. E. cardinalis Bullionus, abbas generalis totius Ordinis Cluniacensis; frater Ludovicus Denangis, prior maior abbatiae et Ordinis; frater Carolus de la Motte, frater Hieronymus Cocquelin, frater de Vert, frater Odo Bernardo, frater Eusebius de Coubronne, frater Hugo Chizel, frater Antonius Theverim, frater Hugo de Borbon, frater Ildefonsus Sarrazin scriba capituli; D. Lodovicus Moreau, prior in titulum collegii Cluniacensis, et doctor Stephanus de Nesmond, Ioannes Baptista Gravier Roland scriba, Petrus Duperery Chauvet et Lamber testes, et Bruni notarius regius.

Fides.

EMMANUEL THEODOSIUS A TURRE AVERNIAE S. R. E. episcopus cardinalis Bullionus, abbas generalis abbatiae et totius Ordinis Cluniacensis. Extractum ex authographo eiusdem capituli generalis quod asservatur in archivio sacrae abbatiae Cluniacensis per nos scribas et secretarios eiusdem capituli, ac notarium regium subsignatum in urbe Cluniacensi die XVII mensis octobris, anno Domini MDCXCIII. Frater Ildefonsus Sarrazin scriba capituli, D. Roland scriba capituli, Bruni notarius regius ».

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Emmanuel Theodosius episcopus cardinalis et commendatarius statuta ac decreta huiusmodi, quippe ad restituendum ac stabiliendum in Ordine praedicto regularis observantiae rigorem eximie conducibilia, pro firmiori illorum subsistentiâ exactiorique observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Emmanuelis Theodosii episcopi cardinalis et commendatarii votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, illius supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula statuta seu decreta praeinserta, in eisque contenta quaecumque, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint seu intervenisse dici, censeri vel praetendi possunt, supplemus et sanamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras ac statuta seu decreta praeinserta semper firma valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et dele-

gatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eius S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis eiusque monasteriorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI iunii MDCXCV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 21 iunii 1695, pontif. anno IV.

CVII.

*Declaratur constitutio Innocentii XI de executione regulae fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ*[1].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Constitutio Innocentii XI ubi de vita communi.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Innocentio PP. XI praedecessore nostro emanarunt pro Ordine fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum litterae in simili formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet: *Innocentius PP. XI ad perpetuam rei memoriam.* Sollicitudo (*reliqua vide tomo praecedenti*).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX novembris MDCLXXIX, pontificatus nostri anno IV.

Dubium an superiores esse possint, qui vitam communem etiam sine culpa non servant.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Bonaventura Poërius minister generalis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, nonnulli visitatores ex utrâque familiâ eiusdem Ordinis tam de Observantiâ quam Reformati dubium ei proposuerint, an eorum religiosorum, qui vitam communem in victu et vestitu, chori frequentiâ, iter pedibus agendo, aliisque similibus a regulâ praescriptis rigoribus non observant, idque ex infirmitatis sive alterius impotentiae causâ, quae eos, iuxta textum regulae et constitutionum dicti Ordinis, excusat, adeoque a transgressionis culpâ eximit, electio in praelatos sive superiores in eodem Ordine valida sit, eaque, si aliàs canonice facta reperiatur, et illi officiorum, ad quae fuerint electi, ceteroqui sint capaces, ab ipsis visitatoribus confirmari possit et debeat; ipse vero Bonaventura minister

1 In huius Pontificis constit. edit. MDCXCIV, pontif. III, agitur de electione procuratoris generalis, et in const. edit. MDCXCV, die 12 septembris, pontif. V, de modo eligendi officiales provinciae Romanae.

generalis (tametsi existimet religiosos, qui, propter infirmitatem aut aliam quamvis necessitatem, vitam communem aliaque in praeinsertis Innocentii praedecessoris litteris praescripta exacte observare nequeunt, ab officiis et gradibus superioritatis excludi debere, seque, ac pro tempore existentem ministrum generalem Ordinis supradicti, eos, etiam aliàs canonice electos, iuxta earumdem litterarum formam, excludere posse; illos autem, qui culpabiliter dictam vitam communem non observant, et ex malitià delinquunt, non solum ab officiis et gradibus huiusmodi excludi, sed etiam poenis contra trangressores statutis puniri debere) nihilominus dubium praefatum declarari ac aliàs desuper opportune a nobis provideri plurimum desideret:

Declaratio praedicta pro parte negativa.

§ 3. Nos, eiusdem Bonaventurae ministri generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ipsius Bonaventurae ministri generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum super disciplinà regulari specialiter a nobis deputatorum, qui rem mature discusserunt, consilio, religiosos omnes praefati Ordinis, qui vitam communem observantiae in praeinsertis Innocentii praedecessoris litteris praescriptam vere et cum effectu sequi non solent, etiamsi id ex infirmitate seu alià quavis necessitate et absque ipsorum culpâ accidat, in praelatos seu superiores eiusdem Ordinis eligi non posse, eorumque electionem, si quando fiat, tametsi aliàs canonica foret, a praelato sive superiore generali dicti Ordinis, servatà quoad hoc earum litterarum formâ, irritandam esse; illos vero, qui in praedictis observantiae communibus exercitiis, seu in eorum aliquo, culpabiliter deficere consueverunt, non modo, ut supra, ineligibiles esse, sed insuper poenis constitutionum ipsius Ordinis subiacere, auctoritate apostolicà, tenore praesentium, declaramus, ac etiam statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praeinsertis Innocentii praedecessoris litteris concessa sunt non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticà dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iulii MDCXCV, pontificatus nostri anno IV.

**Dat. die 2 iulii 1695, pontif. anno IV.**

---

## CVIII.

*Statuitur, ut collegium S. Isidori de Urbe provinciae Hiberniae fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum regatur iuxta constitutionem Urbani VIII et eius statuta*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Statutum de quo in rubrica.

§ 1. Prospero felicique regimini et gubernio collegii S. Isidori de Urbe fratrum provinciae Hiberniae Ordinis Minorum S. Francisci strictioris observantiae seu Recollectorum nuncupatorum, quantum cum Domino possumus, consulere, ac dilectum filium Bonaventuram Poërium ministrum generalem dicti Ordinis specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eiusdem Bonaventurae ministri generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut de cetero collegium praedictum exacte et praecise iuxta dispositionem constitutionis felicis recordationis Urbani PP. VIII super directione collegii huiusmodi emanatae, necnon statutorum in limine eius fundationis editorum, regi et gubernari debeat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo statuimus, praecipimus et ordinamus. Praeterea omnia et singula circa memoratum collegium tam a nobis et Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, quam a quibusvis S. R. E. cardinalium Congregationibus ac ipsius Ordinis superioribus hactenus quoquo modo contra formam constitutionis ac statutorum huiusmodi forsan ordinata, decreta seu concessa, auctoritate et tenore praedictis, quoad ea quae constitutioni ac statutis praedictis adversantur, itidem perpetuo revocamus, annullamus, cassamus, abrogamus et abolemus.

Clausulae.

§ 2. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis actoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, collegii ac provinciae et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum te-

[1] Urbani VIII constit. ed. fuit MDCXXV, die 20 novembris, pontif. III; in huius Pontificis const. ed. MDCXCIII, die 15 augustii pontif. III, extant statuta pro tribus coenobiis in Baeticâ, et in Clementis XI const. ed. MDCCV, die 12 martii, pontif. V, agitur de procuratore generali ultramontano.

nores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Marem, sub annulo Piscatoris, die xx iulii MDCXCV, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 20 iulii 1695, pontif. anno v.

---

## CIX.

*Confirmantur hospitali seu Ordini militari Crucigerorum cum rubeâ stellâ privilegia a nonnullis Pontificibus concessa* [1].

**Innocentius Papa XII, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Catholicae Ecclesiae regimini per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praesidentes, ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ad favorem militiarum et hospitalium quorumcumque in Ecclesiâ Dei pie sancteque erectorum et institutorum ac personarum in eis Altissimo famulantium, provide emanasse noscuntur, ut firma atque illibata persistant, apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id a nobis petitur, libenter corroboramus, et aliàs desuper disponimus, sicut, maturâ deliberatione adhibitâ, ad omnipotentis Dei gloriam piorumque operum incrementum arbitramur in Domino salubriter expedire.

Referuntur privilegia praedicta concessa et confirmata. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii magnus magister, praeceptores seu commendatarii, aliique fratres hospitalis seu Ordinis militaris Crucigerorum cum rubeâ stellâ per Bohemiam, Silegiam, Moraviam et Poloniam existentis sub regulâ sancti Augustini, quod dudum, postquam felicis recordationis Gregorius Papa IX praedecessor noster hospitale praedictum illiusque bona in ius et proprietatem beati Petri Apostolorum principis ac sub suâ et Apostolica Sedis protectione susceperat, necnon ipsi [1] hospitali eiusque personis varia privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, gratias et indulta concesserat, recolendae memoriae Innocentius IV, Alexander IV, et Benedictus XII Romani Pontifices, etiam praedecessores nostri, eisdem hospitali et personis alia similiter privilegia concesserunt seu iam concessa confirmarunt et approbarunt, prout continetur in eorumdem Gregorii, Innocentii, Alexandri et Benedicti praedecessorum litteris sub plumbo desuper emanatis tenoris sequentis, videlicet:

Constitutio Gregorii IX qua dicto hospitali concessa fuera plura privilegia. « *Gregorius episcopus, servus servorum Dei*, dilectis filiis magistro hospitalis S. Francisci Pragensis, eiusque fratribus, tam praesentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuam memoriam. Omnipotens Deus, qui alto providentiae suae consilio cuncta disponit, cor et animum dilectae in Christo filiae Agnetis sororis carissimi in Christo filii nostri illustris regis Bohemiae tanto charitatis igne succendit, ut in monasterio S. Francisci pauperum monialium inclusarum Pragensi Christo se ipsam in odorem suavitatis offerret, et pietatis ac compassionis intuitu, ad opus infirmorum et pauperum, hospitale, in quo divino estis obsequio mancipati, fecerit et dotavit [2]. Nos igitur, prosequentes sanctum eius propositum,

1 Horum Pontificum constitutiones infra referuntur. In Clementis vero XI constit. editâ MDCCVI, die XXVIII augusti, pontif. VI, conceditur indulgentia in die Exaltationis S. Crucis.

1 Edit. Main. legit *ipso* (R. T.).

2 Cohaerentius lege *dotaverit* (R. T.).

et apostolico patrocinio confoventes, ad preces ipsius, hospitale praedictum, situm in fundo quem praefatus rex Ecclesiae Romanae concessit et tam idem quam venerabilis frater noster Pragensis episcopus plenariae libertati donavit, sicut in eorum litteris ad nos transmissis perspeximus contineri, in ius et proprietatem beati Petri ac sub nostrâ et Apostolicae Sedis protectione suscipimus et praesentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini regulam in eodem hospitali de mandato nostro institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona idem hospitale in praesentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione regum ac principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, praesente Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocalibus: locum ipsum, in quo praefatum hospitale situm est, cum omnibus pertinentiis suis: villam Illupetim cum omnibus villis ad eam pertinentibus, videlicet Humenez et Hydossitize: villam Borotitz cum omnibus villis ad ipsam pertinentibus, videlicet Supanovicf et Drahotessicf: villam Ribinih cum suis pertinentiis: villam Roksitfe cum omnibus pertinentiis suis: et alias possessiones vestras, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, retragiis et pascuis, in Boske et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus libertatibus et immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum, quae propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, sive hortis, virgultis et piscationibus vestris, seu de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere praesumat. Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas a saeculo fugientes ad conversionem recipere, et eas absque contradictione aliquâ retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, fas sit de loco ipso, nisi arctioris religionis obtentu, discedere, discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis, clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, suppressâ voce divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto. Pro consecrationibus vero altarium, sive pro Oleosancto, vel alio ecclesiastico sacramento, nullus a vobis, sub obtentu consuetudinis, vel alio modo, quidquam audeat extorquere, sed haec omnia gratis vobis auctoritate nostrâ episcopus dioecesanus impendat; alioquin liceat vobis haec eâdem auctoritate recipere a quoquam malueritis catholico antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae obtinente. Quia vero interdum dioecesani episcopi copiam non habetis, si quem episcopum, Romanae Sedis, ut diximus, gratiam et communionem habentem, et de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones votorum et vestium, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad ordines fuerint promovendi, recipere valeatis. Obeunte vero te tunc eiusdem hospitalis magistro, nullus ibi, qualibet subreptionis astutiâ seu violentiâ, praeponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum maior pars consilii senioris secundum Deum et

beati Augustini regulam providerint eligendum. Libertates praeterea et immunitates, concessas vobis a rege, episcopo et capitulo supradictis, auctoritate apostolicâ confirmantes, nihilominus inhibemus, ne quis archiepiscopus, episcopus vel praelatus alius in hospitale praedictum, vel regulares personas inibi Domino famulantes, excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiam audeat promulgare, quam contra prohibitionem huiusmodi prolatam decernimus non tenere. Paci quoque et tranquillitati vestrae paternâ imposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolicâ prohibemus, ut, infra clausuras locorum vestrorum, nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat praefatum hospitale temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel oblatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac substentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura: salvâ Sedis Apostolicae auctoritate. Ad indicium autem huius perceptae a Sede Apostolicâ libertatis, unum bisantium nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Si quae igitur in futurum ecclesiastica saecularisque persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, primo, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, et sanctissimo corpore et sanguine domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus, sit pax domini nostri Iesu Christi, quatenus, et hinc fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen».

*Constitutio altera Gregorii, qua confirmatae fuere libertates et immunitates.*

« *Gregorius episcopus, servus servorum Dei*, dilectis filiis magistro et fratribus hospitalis S. Francisci Pragensis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor aequitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, libertates et immunitates saecularium exactionum a carissimo in Christo filio nostro illustri rege Boëmiae hospitali vestro pro liberalitate concessas, sicut eas iuste ac pacifice obtinetis, vobis, et per vos eidem hospitali, auctoritate apostolicâ confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani, VIII kalendas maii, pontificatus nostri anno XII[1]».

*Constitutio Innocentii IV, qua concessa fuit facultas deferendi signum congruum.*

« *Innocentius episcopus, servus servorum Dei*, venerabili fratri episcopo Pragensi, salutem et apostolicam benedictionem. Precibus dilectae in Christo filiae Agnetis sororis monasterii S. Francisci Ordinis S. Damiani Pragensis, de cuius bonis hospitale ipsius monasterii immediate ad Apostolicam Sedem pertinens constructum dignoscitur, benignum impertientes assensum, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, qua-

1 Nempe 24 aprilis 1238 (R. T.).

tenus magistro et fratribus eiusdem hospitalis, si expedire videris, deferendi signum congruum, quod tibi videbitur, concedas auctoritate nostrâ liberam facultatem; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo. Datum Lugdunii, VI idus octobris, pontificatus nostri anno VIII [1] ».

Constitutio Alexandri IV, qua confirmatum fuit concessum signum.

« *Alexander episcopus, servus servorum Dei*, dilectis filiis priori et fratribus hospitalis S. Francisci Pragensis Ordinis sancti Augustini ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor aequitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Cum itaque, sicut exhibita nobis vestra petitio continebat, venerabilis frater noster Pragensis episcopus, auctoritate litterarum felicis recordationis Innocentii Papae praedecessoris nostri, vobis signum Crucis et Stellae duxerit concedendum: nos, vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem episcopo provide factum est, ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolicâ confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Anagniae XII kalendas iulii, pontificatus nostri anno II [2] ».

Constitutio Benedicti XII, qua confirmata fuere privilegia, libertates, immunitates et indulgentiae.

« *Benedictus episcopus, servus servorum Dei*, dilectis filiis magistro priori et fratribus hospitalis S. Francisci in Pedepontis Pragensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, per magistrum et priorem soliti gubernari, Ordinis Cruciferorum cum stellâ, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor aequitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per privilegia, sive alias indulgentias vobis et hospitali vestro concessas, necnon libertates et exemptiones saecularium exactionum a regibus et principibus et aliis christifidelibus rationabiliter vobis indultas, sicut eas iuste et pacifice obtinetis, vobis et per vos eidem hospitali auctoritate apostolicâ confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Avenione, XII kalendas iulii, pontificatus nostri anno IV [1] ».

Confirmatio relatarum constitutionum, cum remissione censûs non soluti, dummodo is in futurum persolvatur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, census unius bizantis seu unius floreni auri hungarici Apostolicae Sedi praedictae iuxta priores Gregorii praedecessoris litteras praeinsertas ad indicium perceptae a dictâ Sede libertatis annis singulis, sicut praemittitur, persolvendus, ab anno MDXV, propter haeresum calamitates aliaque adversa quae in illis partibus contigerunt, solutus non fuerit; ipsi vero exponentes vereantur, ne eâ de causâ concessas sibi ab eâdem Sede gratias supradictas ami-

1 Nempe 10 octobris 1250 (R. T.).
2 Nempe 20 iunii 1256 (R. T.).

1 Nempe 20 iunii 1338 (R. T.).

serint, ac propterea opportune, sibi[1] in praemissis a nobis providere et ut infra indulgeri summopere desiderent: nos, specialem eisdem exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas[2] fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, omnia et singula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, gratias et indulta hospitali praedicto, eiusque personis, a memoratis Gregorio, Innocentio, Alexandro et Benedicto praedecessoribus per eorum praeinsertas litteras concessa, ipsasque litteras cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur et efficaciam adiicimus. Praeterea eisdem exponentibus terminos census praedicti per eos, ut praefertur, debiti, hactenus decursos et non solutos, auctoritate et tenore praedictis gratiose remittimus et condonamus, et ita tamen ut in futurum eumdem censum solvant, alioquin praesens gratia nulla sit.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis praedictae nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti hospitalis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII iulii MDCXCV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 23 iulii 1695, pontif. anno V.

1 Male edit. Main. legit *tibi* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

## CX.

*Transfertur indulgentia plenaria perpetua in festo S. Ignatii ad diem dominicum pro ecclesiis missionariorum Societatis Iesu in insulâ Martinica*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Haec indulgentia in festo S. Ignatii concessa fuit a Gregorio XV.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Gregorius PP. XV praedecessor noster volens omnes et singulas ecclesias presbyterorum Societatis Iesu ubique existentes aliquo speciali munere illustrare, auctoritate sibi a Domino traditâ, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis dictae Societatis ubique existentibus die festo sancti Ignatii ultimâ iulii celebrari solito, a primis vesperis usque ac occasum solis festi huiusmodi, singulis annis, devote visitassent, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino perpetuo concessit, prout in ipsius Gregorii praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis confectis plenius dicitur contineri.

Translatio praedicta, si festum Sancti in diem feriatum cadat.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius procurator generalis dictae Societatis nobis nuper exponi fecit, commodius sit christifidelibus insulae Martinicae in Americâ meridionali sitae ad ecclesias presbyterorum missionariorum Societatis huiusmodi in illis partibus degentium visitandas, praefatamque indulgentiam consequendam, aliquo die festivo quam feriato accedere, et propterea indulgentiam supradictam ad dominicam intra octavam festi praedicti, quoties illud in diem feriatum cadat, per nos transferri summopere desideret: nos, eiusdem procuratoris generalis supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis annuere volentes, indulgentiam huiusmodi per dictum Gregorium praedecessorem, ut praefertur, concessam, quoad ecclesias dictae Societatis in insulâ praefatâ consistentes dumtaxat, quoties festum sancti Ignatii praedictum in diem feriatum cadat, ad dominicam intra illius octavam, itaut christifideles in ecclesiis huiusmodi ipsa dominicâ adimplentes, eamdem prorsus indulgentiam consequantur, quam consequerentur, si eadem praemissa die festo praefato adimplerent, servatâ aliàs in omnibus et per omnia litterarum praedictarum formâ, eâdem apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo etiam transferimus. In contrarium facientibus non obstanitbus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX iulii MDCXCV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 30 iulii 1695, pontif. anno V.

1 Ab Alexandro VIII concessa fuit alia indulgentia const. ed. MDCXC, die 30 martii, pontif. I, et a Benedicto XIII alia conceduntur const. ed. MDCCXXVI, die 23 septembris, pontif. III.

## CXI.

*Dividitur provincia Sardiniae fratrum Capuccinorum in duas*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

§ 1. Pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catho- Causae divisionis.

1 In Innocentii XI const. ed. MDCLXXVII, die 7 novembris, pont. I, extat alia divisio provinciae; et in const. ed. MDCLXXIX, die 10 februarii, pontif. III, erectio novae provinciae. In Clementis vero XI const. edit. MDCCIV, die 1 martii, pontif. IV, item divisio provinciae.

lici nobis nuper exponi fecit dilectus filius nobilis vir modernus dux de Medinacaeli, eiusdem Caroli regis apud nos et Sedem Apostolicam orator, quod, cum in regno Sardiniae, cuius ipse Carolus etiam rex existit, una dumtaxat provincia fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum reperiatur, eaque viginti duobus conventibus, in quibus quadringenti vel circiter religiosi dicti Ordinis degunt, constet, ac pro illius visitatione, quotannis necessario iuxta eorum constitutiones faciendâ, plusquam quadringentarum leucarum iter pedibus conficiendum sit, ministri provinciales provinciae huiusmodi plerumque in tam longâ peregrinatione decedere, aut inutiles per reliquum vitae eorum tempus remanere solent. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in capitulo generali eiusdem Ordinis novissime celebrato pro eiusmodi incommodo tollendo, seu remedio illi rei adhibendo, decretum fuerit ut memorata provincia in duas dividatur, nobis propterea memorati Caroli regis nomine humiliter supplicatum fuit ut opportunam ad id facultatem concedere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Divisio dictae provinciae in duas.

§ 2. Nos igitur, piis eiusdem Caroli regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectos filios procuratorem et definitores generales praedicti Ordinis audiverunt, consilio, et attento quod pro hoc ipso instant etiam dilecti filii minister provincialis et custodes provinciae supradictae, petitam facultatem dividendi eamdem provinciam, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et impartimur; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI augusti MDCXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 6 augusti 1695, pontif anno V.

---

## CXII.

*Confirmatur decretum Congregationis particularis circa vocem custodum et exministrorum provincialium fratrum*

*Capuccinorum in regnis Hispaniarum, Sardiniae et Maioricae in definitoriis provincialibus*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Causa decreti.

§ 1. Nuper per Congregationem nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium, a nobis particulariter deputatorum accepto, quod ex abolitione discretorum conventualium olim eligi consuetorum pro capitulis provincialibus provinciarum in regnis Hispaniarum existentium, necnon Sardiniae et Maioricae, Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, necnon ex subrogatione eorum loco custodum et exministrorum provincialium immediatorum ipsarum provinciarum, quas nos non ita pridem de Congregationis huiusmodi consilio per quasdam nostras in simili formâ Brevis litteras feceramus, ortum fuerat dubium an custodes et exministri provinciales huiusmodi votum habere deberent in definitoriis earumdem provinciarum, vel potius in solis functionibus capitularibus; pro declaratione dubii huiusmodi emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Sacra Congregatio particularis eminentissimorum et reverendissimorum dominorum cardinalium per sanctissimum dominum nostrum deputata censuit ac declaravit, custodes et exministros provinciales immediatos, vigore Brevium de quibus agitur, non habere vocem in definitoriis provincialibus, sed solum in capitulis: ac propterea iniungendum nuncio apostolico Hispaniarum, quatenus ita exequi curet. Romae, XXIV martii MDCXCV. — G. cardinalis CARPINEUS. A. ALTOVITUS secretarius ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici per dilectum filium nobilem virum modernum ducem de Medinacaeli, ipsius Caroli regis apud nos et Sedem Apostolicam oratorem, nobis subinde expositum fuit, idem Carolus rex praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, piis dicti Caroli regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus eiusdem Caroli regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Committitur executio.

§ 4. Quocirca venerabili fratri Friderico archiepiscopo Mediolanensi, mo-

[1] Const. edit. MDCXCIII, die 29 martii, pontif. II, abrogati fuere discreti; et constit. edit. MDCXCIII, die 12 septembris, pontif. III, subrogati fuere custodes et exministri. In Clementis vero XI constit. ed. MDCCI, die 28 augusti, pontif. I, abrogantur discreti in provinciâ Flandro-belgicâ.

derno et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum huiusmodi nuncio, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, ipsas praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte interesse in praemissis habentium seu alicuius eorum desuper fuerit requisitus, solemniter publicans[1], illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ illos et eorum quemlibet praesentium litterarum et in eis contentorum eorundem commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittens illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciarum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Edit. Main. legit *publicis* (R. T.).

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur tam in iudicio quam extra illud, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV augusti MDCXCV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 14 augusti 1695, pontif. anno V.

---

## CXIII.

*Conceditur indulgentia plenaria perpetua visitantibus ecclesiam sancti Francisci fratrum Minorum Conventualium civitatis Assisiensis*[1].

**Innocentius Papa XII, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Commissae nobis a Domino nostro Iesu Christo dispensationis ratio exigit, ut caelestium munerum thesauros ad augendam in terris Sanctorum in caelis regnantium venerationem, fovendamque et invitandam erga illos fidelium devotionem, fideli prudentiâ, quantum nobis ex alto conceditur, erogare studeamus.

Concessio indulgentiae.

§ 1. Itaque, eximia omnisque humanae laudis praeconium longe supergressa

1 In Alexandri VIII const. ed. MDCXC, die 20 ianuarii, pontif. I, extat alia indulgentia; vide etiam Clementis XI constit. edit. MDCCXVI, die 29 iulii, pontif. XVI.

sancti Francisci Confessoris, qui, terrenis omnibus despectis, caelestis gratiae benedictione repletus, innumeris mirabilium virtutum exemplis sanctam Dei Ecclesiam illustravit, et hominum corda eo, quo ipse ardentissime flagrabat, charitatis igne succendit, merita pio devotoque animi affectu recolentes, necnon spirituali christifidelium ad ecclesiam ipsius sancti Francisci domûs fratrum Ordinis Minorum eiusdem sancti Francisci Conventualium nuncupatorum civitatis Assisiensis, in qua sacrum eius corpus requiescit, assidue (ut accepimus) ex universis christiani orbis partibus devotionis causâ confluentium consolationi, atque animarum saluti, quantum cum Domino possumus, benigne consulere cupientes, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus ad ecclesiam supradictam, sicut praemittitur, confluentibus, qui illam vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti in quocumque anni die devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausula. § 2. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII augusti MDCXCV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 18 augusti 1695, pontif. anno V.

---

## CXIV.

*Conceditur indulgentia plenaria perpetua visitantibus ecclesiam S. Mariae Angelorum fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ civitatis Assisiensis* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Redemptoris et domini nostri Iesu Christi vices, licet immeriti, gerentes in terris, caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem humilitati nostrae commisit Deus, fideli prudentique liberalitate libenter erogamus, sicut pia sublimium principum, praeclaris in Ecclesiam Dei meritis fulgentium, ac religiosorum virorum propriae alienaeque saluti laudabiliter incumbentium vota postulant, et nos ad augendam fovendamque fidelium pietatem profuturum in Domino arbitramur.

Indulgentiae concessio. § 1. Itaque, spirituali christifidelium ad ecclesiam S. Mariae Angelorum nuncupatam domûs fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, prope et extra muros civitatis Assisiensis, assidue (ut accepimus) ex universis christiani orbis partibus devotionis causâ confluentium consolationi, atque animarum saluti, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, necnon dilecti filii Bonaventurae Poërii ministri generalis dicti Ordinis supplicationibus etiam totius Ordinis praedicti nomine nobis super hoc humiliter porrectis, quibus pie atque

1 Aliae indulgentiae concessae fuerunt in constit. edit. MDCXCII, die 24 decembris, pontif. II, et in Clementis XI const. edit. MDCCI, die 14 septembris, pontif. I.

enixe plurium orthodoxorum principum preces in idipsum tendentes accessère, favorabilem assensum praebere cupientes, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus ad ecclesiam supradictam, sicut praemittitur, confluentibus, qui illam vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti in quocumque anni die devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulae. § 2. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII augusti MDCXCV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 18 augusti 1695, pontif. anno V.

---

## CXV.

*Reservatur Summo Pontifici electio votantium signaturae iustitiae, eisque dantur roechettum et cappa magna* [1].

[1] Vide constit. infra citatas. In huius Pontificis const. edit. MDCXCIX, die 30 ianuarii, pontif. IX, confirmatur constitutio de datis et acceptis pro gratiâ vel iustitiâ; et in Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXVII, die 12 iulii, pontif. IV, dictis votantibus conceditur galeri redimiculum coloris violacei.

**Innocentius Episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Inter gravissimas et multiplices curas, quibus ex debito pastoralis officii humilitati nostrae divinitus crediti incessanter urgemur, in illam peculiaribus studiis intendimus, per quam administratio iustitiae nedum ab absurdis, quae irrepserant, vindicetur, sed, in meliorem formam redacta, exactiori ordini restituta, ac iudicibus maiori tum virtutis tum honoris praerogativâ decoratis commissa, in dies magis magisque refulgeat.

Epilogus constitutionis de reformatione tribunalium Urbis; § 1. Huius considerationis intuitu, cum aliàs particularem Congregationem nonnullorum dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum super abusuum, praesertim iudicialium, reformatione deputaverimus, quamplura ab eâdem Congregatione desuper edita et impressa decreta oretenus approbavimus, necnon de eiusdem Congregationis consilio nostris anno Incarnationis dominicae MDCXCII, XV kalendas octobris sub plumbo expeditis litteris particularia almae Urbis nostrae tribunalia ex privilegio constituta suppressimus et abrogavimus, eademque privilegia et tribunalia ad ius commune et iudices ordinarios memoratae Curiae reduximus. Et ulterius, ut officia causarum curiae Camerae Apostolicae generalis auditoris, necnon eiusdem Camerae thesaurarii generalis, duodecim clericorum et praesidentis, quae prius mediante pretio ad vitam côncedi consueverant, in posterum ad nostrum et Romani Pontificis pro tempore existentis et Sedis Apostolicae beneplacitum viris vitae et morum integritate praestantibus, litterarum scientiâ praeditis, rerumque humanarum experientiâ insignibus, ad maiorem Dei gloriam, eiusdem Roma- Nec non de venalitate officiorum Camerae.

nae Curiae et praelaturae decorem, necnon virtutis incitamentum et praemium, gratis et nullo recepto pretio concederentur, per alias similes nostras, eodem anno, x kalendas novembris, expeditas litteras[1], praefatorum officiorum venalitatem suppressimus, extinguimus, removimus et abolevimus. Et insuper ex tunc etiam ad nostrum signaturae referendariorum collegium (quod aliàs felicis recordationis Alexander PP. VII praedecessor noster in suis similibus litteris sub datum videlicet anno eiusdem Incarnationis MDCLIX, idibus iunii, inter cetera erexit et instituit, ac ex duodecim signaturae iustitiae votantibus sub eorum capite et moderatore eiusdem signaturae pro tempore existente praefecto repraesentari voluit) mentis nostrae aciem convertentes, et ut ad praefatum collegium viri similiter dignissimi, quoad fieri posset, semper admitterentur cupientes, consideravimus, quod, licet idem Alexander praedecessor in praefatis suis litteris huiusmodi votantes de corpore et numero dictorum referendariorum eligendos esse statuisset, nullà factâ mentione an eligendi essent priores seu antiquiores refendarii, diuturnus tamen usus ante et post easdem litteras invaluerat in votantes praefatos assumendi seu eligendi dictos priores seu antiquiores referendarios; quocirca nos virtutis praestantiam non in solâ muneris prioritate seu antiquitate consistere, et aliquando posteriores in officio prioribus doctiores et aptiores existere perpendentes, et propterea antiquitatis rationem nonnisi ceteris paribus habendam esse volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ex tunc memoratum collegium deinceps fore mere,

*Item de electione votantium signaturae iustitiae, et novo ipsorum collegio.*

1 Edit. Main. habet *expeditis litteris* (R. T.).

simpliciter et duntaxat electivum, nec in eiusmodi votantium electione, seu assumptione muneris vel officii referendarii, prioritatem fore amplius attendendam, sed votantes huiusmodi ad nostram et pro tempore existèntis Romani Pontificis electionem et providam deliberationem, habito ad virtutis praerogativam et meritorum excellentiam respectu, eligendos et assumendos esse, statuimus, decrevimus et declaravimus; et, pro maiori huiusmodi statuti, decreti et declarationis firmitate ac promptâ et opportunâ executione, antiquum seu tunc existens signaturae iustitiae votantium collegium penitus et omnino supressimus ac extinximus[1], novumque partim ex tunc noviter assumptis votantibus pietate, doctrinâ, prudentiâ et rerum usu praestantioribus collegium huiusmodi, cum omnibus et singulis eidem collegio quomodolibet concessis seu competentibus iuribus, facultatibus, praerogativis, praeeminentiis et privilegiis, ereximus et constituimus.

*Confirmatio et innovatio praedictorum.*

§ 2. Cum autem super praemissis litterae apostolicae adhuc confectae non fuerint, et memoratam praefati collegii renovationem seu reformationem, cuius exactam rationem in vacationibus et electionibus respective interim subsequutis habuimus, administrationi iustitiae valde proficuam, et decori eiusdem collegii admodum consentaneam, trium pene annorum experientiâ edocti fuerimus: hinc, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, etiam tenore praesentium praemissa plenissime et amplissime approbamus, confirmamus et innovamus, illisque perpetuae inviolabilis firmitatis robur adiicimus; et nihilominus omnia et singula praemissa iterum et ex integro etiam harum serie statuimus, decernimus et

1 Edit. Main. legit *extinguimus* (R. T.).

declaramus, ac in omnibus et per omnia perpetuis futuris temporibus inviolabiliter et inconcusse observari volumus et mandamus.

Concessio rocchetti et cappae-magnae dictis votantibus motu proprio facta.

§ 3. Praeterea ad praeclarum huiusmodi signaturae iustitiae votantium collegium, necnon ad laudabilia probitatis et virtutum dilectorum filiorum modernorum votantium huiusmodi merita paternae dirigentes considerationis intuitum, ac benigne perpendentes quantum decoris ex praefato collegio Romanae Curiae, quantumque utilitatis ex sedulo illorum labore iustitiae administrationi proveniat, eosque proinde ac illorum successores, ut alacrius fidem, operam, industriam et sedulitatem in tanti muneris exercitio adhibere studeant, aliquà maioris honorificentiae accessione decorare, ampliorisque favore gratiae prosequi volentes, et[1] ipsorum modernorum votantium singulares personas a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu, scientià, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, praefatis modernis et pro tempore perpetuo existentibus signaturae iustitiae votantibus, ut de cetero in omnibus, singulis et quibuscumque congregationibus, sessionibus, processionibus, pompis, consiliis et functionibus, negociis, ceterisque actibus publicis et privatis, etc., coram nobis et pro tempore existentibus Romanis Pontificibus successoribus nostris rocchettum in praefatâ Romanâ Curiâ palam deferre et gestare, illoque induti publice incedere et comparere, necnon cappas magnas, quibus iidem votantes in cappellâ nostrâ utuntur, similiter quando causarum commissionibus, aliisque resolutionibus in signaturae iustitiae congressu collegialiter assistunt, etiam deferre et gestare libere et licite possint et valeant, earumdem tenore praesentium perpetuo concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras, etiam ex eo quod antiqui seu tunc existentes votantes veteris[1], seu, ut praefertur, tunc suppressi signaturae iustitiae votantium collegii, ac alii quicumque, etiam speciali notâ digni, in praemissis quomodolibet ius vel interesse habentes seu habere praetendentes, iisdem praemissis non consenserint, aut vocati seu auditi non fuerint, aliâque quavis de causâ quantumvis legitimâ et iuridicâ, de ullo subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, alioque quocumque defectu, notari, impugnari redargui, retractari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari nullatenus posse, minusque sub similium vel dissimilium gratiarum moderationibus, limitationibus, revocationibus et quibuscumque aliis contrariis dispositionibus, per quoscumque Romanos Pontifices successores nostros et Sedem praedictam, etiam motu, scientiâ et deliberatione et potestatis plenitudine paribus, ac etiam consistorialiter et aliàs quomodolibet pro tempore factis et faciendis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas,

1 Male edit. Main. legit *ut* pro *et* (R. T.).

1 Edit. Main legit *veteri* (R. T.).

repositas et plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori datâ quandocumque eligendâ de novo concessas, semperque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac dictis signaturae iustitiae votantibus suffragari, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate, praeeminentiâ aut potestate fungentes et functuros, nunc et pro tempore existentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, et aliis quibuscumque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, necnon praedictâ, aliisque quibuscumque quantumvis antiquissimis et immemorabilibus consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis ad favorem utriusque vel alterius signaturae nostrae referendariorum vel votantium, seu eorum et quorumcumque collegiorum, vel tribunalium, etiam speciali notâ dignorum, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et potestatis plenitudine aut aliàs quomodolibet per praedecessores nostros Romanos Pontifices concessis, innovatis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur vel insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, ad effectum praesentium, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, statuti, decretorum, declarationis, voluntatis, mandati, absolutionis, concessionum, indulti et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCXCV, XIII kalendas augusti, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 20 iulii 1695, pontif. anno V.

---

## CXVI.

*Confirmatur decretum ministri generalis fratrum Minorum S. Francisci*

*Reformatorum de electione guardianorum, aliorumque officialium, necnon familiarium pro coenobiis recollectorum provinciae romanae*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Mos invaluerat, ut guardianus S. Bonaventurae folium guardianorum, aliorumque officialium, necnon familiarium definitorio praesentaret.

§ 1. Aliàs pro parte dilectorum filiorum guardiani et discretorum conventus S. Bonaventurae de Urbe Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum nobis exposito, quod (cum apud eos in more positum reperiretur, ut pro tempore existens guardianus dicti conventûs, tamquam praefati et aliorum provinciae romanae dicti Ordinis pro recollectione seu secessu fratrum Reformatorum Ordinis huiusmodi assignatorum conventuum director, singulis annis occasione celebrationis capituli provincialis seu congregationis dictae provinciae duos aut tres religiosos pro quolibet conventuum huiusmodi definitorio eiusdem provinciae praesentaret, et ex iis unus arbitrio ipsius definitorii unicuique ex conventibus praefatis in guardianum respective praeficeretur, necnon ulterius idem guardianus director folium quoddam, nomina religiosorum prae ceteris omnibus dictorum conventuum officiis aptiorum ac in eis de familiâ respective collocandorum continens, dicto definitorio similiter exhiberet; folium vero huiusmodi a memorato definitorio approbaretur, ac subinde a pro tempore existente ministro provinciali provinciae supradictae subscriptum ipsi guardiano[2] directori, ad hoc ut ab eo executioni demandari posset, restitueretur) mos huiusmodi plurium annorum spatio ob plenam, quam idem guardianus director de suis subditis eorumque qualitatibus notitiam habet, cum maximâ religiosorum secessûs huiusmodi pace et tranquillitate servatus fuerat; et in eâdem expositione subiuncto, quod iidem guardianus et discreti verebantur ne progressu temporis probatum hunc morem in divini servitii ac religiosae quietis perniciem variari seu mutari contingeret; ac proinde pro eorum parte nobis supplicato, quatenus eumdem morem de cetero ab iis, ad quos spectat et pro tempore spectasset, inviolabiliter servari mandaremus: nos, eiusmodi gratiae concessionem per rescriptum nostrum cum facultatibus necessariis remisimus arbitrio dilecti filii Bonaventurae Poërii ministri generalis Ordinis supradicti, qui eiusdem rescripti vigore decretum in praemissis edidit tenoris qui sequitur, videlicet: « Frater Bonaventura Poërius, lector iubilatus, totius Ordinis fratrum Minorum sancti patris nostri Francisci minister generalis, necnon auctoritate sanctissimi domini nostri Innocentii[1] Papae XII commissarius apostolicus, servus, etc. Cum amantissimi fratres nostri conventûs Recollectionis seu recessûs S. Bonaventurae de Urbe in pacificâ sint consuetudine, quod guardianus ipsorum, tamquam director totius Recollectionis huiusmodi, solitus sit singulis capitulis et congregationibus intermediis praesentare provinciae nostrae reformatae romanae duos vel tres fratres pro dicto sicut et aliis eiusdem Recollectionis conventibus, ut de eorumdem numero unus pro unoquoque conventu dictae Recollectionis ad arbitrium patrum definitorii praeficiatur in guardianum, praefatâque consuetudine tali se fratres ab ambitione remotos sine querelâ in humilitate, magnâ pace et aedi-

Decretum ministri generalis praedictum morem confirmans.

1 Vide Innocentii XI constit. ed. MDCLXXXV, die 16 aprilis, pontif. IX, Clementis XI constit. edit. MDCCV, die 12 martii, pontif. V.

2 Edit. Main. legit *guardiani* (R. T.)

1 Nomen *Innocentii* nos addimus (R. T.).

ficatione conservent: hinc est quod, sanctissimi domini nostri parentes oraculo quod ad hunc effectum ad nos fuit directum, et[1] retroscripto libello et apostolicae potestatis plenitudine pro hac parte nobis commissâ utentes, hac nostrâ in perpetuum valiturâ constitutione disponimus, mandamus et ordinamus, ut circa memoratam consuetudinem sequentia inviolabiliter observentur. Instante in primis tempore quo supradictae praesentationes definitorio sunt faciendae, quatuor aut quinque diebus ante convocabit guardianus conventûs S. Bonaventurae de Urbe omnes suos discretos, tractaturus cum illis mature super idoneitate fratrum diversorum, qui in praedictis Recollectionis seu recessûs conventibus reperiuntur et magis censentur idonei ad guardianatum praedicti S. Bonaventurae conventûs. Deinde quinque vel sex de aptioribus ex illis assumptos praesentabit toti communitati, quae simul cum discretis (qui quidem in omnibus supra et[2] infra dictis voce activâ et passivâ debent gaudere, servatâ tamen formâ nostrarum generalium constitutionum et decretorum apostolicorum tenore), per secreta suffragia ac ballotationes, duos vel tres definitorio praesentandos eliget, ut unus ex eis ab eodem definitorio libere et canonice in Domino in guardianum dicti conventûs S. Bonaventurae eligi valeat. In casu autem, quo vota sint paria, fiet novum scrutinium, et datâ paritate per duas vices, recursus habebitur ad ministrum generalem vel generalem praelatum, qui ex illis duos vel tres designabit praesentandos capitulo sive congregationi, quos iudicaverit in Domino existere digniores. Quoad praesentationes vero ceterorum dictae Recollectionis conventuum guardianorum, vicariorum et magistri novitiorum, fiet similiter per praefati conventûs S. Bonaventurae discretos matura discussio, et ex illis duo vel tres isti praesentabuntur, qui per suffragia secreta et ballotationes discretorum eorumdem pluralitatem reperientur habere votorum. Si quis autem contra hanc formam, a nobis de plenitudine apostolicae auctoritatis nobis in hac parte specialiter commissae dispositam, ordinatam et stabilitam, fuerit praesentatus aut electus, volumus ut eiusmodi praesentatio et electio invalida sit, irrita et nullius valoris, atque ad ministrum generalem vel generalem praelatum eius provisio devolvatur, sicut devolvuntur electiones capitulares non legitime celebratae. Qui quidem minister vel generalis praelatus, utendo iure devolutivo in illo casu, et non aliâs, continere se debet in eligendo intra numerum praesentatum a discretis praedicti S. Bonaventurae conventûs. Circa vero distributionem fratrum collocandorum in praedictis Recollectionis conventibus, pro nunc decernimus et mandamus servari consuetudinem usque modo servatam, videlicet, ut praefatus guardianus sive director praesentare et nominare possit religiosos pro singulis conventibus de familiâ collocandos ministro provinciali et definitorio provinciae, qui quidem spectatâ, discretâ et oeconomicâ distributione ipsam in Domino confirmabit. Ceterum omnibus dicti conventûs S. Bonaventurae fratribus districte prohibemus, ne quis praevie ad praedicta per communitatem danda suffragia audeat facere quascumque colligationes, subornationes, functiones[1], aut quidpiam huiusmodi. Secus praesumentes, vel mi-

1 Male ed. Main. legit *ut* pro *et* (R. T.).
2 Praeposit. *ad* hinc abiicimus (R. T.).

1 Forsan *factiones* pro *functiones* legendum est (R. T.).

nas alicui de negando suffragio intentantes, poenas in apostolicis et Ordinis constitutionibus contentas incurrant, aliisque ad arbitrium ministri vel praelati generalis gravissime puniantur. Romae, in conventu nostro Aracaelitano, die v augusti MDCXCV. Frater BONAVENTURA POËRIUS minister generalis et commissarius apostolicus. De mandato suae paternitatis reverendissimae frater LUDOVICUS DE LA TORRE secretarius generalis Ordinis ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut guardianus et discreti praefati nobis denuo nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum a memorato ministro generali editum, ut praefertur, cum omnibus et singulis in eo contentis et expressis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, Ordinis et provinciae ac conventuum praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamuss; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII septembris MDCXCV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 22 septembris 1695, pontif. anno V.

CXVII.

*Interdicuntur conventiones in providendis ecclesiis seu monasteriis, cum innovatione quarumdam constitutionum simili de re, ac adiectione novarum poenarum* [1].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Exordium. Ecclesiae catholicae per universum orbem diffusae regimini, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, sive ad illicitorum ac praesertim ecclesiasticae libertati adversantium iuramentorum abusum tollendum, sive ad quamcumque avaritiae labem a personis in sortem Domini vocatis, quas non quae sua sunt, sed quae Iesu Christi quaerere maxime convenit, excludendam, prudenti, salubrique consilio, ac illo, qui secundum scientiam est, zelo constituta et ordinata esse noscuntur, apostolici muniminis nostri patrocinio libenter roboramus, novisque praesidiis, ut serventur exactius, constabilimus, ac aliàs desuper concessae nobis a Domino potestatis partes studiosâ charitate interponimus, sicuti ecclesiarum omnium, quam gerimus, sollicitudo postulat, nosque, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam, rectam ac felicem ecclesiasticarum rerum directionem, necnon animarum pretioso unigeniti Dei filii et domini nostri Iesu Christi sanguine redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur.

1 Vide constit. Nicolai III, Gregorii XIII et Pii V infra citatas. In huius Pontificis const. ed. MDCXCII, die 23 octobris, pontif. II, agitur de suppressione venalitatis quorumdam officiorum Camerae; et in constit. ed. MDCXCIX, die 30 ianuarii, de datis et acceptis pro iustitiâ et gratiâ, ubi vide notata.

A Nicolao III interdicta fuere, et nulla declarata iuramenta circa impossibilia, illicita et ecclesiasticae libertati contraria.

§ 1. Dudum siquidem (postquam felicis recordationis Nicolaus PP. III praedecessor noster (accepto in nonnullis ecclesiis de earum consuetudine observari, ut, cum earum praelati ad ecclesias ipsas primo accederent, vel cum de recipiendis ibidem novis canonicis ageretur, nec praelatos admitti, nec canonicos aliter recipi in iisdem ecclesiis, nisi iurassent statuta et consuetudines ipsarum ecclesiarum scripta et non scripta inviolabiliter observare; inter laicos quoque multarum civitatum, castrorum et terrarum eum consuetudinis morbum in suis potestatibus, rectoribus vel officialibus assumendis irrepsisse, ut ipsi potestates, rectores et officiales ad eiusmodi potestarias, rectorias et officia nullatenus admitterentur, nisi prius se statuta ipsorum locorum clausa servaturos similiter iurassent; in statutis vero ac consuetudinibus supradictis interdum aliqua reperiri illicita sive impossibilia vel ecclesiasticae libertati obviantia), ne sub tali generalitate iurandi sic iurantibus peccandi occasio praeberetur, animarum periculis obsistere cupiens, salubri suâ ac generali constitutione praeceperat, a quibuscumque, scientibus contineri in praedictis consuetudinibus et statutis illicita, impossibilia vel libertati ecclesiasticae obviantia, iuramenta huiusmodi nullo modo praesentari [1]; ac praeterea decreverat talia iuramenta, eâ intentione facienda vel facta ut etiam illicita vel impossibilia seu ecclesiasticae libertati obviantia observarentur, cum etiam sub tali intentione praestari non possent absque divinae maiestatis offensâ, in huiusmodi illicitis, impossibilibus, seu libertati ecclesiasticae obviantibus non servanda; quin potius pro animarum salute, si sub formâ praefatâ vel simili aliquos ignorantes praedicta

1 Forsan *praestari* (R. T.).

illicita seu impossibilia vel libertati ecclesiasticae obviantia iurare contigisset, ad observanda dumtaxat licita, possibilia et libertati ecclesiasticae non obviantia iurantium intentionem referri debere; declarans insuper iuramenta sub huiusmodi generalitate qualitercumque et sub quacumque verborum formâ praestita vel praestanda, ad licita, possibilia ac ecclesiasticae libertati non obviantia dumtaxat extendi, ipsosque iurantes ad alia per praestationem iuramenti huiusmodi non teneri) recolendae memoriae Gregorius Papa XIII etiam praedecessor noster per quasdam suas desuper sub plumbo expeditas litteras, quarum initium *Inter apostolicas, etc.*[1], praedictam Nicolai praedecessoris constitutionem, itidemque alias omnes canonicas sanctiones de abusu et reprobatione iuramentorum huiusmodi promulgatas innovavit, voluitque, eas ubique ab omnibus, etiam quoad praeterita, inviolabiliter observari: praeterea praecepit et interdixit praelatis, canonicis et aliis supradictis, necnon ecclesiarum capitulis et monasteriorum, ceterisque conventibus, civitatum quoque, castrorum et terrarum communitatibus et personis quacumque dignitate praeditis, ne ulla omnino iuramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel libertati ecclesiasticae aut decretis Concilii Tridentini obviantia, sive ante sive post electiones, confirmationes, privationes, receptiones, admissiones, aut alios actus, ubicumque ac quocumque tempore, etiam praetextu cuiusvis consuetudinis quantocumque[2] tempore observatae, quae potius corruptela esset censenda, sive in genere sive in specie praestare, reddere vel exigere, neve super praestitis, redditis vel exactis eousque quempiam in iudicio

A Gregorio XIII innovata fuit constitutio Nicolai III.

1 Quas lege in tom. VIII, pag. 489 (R. T.).

2 Edit. Main. legit *quantumcumque* (R. T.).

vel extra illud inquietare auderent quoquo modo vel turbare: ac illos, qui iuramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel ecclesiasticae libertati aut decretis dicti Concilii obviantia exigere contendissent, episcopos quidem et alios quoscumque pontificali dignitate praeditos, a divinis suspendit; capitula vero et conventus, eorumque ecclesias, et loca omnia interdicto ecclesiastico supposuit; ac singulares personas excommunicationis sententiâ innodavit, inhabilesque fecit ad obtenta et alia obtinenda eo ipso, sibique et Romano Pontifici pro tempore existenti relaxationem suspensionis et interdicti necnon absolutionem ab excommunicationis sententiâ huiusmodi perpetuo reservavit: decernens, eos, qui tale iuramentum scienter praestitissent, usu et commodo rei ac gratiae, cuius causâ iurassent, eo ipso privatos esse; alios vero ignorantes ad praestitorum iuramentorum huiusmodi observationem minime teneri: et aliàs, prout in praefatis Gregorii praedecessoris litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Sed antea Pius V omnes in electionibus sacris pactiones improbaverat.

§ 2. Porro, antequam litterae huiusmodi emanassent, similis memoriae Pius Papa V etiam praedecessor noster, eiusmodi Concilii Tridentini decretis (quibus, ne quidquam, quod in usus pios non convertatur, in electione, praesentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione vel aliâ provisione, sive admissione ad possessionem alicuius cathedralis ecclesiae vel beneficii, canonicatuum, aut praebendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas, quoquo modo persolvi possit, strictissime prohibetur) inhaerens, suam hac in re constitutionem ediderat tenoris qui sequitur, videlicet;

A Pio V edita fuit insequens constitutio.

*Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Durum nimis et incommodum arbitramur, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXX, kalendis iunii, pontificatus nostri anno V.

Causae huius constitutionis.

§ 3. Cum autem, sicut non sine gravi animi nostri dolore ex quamplurium ac praesertim nonnullorum venerabilium fratrum archiepiscoporum et episcoporum ad apostolatum nostrum delatis querelis accepimus, adeo creverit tam salutarium legum transgressorum impudentia, ut non desint, qui, sive avaritiae, quae est idolorum servitus, improbo affectu, sive ambitioso ecclesiasticorum graduum cupiditatis consilio ducti, hominibus trepide paciscentibus fidem habentes, et tamen Deo veraciter promittenti minime credentes, sacras ipsas electiones, quas sanctissimi Ecclesiae canones omni pravâ pactione submotâ peragi tam districte praecipiunt, illicitis, iniustis, ac per tot apostolicas sanctiones reprobatis conventionibus per electos, quicumque illi sint, observandis, quibus canonica praesulum iurisdictio, ut plurimum, circumscribitur, vacantium ecclesiarum iura laeduntur, ac ipsius etiam Apostolicae Sedis auctoritas interdum violatur, temere inquinare satagant, atque ita abominationem desolationis in sanctuarium invehere, sacrasque Ecclesiae dignitates, ad quas olim nonnisi ex persecutionis tolerantiâ ascendebatur, in turpem quaestum ac tenebrarum negotium commutare minime vereantur, non sine gravissimâ ecclesiasticae disciplinae perturbatione, fidelium scandalo, ac salutis animarum detrimento:

Iste Pontifex statuit ut in rubricâ.

§ 4. Hinc est quod nos, qui libertatis, iurisdictionis, aliorumque iurium ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, omniumque christifidelium curam supernâ dispositione gerimus, abusus quoscumque circa praemissa introductos e medio tollere, illisque in futurum omnem ansam praecidere, necnon animarum periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, habitâ super iisdem praemissis cum particulari Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium eiusdem Concilii Tridentini interpretum, qui rem mature discusserunt, diligenti deliberatione, de illorum consilio pariter et assensu, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula praemissa a praefatis Nicolao, Pio et Gregorio praedecessoribus constituta, ordinata, interdicta, decreta et respective declarata, ut praefertur, expeditasque[1] desuper illorum constitutiones seu litteras supradictas, tenore praesentium perpetuo approbamus, confirmamus et innovamus, illisque perpetuae atque irrefragabilis apostolicae firmitatis robur, patrocinium et praesidium adiicimus.

Adiectio novarum poenarum.

§ 5. Praeterea, ut eadem praemissa firmius atque inviolabilius de cetero observentur, ultra omnes et singulas poenas in iisdem constitutionibus seu litteris impositas, privationis dignitatum, canonicatuum et praebendarum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, et, quoad regulares, etiam vocis activae et passivae, ac graduum, munerum et officiorum tam quorumcumque per eos respective obtentorum, perpetuaeque inhabilitatis ad illa et alia similia vel dissimilia quaecumque in posterum quomodolibet obtinenda poenas, per con-

1 Reliqua omittimus, quia videre est tom. VII, pag. 827 (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *expeditas quae* pro *expeditasque* (R. T.).

trafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendas, adiungimus.

Prohibitio conventionum ante provisionem ecclesiarum seu monasteriorum sub praedictis poenis, et eae nullae declarantur.

§ 5. Porro, ad penitus extirpandum atque evellendum abusum capitulationum, pactionum, conventionum, concordatorum seu statutorum quorumcumque, quae perperam ac adversus sacrorum et canonum et constitutionum apostolicarum dispositionem, occurrente ecclesiarum quarumlibet praesertim cathedralium, metropolitanarum, seu monasteriorum quorumvis vacatione, ab iis, ad quos electio personarum idonearum ipsis ecclesiis seu monasteriis ad electionem huiusmodi respective praeficiendarum iuxta privilegia et indulta apostolica eis desuper concessa aut aliàs legitime spectat, sive ante sive post electionem praedictam interdum iniri, condi aut fieri consueverunt, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, earumdem tenore praesentium, omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, cuiuscumque status gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae vel dignitatis fuerint, sub eisdem omnino poenis superius expressis, quarum absolutionem seu relaxationem nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus, districte prohibemus et interdicimus, ne capitulationes, pactiones, concordata seu statuta huiusmodi ante ipsam quidem electionem seu etiam postulationem de cetero inire, condere aut facere audeant quovis modo seu praesumant; illaque proinde, quatenus de facto contra praesentis nostrae prohibitionis formam inita, condita seu facta fuerint, nulla, inania, invalida, irrita, viribusque et effectu penitus et omnino vacua, ac nullius roboris et momenti esse et perpetuo fore, neminemque ad illorum seu cuiuslibet eorum, etiamsi iuramento vallata sint, observantiam teneri aut obligatum existere vel fore, decernimus et declaramus.

Declaratio circa conventiones post dictam provisionem factam.

§ 6. Quae vero electione seu postulatione huiusmodi secutâ quomodolibet iniri, condi seu fieri contigerit, ad nos seu eumdem Romanum Pontificem pro tempore existentem quamprimum deferri, atque ita nostro et Sedis Apostolicae iudicio subiici praecipimus, suspensâ interim eorum omnium et singulorum executione, donec et quousque ab eâdem Sede, sine cuius auctoritate nihil omnino in similibus pacisci fas est, apostolicae confirmationis robur in totum vel in partem receperint.

Item circa conventiones ante praesentem constitutionem initas.

§ 7. Ceterum per praesentes non intendimus ea, quae antehac contra supradictarum Nicolai, Pii et Gregorii praedecessorum, seu forsan aliarum apostolicarum constitutionum seu litterarum formam quomodolibet gesta fuerunt, ullatenus approbare, nec poenas eâ de causâ per transgressores incursas remittere vel condonare.

Clausulae.

§ 8. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu eorum aliquis, ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, et aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de sub-

reptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali, ac incogitato et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, ad terminos iuris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris vel facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Apostolicae Sedis praefatae nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ[1] et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum et monasteriorum quorumvis, et illorum Ordinum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, monasteriis et Ordinibus, illorumque praesulibus, capitulis, abbatibus, aliisque superioribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda forêt, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac plenissime et amplissime derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si praefatis vel aliis quibuslibet communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari

1 Edit. Main. legit *nostrae* (R. T.).

non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Harum publicatio.

§ 10. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla, ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae apostolicae, Curiaeque generalis in Monte Citorio, ac in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari; sicque publicatas et affixas omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII septembris MDCXCV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 22 septembris 1695, pontif. anno V.

---

## CXVIII.

*Confirmatur constitutio Innocentii XI super reductione numeri magistrorum aliorumque graduatorum Ordinis fratrum Praedicatorum, cum revocatione gestorum contra illius formam* [1].

1 Laudata constitutio edita fuit MDCLXXVII, die 20 novembris, pontif. II. De hac re vide Alexandri VIII const. edit. MDCXC, die 7 ianuarii, pontif. I.



**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Ex iniuncto nobis caelitus apostolicae servitutis munere, ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, promovendae inter christifideles divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatos regularis disciplinae studio, sapienter disposita esse noscuntur, ut solidiori robore perennent, apostolici muniminis nostri praesidio libenter constabilimus, ac aliàs desuper sollicitudinis et providentiae nostrae partes interponimus, sicut conspicimus salubriter in Domino expedire.

Constitutio Innocentii XI refertur.

§ 1. Aliàs siquidem, super reductione magistrorum aliorumque graduatorum Ordinis fratrum Praedicatorum ad numerum pro unâquaque provinciâ dicti Ordinis respective stabilitum, necnon super diversis aliis observantiam eorum quae per constitutiones ac capitula generalia Ordinis huiusmodi praescripta reperiuntur potissimum respicientibus ordinationibus, emanarunt a felicis recordationis Innocentio Papa XI praedecessore nostro litterae in simili formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet:

*Innocentius Papa XI, ad futuram rei memoriam*. In supremo, etc. [1]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX novembris MDCLXXVII, pontificatus nostri anno II.

Confirmatio et innovatio praedictae constitutionis motu proprio facta.

§ 2. Cum autem firmiora sint ea, quibus iterata accedit Sedis Apostolicae auctoritas: hinc est quod nos, praemissorum efficaciae, debitaeque executioni, quantum nobis ex alto conceditur, consulere, ac, si quae illis quomodolibet adversantia forsan comperta fuerint, opportunae provisionis nostrae ministerio recidere atque amovere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum fi-

1 Reliqua vide tom. XIX, pag. 62 (R. T.).

liorum Romanae Curiae praelatorum super disciplinâ regulari specialiter a nobis deputatorum consilio, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertas Innocentii praedecessoris litteras, omniaque et singula in eis contenta et expressa, tenore praesentium approbamus et confirmamus ac innovamus, illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis vim, robur et praesidium adiungimus.

Item revocatio eorum quae gesta sunt contra dictam constitutionem.

§ 3. Praeterea, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, omnia et singula, quae sive per collationem magisterii aliorumque graduum seu officiorum supra numerum in capitulis generalibus dicti Ordinis pro unâquaque provinciâ ipsius Ordinis respective praefinitum[1], sive per numeri huiusmodi ampliationem, sive per promotionem ad eosdem gradus seu officia pro locis vacaturis sive[2] absque petitione ipsius provinciae per constitutiones Ordinis praedicti ac capitulorum generalium huiusmodi ordinationes requisitâ, sive per aliquam a choro aliamve cuiusvis generis exemptionem aut praerogativam loci baccalaureorum et vocis in capitulis provincialibus concessam iis fratribus qui realiter et cum effectu non autem per aequipollens laudabiliter non exercuerint atque compleverint illa officia et non supportaverint omnia illa onera quae iuxta praescriptum constitutionum et capitulorum generalium praedictorum ad obtinendos gradus, officia et exemptiones huiusmodi necessario praecedere debent, sive demum per alia indulta et gratias id ipsum importantia, contra praedictarum Innocentii praedecessoris litterarum formam et dispositionem hactenus quomodolibet forsan acta, gesta seu attentata fuerunt, penitus et omnino nulla, inania, invalida, irrita, nulliusque roboris et momenti esse et fore, earumdem tenore praesentium declaramus; et nihilominus ad maiorem cautelam, et, quatenus opus sit, illa omnia et singula, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, harum serie revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, et pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis haberi debere decernimus et pariter declaramus; sine ullo tamen praeiudicio illorum fratrum, qui, dictarum Innocentii praedecessoris litterarum mentione factâ, earumque derogatione legitime obtentâ, Sedis Apostolicae auctoritate promoti seu exempti quomodolibet reperiuntur.

Clausulae.

§ 4. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensûs aliove quolibet etiam quantumvis formali ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, redargui, in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci, aut adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se

1 Edit. Main. legit *praefinitam* (R. T.).
2 Particula *sive* delenda videtur (R. T.).

iuvare ullo modo unquam posse, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac cardinales et legatos, necnon nuncios et alios praefatos, nunc et pro tempore existentes, sublatâ pariter eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Mandatur executio. § 5. Mandantes propterea dilectis filiis prioribus provincialibus provinciarum, necnon vicariis Congregationum quarumvis dicti Ordinis ubicumque existentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub privationis officiorum per eos obtentorum, perpetuaeque ad illa et alia quaelibet in posterum obtinenda inhabilitatis poenis, ut ipsas praesentes litteras in suis quisque provinciis et Congregationibus respective quamprimum executioni demandari, ac inviolabiliter observari, illasque in proxime celebrando capitulo dictarum provinciarum et Congregationum, toto earumdem praesentium tenore in actis capituli huiusmodi ad perpetuam rei memoriam relato, solemniter publicari curent et faciant.

Contrariorum derogatio. § 6. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in praeinsertis Innocentii praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII septembris MDCXCV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 22 septembris 1695, pontif. anno V.

---

## CXIX.

*Confirmatur decretum capituli generalis circa electionem extra capitulum prioris vel definitoris generalis Congregationis Hispaniae fratrum Carmelitarum* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Tenor dicti decreti. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus Iosephus a SS. Sacramento, procurator generalis Congregationis Hispaniae fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Excalceatorum, quod, cum in Congregatione praefatâ, iuxta eius constitutiones a Sede Apostolicâ approbatas, definitorium generale ex priore generali et[2] sex definitoribus generalibus componatur; in eventum vero, quo intra tempus, quod ab uno capitulo generali eiusdem Congregationis ad aliud intercedit, mors seu vacatio ipsius prioris generalis seu alicuius ex definitoribus generalibus praefatis sequatur, electio vicarii generalis seu definitoris subrogandi usque ad futurum capitulum generale iuxta constitutiones praefatas ad religiosos in eodem definitorio ge-

1 Extant alia decreta pro pace inter hos religiosos servandâ in constit. ed. MDCXCII, die 22 novembris, pontif. II, et aliud decretum circa pecunias pro provinciâ romanâ in Clementis XI const. ed. MDCCX, die 26 septembris, pontif. X.

2 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

nerali superstites pertineat; eoque casu facile contingere possit, ut, definitorio huiusmodi ad sex personas redacto, vota seu suffragia in aequales partes dividantur, ac propterea electio concludi nequeat: ideo, ad tollenda quaelibet inconvenientia, quae exinde oriri possent, in tribus capitulis generalibus eiusdem Congregationis successive, ac praesertim in novissime celebrato anno MDCXCIV, editum fuit, ac iuxta easdem constitutiones vim legis obtinuit, statutum tenoris qui sequitur, videlicet: « In casu, quo in definitorio facienda sit electio vicarii generalis aut definitoris generalis, et sex vota definitorii comperiantur divisa in aequales partes, et ob divisionem impeditur procedere ad electionem, aut, post illam sequutam, permanent pariter divisa in aequales partes, aut[1] ad effectum habendi electionem pro legitimâ aut illam confirmandi, determinatum fuit, ut, in quocumque ex istis casibus, intret[2] pro septimo voto decisivo pater provincialis antiquior in professione inter eos qui terminarunt suum officium triennio immediate antecedenti, in cuius defectum, aut eo impedito, provincialis qui subsequitur; qui expectetur ut cum votis inaequalibus dubium decidatur, quique, expletâ istâ functione, non habeat ulterius votum in definitorio ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Iosephus procurator generalis statutum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum Iosephum procuratorem generalem speciali favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem[1] venerabilis fratris nostri Palutii episcopi Praenestini eiusdem S. R. E. cardinalis de Alteriis nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, sibi super praemissis factam, et dilectum filium modernum procuratorem generalem eiusdem Ordinis audiverunt, consilio, praeinsertum statutum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus

1 Particula *aut* delenda videtur (R. T.).

2 Male ed. Main. legit *in tres* pro *intret* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *relatione* (R. T.).

et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis Hispaniae et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII octobris MDCXCV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 8 octobris 1695, pontif. anno V.

---

## CXX.

*Extenditur constitutio Innocentii XI de erectione confraternitatum Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia*[1].

**Innocentius Papa XII, ad perpetuam rei memoriam.**

Epilogus constitutionis qua concessa fuit facultas erigendi dictas confraternitates, ubi Congregatio domos haberet.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioseph Bellisensis, procurator generalis Congregationis Doctrinae Christianae in Galliâ, quod aliàs felicis recordationis Innocentius PP. XI praedecessor noster, per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras die XXVIII augusti MDCLXXXVIII expeditas, ut in singulis civitatibus, oppidis seu locis eiusdem Galliae, in quibus dicta Congregatio domos tunc habebat seu de cetero habuisset, una confraternitas christifidelium utriusque sexus sub eâdem denominatione Doctrinae Christianae de Ordinariorum locorum respective licentiâ erigi, ac ipsius confraternitatis sic erectae confratribus et consororibus pro tempore existentibus, quod omnibus et singulis indulgentiis ac peccatorum remissionibus, a recolendae memoriae Paulo PP. V pariter praedecessore nostro archiconfraternitati ipsius Doctrinae Christianae de Urbe concessis, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite respective possent et valerent, sub certis modo et formâ tunc expressis, auctoritate apostolicâ concessit et indulsit; ac aliàs, prout in praefatis Innocentii praedecessoris litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri.

Causa extensionis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem exposito subiungebat, saluberrima eiusmodi confraternitatum institutio, qua christianus populus ad sacram catechesim pro catholicae fidei rudimentis addiscendis evocatur in iis locis seu parochiis, in quibus christifideles utpote rudiores maiori indigent instructione, suum sortiri nequeat effectum, eo quia nimirum in illis Congregatio praedicta domos non habet: nobis propterea dictus Iosephus procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Extensio dictae constitutionis ad loca ubi Congregatio missiones exercet.

§ 3. Nos igitur, piis eiusdem Iosephi procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favo-

[1] Constitutio Innocentii XI edita fuit die 28 augusti MDCLXXXVIII, pontif. XII.

rabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, et attentâ relatione venerabilis fratris archiepiscopi Avenionensis super praemissis ad eosdem cardinales transmissâ, indultum a memorato Innocentio praedecessore, ut praefertur, concessum, etiam ad alia Galliae loca, in quibus dicta Congregatio, tametsi domos inibi non habeat, missiones tamen ex speciali fundatione seu dotatione de praesenti exercet, ac servatâ in reliquis praedictarum Innocentii praedecessoris litterarum formâ et dispositione, eâdem auctoritate, tenore praesentium, extendimus et ampliamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in supradictis Innocentii praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII octobris MDCXCV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 17 octobris 1695, pontif. anno V.

---

## CXXI.

*Indicitur universale iubilaeum pro pace inter principes christianos*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**Universis christifidelibus**
**praesentes litteras inspecturis,**
**salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium a calamitosae Europae statu petitum.

In sublimi Sedis Apostolicae fastigio meritis licet imparibus ab Æterno Pastore collocati, dum gravissimas crediti nobis gregis calamitates paternae charitatis studio contemplamur, ac totam fere Europam pertinacioribus in dies bellorum motibus agitatam attente consideramus, quod sub ipso ineuntis pontificatus nostri limine verebamur, actuoso iam experimento cognoscimus, et quantum in Domino licet ingemiscimus, venisse scilicet nos in altitudinem maris, in quo ne tempestas demergat nos, ef-

1 Simile iubilaeum indictum fuit const. editâ MDCXCIII, die 7 decembris, pontif. III; et constitutione ed. MDCXCIX, die 30 maii, pontif. VIII indicitur iubilaeum anni sancti.

ficere sola potest omnipotentis Dei dextera, cui mare et venti obedire non detrectant. Quod proinde aliàs indictis[1] publice per universum christianum orbem precibus a Patre misericordiarum supplici devotàque humilitate flagitavimus, ut christianos principes, alienissimo reipublicae tempore inter se decertantes, ad pristinam concordiam revocare, eorumque consilia et vires ad christiani nominis tutelam contra communem illius hostem sociare dignaretur; id nunc potissimum, cum nefarius Turcarum tyrannus, diuturnis illorum discordiis illectus, vires atque animos sumit, ditionesque christianas cladibus involvere meditatur, ferventiori cordis affectu faciendum censemus. Licet enim pro nostri pastoralis officii debito (memores illius nos vices gerere in terris, qui nascens ex Virgine per caelicos cives pacem hominibus bonae voluntatis annunciavit, et resurgens a mortuis ac ascensurus ad caelum pacem itidem reliquit discipulis, ut et ipsi eius imitantes exemplum pacem aliis edicerent) labia nostra hactenus non prohibuerimus, ac catholicos principes, ut vocem sanguinis, qui effusus est tamquam aqua in circuitu Hierusalem ad eos de terrâ clamantem audirent, pluries monuerimus, pacem illis praedicantes, ac opportune et importune etiam instantes, nec sane inter tot rerum ac temporum difficultates animo deficientes, etiam in posterum, pro eo quo tenemur publicae quietis desiderio, tam salutare rei christianae opus omni animi contentione, studio atque operà urgere ac promovere firmiter proposuerimus, animamque nostram, si ita res tulerit, pro ovibus curae nostrae commissis evangelici Pastoris exemplo ponere parati simus; nihilominus, quia probe scimus

1 Edit. Main. legit *in dictis* (R. T.).

nihil profecto esse, quod sibi humana sapientia atque industria vendicare possit, nisi caelestis gratiae ope adiuvetur, ad Eum, qui dives est in misericordià, concordibus christifidelium precationibus impensius denuo confugere constituimus, sperantes, quod non concludet Dominus in gladio populum suum, nec haereditatem suam spernet, sed gentibus longo bello fessis dabit tandem illam, quam mundus dare non potest, pacem. Ne tamen exprobrari[1] nobis audiamus propheticum illud[2]: *Percussisti eos, et non doluerunt, attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam,* lacrymis, ieiuniis, eleemosynis, aliisque piis operibus divinam indignationem placare studeamus, ut clementissimus Dominus et Deus noster, qui facit pacem in sublimibus, et reges in thronis collocat, orthodoxorum principum animos, sublatis dissidiis, arcto atque indissolubili charitatis vinculo coniungat, nostrosque labores et curas, ac spem, quam in eius ineffabili bonitate reponimus, optatae demum cumulet laetitià tranquillitatis. Quae ut fructuosius maiorique spiritus ardore peragantur, ex prisco Romanae Ecclesiae omnium matris et magistrae more, caelestium gratiarum thesauros, quorum dispensationem fidei nostrae commisit divina dignatio, in praesentibus necessitatibus aperire et largà manu erogare decrevimus.

Itaque, de omnipotentis Dei misericordià ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illà ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in almâ Urbe nostrâ degentibus, qui solemni processioni quam ferià quartà proximae hebdoma- Indictio dicti iubilaei.

1 Edit. Main. legit *exprobari* (R. T.).
2 Vox *illud* nos addimus (R. T.).

dae, quae erit secunda Adventus, etc., (*reliqua sicut in Alexandri VIII constit. editâ* MDCLXXXIX, *die* XI *decembris, pontif.* I.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III decembris MDCXCV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 4 decembris 1695, pontif. anno V.

---

## CXXII.

*Confirmatur constitutio Innocentii XI, qua confirmatur decretum cardinalis protectoris circa executionem alternativae in provinciâ Ianuensi fratrum Minorum de Observantiâ Reformatorum*[1].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Exordium. Ex commissi nobis divinitus pastoralis officii debito, illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pro felici christifidelium divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum statu conservando, illorumque tranquillitate firmiter stabiliendâ, pie provideque emanasse noscuntur, ut solidiori robore perennent, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

Constitutio Innocentii XI. § 1. Aliàs siquidem pro religiosâ quiete provinciae Ianuensis Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum, ad supplicationem tunc existentis ministri provincialis provinciae huiusmodi, emanarunt a felicis recordationis Innocentio Papa XI praedecessore nostro litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur, videlicet

« *Innocentius PP. XI, ad futuram rei memoriam.* Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antonius Maria a Finario, minister provincialis provinciae Ianuensis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum, quod venerabilis frater noster Alderanus episcopus Portuensis et S. R. E. cardinalis Cybo nuncupatus, religiosae tranquillitati fratrum dictae provinciae consultum esse cupiens, alternativam circa electionem ad provincialatum ceteraque definitorii provinciae huiusmodi officia in tres partes sive districtus quibus provincia ipsa constat, dudum in capitulo provinciali eiusdem provinciae ac per quasdam felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri simili in formâ Brevis litteras stabilitam et ordinatam, servari, nec quidquam in contrarium innovari aut attentari, sub diversis poenis praecepit et mandavit per suum decretum desuper emanatum tenoris qui sequitur, videlicet: « Alderanus Episcopus S.R.E. cardinalis Cybo seraphici Ordinis sancti Francisci apud Sanctam Sedem protector, dilectis nobis in Christo fratribus modernis et pro tempore existentibus ministro provinciali, custodi et definitoribus, ceterisque omnibus religiosis reformatae provinciae Ianuensis, salutem, etc. Cum aliàs in capitulo provinciali istius reformatae provinciae Ianuensis, de consensu vocalium qui eidem capitulo tunc interfuerunt, decretum fuerit, quod in posterum, ad conservandam eiusdem provinciae pacem et tranquillitatem, ex tribus quibus ipsa provincia componitur districtibus, qui sunt civitas Ianuensis, Liguria orientalis et Liguria occi-

[1] Dicta Innocentii XI constit. edita fuit anno MDCLXXXVII, die 12 iunii, pontif. I, et hîc refertur; in huius Pontificis const. ed. MDCXCII, die 17 maii, pontif. I, agitur de alternativâ in provinciâ S. Nicolai; et in const. ed. MDCXCVIII, die 7 octobris, pontif. VIII, de alternativâ in provinciâ Ianuensi.

dentalis, assumi deberet alternatim minister provincialis, itaut uno triennio esset ex uno, altero triennio ex altero dictorum districtuum, et decretum huiusmodi fuerit a sanctae memoriae Urbano VIII, per suas litteras apostolicas in formâ Brevis datas sub die XXIX martii MDCXLIII, approbatum et confirmatum, cum ulteriori etiam dispositione, quod nempe officium custodiatûs non caderet in eam partem seu districtum, in quo actu esset minister provincialis, et quod unicuique dictarum partium seu districtuum duo vota in definitorio pariter alternatim assignarentur, prout in ipsis litteris apostolicis latius continetur: nos, qui ex decreti et Brevis praedictorum observantiâ optatam pacem et tranquillitatem hactenus provinciam consecutam fuisse et tamdiu consecuturam quamdiu eadem observantia firma et illaesa persistat certiores sumus, et cupientes quantum ex nobis est eam in suo robore manutenere et conservare, auctoritate qua fungimur protectoris, vobis omnibus et singulis in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus et mandamus, ne, sub quovis praetextu aut quaesito colore, directe vel indirecte, contra decreti capituli provincialis et Brevis apostolici praedicti dispositionem et tenorem aliquod innovare aut attentare praesumatis, non solum sub poenâ nullitatis omnium actorum, sed insuper sub poenis contra inobedientes contumaces et rebelles in statutis Ordinis praescriptis, aliisque arbitrio nostro et pro tempore existentis protectoris infligendis, ad quas in casu contraventionis inviolabiliter procedemus. Non obstantibus, etc. Romae XXIV maii MDCLXXXVII. — A. cardinalis CYBO protector ». Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Antonius Maria minister provincialis decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri plurimum desideret: nos, ipsius Antonii Mariae ministri provincialis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac supradictarum Urbani praedecessoris litterarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso[1] et inserto habentes, decretum praeinsertum a memorato Alderano episcopo cardinali et protectore editum, ut praefertur, cum omnibus et singulis in eo contentis et expressis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis au-

1 Edit. Main. legit *expressis* (R. T.).

ctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praefatorum, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII iunii MDCLXXXVII, pontificatus nostri anno XI.

Confirmatio relatae constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius modernus minister provincialis provinciae supradictae nobis nuper exponi fecit, ipse praemissa, quo firmius subsistant et inviolabilius serventur, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret: nos, specialem ipsi moderno ministro provinciali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Innocentii praedecessoris litteras, omniaque et singula in eis contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis robur et efficaciam adiungimus, ipsasque litteras ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inconcusse observari praecipimus et mandamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes pariter, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praeinsertis Innocentii praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII ianuarii MDCXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 7 ianuarii 1696, pontif. anno V.

---

## CXXIII.

*Confirmantur decreta generalis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium, et aliud cardinalis protectoris pro provinciâ Argentinâ* [1].

1 Infra suis locis laudantur plures constitutiones et capitula constitutionum. In Alexandri VIII const. edit. MDCXC, die 5 aprilis, pontif. I, extant quaedam decreta capituli generalis; et in huius Pontificis const. edit. MDCXCIX, die 16 maii, pontif. VIII, agitur de primatu inter definitores et provinciales titulares.

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Insequentia decreta confirmata fuere in capitulo provinciali, et proposita Congregationi regularium.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum fratrum provinciae Argentinae Ordinis Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod aliàs, videlicet anno MDCXCII, a tunc existente ministro generali dicti Ordinis in visitatione per eum factâ provinciae huiusmodi nonnulla decreta, quae ipse pro felici prosperoque eiusdem provinciae regimine necessaria et utilia iudicaverat, edita, et successive in capitulo provinciali ipsius provinciae in oppido Civitate nuncupato Lucernae die XXI novembris eiusdem anni celebrato publicata fuerant, tenoris qui sequitur, videlicet:

Decreta praedicta.

« Inter plurimas nostri muneris causas, quibus animi nostri sollicitudo incumbere debet, ea est praecipua, ut regulae et constitutiones Ordinis, quarum observantiam iuravimus, sanctissimae leges, quae a sacrosanctae Romanae Sedis auctoritate, divino assistente Spiritu, apostolicâ sunt confirmatione munitae, per universas seraphicae nostrae religionis provincias ab omnibus inviolabiliter observentur, et earum directione, suavissimo Christi iugo cuncti sacri nostri Ordinis religiosi caput submittentes, vitae evangelicae inhaerentes, vestigiis ecclesiasticae disciplinae, ac regularis observantiae zelo, eâ quae fas est humilitate, tamquam primogeniti sancti patris Francisci filii reddantur insignes. Hoc excitati motivo, provinciae huius Argentinae, quam speciali cordis dilectione prosequimur, visitationem aggressi, non parcentes laboribus, ac non pauca pro longitudine ac asperitate itineris aequo ac hilari animo incommoda et pericula perpessi, officii nostri debitum exigit ut antiquam huius eiusdem provinciae sanctitatem omni opere et studio reviviscere curemus, ideo infra scripta decreta eisdem sacris nostris constitutionibus et pontificiis sanctionibus conformia statuentes: quorum exactam et inviolabilem observantiam in virtute S. Spiritus et ad sanctae obedientiae meritum cunctis prioribus et fratribus in hac provinciâ commorantibus seu commoraturis, sive superiores, sive subditi sint, sub poenâ etiam divinae indignationis praecipimus, eorumque transgressores ad tremendum Dei tribunal rationem reddituros citamus, earumdemque notitiam in publicis ordinum superiorum libris in unoquoque conventu fideliter transcribi et servari ac semel saltem in quolibet mense in publico refectionis loco coram omnibus legi volumus et mandamus, omnesque nostrae curae commissos religiosos, praecipue eos, qui sacri Ordinis zelo fulgent, hortamur, ut, occurrente ipsorum decretorum vel in superioribus vel in subditis inobservantiâ, certiores non faciant, ac etiam ad illustrissimum et reverendissimum dominum nuntium apostolicum iuxta temporis exigentias pro eorumdem pleno robore et observantiâ recurrant, a quo, velut Sanctae Sedis dignissimo et piissimo ministro, et sacro etiam nostro Ordini optime affecto, omnem assistentiam et favorem licet sperare.

De choro et ecclesiasticis exercitationibus.

I. Quod omnes, nemine excepto, cuiuscumque gradus et conditionis sint, choro ac omnibus ecclesiasticis exercitiis semper interesse teneantur, nec ab eis, extra gravem necessitatem a superioribus localibus agnoscendam et approbandam, alicui permittatur exemptio, nisi infirmis ac impotentibus, qui a superiore discrete, prout cha-

ritas et necessitas exigit[1], possint dispensari, sicut etiam, qui lectionibus et concionibus non occupantur; itaut omnino servetur quidquid circa hoc sacrae constitutiones Urbanae praescribunt in cap. III regulae, tit. I. Et quia magno animi nostri moerore orationis mentalis ac examinis conscientiae exercitium non fieri in aliquo conventu certiores sumus, volumus et praecipimus ut quotidie post Matutinum et Completorium in choro, ubi omnes etiam laici nisi aliquando legitime fuerint impediti, praedicta exercitia orationis mentalis ac examinis conscientiae persolvantur ad formam constitutionum in cap. III regulae, tit. XX.

De magistro novitiorum et professorum.

II. Cum ex novitiorum bonâ educatione optimi sperandi sint fructus, praecipimus ministris provincialibus, guardianis, aliisque superioribus, ne sub quovis praetextu audeant, sub poenâ privationis officii ac perpetuae inhabilitatis ad ipsa et alia cuiuscumque generis ipso facto incurrendâ, proponere, promovere aut eligere magistros novitiorum ad aliquod munus seu officium, quod ipsos impedire possit a curâ et assiduo regimine suorum novitiorum, nec etiam ad guardianatum, praecipue in conventibus ubi multi fratres morantur, ut ex constitut. in cap. II regulae, tit. XV. Utque magistri novitiorum convenienti pro suis laboribus non careant praemio, statuimus, quod, postquam per annos duodecim laudabiliter suum munus expleverint, si sint fratres non graduati, et, ut vulgo dicitur, simplices, omnes alios patres et fratres non magistros in sacrâ theologiâ ubique praecedant, et ultra hoc vocem quoque activam habeant in electionibus provincialium in capitulis sicut magistri, ut ex constitutione ut supra, et vocentur discreti perpetui, iuxta decreta definitoris generalis a Sanctâ Sede approbata. Si vero dicti magistri novitiorum sint quoque magistri in sacrâ theologiâ, et post annos duodecim per lauream magistralem praedictum officium laudabiliter exercuerint, patres provinciae et definitores perpetui cum omnibus privilegiis, quibus fruuntur alii[1] patres provinciae, instituantur, ut ex constitutione ut supra. Ipsique magistri novitiorum teneantur ministrum generalem quolibet semestri de suorum novitiorum profectu, ac de iis, quae ad novitiatum pertinent, certiorem facere, ut ex constitut. in cap. II regulae, tit. XV. Quod id[2] observandum est de magistris secundi seminarii, seu professorum, qui semper clausi sub curâ alicuius procuratoris ad hoc deputati manere debent, ut constitutiones praescribunt.

De novitiis.

III. Ad tollendum quemlibet abusum et partialitatem, ac etiam ne conventus, in quibus sunt novitiatus, nimis graventur, praecipimus, iuxta sacri Concilii Tridentini decreta, quod quilibet novitius, sive eius consanguinei, aliquid conveniens iuxta locorum consuetudinem ante religionis ingressum conventui, in quo annum probationis facere debet, pro alimentis solvat, et ultra hoc lectisternium et omnia necessaria utensilia pro suo usu deferat, et casu quod ob paupertatem nec ipse nec eius consanguinei solvere possent, si esset talis indolis et scientiae ut magnum religio habitura foret laturus[3] honorem, vel conventus nativus vel tota provincia omnia solvant: quae omnia praecipiunt[4] in const. in cap. II regulae tit. XIII: nec aliter a ministris provin-

1 Edit. Main. legit *exigi* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *aliis* (R. T.).
2 Forsan *idem* (R. T.).
3 Vox *laturus* praeter rem esse videtur (R.T.).
4 Potius lege *praecipiuntur* (R. T.).

cialibus aut aliis superioribus sub poenâ privationis officii admitti possit quisquam ad noviliatum et probationem. Nihil tamen aliud praeter supradicta possint superiores petere aut acceptare ut ex const. ut supra.

De filiatione novitiorum.

IV. Filiationes conventuum, quae praecedere debent admissionem ad habitum et probationem (ut ex const. in cap. II regulae, tit. VI, et aliis pontificiis sanctionibus) nullo modo fiant a ministris provincialibus, nec a definitorio, sed solum a patribus et filiis illius conventus, cui acceptandus ad religionem vult affiliari, itaut a guardiano illius conventus assignentur prius tres termini canonici sex dierum, quorum ultimo elapso, dentur secreta suffragia ab omnibus patribus et filiis eiusdem conventus, etiam laicis, dummodo sint omnes professi, sicut ab eisdem constitutionibus ut supra praescribitur; et serventur omnes aliae conditiones ab eisdem constitutionibus, ut supra, et aliis pontificiis sanctionibus praescriptae, inter quas etiam est, quod nemo ad habitum et probationem admittatur nisi prius praecedat eius legittima affiliatio alicui conventui, et quaelibet affiliatio aliter facta contra formam constitutionum nullius roboris sit et invalida, et ministri provinciales, seu alii superiores et definitores, qui auctoritatem ipsimet debitam affiliandi usurparent, in poenam privationis suorum officiorum et vocis activae et passivae ipso facto incurrant, ad quam nisi a Sanctâ Sede possint reintegrari.

De translatione filiationis.

V. Filiationum conventuum translationes ad alios conventus, ut praecipiunt constitutiones in cap. VI regulae tit. II, non admittantur; et si convenientia aut necessitas hoc exigeret, non possit hoc fieri nisi iuxta decretum sacrae Congregationis emanatum, obtentâ scilicet prius licentiâ in scriptis a ministro generali, et servatis aliis de iure servandis, accedente scilicet consensu utriusque conventus, et per secreta suffragia danda a patribus et filiis conventus, ut supra; aliter translatio nulla sit et invalida.

De paternitatibus coenobiorum.

VI. Circa paternitates conventuum, nemo ad ipsas possit admitti, nisi iuxta praescriptum sacrae constitutionis, ita quod omnes sacrae theologiae magistri, statim ac laureâ sunt decorati, absque aliâ electione, eo ipso intelligantur et sint priores illius conventus, cui sunt affiliati; aliorum autem patrum, qui non sunt magistri, electio non ad definitorium provinciae, nec ad ministrum provincialem, sed solum ad capitulum conventus, ita quod patres illius conventus per secreta suffragia eligere debent eum qui paternitatis illius conventus titulo frui cupit, ut praescribunt sacrae constitutiones in cap. VI regulae tit. II; et quamlibet electionem aliter factam irritam esse volumus et invalidam. Confirmatio vero electionis patrum conventus in conventibus insignioribus ad ministrum generalem spectat, et in aliis vero conventibus ad ministrum provincialem, ut ex const. ut supra.

De visitatione ministri provincialis.

VII. Cum aliquando diuturna ministri provincialis permanentia, occasione visitationis in conventibus, anteactis temporibus magnum intulerit ipsis gravamen pro alimentis et aliis expensis, decernimus et statuimus quod ministri provinciales in visitationibus, ad quas quolibet anno tenentur, in ipsis permanere nequeant nisi quamdiu urgeat necessitas; et quamdiu manent in aliquo conventu visitando, semper choro et refectorio ad mensam communem interesse teneantur unâ cum aliis fratribus, cui ministro provinciali et eius assistentibus omni qua decet charitate et urbanitate omnia necessaria suppeditentur pro ali-

mentis, dummodo tamen choro et refectorio intersint, aliter guardiani et alii officiales nihil subministrare debeant; et expletâ visitatione, maiori qua possibile est sollicitudine, ab eo conventu recedant, nec nisi semel in anno visitare possint, et in[1] insignioribus conventibus nequeant provinciales manere nisi per octo vel decem ad summum dies, in aliis vero per quatuor aut sex; si tamen aliquâ gravissimâ causâ aut evidenti necessitate contingeret per maius tempus in eodem conventu morari, nos monitos faciant, exponentes causam suae permanentiae cum fide iuratâ guardiani et patrum illius conventus, a quo, seclusâ necessitate, nihil post tempus praescriptum in hoc decreto pro visitatione liceat illis subministrare, sub poenis arbitrio nostro reservatis. Quod idem observandum est in visitatione monialium, quas quolibet anno visitare tenentur, nec ad tempus seu[2] earum monasteria nemo praeter superiores occasione visitationum accedere audeat pro hospitio, ne monasteria earum nimis graventur.

De privatione guardianorum.

VIII. Guardiani et alii superiores si ob aliquod crimen, praecipue ex illis expressis in sacris constitutionibus in c. VIII regulae tit. I, privari debeant officio, hoc fiat iuridice praeviâ formatione processus, ita quod, nisi de veritate constiterit, et crimen sit aperte et evidenter probatum, ad actum privationis non deveniatur, ut ex constit. ut supra; aliter privatio nulla sit et invalida, et iudices tales contra formam constitutionum facientes a nobis punientur poenis nostro abitrio reservatis.

De tempore guardianatus.

IX. Nullus imposterum, iuxta felicis memoriae beati Pii V decretum, possit plusquam per triennium in eodem conventu munere fungi guardianatus, ut etiam ex constitutionibus in cap. VIII regulae, tit. XXIII, in poenam ministris provincialibus, qui eos proponerent seu eligerent, privationis officii; in aliis vero ex[1] constitutionibus potest quis, licet per triennium fuerit in uno conventu guardianus, eligi; si tamen aliquis fuerit per triennium in aliquo conventu guardianus, et post triennium electus fuerit in alio, potest iterum, si dignus sit, ad eumdem conventum ubi fuerit prius per triennium iterum eligi.

De officialibus coenobiorum.

X. In unoquoque conventu deputentur pro administratione bonorum temporalium officiales iuxta praescriptum constitutionum, per quorum manus omnes proventus, pecuniae et eleemosynae transeant, nec sub quovis praetextu liceat guardianis administrare sub poenâ privationis officii ac utriusque vocis in perpetuum iuxta praescriptum earumdem constitutionum in cap. IV regulae, tit. II. Ipsique officiales instituantur iuxta praescriptum earumdem constitutionum, et servetur exacta forma aerarii conventus in quo sub custodiâ trium clavium asserventur pecuniae et eleemosynae tam conventus quam fratrum particularium, ut praecipiunt constitutiones.

De divino officio.

XI. In recitatione divini officii serventur iuxta ordinem S. R. E. omnes ritus et consuetudines, nec liceat facere officium alicuius Sancti, nisi iuxta ordinem Breviarii Romani, praeter illa quae a S. Sedis speciali gratiâ sunt concessa religioni; unde districte praecipimus superioribus omnibus et vicariis seu directoribus chori, ne imposterum audeant recitare, nec recitari permittere, nec publice nec privatim, officium Corporis Christi, aut Immaculatae Conceptionis, aut alterius Sancti in Adventu et Quadragesimâ, ac aliis temporibus, in quibus non est privilegium, et talem abu-

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).
2 Forsan *ad* pro *seu* legendum (R. T.).

1 Praeposit. *ex* nos addimus (R. T.).

sum volumus esse omnino tollendum, cum semper teneamur esse obedientes S. R. E. ut in regulà Seraphicus Pater praecipit dicens: *Sint semper subditi et subiecti pedibus S. R. E.;* et quia ab eiusdem Sanctae Sedis liberalitate fuit auctoritate apostolicâ noviter concessum nostrae religioni breviarium distinctum a breviariis aliarum religionum sancti patris nostri Francisci pro fratribus et monialibus nostrae curae subiectis, cuius usus adhuc non est in illâ provinciâ introductus, praecipimus ministro provinciali, ut statim unicuique conventui provideat expensis conventuum de breviario nostrae religioni concesso, quod est impressum Venetiis typis Balleonii.

De lectoribus et studentibus.

xii. Quoniam scientiae et doctrinae summopere sacri ordinis honori conferunt, ut in hac quoque provinciâ, quae olim plurimis abundabat viris egregiis in concionibus et facultatibus philosophicis et theologicis, antiquus reviviscat splendor, omnino praecipimus, quod in promotionibus lectorum in studiis, solo Dei et beneficii publici honore inspecto, non amicitia et dependentia, sed meritum respiciatur, et digni et habiles eligantur; et si iuvenes seu studentes iuxta eorum capacitatem et indolem collocentur in illis locis ubi valeant proficere, et sint bonae expectationis, etiam renuentes compellantur ad exercitia scholastica, et ministri provincialis et guardianorum erit etiam clericos praecipue professos et studentes etiam sacerdotes exercere vel exerceri facere persaepe in refectorio tempore mensae communis in sermonibus coram fratribus, ipsos advertendo circa defectus vocis et gestus prout opus fuerit, ad hoc ut eis isto exercitio postea evadant progressu temporis boni concionatores. Et si aliquis superior seu definitor, aut alio quovis titulo fruantur, postpositis dignioribus, inhabiles promoverent ad lecturas et studia, ipsos tamquam religionis rebelles et inimicos maledicimus, decernentes quod, factâ promotione alicuius lectoris, ad nos mittatur notitia, et de eius habilitate, scientiâ, nomine, merito et gradu, minister provincialis certiores nos suâ iuratâ fide faciat, ut, promotione consideratâ, ipsam, si dignus fuerit, confirmemus; si indignus, reprobemus.

De relatione religiosorum.

xiii. Cum debeantur[1], ut sacrae constitutiones praecipiunt, mitti ab universis provinciis et superioribus earum ministro generali notitiae omnium religiosorum, eorumque crimina per processus et sententias iudicata notificari, circa quod magnum in istâ provinciâ cognovimus defectum, cum, ex quo munus ministri generalis, licet indigne, sustinemus, nulla prorsus nec provinciae nec actionum fratrum aut monialium data fuerit notitia, quasi quod in istâ provinciâ nulla esset subiectio nec communicatio cum ministro generali; firmiter statuimus quod superiores tam provinciales quam locales omnium exemplaria sententiarum mittant[2] ad nos, et occurrente aliquo delicto aut gravi scandalo, de reo et eius punitione nos faciant[3] certiores, decernentes omnibus fratribus licere ad nos iuxta opportunitates recurrere, ita tamen quod provincialibus aliisque superioribus non praetermittant[4] debita reverentia et obedientia, ita ut recursus sit iuxta praescriptum constitutionum.

De monialibus, earumque confessariis.

xiv. Cum maximi sit momenti cura[5] monialium, et infinita oriri possint pericula ex negligentiâ superiorum in il-

1 Edit. Main. legit *debeatur* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *mittat* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *faciat* (R. T.).
4 Aptius lege *praetermittatur* (R. T.).
5 Edit. Main. legit *curae* (R. T.).

larum regimine, pluribusque earum monasteriis[1] haec provincia abundet, provincialibus, ministris, et aliis ad quos spectat, praecipimus et mandamus, ut in earum confessariorum deputatione solum Deum prae oculis habeant, virosque expertos, optimis moribus ornatos, prudentes, aetatis maturae et perfectos eligant, qui, saluti animarum earumdem incumbentes, tamquam Dei sponsas electas eas excitent ad cultus divinos, et suae regulae et constitutionum observantiam. Praecipimus etiam ministris provincialibus, aliisque superioribus, sub poenâ privationis officii ac perpetuae inhabilitatis ad ipsa et alia obtinenda, ne ipsis seu alicui ipsarum concedant licentias pernoctandi extra monasterium, licet votum clausurae non habeant, ita quod, aliquâ inevitabili exigente necessitate, si exeundi e monasterio contingat praebere benedictionem et licentiam, ea semper sit limitata, et cum onere redeundi statim ad monasterium ante noctem, et ipsi assignetur altera monialis in sociam, quae sit matura et inter omnes prudens; et casu quo urgeret necessitas ipsarum aliquas dimittendi ad quaestuandum seu emendicandum, quod tamen quantum est possibile est impediendum, nulla possit mitti quae quadraginta aetatis annum non expleverit. Et ad quamlibet evitandam occasionem, ipsis provincialibus prohibemus, ne ad habitum et religionem seu monasterium admittant in posterum nisi tot moniales, quot[2] potest alere idem monasterium, et earum sint conditionis, quas sacri canones praescribunt, et suam dotem vel sufficientiam portent ad monasterium pro earum alimento et sustentatione; qua metodo omnis cessabit ipsis mendicandi necessitas, et consequenter vagandi.

1 Edit. Main. legit *eorum monasterii* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *quo* pro *quot* (R. T.).

Eisdem etiam superioribus iubentes, ut debitâ qua fas est dexteritate et prudentiâ, in quantum potest fieri, ad clausuram reducere et allicere (adhibitis mediis illis, quae iuxta temporum et locorum opportunitates eis in Domino videbitur) curent; ipsisque monialibus fiat notum, quod, sub poenis arbitrio superiorum reservatis, etiam carceris, saltem per quoslibet quindecim dies teneantur confiteri et sacrâ refici synaxi, eâdem die audiendo etiam sermonem exhortatorium, quem confessarii eorum volumus ipsis habere. Abbatissae autem seu superiorissae seu ministrae aut magistrae nequeant facere expensas nec vendere nec emere sine assensu monialium suorum monasteriorum per secreta suffragia habendo; et tandem inter semetipsas moniales omnes exerceant mutuam charitatem, concordiam et pacem, Deo sancte et perfecte serviendo, ab eo aeternam caelestis praemii mercedem habiturae[1]. Eisdemque earumdem monialium abbatissis, magistris, ministris seu superiorissis praecipimus pariter ut loca, quae vulgo vocantur parlatoria, sint bene custodita, nec ante solis ortum, nec post solis occasum, nec tempore intermedio inter prandium et vesperas aperiantur, sed maneant clausa; quod quoque praecipimus earum confessariis, ut huius decreti observantiae omni studio incumbant; nec in eodem loco deputato pro parlatoriis liceat sub quovis praetextu nec bibere nec manducare.

De executione constitutionum et quibusdam precibus.

XV. Omnibus denique religiosis nostrae curae subiectis iterum sacrarum constitutionum Ordinis et aliarum sanctionum sanctae et Apostolicae Sedis observantiam praecipimus, eosque enixe in Domino rogamus ut in pace et concordiâ divino incumbant servitio, saeculo sint exemplares, religioni proficui,

1 Edit. Main. legit *habituras* (R. T.).

sancto patri Francisco[1] grati, pro S. R. E. et fidei catholicae incremento, beatissimi Summi Pontificis Innocentii XII felici conservatione, inter principes christianos pace et concordiâ, armorum christianorum felicitate, contra infideles victoriâ, totius sacri Collegii Apostolici, et praecipue eminentissimorum et reverendissimorum dominorum S. R. E. cardinalium Ghisii Ordinis protectoris, et de Laureâ eiusdem Ordinis splendoris et mecenatis, omniumque S. R. E. praelatorum, et praecipue illustrissimi et reverendissimi domini nuntii apostolici salute et felicitate, ac etiam pro me indigno sacrae religionis ministro generali devotas Deo preces offerant: in cuius nomine omnes totius cordis visceribus et sincerâ dilectione et amore benedicimus. In fidem, etc. Datum in nostro conventu Lucernensi, die et anno supradictis. Frater Ioseph Maria minister generalis. Frater Iulius Foresti de Venetiis secretarius et assistens Ordinis».

Decretum nuncii apostolici pro executione relatorum decretorum.

Subinde vero venerabilis frater Marcellus archiepiscopus Athenarum, tunc temporis noster ac Sedis Apostolicae in dominio Helvetiorum et Rhaetaeorum nuncius, pro decretorum huiusmodi executione et observantiâ suum ediderat decretum tenoris sequentis, videlicet:

« Marcellus de Aste et Apostolicae Sedis gratiâ episcopus Athenarum, et sanctissimi domini nostri Innocentii divinâ providentiâ Papae XII eiusdemque Sanctae Sedis ad Helvetios et Rhaetaeos, eorumque subditos et confoederatos, necnon ad Constantiensem, Basiliensem, Curiensem, Sedunensem et Lausanensem civitates et dioeceses cum facultate legati de latere nuncius, etc.

» Cum reverendissimus pater magister Iosephus Maria Bottari de Venetiis, minister generalis totius Ordinis Minorum Conventualium sancti Francisci, in visitatione provinciae Argentinae et in capitulo provinciali Lucernae celebrato retroscripta decreta, ordinationes et constitutiones fecerit, quae cum nos etiam conformes sacrorum canonum et seraphici Ordinis sancti Francisci constitutionum invenerimus, adeo ut omnes et singulae ab omnibus, ad quos spectat et in futurum pro tempore expectabit, inviolabiliter volumus ut observentur: eas propterea auctoritate qua fungimur apostolicâ omni meliori modo corroborantes et confirmantes. In quorum, etc. Datum Lucernae, XXIII novembris MDCXCIV. — M. archiepiscopus Athenarum nuncius apostolicus. Ioannes Antonius Rusconus cancellarius, etc. ».

Eadem decreta confirmata etiam fuere a Congregatione episcoporum et regularium.

Et proinde pro parte dictorum fratrum praedictae Congregationi cardinalium supplicato ut eadem decreta, quippe quae a quibusdam in controversiam vocari posse dubitabant, similiter confirmaret: dicta Congregatio cardinalium per suum itidem decretum die XI septembris proxime praeteriti emanatum, audito dilecto filio procuratore generali Ordinis supradicti, et attentis narratis, petitam confirmationem fratribus praedictis benigne concessit.

Confirmatio Pontificis.

§ 2. Cum autem, sicut iidem fratres nobis postmodum exponi fecerunt, ipsi praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum prae-

1 Edit. Main. legit *Francisci* (R. T.).

sentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinserta dicti ministri generalis decreta, a memoratâ cardinalium Congregatione ut praefertur confirmata, necnon pro eorum executione et observantiâ emanatum a praedicto Marcello archiepiscopo et nuntio decretum itidem praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx ianuarii MDCXCVI, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 20 ianuarii 1696, pontif. anno v.

## CXXIV.

*Confirmantur decreta prioris generalis Ordinis Carmelitarum pro provinciâ Portugalliae* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Insequentia decreta condita fuere in congregatione provinciae.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Feixoo de Villalobos, prior generalis Ordinis fratrum beatae Mariae de Monte Carmelo, quod ipse, in visitatione quam aliàs fecit provinciae Portugalliae dicti Ordinis, pro conservandâ et augendâ in provinciâ huiusmodi regulari observantiâ, de consensu totius definitorii eiusdem provinciae, nonnulla decreta edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Decreta praedicta.

« Frater Ioannes Feixoo de Villalobos, sacrae teologiae magister ac humilis prior generalis et visitator apostolicus totius Ordinis fratrum beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo antiquae observantiae regularis.

» Cum ad maiorem nostri Ordinis conservationem et propagationem bene sapienterque a maioribus nostris sancitum sit, quod in singulis provinciis fiant quolibet anno congregationes definitoriales, quarum ea praecipua cura sit omnes abusus iniuriâ temporum irrepentes vel eliminare vel impedire etiam

1 In huius Pontificis const. ed. MDCXCII, die 11 octobris, pontif. II, extant decreta circa studia; et in Clementis XI const. ed. MDCCVII, die 31 augusti, pontif. VII, agitur de huius provinciae religiosis musicis.

opportuno novarum ordinationum remedio; hinc in congregatione provinciae nostrae Lusitaniae, a die v usque ad diem ix iunii, nobis praesidentibus, hoc anno MDCXCIV celebratâ, communi omnium sollicitudine, zelo ac voto pro bono spirituali ac temporali praefatae provinciae decreta sequentia condita fuerunt:

De receptione ad habitum et professionem.

i. Nullus ad sacrum nostri instituti habitum, multoque minus ad professionem in vicariis Brasiliensi, Maragonensi et Fluvii Ianuarii nomine Rivus[1] provinciae admitti possit, nisi praevio cónsensu provincialis et totius definitorii eiusdem provinciae; aliàs nunquam eiusdem provinciae, sed illius vicariae alumnus dicatur et sit in qua professionem emiserit.

De novitiatu, novitiis et professis.

ii. Quatuor tantum novitii pro quolibet anno et pro totâ provinciâ in posterum admittantur regulariter, ac insuper extraordinarie unus etiam pro quolibet senario numero religiosorum in dicto anno ex hac vitâ decedentium: et hoc sub poenâ privationis ab officio tam provincialis quam priorum et clavariorum, si quemlibet alium ultra praescriptum numerum admittent. Si tamen dicto numero completo aliquis ex regni magnatibus, aut primariis nobilibus, aliàs idoneus, habitum nostrum efflagitaverit, tunc provincialis recurrere possit ad reverendissimum totius Ordinis generalem pro dispensatione obtinendâ. Pro domo novitiatus designantur conventus Ulyssiponensis et vulgo dictus *Cogliares*, a quibus novitii nunquam removeri possint, neque post emissam professionem, nisi praevio examine approbati pro scholasticis studiis illico ad collegia dirigantur. Porro nemo deinceps ad habitum nostrum admittatur, nisi a vocalibus coenobiorum fuerit per secreta suffragia approbatus, postquam per authentica documenta vel opportunas informationes, aut aliàs, praefatis vocalibus legitime constiterit de recipiendorum legitimis natalibus, moribus, qualitatibus, aliisque requisitis a sacro Concilio Tridentino, constitutionibus apostolicis ac Ordinis, necnon ordinationibus reverendissimi procuratoris generalis a sanctissimo domino nostro per litteras in formâ Brevis confirmatis sub die xi octobris anni MDCXCIII. Nemo similiter ad professionem admittatur, nisi, praeter alia de iure sive communi sive nostri Ordini proprio et municipali requisita, post diligens examen circa regulam, constitutiones, caeremonias nostras et cantum gregorianum, approbatus fuerit ab examinatoribus ad hunc effectum a provinciali pro tempore deputandis, super quo eorum conscientiam oneratam esse volumus. Qui vero contrafecerint, praeter poenas a supradictis constitutionibus statutas, aliis etiam arbitrio generalis subiaceant.

De abdicatione novitiorum.

iii. Sacri Concilii Tridentini dispositio in cap. xvi, sess. xxv, *De regularibus*, circa novitiorum renunciationes aut obligationes, omnino intemerata servetur: ac proinde ante tempus ibidem statutum, ac multo minus ante habitûs susceptionem, nulla pactio super his, nulla conventio vel expressa vel tacita a nostrae provinciae superioribus fiat, vel ab aliis facta toleretur, non obstantibus quibuscumque deprecationibus ac importunis commendationibus, ut ita quaevis simoniacae labis species evitetur, ac in re tanti momenti, qualis est novitiorum receptio, nulla turpis lucri spes aut temporalis utilitatis ratio ad minus dignorum admissionem praelatos alliciat.

De bonis professorum.

iv. Si ex personâ alicuius nostrae provinciae professi aliqua bona vel haereditario vel alio quocumque iure contingat nostrae religioni acquiri, ea primo in extinctionem communium totius provinciae debitorum convertantur, et quod supererit, pauperioribus conventibus a provinciali de consilio definitorii applicetur, eâ lege ut eiusdem conventus prior et clavarii debeant praedicta omnia emolumenta in bonis stabilibus fructiferis vel annuis aliis redditibus securis collocare, vel, si ob aliquam necessariam causam, servatis servandis, distrahenda sint, teneantur, quamprimum licuerit, tantumdem reponere ac eodem modo investire.

1 Puto *ipsius* vel *totius* pro *Rivus* leg. (R.T.)

De spoliis religiosorum.

v. Religiosorum ex hac vitâ decedentium spolia, nempe vestes ac libri et cetera, quorum usum, dum viverent, a suis praelatis obtinebant, ad formam sacri Concilii Tridentini sess. xxv, cap. II *De regularibus*, et decretorum sanctae memoriae Clementis VIII de reformatione nostrarumque constitutionum, vel pro communibus provinciae necessitatibus, vel ad utilitatem eius conventus, cui defunctus fuerit affiliatus, applicentur, iuxta nostrarum constitutionum praescriptum. Provinciales vero pro tempore existéntes, quaecumque ratione spolii recipient atque distribuent, fideliter ac diligenter adnotari curent in libro ad hunc finem specialiter designato, ac de omnibus sive datis sive acceptis rationem reddant suis definitoribus in libro praefato distincte referendam, ac ab eorum respective successoribus recognoscendam, et propriâ subscriptione firmandam.

De prioribus, subprioribus et concionatoribus.

vi. Nullus in posterum ad prioratus aut subprioratus officium promoveri, vel concionator extra septa monasterii per litteras patentes constitui valeat, qui ad audiendas saecularium confessiones non fuerit ab Ordinario loci approbatus. Quod si ex praesentaneis prioribus vel subprioribus aliquis sit non approbatus, eamdem approbationem unius mensis termino consequi debeat, sub poenâ privationis officiorum respective, quatenus per ipsum steterit quominus eam consequatur.

De praesentatis ex gratia vel iustitia et concionationibus.

vii. Praesentati de gratiâ, qui ab anno MDCLXX citra, iuxta dispositionem reverendissimi Orlandi, in hac provinciâ admittuntur cum voce et loco in capitulis provincialibus, sicut [1] in posterum de iustitiâ cum omnibus gratiis, praeeminentiis et praerogativis, aliàs regularem observantiam non laedentibus, quibus dicti praesentati de iustitiâ in Ordine nostro ac praecipue in hac provinciâ fruuntur et gaudent. Item ii, qui lecturam de oppositione tenentes, textum super quatuor evangelia sorte ipsis contingentem termino vigintiquatuor horarum explicaverint, ac secundum sensus sacrae Scripturae exposuerint, et praeviâ examinatorum approbatione patentes concionatoris litteras obtinuerint, ac eiusmodi munus per duodecim annos laudabiliter exercuerint in ecclesiis Mourae, Setuball, Eborae et Ulyssiponensi, et in qualibet [1] ex his duabus postremo loco nominatis per triennium saltem in supradictos duodecim annos utique computandum, et praedicta omnia requisita sufficienter iustificaverint, si a provinciâ expostulabuntur, inter praesentatos de iustitiâ adscribantur cum omnibus praerogativis, de quibus supra. Quoad concionatores tamen actu existentes et aetate provectos, possit provincialis unâ cum suis examinatoribus abbreviare praedictum tempus duodecim annorum (dummodo non intra quadriennium), eosque ad gradum praesentati de iustitiâ promovere, qui post obtentam lecturam de oppositione, iuxta superius dicta, fuerint ad concionatoris munus iterum approbati, illudque laudabiliter exercuerint saltem per quadriennium, habitâ ratione aetatis, studiorum et anteactorum laborum, prout in Domino iudicaverit.

De confessariis monialium.

viii. Ad nostrarum monialium confessiones audiendas non deputentur nisi religiosi aetate provecti, annorum ad minus quadraginta, bonis moribus, ac exemplaris laudabilisque famae testimonio commendati, et concionandi pariter, ut illas opportunâ gratuitâque verbi Dei praedicatione, aliisque spiritualibus exercitiis ad pietatem erudire, ac in viâ perfectionis dirigere valeant. Mane et vespere in ecclesiâ exteriori, et cum eisdem in ecclesiâ interiori congregatis orationem mentalem indispensabiliter frequentent: praeter dies a constitutionibus expresse designatos, quolibet etiam die dominico, et quandocumque opus fuerit, sanctissima Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta petentibus administrent: regulam et constitutiones apprime calleant, earumque menstruam in publicâ mensâ lectionem, et, quod caput est, exactam in omnibus observantiam summo studio procurent. Provinciales vero in cuiuscumque monasterii visitatione super praemissis diligenter inquirant, ipsasque moniales in scrutinio examinent: si quem

1 Videtur legendum *sint* pro *sicut* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *quolibet* (R. T.).

culpabilem repererint, punire ac etiam pro modo culpae removere teneantur. Porro nostri collegii Conimbricensis rector pro tempore monialibus itidem nostris de Tentugal, et prior conventûs vulgo de Deiia monialibus ibidem existentibus, ac tandem prior conventûs Algarbiorum monialibus vulgo *de Lagos* confessarios extraordinarios supradictis qualitatibus praeditos deputent quater in anno, quolibet scilicet triennio[1] qui consueta quoque nostri Ordinis beneficia eisdem conferre valeant.

*De cappa.*

IX. Sub nullo praetextu deferri possint in publicis communitatis actibus, multoque minus in ecclesiâ, togae vulgo *capotes* seu *gavanes*, quarum loco dumtaxat permittuntur in hyeme contra frigoris rigorem cappae albae ex panno etiam sine caputio confectae.

*De choro.*

X. Choristae post inceptum officium chorum ingredientes, deosculatâ terrâ, permaneant genuflexi usque ad nutum superioris, quo habito, et deosculatâ iterum terrâ, ad suum locum pergant; idem toties praestando, quoties ob aliquam legitimam causam ac de superioris licentiâ eisdem e choro exire contigerit. Sacerdotes vero, post debitam sanctissimo Eucharistiae sacramento genuflexionem ac superiori et communitati reverentiam, genuflexi, terram digito deosculantur, ac, post brevem orationem, ad suum locum se conferant, a choro nunquam recessuri, cuiuscumque gradus aut conditionis praetextu, absque necessitate oretenus et non per nutus superiori comunicatâ; et, obtentâ ab eodem licentiâ, solitam altari genuflexionem et communitati reverentiam praestabunt.

*De ordine inter religiosos.*

XI. In processionibus aliisque communitatis actibus quibuscumque choristae praecedant novitios, novitii laicos, ceterique religiosi locum singulis convenientem retineant ad formam nostrarum constitutionum, non obstante quacumque tolerantiâ sive contrariâ consuetudine, quam tamquam abusum reprobamus.

*De executione regulae et constitutionum.*

XII. Regula beati Alberti qualibet hebdomadâ, constitutionum vero pars prima et tertia quolibet mense perlegantur. Illarum observantiam omnibus enixe iniungimus, non solum quoad orationem mentalem mane et vespere faciendam, aliaque magis substantialia ad interiorem animae culturam pertinentia, sed etiam quoad habitus internos et externos, cappas, caputia, coronas capitis et calceamenta, ne quid contra mores et constitutiones nostras innovetur, sub poenâ privationis vocis activae et passivae.

*De archiviis.*

XIII. Erigatur in aliquâ convenienti cellulâ conventûs Ulyssiponensis archivium, ad cuius custodiam deputetur religiosus peritus, qui illud ordinet, protocolla, instrumenta, iura, legata, census, privilegia, ceterasque scripturas uniendo et registrando: idemque proportionabiliter servetur quoad archivium provinciae in eodem conventu Ulyssiponensi constituendum.

*De procuratoribus coenobiorum.*

XIV. Religiosi ad subsistentiam villarum, vinearum et camporum deputati, nullo modo audeant, sive per se immediate, sive per alios, emere nomine proprio vineas, possessiones, domos, oleum, triticum, aut alia eiusmodi, sub poenis contra clericos negotiatores et religiosos proprietarios a sacris canonibus constitutis; quinimo ne quidem nomine conventûs quidquam vel contrahere vel distrahere praesumant sine expresso prioris et clavariorum consensu, quibus etiam quolibet trimestri exactam de omnibus rationem reddere teneantur; si quis contra praedicta, vel omittendo vel committendo, peccare compertus fuerit, illico privetur omni administratione, aliisque, pro modo culpae, a sacris canonibus nostrisque constitutionibus statutis poenis mulctetur, et quatenus in aliquo fraudaverit, carceri mancipetur, et ad refectionem compellatur.

*De prioribus et clavariis.*

XV. Priores et clavarii pro tempore, habitis calculis cum commissariis seu deputatis ad recipiendos redditus regiae Camerae provenientes ex vini introductione, authenticam referant attestationem de ab eis introductis et solutis tempore sui regiminis, eamdemque tradant novis prioribus et clavariis, qui consimilem suis successoribus exhibere teneantur, et ita deinceps in perpetuum, sub poenâ privationis vocis activae et passivae, ac inhabilitatis perpetuae ad

[1] Videtur legendum *trimestri* (R. T.).

officia. Vinum, quodcumque et undecumque proveniens, in cellam vinariam non introducatur, nisi de consensu et in praesentiâ clavariorum, qui quantitatem et exitum sive consummationem introducti distincte fideliterque adnotare teneantur in libro ad hoc specialiter deputato, ita quod utilitas omnis ex vino proveniens cedat in favorem ipsiusmet conventus, non autem priorum, sub poenâ proprietariorum. Super quibus provinciales pro tempore invigilent, et in visitatione rationem de omnibus exigant. Porro ad priorum charitatem et prudentiam pertinebit temporibus Adventus et Quadragesimae vinum perfectius communitati distribuere, ut ieiunantium necessitati opportune consulatur.

De sociis priorum.

XVI. Ad plura et maximi sane momenti incommoda vitanda, nullus in posterum admitti possit ad suffragium ferendum in electionibus sociorum priorum ad capitulum provinciale iturorum, qui duodecimum professionis annum non compleverit, sub poenâ nullitatis electionis, quibuscumque contrariis non obstantibus. Excipiuntur sacrae theologiae lectores ac conventuum subpriores, de quorum prudentiâ, zelo ac pietate confisi, volumus, quod, etiamsi praedictum tempus non expleverint, suffragium tamen ferre possint; sicuti etiam quoad alias electiones ceterasque communitatis determinationes nihil intendimus innovare.

De collegiis, lectoribus et studentibus.

XVII. Designantur pro studiis speculativis philosophiae ac theologiae collegium Conimbricense, necnon collegia Eborae, Mourae et Ulyssiponense pro studiis theologiae moralis methodice a lectoribus quotidie legendae, quorum unus Sacrae Scripturae, Patrumque sensus explicare teneatur, ac per omnia decretis a patre generali aliàs editis in ordine ad studia et a sanctissimo domino nostro Innocentio XII pontifice maximo confirmatis sub die XI octobris MDCXCII [1]. Conclusiones pro lecturis obtinendis sustinendae sint tres ad minus, et publice defendantur in collegiis Conimbricensi, Ulyssiponensi et Eborensi, vel in capitulo provinciali. Eae vero non seligantur ex eodem libro Sententiarum, nec ex eâdem parte theologiae, sed in uno collegio ex primâ parte, in alio ex primâ vel secundâ secundae, et in alio ex tertiâ parte, vel de sacramentis vel de morali in collegio theologiae moralis, ita quod in his tribus conclusionibus se universaliter in totâ theologiâ peritos ostendant. Absque hoc experimento nemo ad oppositiones pro lecturis admittatur, sed neque illo iuvari quisquam possit, qui theologicum cursum non expleverit. Teneantur lectores alternatim conclusionibus praesidere, habendis, intra claustra quidem, quolibet mense cum interventu magistrorum ac communitatis; quolibet vero bimestri publice cum interventu exterorum. Si quando in universitatibus aut aliarum religionum collegiis invitabuntur, arguere teneantur iuxta distributionem a regente seu studiorum praefecto faciendam, ordine servato; si arguere recusaverint, suarum lecturarum cursus non admittantur pro graduum consecutione; si vero regenti aut studiorum praefecto contumaces non obedierint, lecturâ priventur. Pari modo studentes ad assistentiam extraneorum conclusionum a regente vel praefecto deputati prompte obedire teneantur, sub poenâ privationis studiorum perpetuaeque inhabilitatis ad eadem.

De cellulis religiosorum.

XVIII. Cellulae religiosorum ex hac vitâ decedentium, quae non fuerint alicui assignatae per decretum sacrae Congregationis, vel a [1] sanctissimo domino nostro, vel ab illustrissimo ac reverendissimo domino nuncio apostolico, maturâ consideratione distribuantur iuxta nostras constitutiones, servatis servandis, et habitâ ratione dignitatis, gradus, antiquitatis, meriti ac necessitatis cuiuscumque.

*Actum die, anno et loco quibus supra, etc.* ».

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tametsi decreta huiusmodi a venerabili fratre Georgio archiepiscopo Leodiensi, nostro et Apostolicae Sedis in Portugalliae et Algarbiorum regnis nuncio, confirmata fuerint, nihilominus dictus Ioannes prior generalis illa, quo

1 Periodus defectiva videtur (R. T.).

1 Praeposit. *a* nos addimus (R. T.).

firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae quoque confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsius Ioannis prioris generalis votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, omnia et singula decreta praeinserta ab ipso Ioanne priore generali edità, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras ac decreta huiusmodi semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI februarii MDCXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 11 februarii 1696, pontif. anno V.

---

## CXXV.

*Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium super familiâ coenobii Montissancti Carmelitarum de Urbe et tabellâ munerum versiculatorum* [1].

[1] In huius Pontificis const. ed. MDCXCII, die 11 octobris, pontif. II, extant decreta circa studia; et constit. edit. MDCXCVIII, die 30 augusti, pontif. VIII agitur de quatuor assistentibus generalibus.

Innnocentius Papa XII,
ad futuram rei memoriam.

Decretum sacrae Congregationis refertur.

§ 1. Aliàs emanavit a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « *In causâ Romanâ vertente inter patres Carmelitas primi instituti Siculos ex unâ, et patres Romanos et Status Ecclesiastici eiusdem instituti partibus ex alterâ, de et super assignatione familiae in conventu Montissancti de Urbe, necnon tabellâ seu exercitio munerum versiculatorum et cantorum in choro, ac lectorum in mensa, etc.*, sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, partibus ipsis informantibus, referente eminentissimo Petruccio, censuit ac decrevit, super praedictâ assignatione familiae servandas esse constitutiones Ordinis part. I, cap. V, § ultimo, non obstante voto commissariorum, prout praesenti decreti tenore servari[1] mandat et praecipit. Quo vero ad tabellam seu exercitium munerum versiculatorum, etc., stetit in decisis per ipsam sacram Congregationem sub die XXIX iulii MDCLXXXIX. Romae, XXVIII novembris MDCXCII. — G. cardinalis CARPINEUS. A. ALTOVITUS, secret. ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii priores et fratres Status nostri Ecclesiastici provinciae Montissancti Ordinis fratrum beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent[2]: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Camerae Apostolicae auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae.

§ 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

1 Male edit. Main. legit *servati* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *desideret* (R. T.).

rem, sub annulo Piscatoris, die XV februarii MDCXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 15 februarii 1696, pontif. anno V.

---

## CXXVI.

*Confirmatur constitutio Urbani VIII pro necessitatibus locorum Terraesanctae*[1].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Salutaris[2] et domini nostri Iesu Christi, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, vices, licet immeriti, gerentes in terris, inter multiplices gravissimasque apostolicae servitutis curas, in eam praecipuae pastoralis sollicitudinis vigilantiâ incumbimus, ut tanti et tam salubris mysterii monumenta, quae in civitate Hierusalem et locis circumvicinis sunt, conserventur, et omni qua fieri poterit maiori honorificentiâ recolantur.

Ab Urbano VIII iniuncta fuit Ordinariis locorum et generalibus Ordinum, ut bis in anno curarent exponi necessitates dictorum locorum.

§ 1. Cum itaque, felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessori nostro aliàs exposito quod ecclesiae et alia loca pia in civitate Hierusalem et aliis locis Terraesanctae existentia fere diruta erant, et quae adhuc ibi existebant monasteria aere alieno, ob impiam Turcarum, haereticorum et schismaticorum tyrannidem et pro sanctae fidei catholicae in eisdem locis conservatione contracto, admodum gravata reperiebantur, idem Urbanus praedecessor patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus et singulis quorumvis Ordinum ac congregationum et institutorum regularium generalibus commiserit et mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet[1] Adventus et Quadragesimae temporibus tam per verbi Dei praedicatores in suis sacris concionibus, quam in actionibus et functionibus publicis necessitates eorumdem sacrorum monumentorum populo proponi et commendari curarent et facerent, et aliàs prout in eiusdem Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die III februarii MDCXXXIV expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur; et, sicut pro parte dilecti filii Hieronymi Roavuls Ordinis Minorum sancti Francisci Recollectorum seu de Observantiâ nuncupatorum professoris pro Galliâ commissarii generalis eiusdem Terraesanctae nobis nuper expositum fuit ipse quo praedictae Urbani praedecessoris litterae, quae a recolendae memoriae Innocentio X et Clemente etiam X Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter nostris confirmatae fuerunt, exactius observentur, illas per nos pariter confirmari et innovari desideret: nos, eorumdem sacrorum monumentorum conservationi et manutentioni consulere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, praedictas Urbani praedecessoris litteras apostolicâ auctoritate tenore praesentium confirmamus pariter et approbamus, illasque innovamus et observari mandamus.

§ 2. Volumus autem ut patriarchae, archiepiscopi et episcopi praedicti in relatione statûs suarum ecclesiarum, quando visitabunt limina Apostolorum faciendâ, referant se praedictis Urbani praedecessoribus et praesentibus litteris nostris paruisse: contrariis non obstantibus quibuscumque. Confirmatio constitutionis Urbani VIII.

1 Haec constitutio ultimo confirmata fuerat ab Alexandro VIII anno MDCLXXXIX, die 18 novembris, pontif. 1; et postea a Clemente XI const. edit. die XII novembris MDCCXXI.

2 Forsan *Salvatoris* de more solito leg. (R. T.).

1 Deest vox *anno* (R. T.).

Clausulae.

§ 3. Volumus insuper ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV februarii MDCXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 24 februarii 1696, pontif. anno V.

---

## CXXVII.

*Confirmantur privilegia Pauli V et Urbani VIII concessa collegio Scotorum Parisiensi, cum concessione facultatis suscipiendi ordines non servatis interstitiis*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Constitutio Pauli V qua concessa fuit facultas celebrandi in oratorio privato et suscipiendi ordines a quocumque antistite ad titulum paupertatis et sine dimissoriis Ordinarii.

§ 1. Dudum felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster collegio nationis Scotorum Parisiensi, eiusque superioribus et alumnis, nonnulla privilegia, facultates, gratias et indulta concessit per quasdam suas desuper in simili formâ Brevis expeditas litteras tenoris qui sequitur, videlicet:

« *Paulus Papa V, ad futuram rei memoriam.* Dilectos filios alumnos, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII maii MDCXII, pontificatus nostri anno XII ».

1 Laudatae constitutiones mox citantur. In huius Pontificis const. ed. MDCXCII, die 1 martii, pontif. I, concessa fuit collegio S. Antonii civitatis Cuscan facultas conferendi gradus scholasticos; et in Clementis XI const. ed. MDCCI, die 30 maii, pontif. I, erigitur collegium Urbinatense cum pluribus privilegiis.

2 Bullam Pauli V omittimus, quia iam legitur allata a Clemente IX in tom. XVII, p. 830 (R. T.).

Constitutio Urbani VIII.

Subinde vero recolendae memoriae Urbanus Papa VIII, etiam praedecessor noster, ad favorem eorumdem alumnorum alias suas pariter in formâ Brevis litteras edidit tenoris sequentis, videlicet:

« *Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.* Ut alumni collegii Scoti in civitate Parisiensi, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI ianuarii MDCXLIII[2], pontificatus nostri anno XX.

Confirmatio relatarum constitutionum

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum superiorum et alumnorum collegii supradicti nobis nuper expositum fuit, ipsi, quo praeinsertae Pauli, quae a piae memoriae Clemente Papa IX praedecessore pariter nostro confirmatae[3] fuerunt, ac Urbani praedecessorum litterae firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae quoque confirmationis nostrae patrocinio communiri ac aliâs opportune sibi desuper a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium in totâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum a Sede Apostolicâ specialiter deputatorum consilio, omnia et singula privile-

1 Reliqua vide in tom. XV, pag. 227 (R. T.).

2 Edit. Main. legit 1545 (R. T.).

3 Edit. Main. legit *confirmata* (R. T.).

gia, facultates, gratias et indulta, collegio eiusque superioribus et alumnis praedictis a memorato Paulo et Urbano praedecessoribus concessa, ut praefertur, emanatasve desuper illorum litteras praeinsertas, cum omnibus et singulis in eis respective contentis et expressis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur et efficaciam adiicimus. Praeterea, ut iidem alumni ad sacros etiam presbyteratus ordines huiusmodi non tantum extra tempora a iure statuta, sed etiam interstitiis a sacro Concilio Tridentino designatis minime servatis, annique curriculo non expectato, ac tametsi in unoquoque ex dictis sacris ordinibus, antequam ad alium promoveantur, se minime exercuerint, servatâ tamen ceteroqui earumdem praeinsertarum litterarum formâ et dispositione, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et indulgemus.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praeinsertis Pauli et Urbani praedecessorum litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII aprilis MDCXCIV, pontificatus nostri anno III[1].

Dat. die 27 aprilis 1694, pontif. anno III.

---

## CXXVIII.

*Admittuntur ad fruitionem indulgentiarum Ordinis sancti Augustini moniales Annunciationis B. M. V.* Caelestes *nuncupatae.*

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Preces monialium et causa constitutionis. Cum, sicut dilectae in Christo filiae moniales Ordinis Annunciationis B. M. V. *Caelestes*, vulgariter vero *le Turchine* nuncupatae, nobis nuper exponi fecerunt, ipsae sub regulâ sancti Augustini, cum peculiaribus constitutionibus a felicis recordationis Paulo V et subinde ab Urbano VIII Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris approbatis, Deo famulentur, ac proinde indulgentiis[2] ab hac Sanctâ Sede Ordini eiusdem sancti Augustini concessis perfrui posse plurimum desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine nobis super hoc hu-

1 Ita legit ed. Main. tum in textu tum in notâ marginali, adeo ut Bulla ista referenda foret supra ad pag. 623 sub num. XCI (R. T.).
2 Edit. Main. legit *indulgentias* (R. T.).

militer porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, easdem exponentes ad fruitionem omnium indulgentiarum Ordini praedicto concessarum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, admittimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II maii MDCXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 2 maii 1696, pontif. anno V.

---

## CXXIX.

*Praecipitur clericis saecularibus Doctrinae Christianae in Galliâ ut executioni mandent vitam communem* [1].

**Innocentius Papa XII, ad perpetuam rei memoriam.**

Epilogus constitutionum Clementis VIII et Alexandri VII circa vitam communem dictae Congregationis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Iosephus Bellisen, presbyter et procurator generalis Congregationis clericorum saecularium Doctrinae Christianae in Gallia, quod [2], licet felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras die XXIII decembris MDXCVII expeditas providerit seu ordinaverit, ut omnia et singula bona clericorum dictae Congregationis in arcam communem reponerentur; ac postmodum, cum iidem clerici ab ipsâ Congregatione, utpote nullis votis adstricti, interdum deficerent, in eâ vero remanentes sibi aliqua bona peculiaria adsciscerent, recolendae memoriae Alexander Papa VII, etiam praedecessor noster, per suas itidem in formâ Brevis litteras die XXVI septembris MDCLIX emanatas statuerit ut omnes et singuli clerici eiusdem Congregationis tria vota simplicia obedientiae, castitatis et paupertatis, necnon votum seu iuramentum in ipsâ Congregatione perpetuo perseverandi, emitterent: nihilominus eorum nonnulli arcam communem praedictam iam defraudare incipiunt, sibi nempe actionem in legitimam suam portionem retinentes, aut alia bona ex concionibus, missarum [1] eleemosynis, aliove opere et industriâ ipsis provenientia reservantes.

Causa huius constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, id non solum in praedictae Congregationis (quae bona communia semper habuit, et suos clericos ad sacros etiam presbyteratus ordines ad titulum ipsius Congregationis seu bonorum communium, vigore facultatis sibi desuper per dicti Alexandri praedecessoris litteras concessae, promoveri curat, eosque ad studia suis sumptibus instituit, ac omnia necessaria illis tam bene valentibus quam aegrotis subministrare tenetur) detrimentum, sed etiam in morum relaxationem vergat: nobis propterea dictus Iosephus procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut, quo paupertas in ipsâ Congregatione iuxta sacros canones et constitutiones apostolicas illibata conservari et bonus ordo communitatis ab omni proprietatis labe perpetuo defendi possit, in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

1 Vide const. Clementis VIII et Alexandri VII infra citatas. In huius Pontificis constit. edit. MDCXCVII, die 23 martii, pontif. VI, abrogati fuere discreti.

2 Male ed. Main. legit *quam* pro *quod* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *missam* (R. T.).

Praeceptum, ut Congregationi cedant legitimam actionem, et in arcâ communi reponant bona, sub certis poenis.

§ 3. Nos igitur, dictae Congregationis indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere, omnemque in eâ vitae communis relaxationi viam praecludere, et ipsius Iosephi procuratoris generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum super disciplinâ regulari specialiter a nobis deputatorum consilio, omnibus et singulis clericis praedictae Congregationis, ut omnem et quamcumque actionem in legitimam sibi quomodolibet et ubicumque competentem nullo modo sibi retinere praesumant, sed eam ipsi Congregationi omnino remittant, itaut eadem Congregatio possit et valeat de eâdem legitimâ plene disponere, eamque exigere, aut super eâ concordare; item ut omnes pecunias, proventus, census et eleemosynas, sive ex lectionibus, sive ex concionibus, aut pro missis celebrandis, aliaque ipsorum iusto labore et causâ quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum aut piorum largitiones, legata aut donationes fuerint, in dictâ arcâ communi reponant ad formam constitutionum eiusdem Congregationis, sub poenâ privationis vocis activae et passivae ipso facto incurrendâ, nec nisi ab hac Sanctâ Sede aut praeposito generali ipsius Congregationis unâ cum suo definitorio relaxandâ, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, praecipimus et mandamus; laicos vero et in minoribus tantum ordinibus constitutos clericos Congregationis huiusmodi circa praemissa delinquentes poenâ gravioris culpae iuxta dictas constitutiones debitâ puniendos esse, eâdem auctoritate, harum serie, decernimus et declaramus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate con-

stitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII maii MDCXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 23 maii 1696, pontif. anno V.

---

## CXXX.

*Confirmatur et reformatur constitutio Alexandri VII pro bono regimine collegii Germanici et Hungarici de Urbe*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

In supremo militantis Ecclesiae solio per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum suffragio, constituti, ea quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pro feliciter dirigendis seminariis et collegiis quibuscumque ubique locorum, sed potissimum in almâ Urbe nostrâ, verae religionis arce, ex qua bonorum operum exempla in omnes christiani orbis partes assidue diffunduntur, institutis, sapienter, ac eo, qui secundum scientiam est, Dei zelo ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata serventur, apostolici muniminis nostri patrocinio libenter roboramus, prout, omnibus[2] maturae considerationis trutinâ perpensis, salubriter expedire in Domino arbitramur.

Ab Alexandro VIII ob quasdam rationes determinata fuere locus et forma congregationum cardinalium protectorum.

§ 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Alexandro PP. VII praedecessore nostro, pro felici rectâque collegii Germanici et Hungarici de Urbe illiusque rerum et bonorum administratione, emanarunt litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur, videlicet:

« *Alexander PP. VII, ad perpetuam rei memoriam*. Ut collegii Germanici atque Hungarici de Urbe, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XVIII[2] decembris MDCXL, pontificatus nostri anno VI ».

Causa confirmationis relatae constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, licet praemissa a memorato Alexandro praedecessore provido prudentique fuerint constituta consilio, illa nihilominus minime observentur: hinc est quod nos, praedicti collegii indemnitati prosperoque illius tam spirituali quam temporali regimini, quantum nobis ex alto conceditur, providere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertas Alexandri praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus ac innovamus, illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis vim, robur et efficaciam adiungimus, ipsasque Alexandri praedecessoris litteras, et in eis contenta huiusmodi, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter et inconcusse observari praecipimus et mandamus. Ita tamen ut in posterum memorati cardinales dicti collegii protectores pro negotiis eiusdem collegii pertractandis non amplius in aulâ Congregationis secundodictorum cardinalium, iuxta earumdem Alexandri praedecessoris litterarum praescriptum, sed in ipso collegio commodius ac expeditius occurrentibus illius necessitatibus consulere valeant, cum interventu memorati secretarii dictae Congregationis, et servatâ in reliquis omnibus prae-

1 Praedicta constitutio mox citatur. In huius Pontificis constit. ed. MDCXCVII, die 7 septembris, pontif. VII, confirmantur quaedam statuta pro seminariis Angelopolitanis.

2 Voces *prout, omnibus* nos addimus (R. T.).

1 Reliqua vide tom. XVI, pag. 638 (R. T.).

2 In loc. parall. legitur *VIII* (R. T.).

dictarum Alexandri praedecessoris litterarum formâ et dispositione, congregari debeant.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari et adimpleri, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet quantumvis formali et individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, redargui, in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci, aut adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo unquam posse, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac cardinales et legatos, necnon nuntios et alios praescriptos, nunc et pro tempore existentes, sublatâ pariter eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in praeinsertis Alexandri paaedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII iunii MDCXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 7 iunii 1696, pontif. anno V.

---

## CXXXI.

*Confirmantur tria decreta clericorum Theatinorum pro electione vocalium ad capitulum generale* [2].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Inscrutabili divinae providentiae arcano ad pastoralis dignitatis fastigium meritis licet imparibus evecti, illa, quae pro felici prosperoque religiosarum congregationum in Ecclesiâ Dei pie sancteque institutarum, ac uberes bonorum operum fructus, adspirante superni favoris auxilio, proferre iugiter satagentium, regimine et gubernio provide prudenterque disposita atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, apostolici muniminis praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

Decretum primum anno MDCLXXXIII. De vocalibus domorum pro capitulo generali executioni non mandatum.

§ 1. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum praepositi generalis et quatuor consultorum Congregationis clericorum regularium Theatinorum nuncupatorum nobis expositum fuit, quod, cum aliàs, videlicet anno MDCLXXXIII, in capitulo generali dictae Congregationis tunc celebrato, inter alia editum fuisset decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Ut observantiae regularis incommodis caveatur, nullo pacto accedere possint ad capitulum generale praepositi per vocalium suae domus cessionem,

1 De numero vocalium pro capitulis generalibus vide Alexandri VII constit. edit. MDCLXI, die 10 ianuarii, pontif. VI.

sed ii tantummodo ius accedendi habeant, quibus consueto sortis tempore sors contigerit; quod si aliqua ex causâ, quaecumque illa fuerit, nullâ exceptâ, electio vocalis non fiat, et extractus fuerit calculus vocalis, tunc neque vocalis, neque praepositus ad capitulum generale accedat »; decretum vero huiusmodi cum executioni nondum demandatum fuisset, eo quia formae electionis vocalium capituli generalis Congregationis huiusmodi anno MDCLXVIII praescriptae ac a felicis recordationis Clemente PP. IX praedecessore nostro per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras approbatae adversabatur, nec ullo apostolicae confirmationis patrocinio roboratum reperiebatur: definitorium generale novissimi capituli generalis eiusdem Congregationis, agnitâ necessitate in dies maiori dictum decretum executioni demandandi ad tollendas perturbationes quae in gubernio superiorum localium cessionem votorum sibi a vocalibus procurantium oriri solent, mandavit ut pro illius confirmatione obtinendâ nobis supplicaretur.

Alia duo decreta.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, exponentes praefati, ultra supradictum etiam alia duo decreta ad diminuenda incommoda, quae domibus regularibus memoratae Congregationis et illarum vocalibus eveniunt, aeque necessaria addenda esse censeant, unum quidem totam ipsam Congregationem, alterum vero domos regulares S. Silvestri in Monte Quirinali et S. Andreae de Valle nuncupatas de Urbe dictae Congregationis respicientia: Primum scilicet, quod imposterum, in singulis domibus Italiae et insularum adiacentium die II novembris, in reliquis vero domibus totius Congregationis huiusmodi die primâ iulii mensium capitulum generale dictae Congregationis respective praecedentium, electio vocalis non amplius iuxta formam sicut praemittitur praescriptam ac a memorato Clemente praedecessore approbatam fiat, sed duo calculi, unus albus significans praepositum, alter niger vocalem significans, in urnam[1] mittantur; quod si forte calculus niger extractus fuerit, eo casu subinde, nempe die II mensis ianuarii sequentis in domibus Italiae et insularum adiacentium, die vero primâ sequentis mensis septembris in reliquis domibus praedictis, ad electionem vocalis more solito deveniatur; si vero calculus albus significans praepositum extractus fuerit, eo casu nulla alia electio fiat; ceterum, quo in sorte huiusmodi totum negotium fideliter peragatur, fraus et omnis dolus inde sub nullitatis ac excommunicationis latae sententiae poenis ipso facto incurrendis prohibita sint: Secundum vero, quod, cum dictae domus S. Silvestri et S. Andreae duabus provinciis, in quas tota Congregatio praefata dividitur, communes sint, et numerus vocalium utriusque provinciae aequalis esse debeat, ideoque, dum aliquando altera alteram provinciam numero vocalium huiusmodi superat, necesse sit, aut aliqui voce activâ et passivâ absque ullâ ipsorum culpâ destituti remaneant, aut superior generalis, ne cuiquam praeiudicium fiat, tot religiosos per annum integrum dictis domibus, cum magno illarum incommodo, non alio fine nisi ut vocalium utriusque provinciae numerus tempore electionis vocalis pro capitulo generali sit aequalis, assignare teneatur; ita in posterum fiat ut pro duabus electionibus in dictis domibus fieri solitis vocales omnes unius provinciae, qui pro tempore in dictis domibus reperientur, insimul conveniant;

Primum de forma electionis vocalium.

Alterum de domibus S. Silvestri et S. Andreae de Urbe.

1 Edit. Main. legit *unam* pro *urnam* (R. T.).

illi quidem, qui erunt de provinciâ ex qua eo triennio fuit electus praepositus generalis, in domo S. Silvestri; alii vero alterius provinciae, in domo S. Andreae; atque inibi unaquaeque pars suum respective vocalem pro capitulo generali huiusmodi eligat, ut ita, absque ullo dictarum domuum et earum vocalium incommodo, provinciarum aequalitas servetur: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio trium relatorum praedictorum, sublatâ tamen poena excommunicationis ex secundo.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorumdem singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, ac memoratae formae electionis vocalium capituli generalis necnon praedictarum Clementis praedecessoris litterarum tenores et alia quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, decreta praefata (sublatâ tamen dictâ poenâ excommunicationis), auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis dictorum cardinalium. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praedictis Clementis praedecessoris litteris, aliisque praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis Theatinorum, eiusque provinciarum et domorum regularium, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae

ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII iunii MDCXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 8 iunii 1696, pontif. anno V.

---

## CXXXII.

*Confirmatur decretum Congregationis Rituum de cultu immemorabili B. Mariae de Socos Ordinis beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum*[1].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Decretum praedictum cum assensu Pontificis.

§ 1. Aliàs emanavit a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « *Barchinonensis.* Canonizationis B. Mariae de Socos monialis professae Ordinis beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum. Proposito in Congregatione ordinariâ Sacrorum Rituum per eminentissimum et reverendissimum dominum cardinalem Casanatam dubio: *An constet de cultu immemorabili praestito dictae beatae Mariae de Socos, et an sententia super eo lata a vicario generali Barchinonensi, iudice a praefatâ sacrâ Congregatione delegato, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur*: eadem sacra Congregatio, audito reverendissimo archiepiscopo Myrensi fidei promotore, tam in scriptis quam in voce, instante R. P. magistro fratre Martino Salvatore Gilaberte vicario ac procuratore generali praedicti Ordinis beatae Mariae de Mercede, huiusmodi causae postulatore, censuit constare de cultu immemorabili, et sententiam praedicti vicarii generalis Barchinonensis esse confirmandam, si sanctissimo domino nostro placuerit. Die IX februarii MDCXCII. Et factâ de praedictis sanctissimo domino Innocentio Papa XII per me secretarium relatione, Sanctitas Sua annuit die XIII eiusdem mensis februarii et anni MDCXCII. — A. cardinalis CYBO. *Loco ✝ sigilli.* — I. VALLEMANUS, Sacrorum Rituum Congregationis secretarius ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Bernardus Carignena et Spenza vicarius et procurator generalis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Bernardi vicarii et procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios

1 Ab Innocentio XI constit. edit MDCLXXXVII, die 18 aprilis, pontif. XI, concessae fuerunt officium et missa B. Petri Armengol; et ab hoc Pontifice const. sequenti conceduntur officium et missa praedictae B. Mariae.

et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX iunii[1] MDCXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 30 iunii 1696, pontif. anno V.

---

## CXXXIII.

*Confirmatur decretum Congregationis Rituum de officio et missâ B. Mariae de Socos Ordinis beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum pro religiosis utriusque sexus*[2].

**Innocentius Papa XII,
ad futuram rei memoriam.**

Decretum dictae Congregationis pro officio et missa sub ritu semiduplici die XIX septembris cum assensu sanctissimi.

§ 1. Aliàs ad supplicationem dilecti filii Bernardi Carignena et Spenza, vicarii et procuratoris generalis Ordinis fratrum B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum et causae canonizationis beatae Mariae de Socos monialis dicti Ordinis postulatoris, emanavit a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « *Barchinonensis*. Canonizationis B. Mariae de Socos Ordinis B. M. V. de Mercede redemptionis captivorum. Remisso sacrorum rituum Congregationi supplici libello a R. P. M. fratre Bernardo a Carignena et Spenza, vicario et procuratore generali Ordinis B. M. V. de Mercede redemptionis captivorum, et huiusmodi causae postulatore, et[1] SS. D. N. porrecto, in quo[2] humillime supplicabat Sanctitati Suae, ut de B. Maria praedictâ, de cuius cultu immemorabili die IX februarii anni MDCXCII, cum subsecutâ approbatione Sanctissimi die XIII eiusdem mensis et anni, fuit responsum constare, facultatem pro suâ religione recitandi officium et celebrandi missam de Communi Virginum sub ritu semiduplici, die XIX septembris, natalitio eiusdem Beatae, singulis annis, benigne concedere dignaretur; sacra eadem Congregatio, ad relationem eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Casanatae ponentis, audito prius tam in scriptis quam in voce reverendissimo archiepiscopo Myrensi fidei promotore, omnibus bene perpensis ac mature consideratis, gratiam petitam, pro religiosis utriusque sexus dicti Ordinis B.M. de Mercede tantum, concedi posse censuit, si sanctissimo domino nostro videbitur. Die II octobris MDCCXCIV. Factâ igitur deinde sanctissimo domino de praedictis per me secretarium relatione, Sanctitas Sua benigne annuit die IX eiusdem mensis et anni MDCXCIV. — A. cardinalis CYBO. — B. INGHIRAMI secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Bernardus vicarius et procurator generalis nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Bernardum vicarium et procuratorem

1 Male, ut puto, edit. Main. habet *iulii* (R. T.).
2 Const. praecedenti confirmatus fuit cultus immemorabilis; et const. sequenti conceduntur officium et missa B. Petri Paschasii.

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).
2 Edit. Main. legit *in qua* (R. T.).

generalem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis haberetur praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX iunii MDCXCVI, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 30 iunii 1696, pontif. anno v.

---

## CXXXIV.

*Confirmatur decretum Congregationis Rituum circa officium et missam B. Petri Paschasii martyris et episcopi Giennensis, Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis captivorum*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Decretum Congregationis pro officio et missa sub ritu secundae classis cum octavâ, unà cum assensu Pontificis.

§ 1. Aliàs, ad supplicationem dilecti filii Bernardi Carignena et Spenza vicarii et procuratoris generalis Ordinis fratrum Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum, emanavit a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Ordinis beatae Mariae Virginis de Mercede redemptionis captivorum. Sacrorum rituum Congregatio, ad humillimas preces reverendi patris magistri fratris Bernardi de Carignena et Spenza vicarii et procuratoris generalis Ordinis beatae Mariae Virginis de Mercede redemptionis captivorum ab eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Casanata relatas, audito tam in scriptis quam in voce reverendissimo archiepiscopo Myrensi, fidei promotore, utriusque sexus religiosis[2] Ordinis praedicti in posterum recitandi officium et missam celebrandi de B. Petro Paschasio martyre et episcopo Giennensi sub ritu duplici secundae classis cum octavâ, aliàs sub ritu duplici concessa, facultatem

1 In const. praecedenti concessa fuere officium et missa B. Mariae de Socos, et a Benedicto XIII, const. ed. MDCCXXVIII, die 14 iulii, pontif. v, confirmatur cultus immemorabilis B. Serapionis.
2 Edit. Main. legit *religionis* (R. T.).

concedi posse censuit, si sanctissimo domino nostro placuerit: die XVIII iunii MDCXCV. Factâ igitur deinde per me secretarium de praedictis sanctissimo domino domino nostro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die XXII eiusdem mensis et anni MDCXCV. — A. cardinalis Cybo. *Loco † sigilli.* — B. Inghirami Sacrorum Rituum Congregationis secretarius ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Bernardus vicarius et procurator generalis nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Bernardum vicarium et procuratorem generalem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum[1] fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI iulii MDCXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 7 iulii 1696, pontif. anno V.

1 Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

---

## CXXXV.

*Conceditur studentibus Congregationis S. Marci provinciae romanae Ordinis Praedicatorum, ut ipsi in eorum collegio examinari valeant pro lectoratu*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Epilogus praecedentium constitutionum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii vicarius generalis et fratres Congregationis S. Marci provinciae Romanae Ordinis Praedicatorum, quod, cum aliàs nos, per quasdam nostras in simili formâ Brevis litteras die XX octobris MDCXCIII expeditas, tunc et pro tempore

1. Const. ed. MDCXCIII, die 20 octobris, pont. III, concessum fuit praedictis studentibus facultas studendi in coenobio S. Marci, et constit. edit. MDCXCV, die 14 iunii, pontif. IV, erecta fuit dicta Congregatio. Benedicti vero XIII const. ed. MDCCXXVI, die 8 februarii, pontif. II, est de receptione religiosorum Congregationis S. Marci et S. Iacobi Venetiarum.

existentibus fratribus studentibus seu alumnis eiusdem S. Marci Florentini, S. Dominici Fesulani ac S. Iacobi civitatis S. Miniatis respective conventuum dicti Ordinis indulserimus ut studia sua in praedicto conventu S. Marci peragere possent cum iisdem omnino privilegiis, ac si illa in S. Mariae super Minervam de Urbe, sive in Perusino respective conventibus provinciae praefatae peragerent, dummodo tamen, studiorum suorum huiusmodi curriculo exacto pro gradu lectoris suscipiendo examini in eodem conventu S. Mariae super Minervam habendo se subiicerent, quemadmodum hucusque observatum fuit; subinde vero, nempe anno MDCXCV[1], conventus supradictos, quo magis regularis observantia in illis stabiliatur, ab omni et quacumque iurisdictione ac superioritate tunc et pro tempore existentis prioris provincialis memoratae provinciae perpetuo exime rimus et plenarie liberaverimus, eosque in praefatam S. Marci provinciae Romanae nuncupandam Congregationem per vicarium generalem, a similiter pro tempore existente magistro generali dicti Ordinis instituendum, regendam et gubernandam, sub certis modo et formâ tunc expressis, pariter perpetuo erexerimus et instituerimus: ipsi exponentes, quo eiusmodi opus absolutum perfectumque reddatur, omniaque cum maiori eorum commodo, pace et quiete ac mentis in Deum recollectione peragantur, plurimum cupiunt, se illâ studentes seu alumnos suos praefatos ad dictum conventum S. Mariae super Minervam, cui nullatenus amplius subiacere dignoscuntur, pro eorum ad lectoris gradum huiusmodi examine transmittendi lege solvi, itaut illi de cetero in eodem conventu S. Marci pro gradu praedicto ad praescriptum constitutionum Ordinis examinari valeant, quemadmodum in pluribus et diversis, nempe in S. Mariae de Sanitate Neapolitanâ, S. Marci de Gavotis, SS. Rosarii Venetiarum, respective nuncupatis, aliisque fratrum eiusdem Ordinis Congregationibus fieri consuevit.

1 Edit. Main. legit *1595* (R. T.).

§ 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum super disciplinâ regulari specialiter a nobis deputatorum consilio, ut fratres dictae Congregationis S. Marci imposterum examinari et lectores creari seu habiles ad legendum declarari valeant in eodem conventu S. Marci tamquam in studio formali, dummodo quinque saltem examinatores, videlicet vicarius generalis eiusdem Congregationis, seu prior conventûs supradicti, pro tempore existentes, necnon duo scholasticae, alter moralis theologiae, et alius philosophiae in conventu praefato lectores adhibeantur, ceteraque omnia serventur quae ad id per constitutiones Ordinis huiusmodi ac ordinationes capitulorum generalium ipsius Ordinis praescribuntur, auctoritate apootolicâ, tenore praesentium, indulgemus. Concessio praedicta et forma examinis.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et ob- Clausulae.

tinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis, Congregationis et conventuum praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII iulii MDCXCVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 23 iulii 1696, pontif. anno VI.

---

## CXXXVI.

*Extenduntur ad confraternitates Decem Virtutum B. Mariae Virginis indulgentiae et gratiae spirituales confraternitatibus SS. Sacramenti concessae* [1].

1 A Paulo III concessae fuere dictae indulgentiae et gratiae, et postea confirmatae ab Innocentio XI const. MDCLXXVIII, die 1 octobris, pontif. II. De dictâ confraternitate vide constitutiones infra laudatas.

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostrae commisit divina dignatio, prudenti liberalitate libenter erogamus, cum id pia christifidelium, praesertim sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium propriaeque ac alienae saluti laudabiliter incumbentium, vota postulant, et nos ad augendum sanctissimi augustissimique Corporis et Sanguinis domini nostri Iesu Christi cultum et venerationem id speramus in Domino profuturum.

Decretum Congregationis, quo declaratur confraternitates SS. Corporis Christi ex concessione Pauli III etiam post constitutionem Clementis VIII esse participes indulgentiarum, etc. confraternitati SS. Sacramenti super Minervam de Urbe concessarum.

§ 1. Aliàs siquidem de mandato felicis recordationis Clementis PP. X praedecessoris nostri emanavit a Congregatione tunc existentium S. R. E. cardinalium indulgentiis et sacris reliquiis praepositorum decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Licet sacrae memoriae Paulus Papa III per binas suas constitutiones concesserit ut SS. Corporis Christi confraternitates omnes et singulae, ubivis locorum institutae ac instituendae, iisdem privilegiis, concessionibus, indulgentiis, gratiis, indultis, quae confraternitati SS. Sacramenti in ecclesiâ S. Mariae super Minervam de Urbe erectae largitus fuerat aut[1] in posterum largiretur, uti, potiri et possent ac deberent; quia tamen per nonnullas apostolicas constitutiones et ordinationes, quae deinceps emanarunt, praesertim vero similis memoriae Clementis VIII constitutionem de aggregationibus editam, facultates et indulgentiae, tam supradictae S. Mariae de Minerva quam ceteris omnibus confraternitatibus antea concessae, aut abrogatae aut saltem moderatae comperiuntur, aliaque hoc de genere decreta sunt, ex quibus in dubium revocari posse videtur, an huiusmodi Pauli III concessiones pristinum

1 Particulam *aut* nos addimus (R. T.).

suum robur adhuc retineant; Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium indulgentiis sacrisque reliquiis praefectorum optans summopere SS. Sacramenti venerationem et cultum in dies magis augeri, et ob eam causam huiusmodi societatem in omnibus ecclesiis parochialibus erigi, atque ad id christifideles praecipuis gratiis excitari, speciali ordine habito vivae vocis oraculo a sanctissimo domino nostro Clemente Papa X, felicis recordationis Pauli V vestigiis inhaerente, decernit ac declarat, iuxta easdem Pauli III constitutiones, confraternitates omnes et singulas SS. Corporis Christi, ubique terrarum hactenus apostolicâ vel ordinariâ auctoritate erectas, aut posthac erigendas, absque novâ aut peculiari aliâ concessione, communicatione vel aggregatione, fore et esse debere participes quorumcumque privilegiorum, concessionum, indulgentiarum, facultatum, gratiarum et indultorum ab eodem Paulo III archiconfraternitati SS. Sacramenti de Minerva per Breve datum Romae apud S. Petrum die III novembris MDCVI nominatim et expresse concessorum, ac in posterum a Sede Apostolicâ concedendorum, illisque omnibus et singulis uti, potiri et gaudere posse ac debere statim atque confraternitatum earumdem erectio apostolicâ vel ordinariâ auctoritate facta fuerit; servatâ tamen in reliquis omnibus praedictâ Clementis VIII constitutione. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis de indulgentiis ad instar non concedendis, nec aliis contrariis quibuscumque. Datum Romae, die XXIII aprilis MDCLXXVI. — C. cardinalis MAXIMUS. — MICHAËL ANGELUS RICCIUS secretarius ».

Ab Innocentio XI confirmatum fuit relatum decretum.

Postmodum vero recolendae memoriae Innocentius Papa XI pariter praedecessor noster decretum huiusmodi, toto illius tenore inserto, sub certis modo et formâ tunc expressis auctoritate apostolicâ approbavit, confirmavit et innovavit, prout in ipsius Innocentii praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die I octobris MDCLXXVIII expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causae extensionis et preces Missionariorum Minorum de Observantiâ.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum missionariorum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum per dilectum filium Franciscum Diaz a S. Bonaventura fratrem expresse professum dicti Ordinis ac eorum missionariorum in Romanâ Curiâ procuratorem nobis nuper expositum fuit, duae confraternitates in honorem sanctissimi Eucharistiae sacramenti, ac beatissimae Virginis Mariae in diversis christiani orbis partibus operâ et sollicitudine fratrum praefatorum, non solum in utriusque sexus personarum obedientiae seu directioni ministri generalis eiusdem Ordinis subditarum, sed etiam in aliis omnimodae Ordinariorum locorum iurisdictioni subiectis ecclesiis canonice iamdudum institutae, ac a[1] piae memoriae Leone X per suas litteras incipientes *Cum in honorem*, etc., anno MDXVII expeditas, et forsan aliis Romanis Pontificibus etiam praedecessoribus nostris approbatae, ad unam subinde confraternitatem dumtaxat sub titulo *decem virtutum* seu *decem beneplacitorum* eiusdem beatissimae Virginis Mariae, in diversis pariter locis pro cuiusvis status christifidelibus piâ eorumdem fratrum curâ propagatam, itidem canonice redactae fuerint; confratres vero et consorores confraternitatis huiusmodi, quae

1 Praeposit. *a* nos addimus (R. T.).

etiam alicubi Conceptionis ipsius beatissimae Virginis Mariae, frequentius vero SS. Corporis Christi confraternitas denominatur, ac inter peculiares memorati Ordinis confraternitates recensetur, inter cetera pietatis et christianae charitatis opera, quibus incumbere consueverunt, tam ex primaevo primodictarum duarum confraternitatum, quam proprio instituto, circa venerationem et cultum praedicti sanctissimi Eucharistiae sacramenti, non minus ac illi qui confraternitatibus sub titulo eiusdem SS. Corporis Christi ubivis erectis adscripti reperiuntur, se exerceant, illud potissimum pie ac devote comitando cum ad infirmos vel aliàs in processionibus circumfertur; ac proinde exponentes praefati, ut eorumdem confratrum et consororum pietas ac devotio erga sacratissimum hoc salutis nostrae pignus magis magisque in dies incitetur, illos indulgentiarum et aliarum gratiarum spiritualium, quibus praedictae SS. Corporis Christi confraternitates in vim decreti praeinserti eiusque confirmatoriarum Innocentii praedecessoris litterarum huiusmodi fruuntur, participes fieri plurimum desiderent: nos, piis eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, aliasque gratias spirituales, quibus confratres et consorores confraternitatum sub praefato titulo SS. Corporis Christi ubique locorum apostolicâ vel ordinariâ auctoritate erectarum et erigendarum per decretum praeinsertum eiusque confirmatorias Innocentii praedecessoris litteras supradictas uti, frui et gaudere posse, ut praefertur, declaratum fuit, ad confraternitates sub memorato titulo *decem virtutum* seu *decem beneplacitorum* eiusdem beatissimae Virginis Mariae ubique pariter locorum operâ praefatorum fratrum canonice hactenus erectas et in posterum erigendas, illarumque confratres et consorores, dummodo tamen ea, quae pro consequendis indulgentiis seu peccatorum remissionibus ac poenitentiarum relaxationibus aliisque gratiis spiritualibus huiusmodi praescripta sunt seu pro tempore fuerint, adimpleant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, in perpetuum extendimus et ampliamus.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV octobris MDCXCVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 4 octobris 1696, pontif. anno VI.

## CXXXVII.

*Confirmantur decreta Congregationis particularis circa iurisdictionem vicariorum in Angliâ contra regulares*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Decreta praedicta referuntur.

§ 1. Aliàs a particulari Congregatione nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalibus Congregationis Propagandae Fidei negotiis praepositae super rebus Angliae a nobis specialiter deputatâ emanarunt super quibusdam instantiis pro parte dilectorum filiorum vicariorum apostolicorum regni Angliae nobis factis, quas unâ cum supplicibus libellis desuper nobis porrectis ad eamdem particularem Congregationem remisimus, decreta tenoris qui sequitur, videlicet: « Decreta sacrae Congregationis particularis de Propagandâ Fide habitae die VI octobris MDCXCV.

» Relatis in Congregatione eminentissimorum dominorum cardinalium de Propagandâ Fide super rebus Angliae specialiter a SS. D. N. Innocentio XII deputatorum instantiis Sanctitati Suae factis a vicariis apostolicis Angliae in eorum libellis supplicibus tenoris sequentis, videlicet: « Beatissime Pater. Cum ex vi seu occasione privilegiorum Ordini sancti Benedicti Congregationis Anglicanae a Sede Apostolicâ concessorum, necnon praetextu iurisdictionis quae ante schisma eidem Ordini in Anglia competebat, praetendant monachi dicti Ordinis, se, tamquam vicarios capitulares, seu ipsum capitulum, sede vacante, habere in plerisque regni dioecesibus iurisdictionem ordinariam, et hanc non cessare ex quo Sancta Sedes eidem regno concesserit vicarios apostolicos ad illas ecclesias regendas; cumque exinde, uti experientia docuit, hoc ipso saeculo oriri possint contentiones et controversiae hos inter et illos regimini illorum fidelium et propagationi fidei summopere noxiae, praeiudiciales et scandalosae: idcirco supplicatur eâ qua par est humilitate Sanctitati Vestrae, quatenus declarare dignetur cessare omnem talem praefatorum monachorum iurisdictionem, qualiscumque sit, eo ipso quod sancta Sedes Apostolica concesserit vicarios apostolicos in regno Angliae, eisque solitas facultates generaliter regendi ecclesias sibi commissas tribuerit: uti in partibus catholicis cessat omnis iurisdictio capituli et vicariorum capitularium, sede vacante, statim atque Sedes Apostolica vicarium apostolicum delegat ad ecclesiam vacantem interim gubernandam. Quem favorem, etc. Quam Deus, etc. » - « Beatissime Pater. Eâ qua par est humilitate Sanctitati Vestrae exponitur, plurima quotidie fidei catholicae[1] praeiudicia in Anglia exoriri ex eo quod regulares ibidem praetendant se vigore suorum privilegiorum ab omni iurisdictione vicariorum apostolicâ auctoritate eidem regno concessorum exemptos esse. Et cum ex aliâ parte vicarii apostolici praefati regere non possint ecclesias sibi commissas, nisi regulares praedicti eis subiiciantur, saltem quoad ea quae missiones et curam animarum concernunt: quapropter[2] Sanctitati Vestrae humiliter supplicatur, ut Bullas seu Brevia apostolica, aliàs ab hac Sanctâ Sede occasione similium controversiarum in regno Sinarum, Indiis et alibi exortarum emanata, extendere dignetur simili Bullâ seu Brevi ad omnia regna et insulas dominio serenissimi regis Magnae Britanniae subiectas. Quem favorem, etc. Quam Deus, etc. »:

1 Cf. Innocentii XI const. ed. MDCLXXXI, die 20 maii, pontif. V, et huius Pontificis const. seq.

1 Edit. Main. legit *catholica* (R. T.).
2 Aptius lege *eapropter* (R. T.).

« Sacra Congregatio, re mature perpensâ, et audito etiam patre Claudio Estiensi et procuratore monachorum Congregationis Anglicanae S. Benedicti, decrevit ut infra:

» Quoad 1$^{um}$. Per deputationem vicariorum apostolicorum factam in regno Angliae a sanctâ memoriâ Innocentii XI cessasse et cessare quamcumque iurisdictionem capitulorum seu vicariorum capitularium, tam saecularium quam regularium, omnium ecclesiarum eiusdem regni, et signanter earum, quae monachis Congregationis Anglicanae Ordinis S. Benedicti vigore Bullae sacrae memoriae Urbani VIII, quae incipit *Plantata*, seu quarumlibet aliarum litterarum apostolicarum, aut aliàs quomodolibet competere posset; durante tamen deputatione eorumdem seu aliorum similium vicariorum ab Apostolicâ Sede quandocumque deputandorum, et non aliàs.

» Quoad 2$^{um}$ vero censuit regulares quoscumque, etiam Societatis Iesu et Congregationis Anglicanae praefatae, tam circa approbationem ad confessiones audiendas, quam circa concernentia curam animarum et sacramentorum administrationem, aliaque munia parochialia, esse subiectos vicariis apostolicis, in quorum districtibus eos respective commorari contigerit.

» Non obstantibus quoad praemissa quibuscumque regularium Ordinum privilegiis, et praesertim antedictâ Bullâ sacrae memoriae Urbani VIII, illis aliàs in suo robore permansuris, necnon firmis remanentibus quoad reliqua omnibus et singulis privilegiis, praeeminentiis, praerogativis, aliisque iuribus, dictis monachis Congregationis Anglicanae quomodolibet competentibus, etc. Datum Romae, die et anno quibus supra.

» Quae quidem decreta eâdem die sanctissimo domino nostro per me secretarium infrascriptum integre relata, Sanctitas Sua benigne laudavit et approbavit, mandavitque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observari.

C. A. Fabronus, secretarius. »

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut vicarii apostolici praedicti nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decreta huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta, ac omnia et singula in eis contenta et expressa, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam,

quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v octobris MDCXCVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 5 octobris 1696, pontif. anno VI.

## CXXXVIII.

*Dismembrantur plures provinciae regni Sinarum a dioecesibus Pekinensi et Nankinensi, eaeque committuntur vicariis apostolicis*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

E sublimi Sedis Apostolicae speculâ, in qua catholicae Ecclesiae per universum orbem diffusae regimini, meritis licet et viribus longe impares, divinâ dignatione praesidemus, mentis nostrae oculos per quascumque agri dominici partes iugiter circumferentes, ad ea, quae ecclesiarum quarumlibet praesertim cathedralium in remotissimis ab eâdem Sede regionibus erectarum statum concernunt, pastoralis vigilantiae nostrae studia libenter convertimus[1]; atque, ut ibidem christiana religio felicius in dies, adspirante superni favoris auxilio, stabiliatur et crescat, concessae nobis a Domino potestatis partes propensâ charitate interponimus, sicut, omnibus mature consideratis, ad omnipotentis Dei gloriam ac animarum salutem arbitramur in Domino expedire.

Referuntur erectiones duorum episcopatuum Pekinensis et Nankinensis.

§ 1. Aliâs siquidem felicis recordationis Alexander Papa VIII praedecessor noster[2], certis tunc expressis causis adductus, ac praesertim provide considerans in amplissimo regno Sinarum, in quo catholicam fidem latius in dies propagari acceperat, unam dumtaxat cathedralem ecclesiam, nempe Machaonensem, quae de iure patronatus carissimi in Christo filii nostri Petri Portugalliae et Algarbiorum regis illustris ex fundatione vel dotatione seu privilegio apostolico, cui non inveniebatur catenus in aliquo derogatum, esse dignoscebatur, reperiri; adeoque illius episcopum singularum omnium[3] vultus[4] inspicere, aliasve boni pastoris partes implere minime posse: supplicationibus eiusdem Petri regis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, oppida de Pekim et de Nankim respective nuncupata, in eodem regno existentia, ab ordinariâ iurisdictione tunc et pro tempore existentis episcopi Machaonensis auctoritate apostolicâ perpetuo segregavit, divisit, separavit et dismembravit, illaque in civitates, quae

1 Ab Alexandro VIII instituti fuere episcopatus Pekinensis et Nankinensis constit. edit. MDCXC, die 10 aprilis, pont. I; in huius Pontificis constit. edit. MDCXCV, die 16 maii, pontif. III, extat dismembratio a dioecesi Nemausensi; et in Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXV, die 23 maii, pontif. I, ecclesia Eugubina subiicitur Urbinatensi. De auctoritate vicariorum in Angliâ vide constitutionem precedentem; et de illâ vicariorum in Oriente, vide sequentem.

1 Edit. Main. legit *convertimur* (R. T.).
2 Cf. supra pag. 53 et 57 (R. T.).
3 Forsan *ovium* pro *omnium* legendum; in loc. parall. legitur *singulorum* simpliciter (R.T.).
4 Male ed. Main. legit *cultus* pro *vultus* (R.T.).

de Pekim et Nankim respective denominarentur, et in eis ecclesias, beatissimae Virgini Mariae utrobique dicatas, in cathedrales ecclesias sub invocatione eiusdem beatissimae Virginis, pro duobus episcopis, uno scilicet Pekinensi, altero vero Nankinensi respective nuncupandis, qui illis praeessent, ac ecclesias ipsas ad formam cathedralium ecclesiarum redigi facerent, sub certis modo et formâ tunc expressis, similiter perpetuo erexit et instituit; ac eisdem sic erectis et institutis ecclesiis oppida supradicta, in civitates, sicut praemittitur, erecta, pro civitatibus; alia vero oppida, castra, villas, territoria et districtus dioecesis Machaonensis, iuxta divisionem per dictum Petrum regem vel per Machaonensem ac Pekinensem et Nankinensem episcopos de ipsius Petri regis commissione inter se faciendam, pro dioecesibus itidem perpetuo concessit et assignavit. Porro mensis episcopalibus dictarum ecclesiarum de Pekim et Nankim pro cuiuslibet earum dote redditus annuos quingentorum cruciatorum monetae Portugalliae, quadringentos ducatos auri de camerâ constituentium, per eumdem Petrum regem assignandos, ex tunc prout postquam assignati fuissent, similiter perpetuo applicavit et appropriavit; ac insuper eidem Petro et pro tempore existentibus Portugalliae et Algarbiorum regibus iuspatronatus seu praesentandi sibi et Romano Pontifici pro tempore existenti ad ecclesias de Pekim et Nankim praedictas, tam eâ primâ vice, quam quoties illas deinceps etiam apud Sedem praefatam vacare contigisset, intra annum, ob locorum distantiam, tam inde quam a die cuiuscumque vacationis huiusmodi respective computandum, personas secundum sacrorum canonum et Concilii Tridentini decretorum dispositionem idoneas iisdem ecclesiis per ipsum Alexandrum praedecessorem et pro tempore existentem Romanum Pontificem ad praesentationem huiusmodi praeficiendas pariter perpetuo reservavit et concessit; et aliàs, prout in binis eiusdem Alexandri praedecessoris litteris desuper sub plumbo, IV idus aprilis anni Incarnationis dominicae MDCXC expeditis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, plenius continetur. Subinde vero (postquam dictus Alexander praedecessor ecclesiis de Pekim et de Nankim supradictis de personis sibi et tunc existentibus S. R. E. cardinalibus ob suorum exigentiam meritorum acceptis, et quas memoratus Petrus rex ei ad hoc per suas litteras praesentaverat, de eorumdem cardinalium consilio auctoritate apostolicâ providerat, illasque ecclesiis in episcopos praefecerat et pastores, curam, regimen et administrationem ipsarum ecclesiarum de Pekim et de Nankim eis in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo), factâ, sicut accepimus, per ipsum Petrum regem, vigore facultatis sibi ab eodem Alexandro praedecessore ut praefertur attributae, divisione supradictâ, de Pekim, Xantung et Leoatung, necnon Xansi, Nonan, Xensi et Juchuen, cum insulis et terris adiacentibus, Pekinensi; de Nankim vero, Chikiang, Fokien, Kiangsi, Huguang, Queichen et Junaum provinciae dicti regni Sinarum, cum insulis itidem adiacentibus, Nankinensi respective episcopis praedictis, pro cuiuslibet eorum dioecesi, praemisso, seu forsan alio veriori, quem iisdem praesentibus pro expresso haberi similiter volumus, modo praefinitâ, assignatae remanserunt.

*Earumque dioeceses describuntur.*

§ 2. Cum autem, sicut non sine maximâ animi nostri consolatione pariter accepimus, strenuâ et laudabili evan-

*Dismembratio et commissio, ut in rubrica.*

gelicorum ministrorum ab eâdem Sede missorum operâ (Deo pios illorum conatus ac labores iuvante) uberiores quotidie in illis partibus animarum fructus in horrea dominica afferantur, novique Ecclesiae Catholicae palmites in dies crescant, ac proinde memorati Pekinensis et Nankinensis episcopi pastorali muneri exequendo in tot tantisque ac tam amplis sibi creditis regionibus prorsus impares reputarentur[1], optandumque sit pro magnitudine messis operariorum copiam suppetere, qui non modo eos, qui, relictis erroribus, christianam veritatem agnoverunt, sanâ, fidelique doctrinâ instituere, ac tamquam teneras in vineâ Domini plantas alere ac fovere, sed et alios, qui adhuc in tenebris ambulant, ad verum omnipotentis Dei cultum convertere studeant: hinc est quod nos, misericordiarum Patri et Deo totius consolationis gratias agere non desinentes, qui inter gravissimas et multiplices curas, quas in hisce perturbatissimis christianae reipublicae temporibus pro commisso nobis divinitus apostolicae servitutis officio assidue sustinemus, uberius saltem in longinquioribus orbis terrarum partibus orthodoxae religionis incrementis nos consolari dignatur; et, quia tam iis qui longe, quam illis qui prope sunt, debitores sumus, maximum salutis animarum negotium, quas tanto marium terrarumque spatio disiunctas paternae charitatis vinculum nobis coniungit, sollicitis studiis iuvare ac promovere, necnon christianae religionis et catholicae fidei in partibus praedictis solidiori stabilimento latiorique propagationi, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, habitâ super praemissis cum particulari Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, qui iura omnia desuper etiam pro parte supradicti Petri regis deducta diu ac diligenter discusserunt, deliberatione maturâ, de illorum consilio et assensu, ac etiam motu proprio, ac certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, supradictas omnes provincias regni Sinarum memoratis Pekinensi et Nankinensi episcopis pro eorum dioecesibus, sicut praemittitur, assignatas (exceptis dumtaxat de Pekim ac Xantung et Levantung, quas Pekinensi, necnon de Nankim et Nonan, quas Nankinensi episcopis supradictis pro cuiuslibet eorum respective dioecesi reservamus, et, quatenus opus sit, eis et eorum cuilibet harum serie assignamus) a praedictis Pekinensi et Nankinensi respective dioecesibus, tenore praesentium, perpetuo separamus et dismembramus, illasque, ac earum clerum et populum, ab omni et quacumque venerabilium fratrum modernorum et pro tempore existentium Pekinensis et Nankinensis episcoporum iurisdictione, superioritate, potestate, correctione, visitatione, regimine, curâ et gubernio, itidem perpetuo eximimus et plenarie liberamus. Ceterum ipsas provincias sic separatas et liberatas, donec spiritualibus illarum indulgentiis per erectionem novorum episcopatuum ab hac Sanctâ Sede provideatur, curae et administrationi vicariorum apostolicorum a nobis et Sede praefatâ pro tempore deputandorum (qui omnes et singulas facultates quae vicariis apostolicis in eisdem partibus Sinarum antehac a dictâ Sede deputatis per diversas recolendae memoriae Alexandri VII, Clementis IX, Clementis X et Innocentii XI Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum litteras, seu aliàs ab ipsâ Sede

1 Aptius lege *reputentur* (R. T.).

concessae et attributae fuerunt, in suis quisque sibi assignandis provinciis exercere possint et debeant) committendas esse, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus harum serie decernimus et ordinamus. Districte propterea inhibentes tam supradictis de Pekinensi et Nankinensi episcopis, quam aliis omnibus et singulis venerabilibus fratribus primatibus, archiepiscopis et episcopis, et aliis Indiarum ceterarumque partium orientalium Ordinariis, seu eorum officialibus vel vicariis in spiritualibus generalibus, aliisve ministris quibuscumque, ne, sub quovis praetextu, colore, causâ vel occasione, aut vigore cuiuscumque privilegii vel indulti a Sede praedicta emanati, ullum in posterum iurisdictionis actum in earumdem sic separatarum ac dismembratarum, necnon exemptarum et liberatarum provinciarum districtibus exercere audeant quovis modo vel praesumant.

Clausulae. § 3. Ac decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefati et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiata causâ, colore, pretextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae praedictae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praemissis, ac de iure quaesito non tollendo, ceterisque nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praefatarum de Pekim et de Nankim, ac aliarum quarumcumque ecclesiarum, etiam metropolitanarum et primatialium, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirma-

tione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, illarumque praesulibus, capitulis, personis, aliisve quibuslibet, etiam speciali notâ dignis et de necessitate iuris vel facti omnino exprimendis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, seu ad quascumque personarum etiam regiâ aut archiepiscopali et primatiali aliâve qualibet ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate et potestate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu aliâs quomodolibet, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum concessis, ac pluries et quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si foret exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv octobris MDCXCVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 15 octobris 1696, pontif. anno VI.

---

## CXXXIX.

*Praecipitur archiepiscopo Goanensi et episcopis Machaonensi et Malacensi, ut executioni mandent constitutionem Clementis X circa iurisdictionem vicariorum apostolicorum in Oriente*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

A Clemente X declaratum fuit dictos vicarios habere iurisdictionem in suis provinciis, et contradictores incurrere certas poenas.

§ 1. Cum, sicut ad nostri pervenit apostolatus auditum (licet felicis recordationis Clemens Papa X praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras, quarum initium est *Christianae religionis, catholicaeque fidei propagationis opus, etc.*, die VII iunii MDCLXXIV, de particularis Congregationis tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum super rebus Sinarum deputatae consilio emanatas, auctoritate apostolicâ declaraverit, episcopos Indiarum, aliarumque partium Orientis, eorumque ministros et officiales, non posse nec debere exercere actus iurisdictionales super vicarios apostolicos ad regna seu provincias Orientis pro religionis et fidei huiusmodi propagatione

1 Laudata constitutio ed. fuit MDCLXXIV, die 7 iunii. De iurisdictione vicariorum in regno Sinarum vide const. praecedentem; et de illâ vicariorum in regno Tunkini vide sequentem.

ab hac sanctâ Sede Apostolicâ missos, quippe eiusdem Sanctae Sedis delegatos, eorumque operarios in provinciis sibi assignatis; sed iisdem vicariis apostolicis dictae Sedis delegatis in praedictis provinciis iurisdictionem privative quoad omnes competere, donec aliter fuisset a Congregatione eorumdem cardinalium declaratum; ac contraventores eo ipso in poenas excommunicationis et indignationis Romani Pontificis incurrisse censeri decreverit[1], et aliàs, prout in eisdem litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur) nihilominus novissime venerabiles fratres moderni seu tunc existentes archiepiscopus Goanensis necnon Machaonensis et Malacensis episcopi, sive potius illorum ministri et officiales, causati forsan, licet erronee, a memoratâ Congregatione cardinalium aliter fuisse declaratum, ac proinde praefatas litteras non esse amplius executioni demandandas, sive aliis sub praetextibus, venerabilium pariter fratrum episcoporum vicariorum apostolicorum in regnis Siami, Cocincinae, de Sciampa, Cambogia, aliisque adiacentibus ab eâdem Sede deputatorum iurisdictionem seu illius exercitium impedire praesumpserint, non sine gravi fidelium scandalo, ac infidelium ad fidei catholicae veritatem conversionis, cui eadem Sancta Sedes dictos episcopos vicarios apostolicos destinavit, detrimento:

Praeceptum praedictum sub certis poenis. § 2. Hinc est quod nos, supradictas Clementis praedecessoris litteras stricte et inconcusse observari, necnon fidelium operariorum in vineâ Domini strenue ac utiliter laborantium quieti, fideique catholicae praedictae propagationi, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris eiusdem S.R.E. cardinalibus Congregationis Propagandae Fidei negotiis praepositae super rebus Sinarum a nobis specialiter deputatorum consilio, eosdem modernos et pro tempore existentes archiepiscopum Goanensem necnon Machaonensem et Malacensem episcopos harum serie paterne monemus, eisque auctoritate apostolicâ in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut dictas Clementis praedecessoris litteras et in eis contenta quaecumque, sub poenis in litteris huiusmodi expressis, exacte et inviolabiliter observent, ac observari curent et faciant; districte propterea inhibentes eis, et per ipsos omnibus illorum ministris et officialibus quocumque nomine nuncupatis, ne in posterum, sub quovis quaesito colore, praetextu, causâ vel occasione, exercitium iurisdictionis eorumdem episcoporum vicariorum apostolicorum eorumque operariorum in regnis Siami, Cocincinae, de Sciampa, Cambogia, aliisque adiacentibus supradictis, impedire audeant quovis modo seu praesumant, donec aliter a praedictâ Congregatione cardinalium fuerit ordinatum.

Clausulae. § 3. Ac decernentes, ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, aliosque quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam,

1 Edit. Main. legit *decrevit* (R. T.).

quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII octobris MDCXCVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 22 octobris 1696, pontif. anno VI.

---

## CXL.

*Declaratur pro vicariis apostolicis regnum Tunkini separatum esse et independens a dioecesi Machaonensi*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Declaratio ut in rubrica. § 1. Ex commissae nobis divinitus apostolicae servitutis munere venerabilium fratrum episcoporum vicariorum apostolicorum in regno Tunkino ab hac Sanctâ Sede deputatorum eorumque operariorum quieti, quantum nobis ex alto conceditur, consulere, contentionesque omnes, quae inter ipsos et venerabilem fratrem modernum seu pro tempore existentem episcopum Machaonensem eiusque ministros et officiales quoscumque oriri, necnon maximum catholicae fidei christianaeque religionis propagationi impedimentum adferre possent, e medio tollere cupientes, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalibus Congregationis negotiis Propagandae Fidei praepositae super rebus Sinarum a nobis specialiter deputatorum consilio, regnum Tunkini praefatum a dioecesi Machaonensi penitus et omnino separatum ac independens esse et fore, ac proinde episcopum Machaonensem supradictum eiusque ministros et officiales quoslibet quocumque nomine nuncupatos non posse nec debere, sub quovis quaesito colore, praetextu, causâ vel occasione, ullos in eo iurisdictionales actus exercere, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

§ 2. Decernentes pariter, ipsas praesentes litteras, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac vicariis apostolicis praefatis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Clausulae.

1 De iurisdictione vicariorum in Oriente vide constitutionem praecedentem, et constit. edit. MDCXCVII, die 6 februarii, pontif. VI.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII octobris MDCXCVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 23 octobris 1696, pontif. anno VI.

---

## CXLI.

*Prohibetur, ne quis imprimat vel vendat, sine facultate ministri generalis, breviarium Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ*[1].

1 Const. ed. MDCXCVIII, die 10 novembris, pontif. VIII, agitur de usu librorum divini officii Romae impressorum.

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Causae prohibitionis.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Bonaventura Poërius minister generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum nobis nuper exponi fecit, ipse[1] breviarium romanum *seraphicum* nuncupatum ad usum personarum utriusque sexus eius obedientiae seu directioni subiectarum, a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositâ approbatum, in almâ Urbê nostrâ, eâ qua decet sedulitate et castigatione, typis imprimi novissime fecerit, ac proinde illud propediem, benedicente Domino, quam emendatissimum in lucem proditurum sit; dictus vero Bonaventura minister generalis vereatur, ne opus longo labore magnâque industriâ dispositum atque perfectum novarum editionum occasione optato fine frustretur, mendosaeque aut illegitimae varietates, sive typographorum negligentiâ, sive revisorum incuriâ, sive aliâ ex causâ, in posterum obrepant: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Prohibitio praedicta sub excommunicatione aliisque poenis.

§ 2. Nos igitur, ipsum Bonaventuram ministrum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, universis utriusque sexus christifidelibus, praesertim vero typo-

1 Edit. Main. legit *ipsi* (R. T.).

graphis, librorum impressoribus et bibliopolis ubilibet existentibus, sub excommunicationis latae sententiae, in nostrâ vero temporali ditione commorantibus, etiam sub quingentorum ducatorum auri de Camerâ, ac amissionis typorum et librorum omnium Camerae nostrae Apostolicae irremissibiliter applicandorum[1] poenis per contrafacientes eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus ne breviarium praefatum, ad usum omnium et singularum utriusque sexus personarum praedictae obedientiae seu directioni subiectarum ubicumque locorum degentium, sicut praemittitur, approbatum, posthac in perpetuum, absque speciali eiusdem Bonaventurae et pro tempore existentis dicti Ordinis ministri generalis aut ab eo causam habentium licentiâ in scriptis qualibet vice obtinendâ, et in ipso breviario integre unâ cum eisdem praesentibus imprimendâ, typis imprimere aut ab aliis in posterum vendere seu venale habere vel proponere quoquomodo audeant seu praesumant. Et nihilominus personae illae ex supradictis, quibus in vim decreti seu decretorum memoratae Congregationis cardinalium alio breviario uti minime fas est, breviariis sine praedictâ licentiâ impressis aut evulgatis uti nequeant, sub poenis contentis in Ordinis praedicti constitutionibus, aliisque per dictum Bonaventuram et pro tempore existentem ministrum generalem super hoc infligendis. Mandantes propterea venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac quibuscumque locorum Ordinariis, necnon in Statu nostro Ecclesiastico dilectis filiis nostris et Apostolicae Sedis de latere legatis seu eorum vicelegatis, aut praesidentibus, gubernatoribus, praetoribus, aliisque iustitiae ministris provinciarum, civitatum, terrarum et locorum Status praedicti, quatenus eidem Bonaventurae et pro tempore existenti ministro generali seu ab eo causam habentibus praedictis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, quandocumque ab ipso Bonaventura et pro tempore existenti Ordinis huiusmodi ministro generali requisiti fuerint, poenas praedictas contra quoscumque inobedientes irremissibiliter exequantur.

1 Edit. Main. legit *applicatum* pro *applicandorum* (R. T.).

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium transumptis, seu exemplis, etiam in eodem breviario impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae. Clausulae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI novembris MDCXCVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 21 novembris 1696, pontif. anno VI.

---

## CXLII.

*Declaratur in constitutione Innocentii XI circa privilegia et indulgentias Ordinis Minorum S. Francisci de Obser-*

*vantiâ comprehendi eorumdem loca Viae Crucis seu Calvarii*[1].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Constitutio Innocentii XI, qua confirmatae fuere litterae Clementis VIII, Pauli V, Urbani VIII et successorum circa privilegia et indulgentias.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Innocentio Papa XI praedecessore nostro, ad preces dilecti filii Francisci Diaz a S. Bonaventura tunc commissarii generalis Curiae pro familiâ ultramontanâ Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, super confirmatione quarumdam litterarum apostolicarum eidem Ordini eiusque ecclesiis, confraternitatibus, domibus, locis, ac omnibus et singulis utriusque sexus personis obedientiae seu directioni ministri generalis Ordinis huiusmodi subiectis circa privilegiorum, indulgentiarum et gratiarum concessionem et communicationem respective concessarum, emanarunt litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur, videlicet:

« *Innocentius Papa XI, ad futuram rei memoriam.* Exponi nobis, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v septembris MDCLXXXVI, pontificatus nostri anno X.

I. G. card. SLUSIUS ».

Ab hoc Pontifice approbatum fuit decretum Congregationis Concilii, qua declaratum fuit in praedictis litteris comprehendi loca in Oriente.

§ 2. Postmodum vero pro parte eiusdem Francisci nobis exposito, quod a nonnullis praetendebatur in praefatâ communicatione privilegiorum, indulgentiarum et gratiarum, memoratis personis praedictae obedientiae seu directioni subiectis, sicut praemittitur, concessâ, minime comprehendi loca et ecclesias Terraesanctae, aliarumque partium Orientis existentium extra Ierusalem; ideoque pro eius parte nobis supplicato ut loca et ecclesias[1] huiusmodi ab eâdem communicatione minime excludi declararemus[2]: nos supplicem libellum nobis super praemissis porrectum ad Congregationem venerabilium pariter fratrum nostrorum eiusdem S.R.E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum remisimus pro voto. Ipsa vero cardinalium Congregatio per suum decretum die XVI iulii MDCXCV emanatum, praeinsertis Innocentii praedecessoris litteris perpensis, censuit, si ita nobis placuisset, praedicta loca et ecclesias Terraesanctae, aliarumque partium[3] Orientis extra Ierusalem, esse comprehensa seu comprehensas in dictis privilegiis, indultis et indulgentiis, servatis tamen in omnibus et per omnia formâ et tenore earumdem litterarum. Factâque nobis subinde per tunc existentem secretarium memoratae Congregationis de praemissis relatione, nos ipsius Congregationis sententiam approbavimus, prout in dicto decreto plenius dicitur contineri.

Petitur similis declaratio pro locis Viae Crucis seu Calvarii.

§ 3. Cum autem, sicut dictus Franciscus nobis denuo nuper exponi fecit, post decretum supradictum adhuc nonnulli dubitent an pia loca Viae Crucis seu Calvarii nuncupata, a personis supradictis adinstar stationum Montis Calvarii vigore diversorum privilegiorum eis ab hac Sanctâ Sede, ut asseritur, concessorum erecta, in communicatione praefatâ comprehendantur: nobis propterea idem Franciscus humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

1 Const. Innoc. XI infra citatur; ab hoc Pontifice concessa fuit indulgentia plenaria perpetua ecclesiae S. M. Angelorum civitatis Assisiensis in const. ed. MDCXCV, die 18 augusti, pont. v; et a Clemente XI alia indulgentia conceditur ecclesiis provinciae romanae constit. ed. MDCCI, die 14 septembris, pontif. I; ab Innoc. vero XIII const. ed. MDCCXXIII, die 2 iulii, pont. III, confirmantur quaedam gratiae provinciae Poloniae.

2 Reliqua habes tom. XIX, pag. 709 (R. T.).

1 Edit. Main. legit *ecclesiae* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *declaramus* (R. T.).

2 Vocem *partium* nos addimus (R. T.).

Benigne annuit Pontifex.

§ 4. Nos igitur, ipsum Franciscum amplioris favore gratiae prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de secundodictorum cardinalium consilio, et attentâ relatione quam dilectus modernus commissarius generalis Curiae dicti Ordinis eisdem cardinalibus super praemissis fecit, etiam praefata loca pia Viae Crucis seu Calvarii in supradictis Innocentii praedecessoris litteris comprehendi, ac proinde frui et gaudere posse indulgentiis et privilegiis in litteris huiusmodi concessis et expressis, earum tamen tenore servato, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate secundodictae Congregationis cardinalium. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die V decembris MDCXCVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 5 decembris 1696, pontif. anno VI.

---

## CXLIII.

*Revocantur privilegia a superioribus religiosis concessa in Indiis occidentalibus contra Ordinum vel Sanctae Sedis constitutiones* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Ad pastorale fastigium meritis licet imparibus divinâ dispositione evecti, in eam praecipue curam sollicitis studiis incumbimus, ut christifideles Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipati iuxta laudabilia eorum instituta prospere dirigantur, illisque firmiter insistentes, laetioribus in dies, benedicente Domino, proficiant incrementis. Illa proinde, quae regulari ipsorum observantiae noxia esse noscuntur, opportunae provisionis nostrae ministerio evellere satagimus, sicut pia orthodoxorum regum multiplicibus in hanc Sanctam Sedem meritis fulgentium vota postulant, et nos, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam et religionis feli-

1 In Clementis X const. ed. MDCLXX, die 11 iunii, pontif. I, declarata fuere nonnulla privilegia regularium, et a Clemente XI const. ed. MDCCXIX, die 7 septembris, pontif. XIX, revocantur privilegia concessa a nuncio in quibusdam regnis.

cem progressum salubriter expedire in Domino arbitramur.

Causa revocationis.

§ 1. Cum itaque, sicut pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici nobis nuper expositum fuit, in quorumdam Ordinum regularium provinciis, quae in Indiis occidentalibus et insulis eis adiacentibus eidem Carolo regi subiectis consistunt, is late invaluerit abusus ut plurimi provinciarum huiusmodi religiosi magisterii aliorumve graduum praerogativis sive etiam variis exemptionibus ac gratiis sibi a suis superioribus contra et praeter regularia Ordinum praedictorum instituta collatis seu concessis fruantur, non sine gravissimo religiosae humilitatis, quam iidem Ordines profitentur, detrimento: nobis propterea eiusdem Caroli regis nomine humiliter supplicatum fuit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Revocatio praedicta, a qua eximuntur privilegia apostolica.

§ 2. Nos igitur, qui regularem disciplinam ubique, adeoque etiam in remotioribus ab eâdem Sede partibus vigere, et omnem illius relaxationis viam praecludere summopere cupimus, de opportuno remedio providere, ac piis ipsius Caroli regis votis hâc in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et quascumque magisterii aliorumve graduum huiusmodi praerogativas, necnon cuiusvis generis exemptiones ac gratias quomodocumque nuncupatas, quibusvis provinciarum praedictarum religiosis cuiuscumque dignitatis, qualitatis et conditionis, ac cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti existant, quocumque titulo, praetextu, causâ et occasione contra et praeter ordinem congregationum et institutorum quorumlibet, apostolicasve constitutiones hactenus quoquo modo collatas seu concessas, sine ullo tamen eorum praeiudicio qui illas sibi a Sede Apostolicâ conferri seu concedi obtinuerunt, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, revocamus, cassamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac in futurum dispositiones constitutionum huiusmodi inviolabiliter observari praecipimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti, aliive quilibet in praemissis forsan interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati vel auditi, nec causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, seu ex aliâ quacumque etiam quantumvis legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et

pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum, Ordinum, congregationum et institutorum praedictorum, eorum monasteriorum, conventuum, collegiorum et domorum regularium, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XII ianuarii MDCXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 12 ianuarii 1697, pontif. anno VII.

---

## CXLIV.

*Praecipitur archiepiscopo Goanensi, ac episcopis Meliaporensi, Cranganorensi et Coccinensi ut observent Clementis X constitutionem circa iurisdictionem vicariorum apostolicorum in Oriente* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

§ 1. Cum, sicut accepimus, licet felicis recordationis Clemens Papa X praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras, quarum initium A Clemente X declaratum fuit dictos vicarios habere iurisdictionem, et contradictores incurrere excommunicationem.

1 Simile praeceptum factum fuit archiepiscopo Goanensi, aliisque, const. ed. MDCXCVI, die 22 octobris, pontif. VI; de iurisdictione vicariorum vide const. ed. MDCXCVI, die 23 octobris, pontif. VI; et de electione vicariorum foraneorum in America vide const. ed. MDCXCVIII, die 3 maii, pontif. VII.

est *Christianae religionis catholicaeque fidei propagationis opus, etc.* (die VII iunii MDCLXXIV de particularis Congregationis tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum super rebus Sinarum deputatae consilio emanatas), auctoritate apostolicâ declaraverit, episcopos Indiarum, aliarumque partium Orientis, eorumque ministros et officiales non posse nec debere exercere actus iurisdictionales super vicarios apostolicos ad regna seu provincias Orientis pro religionis et fidei huiusmodi propagatione ab hac Sanctâ Sede Apostolicâ missos (quippe eiusdem Sanctae Sedis delegatos) eorumque operarios in provinciis sibi assignatis, sed iisdem vicariis apostolicis dictae Sedis delegatis in praedictis provinciis iurisdictionem privative quoad omnes competere, donec aliter fuisset a Congregatione eorumdem cardinalium declaratum; ac contraventores eo ipso in poenas excommunicationis et indignationis Romani Pontificis incurrisse censeri decreverit; et aliàs, prout in eisdem litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur; nihilominus venerabiles fratres moderni archiepiscopus Goanensis, necnon Meliaporensis, Cranganorensis et Coccinensis episcopi, sive potius illorum ministri et officiales in regnis de Idalcan., Golcandae et Magni Mogolis in Indiis Orientalibus, in quibus nuper venerabilem fratrem Petrum Paulum archiepiscopum Anciranensem vicarium apostolicum cum diversis facultatibus et indultis deputavimus, sub diversis praetextibus iurisdictionem exercere praetendant: hinc est quod nos, supradictas Clementis praedecessoris litteras stricte et inconcusse observari, necnon ipsius Petri Pauli archiepiscopi et vicarii apostolici eiusque operariorum quieti, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalibus Congregationis Propagandae Fidei negotiis praepositae super rebus earumdem Indiarum Orientalium a nobis specialiter deputatorum consilio, eosdem modernos et pro tempore existentes archiepiscopum Goanensem, necnon Meliaporensem, Cranganorensem et Coccinensem episcopos, harum serie paterne monemus, eisque auctoritate apostolicâ in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus ut dictas Clementis praedecessoris litteras et in eis contenta quaecumque, sub poenis in litteris huiusmodi expressis, exacte et inviolabiliter observent, ac observari curent et faciant; districte propterea inhibentes eis, et per ipsos omnibus illorum ministris et officialibus quocumque nomine nuncupatis, ne, sub quovis quaesito colore, praetextu, causâ vel occasione, ullos in regnis de Idalcan., Golcandae et Magni Mogolis supradictis iurisdictionales actus exercere, aut inibi eiusdem Petri Pauli archiepiscopi seu pro tempore existentis in regnis huiusmodi vicarii apostolici eiusque operariorum iurisdictionis exercitium impedire audeant quovis modo seu praesumant, donec aliter a praedictâ Congregatione cardinalium fuerit ordinatum.

Clausulae.

§ 2. Decernentes, ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et

auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in[1] universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI februarii MDCXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 6 februarii 1697, pontif. anno VII.

---

## CXLV.

*Confirmantur et innovantur constitutiones Clementis X et Innocentii XI de transitu Benedictinorum Congregationis sancti Mauri in Gallia ad alios Ordines regulares*[2].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam**

Epilogus constitutionis Clementis X, qua interdicitur sine licentia praedicta transitus sub excommunicationis poena.

§ 1. Dudum felicis recordationis Clementi Papae X praedecessori nostro pro parte tunc existentis in Romanâ Curiâ procuratoris generalis Congregationis sancti Mauri monachorum Ordinis sancti Benedicti exposito, quod recolendae memoriae Urbanus Papa VIII, etiam praedecessor noster, dictam Congregationem, prius a similis memoriae Gregorio Papa XV praedecessore pariter nostro in regno Galliae erectam et stabilitam, approbaverat et confirmaverat, illique diversa privilegia, gratias et indulta concesserat; et, licet ab illo tempore eadem Congregatio, divinâ opitulante gratiâ, ita profecisset, ut sibi ducenta circiter monasteria eiusdem Ordinis,[1] profitentium et Altissimo cum summâ populorum et spirituali omnium consolatione famulantium numerus reperiebatur, aggregavisset, nihilominus nonnulli dictae Congregationis monachi, quo spiritu ducti nesciebatur, praetextu tamen arctioris vitae ducendae, ad monasterium beatae Mariae *de la Trappe*, Cisterciensis Ordinis, Sagiensis dioecesis, minime petitâ vel saltem non obtentâ suorum superiorum licentiâ, se transferre satagebant, et cum effectu transferebant, ex quo quamplura scandala, monachorum instabilitas, et furtivae[2] extra monasteria divagationes succedebant, ac regularis observantia sanctaque obedientia confundebatur: idem Clemens praedecessor, supplicationibus dicti procuratoris generalis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, de tunc pariter existentium S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, monachos praedictae Congregationis sancti Mauri expresse professos ad quemcumque alium Ordinem et monasterium seu alium regularem locum cuiusvis alterius Ordinis seu Congregationis etiam Carthusianorum et praesertim monasterium beatae Mariae *de la Trappe* praedictum, animo se se illi associandi seu incorporandi, sine

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).
2 Clementis X et Innocentii XI const. infra citantur.

1 Deesse videtur *in quibus ingens*, aut simile (R. T.).
2 Edit. Main. legit *furtive* (R. T.).

expressâ tunc et pro tempore existentis superioris generalis eiusdem Congregationis sancti Mauri licentiâ, nullo modo se transferre posse; ac contrafacientes, scilicet tam recipientes quam receptos, excommunicationis latae sententiae poenam, a qua nonnisi ab ipso Clemente praedecessore seu Romano Pontifice pro tempore existente praeterquam in mortis articulo constituti nullatenus absolvi possent, ipso facto absque aliâ declaratione incurrere, auctoritate apostolicâ decrevit, statuit et declaravit; et aliàs, prout in ipsius Clementis praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XIX septembris MDCLXXII expeditis plenius continetur. Ac subinde piae memoriae Innocentio Papa XI praedecessori pariter nostro pro parte dilecti filii Gabrielis Flambart dictae Congregationis sancti Mauri in eâdem Curiâ tunc procuratoris generalis similiter exposito, quod, non attentâ praedictarum[1] Clementis praedecessoris litterarum dispositione, dilectus etiam filius Alexius Gendrier monachus expresse professus eiusdem Congregationis sancti Mauri, non petitâ minusque obtentâ a suo superiore generali (quem tamen in eodem monasterio unde egressus erat praesentem habebat) licentiâ, ad Ordinem eremitarum Camaldulensium die circiter VIII martii tunc proxime praeteriti se transtulerat, et in illo tunc vivebat, in grave dictae Congregationis praeiudicium et scandalum; ac propterea pro parte dicti Gabrielis procuratoris generalis, quo similibus malis obviari posset, eidem Innocentio praedecessori humiliter supplicato, ut praedictum Alexium Gendrier nulliter ad dictum Ordinem Camaldulensem transivisse, ipsumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia ad monasterium, ex quo egressus erat, reverti cogendum esse declarare; ac pro abundatiori cautelâ, et inhaerendo supradictis Clementis praedecessoris litteris, quod in posterum nullus monachus praedictae Congregationis sancti Mauri ad eumdem Ordinem Camaldulensium vitam eremiticam agentium, necnon fratrum sancti Francisci de Paula Minimorum[1] nuncupatorum, Carthusianorum, seu quemcumque alium Ordinem aut Congregationem quamcumque, etiam speciali expressione et denominatione dignam, et praesertim ad supradictum monasterium *de la Trappe*, absque expressâ et in scriptis obtentâ licentiâ praedictâ, transire, aut in eisdem recipi posset, decernere, et in reliquis contenta in praedictis Clementis praedecessoris litteris adamussim observari mandare dignaretur: idem Innocentius praedecessor, ipsius Gabrielis procuratoris generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, de memoratorum cardinalium consilio, attentis narratis, circa praemissa servandam esse praedictam constitutionem memorati Clementis praedecessoris etiam quoad eremitas Camaldulenses, fratres Minimos sancti Francisci de Paula, et alios quoscumque Ordines speciali notâ dignos, et praedictum Alexium Gendrier per censuras ecclesiasticas esse compellendum ad redeundum ad praedictam Congregationem sancti Mauri, eàdem auctoritate decrevit et declaravit, ac statuit et ordinavit; et aliàs, prout in[2] ipsius Innocentii praedecessoris litteris etiam in formâ Brevis die XVII augusti MDCLXXXIII desuper emanatis, quarum et praedictarum Clementis praedecessoris litterarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, uberius continetur.

1 Edit. Main. legit *praedictorum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *Minorum* (R. T.).

2 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

Causa confirmationis.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus pariter filius Claudius Estiermot dictae Congregationis sancti Mauri in Curiâ praedictâ procurator generalis nobis nuper exponi fecit, dilectus filius modernus abbas memorati monasterii *de la Trappe*, nullâ earumdem litterarum habitâ ratione, quosdam Congregationis huiusmodi monachos, renuentibus illius superioribus, in monasterio praedicto ad novitiatum admiserit, unde gravia eidem Congregationi enasci possunt detrimenta: nobis propterea dictus Claudius procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio et innovatio constitutionum Clementis X et Innocentii XI.

§ 3. Nos igitur, ipsum Claudium procuratorem generalem specialis favore gratiae prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praedictas Clementis et Innocentii praedecessorum litteras, cum omnibus et singulis in eis respective contentis et expressis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus ac innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in praedictis Clementis et Innocentii praedecessorum litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum tramsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII martii MDCXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 18 martii 1697, pontif. anno VI.

---

## CXLVI.

*Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium circa abrogationem discretorum Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Lis inter discretos et procuratorem generalem.

§ 1. Aliàs emanavit a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E.

1 Constit. edit. MDCXCVI, die 16 martii, pontificatus V, praecepta fuit vita communis; et in constit. edit. MDCXCVIII, die 9 augusti, pontificatus VIII, agitur de interventu discretorum in capitulis.

neralem, ac super ea decretum Congregationis pro primis.

cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, in causâ Avenionensi inter dilectos filios Iosephum Bellisen procuratorem generalem Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia, ex unâ, et discretos et alios particulares presbyteros eiusdem Congregationis, ex alterâ partibus, vertente, decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « In causâ Avenionensi vertente inter patrem Iosephum Bellisen, procuratorem generalem Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia, ex unâ, et patres discretos et alios particulares presbyteros eiusdem Congregationis, partibus ex alterâ, sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, partibus ipsis auditis, referente eminentissimo Carpineo eiusdem sacrae Congregationis praefecto, censuit et declaravit, decretum capituli generalis super abrogatione discretorum non sustineri. Romae xxv maii MDCXCVI. — G. cardinalis CARPINEUS. *Loco † sigilli*. A. archiepiscopus Athenarum secretarius ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dictorum discretorum ac aliorum particularium presbyterorum nobis nuper expositum fuit, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent[1]: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis Doctrinae Christianae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII martii MDCXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 23 martii 1697, pontif. anno VI.

1 Edit. Main legit *desideret* (R. T.).

## CXLVII.

*Confirmantur indulgentiae perpetuae a Paulo V concessae Congregationi* Antiqui rigoris *Ordinis Praemonstratensis*[1].

**Innocentius Papa XII, ad perpetuam rei memoriam.**

Referuntur praedictae indulgentiae. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus vicarius generalis communitatis sive Congregationis *Antiqui rigoris* nuncupatae Ordinis Praemonstratensis, quod dudum felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster, volens universum Ordinem praedictum eiusque religiosos spiritualibus indulgentiarum muneribus decorare, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisus, supplicationibus quoque tunc existentis abbatis monasterii S. Mariae ad Nemus dicti Ordinis in Lotharingia vicarii generalis eiusdem Ordinis sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, omnibus et singulis christifidelibus, qui poenitentes et confessi die festo S. Norberti sacrum missae sacrificium fecissent, vel sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpsissent, plenariam; ac religiosis[2] praedicti Ordinis, qui reformationem a capitulo generali anni MDCV statutam recepissent, ac praesertim regulae, quae incipit *Sicut pascimini ab uno cellerario, sic induamini ab uno vestiario,* prorsus obtemperassent, etiam plenariam; necnon qui reformationem, quae tunc Dei gratiâ in eodem monasterio S. Mariae ad Nemus florebat, in aliud monasterium invexissent, etiam plenariam; iis vero, qui reformationem huiusmodi suscepissent, in articulo mortis vel magno vitae periculo constituti Iesus et Mariae nominâ invocavissent corde saltem, si ore non potuissent, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessit. Insuper eisdem christifidelibus, qui opere vel consilio reformationem dicti Ordinis promovissent, decem annos: item omnibus, qui pro Romano Pontifice vel instauratione eiusdem Ordinis psalmum *Miserere*, vel ter orationem dominicam et toties salutationem angelicam recitassent, pro qualibet vice decem dies; qui vero diebus festis Transfigurationis Domini, B. M. Virginis, S. Ioannis Baptistae, ac festo Ss. apostolorum Petri et Pauli rosarium eiusdem B. M. Virginis pie recitassent, et pro conversione peccatorum ad poenitentiam oravissent, praesertim conversione malorum religiosorum ad regularem observationem, indulgentiam tertiae partis peccatorum: necnon qui se spiritualibus exercitiis excolendos tradidissent in domo aliquâ[1] dicti Ordinis, aut alibi, facultate ab aliquo praelato obtentâ, viginti annos: qui vero octo dies in praedicto coenobio S. Mariae commorantes, atque ad leges et praxim disciplinae eiusdem monasterii sese conformantes, praeviâ sacrâ confessione, sacram communionem suscepissent, etiam viginti annos et totidem quadragenas: rursus, qui professionem suam renovassent cum proposito eam diligenter observandi, dimidiae partis peccatorum suorum indulgentiam pro primâ vice, deinceps vero, qui singulis annis semel, septem annos: qui dimidium horae quotidianae meditationi rerum divinarum dedissent, quadraginta dies pro unaquâque die: qui, adversâ valetudine laborantes, proposuissent reliquum vitae suae in refor-

1 Laudata constit. edit. fuit MDCVI, die 9 octobris; in Benedicti XIII const. edit. MDCCXXIX, pontif. VI extat indulgentia plenaria perpetua.

2 Edit. Main. legit *religiosi* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *aliquo* (R. T.).

matae vitae coenobio transigere, et, postquam convaluissent, reipsâ praestitissent, decem annos et totidem quadragenas: qui examinandae semel quaque die conscientiae per quartam circiter horae partem pie incubuissent, centum dies: qui matutinarum officium mediâ nocte decantassent, decem dies, toties quoties fecissent: qui vero solemnibus eiusdem B. M. Virginis pervigiliis[1] ieiunassent, centum dies, toties quoties ieiunavissent: et ulterius, qui aliquem ex religiosis Ordinis supradicti seu alterius ad capessendam refòrmationem induxissent, septem annos et totidem quadragenas; necnon qui lectioni, quae, dum mensae accumbitur, continuatur[2], piam operam dedissent, sive legendo sive audiendo, triginta dies: quoties vero in seminario dicti Ordinis, quod a S. Nicasio nomen habet, studiorum gratiâ vel negotio pietatis commorantes, singulis hebdomadis semel sacramentum Confessionis et Eucharistiae frequentassent, toties decem annos: insuper, qui pro lineis lanea indusia gestavissent, et nonnisi vestiti nocte somnum capere decrevissent, triginta annos; denique omnibus et singulis, qui pro susceptâ aut defensâ reformatione dicti Ordinis iniuriam aliquam vel ignominiam tulissent, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxavit: et aliàs, prout in ipsius Pauli praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XIX octobris MDCVI expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, plenius dicitur contineri.

Confirmatio relaxatarum indulgentiarum, et constitutionis Pauli V.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus vicarius generalis praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius vicarii generalis votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, ac felicibus eius Congregationis incrementis optime consultum esse cupientes, ipsumque vicarium generalem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon praefatarum Pauli praedecessoris litterarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto habentes, supplicationibus eiusdem vicarii generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones a memorato Paulo praedecessore sicut praemittitur in perpetuum concessas, ac desuper expeditas eius litteras praedictas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, itidem perpetuo approbamus et confirmamus, illisque[1] inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Pessime edit. Main. legit *privilegiis* pro *pervigiliis* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *continualim* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *illique* (R. T.).

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx aprilis MDCXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 20 aprilis 1697, pontif. anno VI.

---

## CXLVIII.

*Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium, quo declaratur, in constitutione Alexandri VII, de privilegiis provinciarum Reformatorum Strictioris Observantiae in Hispania et Indiis Occidentalibus, comprehendi provinciam Arrabidae in Lusitania*[1].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Epilogus dictae constitutionis, ex qua constat dicta privilegia primo concessa fuisse provinciis S. Iosephi et S. Ioannis Baptistae in Hispania.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Antonii a Praesentatione ministri provincialis provinciae Arrabidae in Lusitaniâ Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci strictioris observantiae Reformatorum seu Discalceatorum nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod (cum aliàs tunc existentes fratres provinciarum in Hispaniâ et Indiis consistentium dicti Ordinis felicis recordationis Alexandro Papae VII praedecessori nostro exponi fecissent, quod dudum recolendae memoriae Gregorius XIII praedecessor pariter noster diversa privilegia fratribus Reformatis provinciarum S. Iosephi et S. Ioannis Baptistae in Hispania constistentium Strictioris Observantiae huiusmodi concesserat, quae praesertim respectu fratrum de Observantiâ a similis memoriae Clemente VIII et Urbano VIII Romanis Pontificibus etiam praedecessoribus nostris confirmata fuerant; provinciae vero fratrum Reformatorum strictioris observantiae huiusmodi ad numerum duodenarium cum divini cultus augmento crevisse tunc reperiebatur, ac propterea dicti exponentes privilegia praedicta omnibus provinciis Reformatis supradictis suffragari debere ab ipso Alexandro praedecessore declarari summopere desiderabant) idem Alexander praedecessor, illorum supplicationibus sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, privilegia, memoratis provinciis S. Iosephi et S. Ioannis Baptistae ut praefertur concessa et confirmata, reliquas omnes provincias fratrum Reformatorum seu Discalceatorum strictioris observantiae huiusmodi in Hispaniâ et Indiis consistentes comprehendere, eisque in omnibus et per omnia suffragari debere declaraverat, et aliàs prout in ipsius Alexandri praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die v novembris MCDLXV expeditis uberius dicebatur contineri; et in eâdem expositione subiuncto, quod, licet in dictis Alexandri praedecessoris litteris solum facta fuerit mentio provinciarum in Hispaniâ et Indiis consistentium, sub nomine tamen provinciarum Hispaniae etiam provinciae Lusitaniae comprehendebantur, easque sub nomine huiusmodi comprehensas intelligi, ex binis piae memoriae Gregorii PP. XV praedecessoris pariter nostri in eâdem formâ Brevis emanatis litteris, in quibus dictae Arrabidae et aliae quae in Lusitaniâ existunt provinciae dicti Ordinis inter alias Hispaniarum provincias eiusdem Ordinis recensentur, apparebat, immo id[1] ipsum ex praedictis

Rationes pro comprehensione dictae provinciae Arrabidae.

1 Laudata const. Alex. VII edita fuit MDCLXV, die 15 novembris; in huius Pontificis const. ed. MDCC, die 14 iunii, pont. IX, agitur de primatu super fratrum eremitarum S. Augustini.

1 Male ed. Main. legit *ad* pro *id* (R. T.).

Alexandri praedecessoris litteris colligi videbatur, eâ ratione, quod, nisi Arrabidae et aliae Lusitaniae provinciae praedictae sub nomine provinciarum Hispaniae et Indiarum huiusmodi, ad quarum favorem dictae litterae emanaverant, comprehenderentur, dictus duodenarius provinciarum Reformatarum numerus minime subsisteret, cum tunc temporis duodecim provinciae huiusmodi in Hispaniâ et Indiis praedictis non reperirentur, prout ex authenticis instrumentis eidem Congregationi cardinalium exhibitis constare dicebatur; insuper fundatio dictae provinciae Arrabidae tempore S. Petri de Alcantara initium habuisse, et anno MDLXI, uno videlicet et amplius saeculo priusquam dictae Alexandri praedecessoris litterae emanarent, absoluta fuisse reperiebatur, ipsaque provincia in ordine antiquitatis et collocationis provinciarum per constitutiones generales dicti Ordinis et in quadam earum compilatione relato tertia numerabatur, atque adeo dubium non erat quin eadem Arrabidae provincia una esset ex illis decem, ad quas dicta privilegia, sicut praemittitur, extensa fuerant; unde superiores generales dicti Ordinis pro tempore existentes ipsam Arrabidae et reliquas provincias huiusmodi in eorumdem privilegiorum fruitione, uti sub illorum extensione comprehensas, inconcusse semper conservaverant; ideoque pro parte eiusdem Antonij ministri provincialis praefatae Congregationi cardinalium supplicato ut dictam provinciam Arrabidae sub praefatâ privilegiorum extensione comprehensam esse, ipsisque privilegiis gaudere debere declarare dignaretur: emanavit a praedictâ cardinalium Congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Sacra Congregatio eminentissimorum, et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, audito patre ministro generali praedicti Ordinis, et attentis narratis, censuit ac declaravit praefatam provinciam Excalceatorum Arrabidae esse comprehensam in enunciato Brevi extensivo sacrae memoriae Alexandri VII. Romae, die XIV martii MDCXCVII. — G. card. CARPINEUS. M. archiepiscopus Athenarum ».

*Confirmatio relati decreti.*

§ 2. Cum autem, sicut dictus Antonius minister provincialis nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, specialem ipsi Antonio gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

*Clausulae.*

§ 3. Decernentes, easdem prasentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores,

iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciarum et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV maii MDCXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 4 maii 1697, pontif. anno VI.

## CXLIX.

*Eduntur quaedam decreta circa modum concedendi habitum magnae crucis ad honores in hospitali sancti Ioannis Hierosolymitani*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium. Militantis Ecclesiae regimini divinâ dispositione praesidentes, dignitatum et honorum ecclesiasticorum quorumcumque, et praesertim Ordinum militarium egregiam reipublicae christianae operam navantium, providae[1] prudentique distributioni libenter consulimus, sicut rationi consentaneum esse in Domino arbitramur.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius modernus magnus magister hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, quod (cum ab ipso magni magisterii sui primordio ad varios abusus, quos in eodem hospitali, praesertim circa nimis frequentes dignitatum magnae crucis, ut vocant, ad honores tantum collationes, irrepsisse compererat, corrigendos animum intendisset, dilectique etiam filii baiulivi, conventuales et alii consiliarii ipsius hospitalis enixe ab eo petiissent ut opportuna aliqua ratio iniretur, qua immoderatae dictas dignitates ambientium cupiditati aditus praecluderetur) ipse magnus magister die XV februarii proximi praeteriti consilium completum, *status* nuncupatum, dicti hospitalis convocari fecit, in eoque quoddam chirographum manu suâ subscriptum exhibuit et legi curavit, per quod videlicet notum fecit et declaravit, per statuta seu stabilimenta et ordinationes capitulares eiusdem hospitalis, auctoritate apostolicâ confirmatas, dictas dignitates magnae crucis certo ac praefinito personarum propter earum antianitatem, merita et rerum peritiam[2] iudicum et consiliariorum muneribus fungi capacium numero dumtaxat deferri debere; multitudinem vero illorum, qui dignitatem seu habitum magnae crucis huiusmodi ad honores tantum ex gratiâ assecuti sunt, non multis abhinc annis supra modum excrevisse, indeque politicae dicti hospitalis administrationis rationem et rectum iustitiae ordinem

Referuntur causae dictorum decretorum.

1 In Innocentii XI constit. edit. MDCLXXXVI, die 25 iunii, pontif. X, concessa fuit magno magistro facultas circa receptionem fratrum; in Alexandri VIII constit. ed. MDCXC, die 5 augusti, pontif. I, agitur de aerario hospitalis; et in Clementis XI const. ed. MDCCXI, pontif. XI, de iure trium navium bellicarum.

1 Edit. Main. legit *provide* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *peritia* (R. T.).

perturbari, ac evidentia conventui ipsius hospitalis et communi illius aerario praeiudicio inferri; praeceptores siquidem seu commendatarii eiusdem hospitalis, qui dignitates magnae crucis huiusmodi suorum servitiorum, meritorum, antianitatis ac sexaginta forsan et amplius annorum aetatis intuitu consequi et obtinere sperabant, dum iuvenes tam in consiliis quam in honoribus sibi praeferri vident, id aegre ferentes, conventum praedictum deserunt, ac erga dictum hospitale male affecti, se se ad suas praeceptorias seu commendas vel in patriam recipiunt, illisque ibi morientibus, ipsorum bona ab eorum consanguineis vel famulis occupantur, atque ita dictus conventus illorum residentiae commodis et honorificentiâ privatur, necnon consiliorum ope destituitur, praefatum vero commune aerarium eorum spoliis fraudatur; porro eiusmodi perturbationum ac incommodorum, necnon, quae inde suboriri possunt, maiorum periculorum gravitatem ipsius magni magistri praedecessoribus adeo notam et perspectam fuisse, ut, qui illam propulsarent, diversis temporibus plura decreta ediderint, variosque ad hanc Sanctam Sedem recursus habuerint, idque ex registris cancellariae praedicti conventûs constare; optima tamen consilia et conatus huiusmodi, cum minus valide promoverentur, inter contrarios magis magisque obrepentes abusus oppressa irritaque et inania remansisse; nullum proinde opportunius tot tantisque malis remedium adhiberi posse, quam nostrâ et huius Sanctae Sedis auctoritate statuendo, ut nullus imposterum ex praeceptoribus seu commendatariis aliisve quibuslibet fratribus militibus dicti hospitalis habitu magnae crucis huiusmodi ex gratiâ decorari valeat, nisi duo millia duplarum Hispaniarum in maiores ipsius hospitalis necessitates erogandarum, seu iustum earum valorem, communi aerario praedicto, quod ob magnas expensas pro christianae religionis tuitione contra communem illius hostem factas, ac bella Europae, aliasque temporum calamitates, exhaustum reperitur, persolverit; praeterea nobis supplicandum esse, ut, in eventum quo deinceps eidem moderno et pro tempore existenti magno magistro dicti hospitalis facultatem tradendi seu tradi faciendi quibuslibet praeceptoribus seu commendatariis aliisve fratribus militibus supradictis habitum magnae crucis huiusmodi ad honores tantum a nobis et Sede praedictâ concedi quandocumque contingat, litterae apostolicae desuper expediendae non amplius ipsi soli magno magistro, sed etiam consilio memorati hospitalis coniunctim dirigantur, neque aliàs traditionis habitus huiusmodi gratiam effectum sortiri patiamur, nisi quatuor saltem ex quinque partibus suffragiorum ipsius consilii in id concurrerint. Quo chirographo perlecto, omnes, qui ad consilium supradictum convenerant, praevio suffragiorum scrutinio, omnia et singula in chirographo huiusmodi contenta approbarunt, ac executioni demandanda esse decreverunt. Quare dictus magnus magister nobis humiliter supplicari fecit ut[1] in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Decreta duo praedicta auctoritate apostolica edita.

§ 2. Nos igitur, ipsius magni magistri votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si qui-

1 Particulam *ut* nos addimus (R. T.).

bus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut nullus de cetero praeceptor seu commendatarius aliusve quilibet frater miles hospitalis praedicti habitu magnae crucis ad honores tantum et honoris causâ, vigore quarumcumque facultatum a nobis et Sede praedictâ deinceps ad id concedendarum, decorari valeat, nisi duo millia duplarum Hispaniarum, sive iustum earum valorem, communi aerario eiusdem hospitalis vere, realiter et cum effectu persolverit, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus. Ipsas vero facultates, quas super traditione habitus magnae crucis huiusmodi sive ipsi soli pro tempore existenti magno magistro, sive ei et consilio hospitalis huiusmodi coniunctim a nobis et eâdem Sede in futurum concedi contigerit, non aliàs effectum suum sortiri debere, nisi concurrentibus et concordantibus quatuor ex quinque partibus suffragiorum eorum, qui tunc in eodem consilio praesentes aderunt et ius ferendi suffragii habebunt, eâdem auctoritate, harum serie, decernimus et mandamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, etiam speciali notâ et expressione digni, illis non consenserint, nec ad illa vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex quavis aliâ quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari retractari, infringi, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illa quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu impetrato, vel etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, necnon magnum magistrum et consilium, ac quaevis tribunalia hospitalis praedicti, aliosve quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti hospitalis, eiusque linguarum et prioratuum quorumvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus

et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis, servatis et specificatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI maii MDCXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 11 maii 1697, pontif. anno VI.

---

## CL.

*Confirmatur constitutio Alexandri VII contra religiosos Capuccinos transeuntes ad alium religionem*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Ex iniuncto nobis divinitus apostolicae servitutis munere, ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad conservandam religiosorum Ordinum eximiae pietatis et arctioris disciplinae meritis conspicuorum existimationem provide emanasse noscuntur, ut firmiora sint et serventur exactius, apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id a nobis petitur, libenter corroboramus, illisque, ne temerario cuiusquam ausu violentur, novas sanctiones adiungimus, sicut in Domino expedire arbitramur.

Epilogus constitutionis Alexandri VII, qua interdictum fuit dictis religiosis commorari in eadem provincia.

§ 1. Aliàs siquidem pro parte tunc existentis procuratoris generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum felicis recordationis Alexandro Papae VII praedecessori nostro exposito, quod nonnulli e dicto Ordine ad alias religiones transibant, assumptoque in illis habitu regulari, ad quas[1] provincias, in quibus habitum praedicti Ordinis fratrum Capuccinorum publice gestaverant ac cogniti et commorati fuerant, illico habitum[2] se conferebant, et ad tegendas seu deferendas[3] proprias imperfectiones, eiusdem Ordinis fratrum Capuccinorum famam multis imposturis lacerare non verebantur, cum gravi saecularium scandalo bonique nominis dicti Ordinis detrimento: idem Alexander praedecessor, supplicationibus eiusdem procuratoris generalis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, ne de[4] cetero quisquam, qui e memorato Ordine fra-

1 Praedicta constitutio edita fuit MDCLXIV, die 17 decembris; et in huius Pontificis constit. edit. MDCXCVIII, die 10 octobris, pontif. VIII, agitur de eorum transitu ad alias religiones.

1 Videtur legendum *ipsas* (R. T.).

2 Potius *habitandum* vel *habitatum* leg. (R. T).

3 Forsan *defendendas* (R. T.).

4 Praeposit. *de* nos addimus (R. T.).

trum Capuccinorum post emissam in illo professionem regularem ad aliam quamcumque religionem quomodolibet transivisset, in eâ provinciâ, in qua professionem huiusmodi emisisset ac habitum eorumdem fratrum Capuccinorum publice gestavisset, habitare seu commorari auderet quovis modo vel praesumeret, auctoritate apostolicâ prohibuit et interdixit; et aliàs, prout in ipsius Alexandri praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XVII decembris MDCLXIV expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causa confirmationis.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius modernus viceprocurator generalis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, praefati Alexandri praedecessoris litterae (quia nullius poenae inflictione seu comminatione vallatae reperiuntur, iique, qui interdum e dicto Ordine ad aliam religionem transeundi licentiam ab hac Sanctâ Sede sibi concedi obtinent, illis per litteras apostolicas, quae super licentiâ huiusmodi expediri solent, uti posteriores, vigore clausularum derogatoriarum in eis appositarum, derogatum esse praetendunt) minus accurate serventur, non sine notabili honoris dicti Ordinis praeiudicio: nobis propterea dictus viceprocurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio constitutionis Alexandri VII, et poena in contravenientes.

§ 3. Nos igitur, ipsius viceprocuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, supradictas Alexandri praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque[1] inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; necnon omnes et singulos, tam religiosos, qui litteris huiusmodi controvenerint, quam superiores, qui illos in aliquâ provinciâ contra earumdem litterarum dispositionem collocaverint seu retinuerint, eo ipso privationis vocis activae et passivae poenam absque aliâ declaratione esse[2] declaramus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, neque ipsis praesentibus per quascumque clausulas generales, nisi factâ illarum speciali et individuâ mentione, ullo modo derogatum censeri, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum camerae apostolicae auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apo-

1 Edit. Main. legit *illique* (R. T.).
2 Potius *incursos esse* vel *incurrisse* (R. T.).

stolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae dictus Alexander praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII iunii MDCXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 12 iunii 1697, pontif. anno VI.

---

## CLI.

*Erigitur oppidum Blesense in civitatem, eiusque ecclesia S. Solemnis in cathedralem*[1].

**Innocentius episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium

In sacrâ beati Petri Sede[2], meritis licet imparibus, ita Patre luminum disponente, collocati, ad agrum gregemque dominicum nostrae commissum curae sollicitâ mentis acie circumspicientes, in iis, quae[3] ad[4] eiusdem agri, multiplicatis illius cultoribus, exactiorem culturam gregisque maiorem fecunditatem profutura esse dignoscimus, opem ac operam nostram libentissime impartimur, praesertim dum sublimium et excelsorum regum vota id exposcunt, consideratisque locorum, personarum et temporum qualitatibus id expedire animadvertimus.

Causae dictae erectionis, et laudes oppidi Blesensis.

§ 1. Hinc est quod nos, pro pastorali nostro officio et omnium ecclesiarum sollicitudine provide considerantes, dioecesim Carnotensem tam in longitudine quam in latitudine amplissimam, regionemque Blesensem, populorum et incolarum copiâ valde refertam[1], a civitate Carnotensi esse adeo remotam, ut unicus pastor tantam animarum multitudinem[2] eâ qua par est diligentiâ regere minime possit (praecipue cum earum maior pars confoveri, firmari et consolidari necesse habeat in verâ et orthodoxâ fide catholicâ, ad quam, divinâ favente gratiâ, atque[3] applicatione et curâ carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis, qui, suorum subditorum saluti semper intentus, solum Dei cultum eiusque orthodoxam legis observantiam, sanctae matris Ecclesiae exaltationem, haeresum extirpationem, haereticorumque conversionem prae oculis habet, non ita pridem feliciter conversa est), aequissimum[4] esse remedium duximus[5] regiones Blesensem et Vindacinensem, ac partem seu certam portionem regionis Dunensis duabus regionibus praedictis contiguam, a dioecesi Carnotensi separare et dismembrare, oppidumque Blesense (situm in provinciâ Aurelianensi ad ri-

1 In const. ed. MDCXCIV, die 16 maii, pont. III, extat erectio ecclesiae Alesiensis, Nemausensis dioecesis, in episcopatum; et in Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXVIII, die 15 novembris, pontif. V, erectio episcopatus Fabriani.

2 Bullam istam plurimis mendis expurgamus, conferentes editionem eius in *Gallia Christiana*, tom. VIII (Instrum., col. 451); sed nomina propria personarum et locorum, etsi errata, plerumque intacta relinquimus (R. T.).

3 Male ed. M. leg. *iisque* pro *iis, quae* (R.T.).

4 Praeposit. *ad* nos addimus (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *refectam* (R. T.).

2 Ed. Main. legit *tanta . . . multitudine* (R.T.).

3 Aptius *Gallia Christiana* legit *et piâ* pro *atque* (R. T.).

4 In *Gallia Christiana* est *aptissimum* (R.T).

5 Edit. Main. legit *duxit* (R. T.).

pam fluvii Ligeris, muris[1] undique cinctum, quod olim fuit comitum Blesensium sedes, et deinde regum Franciae, ac modo satis conspicuum, bis mille circiter domus et supra decem millia[2] incolarum continens, urbis praefecto, et regio castro, multiciplique curiâ[3] seu iurisdictione praetoris, quem[4] *balliviatum* vocant, decoratum, constans quoque[5] virorum et totidem sanctimonialium conventibus, duabus collegiatis ecclesiis, in quarum alterâ, S. Salvatori dicatâ, quinque dignitates, duodecim canonicatus cum praebendâ[6], et triginta duae cappellaniae cum competentibus[7] redditibus, et in eodem oppido eiusque suburbiis adsunt sex parochiales ecclesiae, inter quas insignior est illa S. Solemni sacra, sumptibus[8] et expensis dicti Ludovici regis noviter reaedificata, pulchrae et satis elegantis structurae, tredecim cappellis cum aliis tribus nondum terminatis, campanili[9] cum tribus campanis, coemeterio, fonte baptisimali, ac choro cum quadraginta duabus sedibus, et navi populorum capace ornata et decorata, sacrâque ac profanâ suppellectili ad divina peragenda, non tamen pontificalia exercenda, utcumque instructa) in cathedralem[10], ibique sedem episcopalem erigere et collocare, praeficiendo ei novum episcopum, qui, tum verbo tum exemplo boni operis, incolas illorum finium magis[1] magisque in verâ fide confirmaret.

Separatio regionis Blesensis, Vindocinensis, et Dunensis ex parte, a dioecesi Carnotensi.

§ 2. His igitur aliisque de causis animum nostrum moventibus, re prius in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium rebus consistorialibus praepositâ[2], sub die XIX iulii et VII septembris anni Domini MDCXCVI, XXIV ianuarii et XXIV maii currentis anni, mature discussâ, piis eiusdem Ludovici regis desideriis annuere volentes, ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu, dictum oppidum Blesense, necnon districtus et territoria integra archidiaconatuum Blesensis et Vindecinensis, ac certam partem seu portionem archidiaconatus Dunensis per venerabilem fratrem nostrum episcopum et dilectos filios capitulum et canonicos Carnotenses designatam et delineatam[3], cum omnibus suis confinibus et terminis, quae in latitudine et longitudine per sexaginta milliaria italica se extendunt, et intra quae centum et nonaginta duae parochiae, octoginta millia fidelium complectentes, numerantur, ab ordinariâ iurisdictione dicti episcopi Carnotensis, de eius ac illius capituli cathedralis expresso consensu, apostolicâ[4] auctoritate separamus, dismembramus, segregamus et dividimus, illudque ac eius clerum a moderni[5] et pro tempore existentis episcopi Carnotensis superioritate, iurisdictione, potestate, subiectione, visitatione et correctione, ac quibusvis aliis iuribus episcopalibus, prorsus et omnino

1 Pessime ed. M. leg. *maris* pro *muris* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *miltium* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *curâ* pro *curiâ* (R. T.).
4 In *Gallia Christiana* est *quam* (R. T.).
5 Videtur legendum *quinque;* in *Gallia Christiana* est *quoque quinque* (R. T.)
6 Aptius in *Gall. Christ.* est *praebendis* (R.T.).
7 Edit. Main. legit *proventibus* pro *competentibus* (R. T.).
8 Edit. Main. legit *sumptis* (R. T.).
9 Edit. Main. legit *campanile* (R. T.).
10 Videtur legendum *in civitatem, et in eo dictam ecclesiam S. Solemni dicatam in cathedralem.* Confer loca parall., sup. pag. 54 *a*, 54 *b*; 58 *a*, 58 *b*; 624 *b*, 625 *b* et pag. seq.

1 Vocem *magis* nos addimus (R. T.).
2 In *Gallia Christiana* legitur *praepositorum* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *designata et delineata*; non bene, ut puto (R. T.).
4 Pessime edit. Main. pro *apostolica* legit *a qua* (R. T.).
5 Edit. Main legit *moderno* (R. T.).

eximimus et liberamus, ac oppidum praedictum civitatis, illiusque incolas civium nomine ac titulo et honore decoramus, illudque in civitatem Blesensem nuncupandam erigimus, et parochialem ecclesiam S. Solemnis, in dicto oppido civitate nuncupato[1] existentem, in cathedralem ecclesiam, sub invocatione S. Ludovici, pro uno episcopo Blesensi nuncupando, qui illi praesit, ac ipsam parochialem ecclesiam ad formam cathedralis ecclesiae redigi faciat, necnon ecclesiasticam iurisdictionem, auctoritatem et potestatem, omniaque alia et singula quae ordinis, iurisdictionis, et cuiusvis alterius muneris episcopalis sunt, et ad illa ac synodi dioecesanae convocationem et celebrationem spectant et pertinent, exercere, necnon quae alii episcopi in suis ecclesiis, civitatibus et dioecesibus de iure, usu, consuetudine, aut aliàs quomodolibet facere, et quibus uti solent et possunt, pariformiter, aeque principaliter, absque ullâ prorsus differentiâ, in suis ecclesiâ, civitate et dioecesi Blesensi etiam facere, gerere et exercere, ac uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possit et debeat, ac pro tempore archiepiscopo Parisiensi iure[2] metropolitico, prout ante separationem et dismembrationem suberat, subiaceat, cum mensâ, sede, aliisque insignibus episcopalibus, necnon praeeminentiis, honoribus, privilegiis, immunitatibus et gratiis spiritualibus et temporalibus, personalibus, realibus et mixtis, quibus ceterae cathedrales similiter et pariformiter utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, de similibus consilio et potestatis plenitudine erigimus et instituimus. Ac eidem sic erectae et institutae ecclesiae Blesensi ipsum oppidum, sic in civitatem erectum, pro civitate, necnon districtus et territoria duorum priorum archidiaconatuum, ac partem seu portionem ultimodicti archidiaconatus huiusmodi, ut supra a dioecesi Carnotensi separata, pro dioecesi, necnon ecclesiasticas[1] pro clero, et personas saeculares pro populo, de consilio, potestate et auctoritate paribus, etiam[2] perpetuo concedimus et attribuimus et assignamus, civitatemque, clerum et populum huiusmodi episcopo Blesensi quoad episcopalem, et archiepiscopo Parisiensi pro tempore existenti quoad metropoliticam ordinariam iurisdictionem et superioritatem, de similibus consilio et potestatis[3] plenitudine, subiicimus.

Dos et mensa dicti episcopatus ex aliquibus abbatiis et prioratibus.

§ 3. Et insuper, cum venerabilis frater noster Iacobus Antonius Phaliquaux, episcopus Lodonensis, Burgimedii vulgo dicti *Bourg-moyen*, sancti Augustini canonicorum regularium, et dilectus filius Iacobus Franciscus Minot de Meville, clericus seu presbyter, S. Launomari respective monasteriorum, sancti Benedicti respective Ordinum, oppidi Blesensis et Carnotensis dioecesis huiusmodi, abbates seu perpetui commendatarii (ad quae monasteria, dum pro tempore vacant, ius nominandi, vigore concordatorum dudum inter Sedem Apostolicam et clarae memoriae Franciscum I olim eorumdem Francorum regem initorum, ad dictum Ludovicum regem spectat et pertinet), et dilectus etiam filius David Nicolaus de Portier, presbyter Vabrensis dioecesis, in theologicâ facultate Parisiensi licentiatus, primus episcopus Blesensis designatus, perpetuus commendatarius unius S. Ioannis Blesensis,

1 Edit. Main. legit *nuncupatam* (R. T.).
2 *Gallia Christiana* legit *archiepiscopi Parisiensis iuri* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *ecclesias* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *et jam* (R. T.).
3 Vocem *potestatis* nos addimus (R. T.).

a Pontislevii, dicti Ordinis sancti Benedicti, et alterius, prioratuum simplicium curâ et conventu carentium, S. Felicis de Campiniaco, a dicto S. Launomari monasteriis respective dependentium, commendae huiusmodi (in quam Iacobus Antonius episcopus, et Iacobus Franciscus, necnon David Nicolaus, qui[1] monasteria et prioratus huiusmodi ad eorum vitam ex concessione apostolicâ respective obtinent et obtinere[2] consueverunt) in manibus nostris ad praemissorum et infrascriptorum effectum cesserint; nosque cessiones[3] huiusmodi duximus[4] admittendas: propterea titulos collativos monasteriorum Burgimedii et S. Launomari, ac praedictorum et infrascriptorum prioratuum, ac in eisdem monasteriis nomina et denominationes abbatum, iusque[5] ad illa nominandi, de eiusdem Ludovici regis consensu, apostolicâ auctoritate praedictâ, etiam perpetuo supprimimus et extinguimus, ac mensas abbatiales monasteriorum Burgimedii ac S. Launomari praedictorum (quorum fructus, primodicti videlicet ad trecentos quinquaginta, secundopraedicti vero monasteriorum huiusmodi ad mille quingentos viginti florenos auri in libris Camerae Apostolicae taxati reperiuntur, et ex quibus, primodicto videlicet quatuor millia, et secundodicto monasteriorum praedictorum[6] decem millia, ac ex duorum praedictorum et trium infrascriptorum prioratuum[7] sex millia librarum turonensium annuatim percipi poterunt), firmis, intactis ac illaesis remanentibus monasteriorum praedictorum mensis conventualibus a dictis mensis abbatialibus separatis et disiunctis, pariter supprimimus et extinguimus; ac dictarum mensarum abbatialium, necnon dictorum duorum prioratuum, ut praefertur vacantium, et (cum primum illos per cessum et[1] in manibus nostris aut alterius Romani Pontificis successoris nostri, seu decessum, vel quamvis aliam dimissionem vel amissionem aut privationem, seu aliàs[2] quovis modo, commendis, in quas illi ex particulari concessione ad vitam obtineri consueverunt, cessantibus[3]) trium sequentium[4], unius videlicet de Monstiers Laumen, et alterius de Illou, necnon reliqui[5] prioratuum, etiam curâ et conventu carentium, S. Martini de Montocau, dicti Ordinis sancti Benedicti, Carnotensis, Senonensis, seu alterius respective dioecesis, ab eodem monasterio S. Launomari respective dependentium, fructus, redditus et proventus, cuiusvis quantitatis, qualitatis, naturae et speciei existant, praeviâ duorum priorum monasteriorum et prioratuum huiusmodi titulorum collativorum perpetuâ[6] suppressione et extinctione, pro dote et mensâ episcopali ecclesiae Blesensi, simili auctoritate perpetuo unimus, annectimus, applicamus et appropriamus.

§ 4. Ac ad dictam ecclesiam S. Solemnis, futuram, ut praefertur, cathedralem, saecularem et collegiatam ecclesiam S. Salvatoris huiusmodi, cum omnibus et singulis dignitatibus, canonicatibus cum praebendis, cappellaniis, *Translatio ecclesiae collegiatae S. Salvatoris, cum nonnullis ordinationibus circa capitulum eiusque mensam et beneficia.*

1 Vox *qui* delenda videtur (R. T.).
2 In *Gallia Christiana* leg. *obtineri* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *cessationes* (R. T.).
4 Aptius *Gallia Christ.* leg. *duxerimus* (R.T.).
5 Pessime ed. M. leg. *usque* pro *iusque* (R.T.).
6 Legerem *monasteriis praedictis* (R. T.).
7 Videretur legendum *ex duobus praedictis et tribus infrascriptis prioratibus* (R. T.).

1 In *Gallia Christiana* legitur *etiam* (R.T.).
2 Edit. Main. legit *aliis* pro *aliàs* (R. T.).
3 Videtur deesse *vacare contigerit* (R. T.).
4 Voces *trium sequentium* nos addimus (R.T.).
5 Male edit. Main. legit *aliqui* pro *reliqui* (R. T.).
6 Pessime ed. Main. legit *per quam* pro *perpetuâ* (R. T.).

anniversariorum fundationibus, aliisque honoribus et oneribus, ac quibusvis aliis iuribus et praerogativis ad eam spectantibus et pertinentibus, transferimus, ac unum presbyterum, ad praesens[1] dictae collegiatae inservientem, ac alium pro tempore deputandum, qui eamdem ecclesiam S. Salvatoris regat[2] et gubernet, ac onera dictae ecclesiae[3], si quae illi in posterum incumbent, supportet et adimpleat, inter cappellanos dictae ecclesiae Blesensis locum habere, ac omnibus redditibus et emolumentis, quibus alii cappellani eiusdem ecclesiae gaudent et gaudebunt, et[4] gaudere volumus et mandamus; capitularem vero mensam et capitulum, necnon quinque dignitates seu personatus in dictà collegiatà ecclesià S. Salvatoris existentes, nempe decanatum (dignitatem principalem, qui animarum, canonicorum, dignitatum, cappellanorum et ministrorum dictae ecclesiae Blesensis, iuxta laudabiles consuetudines aliarum ecclesiarum cathedralium dicti regni, curam exercebit), praeceptoriam, subdecanatum, praeposituram et thesaurariam, necnon duodecim canonicatus cum totidem praebendis, et triginta duas cappellanias, necnon anniversaria, aliaque iura et onera (reservato tamen decano et capitulo dictae collegiatae ecclesiae iure, quod eis competit ut prius, conferendi beneficia in dictà collegiatà ecclesià et extra eam fundata[5] etiam erga cappellanos amovibiles, et eidem capitulo tamquam rectori primario deputandi canonicum, qui certis anni diebus in dictà S. Salvatoris ecclesià missas et horarum solemnia peragat et exequatur, necnon administrandi sacramenta pro tempore existenti regi Franciae et sanguinis principibus primariisque regni administris, in eventum in quem illos seu eorum aliquem in dictà civitate Blesensi commorari contingat) ad sic erectam cathedralem Blesensem, de similibus consilio et auctoritate, etiam perpetuo transferimus; et sic ipsa ecclesia Blesensis prioratum S. Solemnis in eiusdem ecclesiae dignitatem sextam et ultimam futuram[1], quem[2] modernus et pro tempore obtinens dictum prioratum in reliquum clerum et populum dictae parochiae curam animarum ut prius exercebit, cum hoc[3] quod licet dictus prioratus sit et esse debeat sexta et ultima dignitas in dictà ecclesià, tamen modernus prior S. Solemnis praedicti, dignitatis titulo ut praefertur decoratus, quoad vixerit et dictum suum[4] prioratum obtinuerit[5], secundum locum inter dignitates, idest immediate post decanum locum sibi vindicabit; et tam dignitates, quam[6] canonicatus et praebendas huiusmodi, tam in collegiatà ex nunc erectos, quam in cathedrali ecclesiis pariter[7] erigendos, obtinentes, capitulum cum mensâ capitulari, sigillo et arcâ communibus, aliisque insignibus capitularibus constituant, et apud dictam ecclesiam Blesensem residere, stallumque in choro, ac

1 Perperam ed. Main. legit *ad quem* pro *ad praesens* (R. T.).
2 Pro *regat* edit. Main. habet *reget* (R. T.).
3 Male edit. Main. addit *Blesensis;* in *Gallia Christ.* desunt etiam voces *dictae ecclesiae* (R.T).
4 Aptius *Gallia Christiana* legit *etiam* (R.T.).
5 Pessime edit. Main. legit *et iuxta fundationem erga cappellanos amovibiles,* pro *et extra eam fundata etiam erga cappellanos amovibiles* (R. T.).

1 Deest verbum *habebit* vel *numerabit* (R.T.).
2 Lectio defectiva. Ita etiam legit *Gallia Christiana* (R. T.).
3 In *Gallia Christiana* additur *discrimine* (R. T.).
4 Vox *suum* omittitur in *Gallia Christiana* (R. T.).
5 Edit. Main. legit *obtinebit* (R. T.).
6 Edit. Main. legit *qui* pro *quam* (R. T.).
7 Aptius *Gallia Christ.* legit *praefatis* (R.T.).

vocem in capitulo ipsius, necnon in actibus et functionibus ecclesiasticis intra et extra illam ubilibet iuxta eorum respective antianitatem receptionis dumtaxat, absque ullâ aliâ cuiusvis gradus seu qualitatis distinctione, et in ipsâ ecclesiâ singulis diebus horas canonicas tam diurnas quam nocturnas, et missas, servatâ ecclesiasticâ disciplinâ, uniformiter celebrare et decantare, illisque interesse, ac aliàs dictae ecclesiae Blesensi in divinis[1], ceteraque onera iniuncta et pro tempore iniungenda subire et exercere ac adimplere respective debeant et teneantur, ac tam in choro, quam capitulo, processionibus, et aliis actibus et functionibus, habitus de iure gestari[2] solitos etiam deferre et gestare libere et licite possint et valeant. Praeterea nos omnimodam iurisdictionem, superioritatem et auctoritatem in capitulum, canonicos, ministros et officiales dictae ecclesiae, a iurisdictione et superioritate episcopi Carnotensis exemptos et liberatos, pro tempore existenti episcopo[3] eiusdem ecclesiae Blesensis concedimus et attribuimus, eidemque ius, auctoritatem et potestatem quaecumque et qualiacumque, cum curâ et sine curâ, beneficia ecclesiastica quomodolibet nuncupata et qualificata, in cathedrali et aliis ecclesiis civitatis Blesensis necnon in totâ suâ dioecesi Blesensi consistentia, et extra illam ea quae[4] a dictis monasteriis S. Launomari et Burgimedii ac prioratibus huiusmodi unitis dependere dignoscuntur, occurrentibus quovis modo illorum vacationibus, personis idoneis, dummodo tamen beneficia huiusmodi sub concordatis praedictis non comprehendantur, pleno iure conferendi et de illis etiam providendi concedimus et impartimur.

Assignatio cuiusdam abbatiae ecclesiae Carnotensi ob factam divisionem.

§ 5. Et quia ex distractione et dismembratione dictae ecclesiae Blesensis a dioecesi Carnotensi aliqua damna episcopo et capitulo et archidiaconis ecclesiae Carnotensis inferuntur ; nos, ad enixas dicti Ludovici regis preces, mensam abbatialem monasterii Gaudivallensis, vulgo de Soyenual, Praemonstratensis Ordinis, Carnotensis dioecesis, illius commendâ[1], in quam[2] ex concessione apostolicâ ad vitam obtineri consuevit, per obitum Gregorii[3] d'Aubussent de la Fouillade, illius ultimi abbatis commendatarii extra Romanam Curiam defuncti, cessante, vacantis, et ad quod, dum pro tempore vacat, idem Ludovicus rex, vigore concordatorum praedictorum, personam idoneam nominare potest et debet, salvâ et illaesâ illius mensâ capitulari remanente, expresso[4] dicti Ludovici regis ad id accedente consensu, etiam supprimimus et extinguimus, ac[5] omnes et singulos dictae mensae abbatialis Gaudivallensis fructus, redditus et proventus eidem ecclesiae Carnotensi seu illius mensae episcopali unimus, applicamus et appropriamus ; ita tamen ut ex fructibus huiusmodi trecentae librae turonenses unicuique ex tribus archidiaconis ecclesiae Carnotensis praedictae praesentibus et futuris pro indemnitate suorum iurium annuatim persolvantur (et, casu quo modernus archidiaconus Dunensis ex nunc distractioni et dismembrationi partis seu portionis sui archidiaconatus consentire et tali compensationi acquiescere renuerit seu noluerit, nos iura et iurisdictionem

1 Deest verbum *deservire* (R. T.).
2 Male ed. M. leg. *praestari* pro *gestari* (R.T.).
3 Coniunct. *et* heic importune adiectam delemus (R. T.).
4 Ed. Main legit *eaque* pro *ea quae* R. T.).

1 Edit. Main. legit *commendam* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *qua* (R. T.).
3 In *Gallia Christiana* est *Georgii* (R. T.).
4 Ed. Main. legit *ex quo* pro *expresso* (R. T.).
5 Coniunct. *ac* nos addimus (R. T.).

ipsius in illâ parte seu portione sui archidiaconatus ut praefertur distractâ et dismembratâ, quamdiu vixerit et[1] archidiaconatum obtinuerit, reservamus); quodque deinceps perpetuis futuris temporibus, quandocumque et quotiescumque eamdem ecclesiam Carnotensem per obitum illius episcopi aut cessionem in manibus Romani Pontificis pro tempore existentis, etiam ex causâ permutationis vel coadiutoriae aut aliàs quovis modo pastoris solatio destitui contigerit, omnes et singuli dictae mensae abbatialis Gaudivallensis fructus, redditus et proventus qui[2] cuiuslibet primi anni post singularum[3] vacationem, ad cappellanum, dignitates et canonicos dictae ecclesiae Carnotensis (distractâ prius ex eis summâ praedictis tribus archidiaconis assignatâ, et supportatis quibusvis aliis debitis oneribus) spectent et pertineant.

Domus episcopi et seminarium

§ 6. Et quia in dictâ civitate Blesensi domus pro episcopi habitatione constructa non extat; nos supradicto futuro episcopo facultatem et licentiam domus[4] in dictâ civitate Blesensi aut alibi existentes, et ad mensas abbatiales dictorum monasteriorium S. Launomari et de Burgomedio spectantes, vendendi, alienandi aut hypothecandi, et ex illis retractum pretium in emptionem sitûs, et constructionem et aedificationem domûs episcopalis huiusmodi construendi[5], erogandi, etiam concedimus et impartimur. Statuimus quoque, ut, donec seminarium ad praescriptum Concilii Tridentini institutum fuerit, clerici[6] sacris initiandi, seu etiam initiati, in seminario Carnotensi educari et instrui poterunt[1].

1 In *Galliâ Christianâ* additur *dictum* (R.T.).
2 Vox *qui* delenda videtur, vel lege *praefati*, ut habet *Gallia Christiana* (R. T.).
3 Aptius *Gallia Christ.* leg. *singulam* (R. T.).
4 Pessime edit. Main. legit *damus* pro *domus* (R. T.).
5 Potius *convertendi et* (R. T.).
6 Edit. Main. legit *clericis* (R. T.).

Concessio facultatum episcopo et capitulo.

§ 7. Insuper etiam episcopo, dignitatibus, capitulo et canonicis praedictis, ut[2], pro dictae[3] ecclesiae Blesensis, ac illius mensae capitularis, sacristiae et fabricae, earumque rerum et bonorum tam spiritualium quam temporalium prospero et felici statu, regimine et gubernio, directione, ac onerum illi incumbentium supportatione, missarum, horarum canonicarum, divinorum tam diurnorum quam nocturnorum officiorum, processionum[4], funeralium, anniversariorum et aliorum praefatorum celebratione, ac de dignitatibus, canonicatibus et praebendis, aliisque beneficiis et ministeriis ecclesiasticis pro tempore providendorum receptione, admissione, residentiâ personali, distributionum etiam quotidianarum et emolumentorum quorumcumque divisione, repartitione et administratione, poenarum per absentes et divinis, suis loco et tempore, non assistentes, seu onera et ministeria eis incumbentia subire negligentes, incurrendarum impositione[5], singulorum praesentias et absentias notandi[6], caeremoniis et ritibus in cathedrali ecclesiâ, choro, capitulo, processionibus et aliis actibus servatis[7] servandis, et ministris dictae ecclesiae Blesensi necessariis deputandis et amovendis[8], salariis et stipendiis eorum cuilibet assignandis, et quibusvis rebus in

1 Aptius lege *possint* (R. T.).
2 Vel particula *ut* delenda, vel ex seq. contextu legendum *ut habeant* (R. T.).
3 Pessime edit. Main. legit *Dote* pro *dictae* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *processionem* (R. T.).
5 Edit. Main. legit *impositioni* (R. T.).
6 Potius lege *notando*, vel *praesentiis et absentiis notandis* (R. T.).
7 Vox *servatis* delenda videtur (R. T.).
8 Forsan heîc deest comma, *servitiis et ministeriis per eos observandis et agendis*, ut supra pag. 629 *a* (R. T.).

praemissis et circa ea quomodolibet necessariis et opportunis, quaecumque statuta, ordinationes, capitula et decreta, licita tamen et honesta et sacris canonibus praesertim vero Concilii Tridentini decretis et constitutionibus apostolicis non contraria, condendi et edendi, ac condita et edita pro tempore et rerum varietate et qualitate mutandi, limitandi, corrigendi, declarandi, interpretandi et in meliorem formam redigendi, seu alia de novo etiam ex integro condendi et edendi, et per eos, ad quos pro tempore spectabit, sub poenis in contravenientes statuendis, observari faciendi, plenam, liberam et omnimodam facultatem etiam concedimus et impartimur. Necnon episcopo, ut praefertur, ac dignitates in praedictâ ecclesiâ Blesensi obtinentibus, ac capitulo et canonicis eiusdem ecclesiae, aliisque capituli et ecclesiae huiusmodi personis et ministris pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, praeeminentiis, praerogativis, concessionibus, facultatibus, indultis, favoribus et gratiis, quibus alii praefati [1] et aliarum ecclesiarum dignitates obtinentes capitula et canonici, aliaeque civitates et dioeceses, ac eorum cleri, incolae et habitatores, eorumque res et bona fruuntur, potiuntur et gaudent, seu uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, et quoad habitus delationem, uti, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, concedimus et indulgemus.

Ac ius nominandi ad dictam ecclesiam regi Franciae.

§ 8. Ac eidem Ludovico eiusque successoribus Franciae regibus (attentâ suppressione et extinctione praedictarum mensarum abbatialium, et earum [2] fructuum, pro dote seu dotis parte episcopatûs Blesensis, unione mensis episcopalibus Blesensi et Carnotensi praedictis, de consensu dicti Ludovici regis ut supra factis[1]) ius nominandi ad dictam ecclesiam Blesensem, quandocumque et quotiescumque illa pastoris solatio destituta fuerit, iuxta formam et dispositionem concordatorum praedictorum, etiam perpetuo reservamus, concedimus et assignamus.

Clausulae.

§ 9. Praesentes quoque nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quovis alio defectu, etiam ex eo quod causae, propter quas praemissa emanarunt, coram nobis vel alibi verificatae et approbatae, ac quicumque, in praemissis interesse habentes seu habere praetendentes, ad id vocati, citati et auditi non fuerint, et praemissis non consenserint, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam vocari, ad terminos iuris reduci,[2] remedium impetrari, vel sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per constitutiones apostolicas aut cancellariae apostolicae regulas quandocumque etiam in crastinum assumptionis successorum nostrorum ad summi apostolatus apicem vel aliàs quandocumque editas vel sub quibusvis tenoribus et formis emanatas et in posterum edendas et emanandas, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et, quoties emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum etiam sub quacumque posteriori datâ per pro tempore existentes episcopum, dignitates, capitulum et canonicos hu-

1 Male edit. Main. legit *qui* pro *praefati* vel *praedicti* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *eorum* (R. T.).

1 Vel lege *factâ*, vel in principio parenthesis *attentis* pro *attentâ* (R. T.).

2 Deesse videtur *aut adversus illas* (R. T.).

iusmodi eligendâ restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo concessas, semperque[1] validas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, necnon episcopo, dignitatibus, capitulo et canonicis huiusmodi pro tempore existentibus perpetuo suffragari, sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios et delegatos quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis qualibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus nostris et Cancellariae apostolicae regulis de gratiis et indulgentiis ad instar non concedendis, ac de exprimendo vero annuo valore, necnon de iure quaesito non tollendo, ac de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, ac quibusvis apostolicis, necnon in synodalibus, provincialibus et generalibus conciliis editis vel edendis, constitutionibus; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio et expressio ad hoc servanda foret, illis in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse, iuxta decretum Congregationis rebus consistorialibus praepositae, harum serie derogamus, contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae separationis, dismembrationis, segregationis, divisionis, exemptionis, liberationis, decorationis, erectionis, institutionis, concessionis, attributionis, assignationis, subventionis, suppressionis, extinctionis, unionis, annexionis, applicationis, appropriationis, translationis, voluntatis, mandati, impartitionis, suppressionis, extinctionis, reservationis, indulti, decreti et derogationis infringere, aut ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCXCVII, VII kalendas iulii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 25 iunii 1697, pontif. anno VI.

1 Edit. Main. legit *semper* pro *semperque*, ut est in *Gallia Christiana* (R. T.).

---

## CLII.

*Confirmatur decretum Congregationis Rituum de cultu immemorabili servae Dei Mariae de Capite*[1].

**Innocentius Papa XII**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Apostolicae servitutis officium, quod inscrutabilis divinae sapientiae atque clementiae altitudo humilitati atque infirmitati nostrae credere dignata est, salubriter exequi, adspirante superni favoris auxilio, iugiter satagentes, beatarum Christi ancillarum in caelis cum eo regnantium, in quibus nimirum utpote vasculis imbecillioribus opus dexterae excelsi mirabilius ac illustrius apparuit, cultum et venerationem in terris libenter promovemus, sicut pia sublimium

1 In constit. edit. MDCXCVI, die 30 iunii, pontif. V, extat confirmatio cultus beatae Mariae de Socos, et in Clementis XI constit. edit. MDCCX, die 16 martii, pontif. X, cultus beatae Luciae de Narnia.

personarum non minus virtutis quam regii culminis splendore conspicuarum vota postulant, et nos ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiaeque sanctae decus atque aedificationem expedire in Domino arbitramur.

*Dicto decreto confirmata fuit sententia a iudicibus delegatis prolata circa dictum cultum et casum exceptum.*

§ 1. Cum itaque nuper, nempe die III currentis mensis augusti, in causâ Toletana beatificationis et canonizationis servae Dei Mariae de Capite, vulgo *della Cavezza* nuncupatae, uxoris, dum vixit, sancti Isidori agricolae, ad enixas preces carissimi in Christo[1] filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, ac carissimae in Christo filiae nostrae Mariannae, earumdem Hispaniarum reginae catholicae, eius uxoris, accedentibus etiam in id supplicationibus venerabilium fratrum archiepiscoporum et episcoporum necnon dilectorum filiorum senatuum seu magistratuum plurimarum civitatum regnorum Hispaniarum, praesertim vero senatûs seu magistratûs oppidi Madriti Toletanae dioecesis, et ad iteratas ac supplices instantias dilectissimi filii Alphonsi de Torralba, eiusdem Caroli regis in Romanâ Curiâ agentis seu negotiorum gestoris, ac causae beatificationis seu canonizationis huiusmodi postulatoris, reproposito in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum per dilectum filium nostrum Ioannem Franciscum eiusdem S. R. E. cardinalem Albanum nuncupatum dubio, quod prius, nempe die XIII iulii proxime praeteriti, per ipsum Ioannem Franciscum cardinalem, dilatâ tamen tunc eius resolutione, propositum fuerat, an scilicet sententiae iudicum ab eâdem cardinalium Congregatione delegatorum prolatae[2], super cultu ab immemorabili tempore ipsi servae Dei Mariae exhibito et casu excepto a decretis felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri, essent confirmandae in casu et ad effectum de quo agebatur, relatisque contentis in processibus[1] desuper fabricatis, eisque serio et diligenter discussis et examinatis, dicta Congregatio cardinalium, audito etiam prius in scriptis et in voce venerabili fratre Prospero archiepiscopo Myrensi promotore fidei, de huiusmodi cultu immemorabili constare, praedictasque sententias confirmandas esse censuit[2]:

*Confirmatio praedicti decreti.*

§ 2. Hinc est quod nos, piis ac devotis eorumdem Caroli regis et Mariannae reginae precibus, nobis super hoc humiliter porrectis, favorabiliter assensum, quantum cum Domino possumus, praebere cupientes, decretum a memoratâ cardinalium Congregatione editum, ut praefertur, quod scilicet de cultu immemorabili dictae servae Dei Mariae de Capite et casu excepto a decretis praedicti Urbani praedecessoris constet, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium.

*Clausulae.*

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus consti-

1 Edit. Main. legit *Christi* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *prolata* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *precibus* (R. T.).
2 Aptius lege *censuerit* (R. T.).

tutionibus et ordinationus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI augusti MDCXCVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 11 augusti 1697, pontif. anno VII.

## CLIII.

*Prohibetur ne amplius laici Congregationis Ministrantium Infirmis gaudeant voce activâ vel passivâ*[1].

**Innocentius Papa XII, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Sollicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae regimini divinâ dispositione praesidemus, nos admonet, ut, paternam congregationum virorum religiosorum, uberes bonorum operum fructus adspirante superni favoris auxilio proferre iugiter satagentium, curam gerentes, illarum quieti felicique regimini, quantum nobis ex alto conceditur, consulere studeamus.

Epilogus laudatae constitutionis Innocentii XI, qua statutum fuit, ne amplius laici eligerentur in consultores. § 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Innocentio Papa XI praedecessori nostro pro parte tunc existentis praefecti generalis Congregationis clericorum regularium Ministrantium Infirmis exposito, quod, licet per quamdam constitutionem recolendae memoriae Gregorii XIV, etiam praedecessoris nostri, super confirmatione instituti dictae Congregationis emanatam, ordinatum fuisset, ut eadem Congregatio per unum praefectum generalem et quatuor consultores idoneos, qui perpetui essent, hoc est ad sui vitam in suis officiis respective durarent, regi deberet, nec ulla de fratribus laicis ipsius Congregationis ad officia consultorum huiusmodi eligendis seu assumendis in eâdem constitutione mentio facta fuisset; nihilominus per constitutiones Congregationis praedictae subinde conditas, et a piae memoriae Clemente Papa VIII praedecessore pariter nostro confirmatas, abrogatâ officiorum perpetuitate, specialiter ordinatum fuerat ut ex quatuor consultoribus praedictis duo sacerdotes et duo fratres laici eligerentur; cum enim praecipuum dictae Congregationis institutum sit ministerium spirituale curationis animarum, quod ad sacerdotes, secundarium vero ministerium misericordiae corporalis infirmis impendendae, quod ad fratres laicos respective spectat, existimatum fuerat, conveniens esse, ut, quandoquidem Congregatio praedicta tunc temporis nosocomiorum servitio, per sacerdotes quidem quoad procurationem salutis animarum, per fratres laicos vero quoad curam[1] corporalem infirmorum, operam dabat, dicti fratres laici, qui onus misericordiae corporalis cum assistentiâ et continuâ habitatione in nosocomiis huiusmodi sustinebant, in partem regiminis assumerentur; verum, quia tunc praevidebatur fieri posse, ut Sedes Apostolica ministerium inserviendi cum continuâ habitatione in dictis nosocomiis tolleret, aut illud per patronos et

1 De eorumdem laicorum electione in consultores vide Innocentii XI constit. edit. MDCLXXXIV, die 31 augusti, pontif. VIII, qua huiusmodi electio abrogata fuit.

1 Male, ut puto, edit. Main habet *veram* pro *curam* (R. T.).

administratores eorumdem prohiberetur, ideo ordinatum atque stabilitum[1] fuerat ut in his casibus continuaretur institutum inserviendi infirmis cum assistentiâ diurnâ et nocturnâ in domibus privatorum ac carceribus, et ubicumque opus fuisset: et in eâdem expositione subiuncto, quod constitutiones quidem praedictae eatenus servatae[2] fuerant, servitium vero et residentia in nosocomiis huiusmodi omnino cessaverat, nec, praeter Ianuense, ullum nosocomium ad curam religiosorum dictae Congregationis remanserat, ac proinde fratres laici, quibus onus misericordiae corporalis incumbat[3], nullum praestabant servitium, nisi associationem sacerdotum, quibus secundum institutum supradictum praecipua cura assistendi moribundis, eorumque animarum salutem procurandi incumbit, iidemque fratres laici ad gubernium praefatae Congregationis erant omnino inutiles, quippe qui rudes et litterarum imperiti aliena suffragia et auctoritatem caeco obsequio ut plurimum sequebantur: idem Innocentius praedecessor, supplicationibus memorati praefecti generalis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, ut de cetero nullus frater laicus dictae Congregationis in consultorem ipsius Congregationis eligeretur seu assumeretur, sed quatuor consultores Congregationis huiusmodi omnes ex presbyteris expresse professis eiusdem Congregationis eligi seu assumi deberent, auctoritate apostolicâ statuit et ordinavit: et aliàs, prout in eiusdem Innocentii praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XXXI augusti MDCLXXXIV expeditis, quarum[4] tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

*Prohibitio, ut in rubrica.* § 2. Cum autem (sicut accepimus) iisdem rationibus attentis, propter quas, sicut praemittitur, interdictum fuit ne fratres laici dictae Congregationis in consultores ipsius Congregationis eligerentur seu assumerentur, similiter interdici expediat ne ipsi in eâdem Congregatione sub quovis praetextu voce activâ et passivâ gaudere valeant: hinc est quod nos, memoratae Congregationis tranquillitati rectoque gubernio peramplius prospicere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ne de cetero quisquam frater laicus Congregationis supradictae voce activâ et passivâ in ipsâ Congregatione ullatenus gaudere possit seu debeat, tenore praesentium perpetuo interdicimus et prohibemus.

*Clausulae.* § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam vocari, seu ad terminos iuris vel constitutionum praedictarum reduci ullo modo unquam posse; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudi-

1 Edit. Main. legit *stabilium* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *servata* (R. T.).
3 Forsan *incumbit* vel *incumbebat* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *quam* pro *quarum* (R. T.).

candi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, et aliàs quomodolibet, in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX augusti MDCXCVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 20 augusti 1697, pontif. an. VII.

---

## CLIV.

*Confirmantur statuta pro tribus seminariis in dioecesi Angelopolitanâ*[1].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Ortus et progressus dictorum seminariorum a Ioanne de Palafox erectorum et ab Emmanuele absolutorum episcopis Angelopolitanis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater Emmanuel episcopus Angelopolitanus, quod aliàs, nempe anno MDCXLIV, bonae memoriae Ioannes de Palafox et Mendoza, dum vixit, episcopus Angelopolitanus, eius antecessor, tria seminaria iuvenum bonis litteris imbuendorum, unum videlicet sub S. Petri principis apostolorum, alterum sub S. Ioannis, ac reliquum sub S. Pauli apostoli respective invocationibus, a quorum uno ad aliud, iuxta scientiarum in illis tradendarum ordinem, transitus fieret, congruâ eis reddituum assignatione factâ, comparatâque bibliothecâ decenter munitâ ac publicae commoditati expositâ, ad formam sacrorum canonum, et praesertim decretorum Concilii Tridentini, obtentoque desuper clarae memoriae Philippi IV, dum vixit, Hispaniarum regis catholici consensu, reservato tamen ei ipsorum seminariorum iurepatronatu, erexit, instituit et fundavit, eorum erectionem huiusmodi a felicis recordationis Innocentio Papa X praedecessore nostro, per eius litteras desuper in simili formâ Brevis die XXII maii MDCXLVIII

1 In const. ed. MDCXCVI, die 7 iunii, pontif. V, extat confirmatio statutorum pro collegio Hungarico et Germanico de Urbe; et in Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXV, die 30 maii, pontif. I, confirmatio statutorum pro seminario Caesenatense.

expeditas, confirmari et approbari obtinuit, prout in publico super praemissis confecto instrumento fusius apparere ac in dictis Innocentii praedecessoris litteris uberius respective dicitur contineri. Postmodum vero dictus Emmanuel episcopus praedictum seminarium S. Pauli, quia illud nondum perfectum reperiebatur, nec ei de necessariis pro sufficienti iuvenum in eo educandorum habitatione ac ceteris ad victum et decorem pertinentibus provisum erat, perfici curavit, eique congrue providit, necnon, pro ordinariis seu extraordinariis illius expensis supportandis, mille et quingentas patacas auri communis monetae illarum partium ipsius rectori ex communibus redditibus praedictorum seminariorum Ss. Petri et Ioannis ab eorum administratore et thesaurario annis singulis persolvendas, cum cautelis et circumstantiis in similibus apponi[1] solitis, applicavit, ac insuper declaravit et decrevit quod totus dicti seminarii S. Pauli situs cum eius terrenis et confinibus, prout ex plantâ, instrumentis et titulis situs huiusmodi proprietatem demonstrantibus constare dicitur, ad ipsum seminarium S. Pauli legitimo et proprietario titulo spectaret, ac proinde in eo, tamquam in proprio eiusdem seminarii fundo, aedificari posset quidquid de cetero pro maiori illius commodo et utilitate construi expediens fuisset. Ceterum pro felici prosperoque dicti seminarii S. Pauli, et collegialium in eo pro tempore commorantium, necnon praedictorum seminariorum Ss. Petri et Ioannis regimine et gubernio, tam idem Emmanuel episcopus quam dictus Ioannes similiter episcopus eius antecessor nonnulla statuta et ordinationes respective fecerunt seu ediderunt, quae ex publico die XXIX

1 Edit. Main. legit *opponi* (R. T.).

aprilis MDCXC et aliis itidem publicis desuper confectis instrumentis, in quibus uberius contineri dicuntur desumpta, et in capitula distributa, sunt tenoris qui sequitur, videlicet:

*De numero collegialium sancti Pauli.*

I. Quod collegialium numerus in dicto seminario S. Pauli pro tempore commorantium non excedat octavum.

*De bibliothecario.*

II. Quod bibliothecarii munus personae habili et idoneae, per Ordinarium Angelopolitanum pro tempore existentem eligendae, tum pro obsequio personarum ad bibliothecam accedentium, cum pro illius conservatione, librorum notitiâ, et assistentiâ, demandetur, quae teneatur diebus ferialibus indispensabiliter bibliothecae assistere.

*De oneribus collegialium sancti Pauli.*

III. Quod collegiales S. Pauli teneantur collegialibus Ss. Petri et Ioannis theologiae scholasticae et moralis conclusiones praesignare quae ab eisdem sustinendae erunt, et deficiente collegiali theologo in collegio S. Ioannis artium conclusionibus praesidente, quae conclusiones ter in hebdomadâ sustinendae erunt, ac toties quoties opus fuerit, eis praesidere debeant; necnon dicti collegiales S. Pauli obligati sint ad legendum, cathedrasque philosophiae et theologiae regendum, ac grammaticam et rhetoricam eos edocendum semper et quandocumque ob absentiam, infirmitatem, aliudve legitimum impedimentum praedictorum seminariorum cathedratici et magistrorum qui praedictarum cathedrarum gubernio assistere nequiverint; a qua assistentiâ collegiales S. Pauli praedicti nullatenus excusentur; dictique collegiales S. Pauli, quotiescumque grammaticam, rhetoricam, philosophiam vel theologiam supplendo defectum et absentiam magistrorum aliis duobus collegiis legerint[1], et collegiales edocuerint, pro ratâ tempo-

1 Edit. Main. legit *regerint* (R. T.).

ris quo[1] suppleverint, expensas sive alimenta collegio restituere non teneantur, etiamsi beneficia obtinuerint, sed proportionabiliter pro mercede laboris eis condonetur restitutio.

IV. Quod si dicti collegiales ob huiusmodi assistentiam cuilibet alteri obligationi sint adstricti, imposterum liberati et exempti omnino remaneant.

De receptione et numero collegialium sancti Petri.

V. Idem episcopus orator, inhaerendo erectioni per dictum praedecessorem aliàs factae, statuit formam in dictà fundatione statutam, necnon constitutiones ab eodem praedecessore emanatas, tam videlicet circa receptionem collegialium seminarii S. Petri, qui usque ad triginta circiter recipiantur, quique praecipue pauperes filii patrimoniales legitimi et naturales, ac oriunde novarum Hispaniarum, et praedictae dioecesis, si existant, sin minus, aliarum vicariorum[2] dioecesum.

VI. Idem praedecessor aliàs statuit, quod nobiles et divites non excludantur, dummodo solvant centum viginti patacas monetae illarum partium quolibet anno, et in eis concurrant qualitates relatae.

VII. Quod ceteris praeferantur filii eorum qui servitia regi aliàs exhibuerint seu exhibeant.

De eorum studiis.

VIII. Quod collegiales, qui ingrediuntur in seminarium S. Petri, sint in aetate duodecim annorum, inibique remaneant usque ad decimum septimum seu decimum octavum annum, et discant grammaticam et rhetoricam.

De studiis collegialium sancti Ioannis.

IX. Quod exinde transeant ad collegium S. Ioannis, ibique maneant donec philosophiam ac sacros canones didicerint.

De studiis collegialium sancti Pauli.

X. Quod abinde transeant ad praedictum collegium S. Pauli, ut praxim sacramentorum et rerum quae ad perfectionem optimi ecclesiastici eorum[1] necessaria discant[2] ad effectum ut perfecte idonei ad beneficia et officia curata ceteraque munia ecclesiastica obeunda evadant, quique assistere debeant certis temporibus servitiis ecclesiae cathedralis[3] ac divinis officiis interesse.

De privilegiis collegialium sancti Pauli.

XI. Quod si collegiales divi Pauli sacerdotali charactere initiati fuerint, et assistant moralibus conferentiis aliisque exercitiis ecclesiasticis, eis ad maiorem splendorem et augumentum a dicto collegio subministrabitur illud quod sufficiens erit etiam ad graduationem baccalaureatus in artibus, et in maiori facultate in eodem collegio remaneant tamquam hospites more collegiorum Hispaniae, obligatione tali, ut, si postea redditus ecclesiasticos et beneficia ecclesiastica obtinuerint, et commode restituere poterunt id quod illo temporis spatio dispenderunt, ab ipsis sit faciendum; et eodem modo teneantur sacerdotes praedicti ad rationem centum quinquaginta patacarum pro quolibet anno, quod non solum ex debito conscientiae, positâ beneficii assecutione, verum etiam et iustitiae, qua compelli possint, restituere teneantur collegio expensas ad rationem taxatam a fundatore.

De bibliotheca.

XII et ultimo. Quod ex eâdem bibliothecâ superius relatâ per praedecessorem praedictum sufficienter libris aliisque necessariis refertâ ac munitâ, idem praedecessor prohibuit, ne libri huiusmodi quavis de causâ vel praetextu ab eâ ullatenus extrahantur.

Confirmatio relatorum statutorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Emmanuel epi-

1 Vocem *quo* nos addimus (R. T.).

2 Forsan *viciniorum;* ceterum praecedens syntaxis defectiva videtur (R. T.).

1 Legendum *sunt* pro *eorum* (R. T.).

2 Verbum *discant* addimus (R. T.).

3 Edit. Main. legit *cathedrali* (R. T.).

scopus capitula, statuta et ordinationes huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Emmanuelis episcopi votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, et attentâ dilecti filii nostri Petri Matthaei eiusdem S. R. E. cardinalis Petruccii nuncupati, a Congregatione eorumdem cardinalium ad huiusmodi negotium examinandum deputati, revisione, praeinserta capitula, statuta et ordinationes, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, seminariorum praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x septembris MDCXCVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 10 septembris 1697, pontif. anno VII.

---

## CLV.

*Confirmantur et innovantur plurima decreta Congregationis Concilii super celebratione missarum, unâ cum illorum declaratione, approbatione et innovatione eiusdem Congregationis* [1].

**Innocentius episcopus**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Decreta Congregationis Concilii auctoritate Urbani VIII anno MDCXXV, iunii XXI, edita.

§ 1. Nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum prodierunt decreta tenoris infrascripti, videlicet:

I. « Aliàs super celebratione missa-

1 In Innocentii XI const. ed. MDCLXXXVI, die 4 maii, pontif. XII, agitur de missis defunctorum; et in huius Pontificis const. ed. MDCXCIX, die 24 aprilis, pontif. VIII, de missis parochorum.

rum ac prohibitione illas moderandi seu reducendi absque Sedis Apostolicae licentiâ, necnon super earumdem oneribus perpetuis suscipiendis, et religiosorum numero ultra redditus et consuetas eleemosynas locorum regularium non habendo, emanarunt ab hac sacrâ Congregatione S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, auctoritate per felicis recordationis Urbanum PP. VIII illi specialiter attributâ, quamplura decreta tenoris sequentis:

Causae decretorum.

» Cum saepe contingat in quibusdam ecclesiis tam magnum missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus praescriptis nequeant satisfieri, et tamen nova onera missarum in dies suscipiantur; indeque fiat ut depereant piae testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animae suffragiis priventur, ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac christifideles, gravi scandalo affecti, plerumque a similibus charitatis operibus retrahantur; cumque his malis maximum inter cetera fomentum praebeat, aut quod ii, qui missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum a superioribus reductum iri, aut quod ecclesiis, sorte pecuniarum absumptâ, plerumque nuda remaneant onera missarum absque ullo emolumento, aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis ut non facile inveniantur qui velint huic se muneri subiicere, et redditus ecclesiae aut monasterii adeo exigui ut sacerdos pro necessariâ suâ sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur: sacra Congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum, animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatique ac iustitiae maxime consentaneam, si pro viribus satagat hunc teterrimum abusum e christianâ republicâ convellere atque eradicare, auctoritate sanctissimi domini nostri Urbani divinâ providentiâ Papae VIII sibi specialiter attributâ, infrascripta decreta edidit:

Nemo reducat onera missarum.

I. Ac primo districte prohibet atque interdicit ne episcopi in dioecesanâ synodo, aut generales in capitulis generalibus, vel aliàs quoquomodo, reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quae, re diligenter perspectâ, id statuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

Tot celebrentur missae, quot praescribuntur pro data eleemosyna.

II. Deinde, ubi pro pluribus missis etiam eiusdem qualitatis celebrandis stipendia, quantumcumque incongrua et exigua, sive ab uno sive a pluribus personis collata fuerunt aut conferentur in futurum sacerdotibus, ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, monasteriis, conventibus, congregationibus, domibus ac locis piis quibuscumque, tam saecularibus quam regularibus, sacra Congregatio sub obtestatione divini iudicii mandat et praecipit ut absolute tot missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, itaut alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant; quinimo graviter peccent, et ad restitutionem teneantur.

Privilegia omnia revocantur.

III. Id vero ut deinde observetur exactius, sacra Congregatio eâdem auctoritate revocat privilegia et indulta omnia quibusvis personis, ecclesiis ac locis piis tam saecularibus quam regu-

laribus cuiuscumque Ordinis, congregationis et instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur ut certarum missarum vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis seu orationibus, plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

**Non diminuatur eleemosyna accepta.**

IV. Ac similiter, omne damnabile lucrum ab Ecclesiâ removere volens, prohibet sacerdoti qui missam suscepit celebrandam cum certâ eleemosynâ, ne eamdem missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retentâ, celebrandam committat.

**Pecuniae et bona mobilia relicta pro missis perpetuis investiantur.**

V. Praeterea, ne in ecclesiis, in quibus onera missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis tepidiores ac segniores reddantur quod onera huiusmodi cum nullâ aut parvâ sint utilitate coniuncta, statuit atque decernit, ut pecuniae ac bona mobilia ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, congregationibus, monasteriis, conventibus ac locis omnibus tam saecularibus quam regularibus atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo missarum celebrandarum, ab iis ad quos pertinet, sub poenâ interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto incurrendâ, a die realis acquisitionis statim deponi debeant penes aedem sacram, vel personam fide et facultatibus idoneam, ad effectum illa seu illorum pretium quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressâ et individuâ mentione oneris quod illis annexum reperitur. Ac si eadem bona immobilia auctoritate apostolicâ deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium, sub eâdem poenâ, ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum eiusdem oneris repetitione atque annexione converti debeat. Ad haec sacra Congregatio quibusvis capitulis, collegiis, societatibus et congregationibus, necnon omnibus et singulis ecclesiarum ac piorum locorum tam saecularium quam regularium superioribus, vel aliis ad quos pertinet, districte prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant missarum celebrandarum, saeculares quidem sine episcopi vel eius generalis vicarii, regulares vero sine generalis vel provincialis consensu et licentiâ in scriptis et gratis concedenda; alioquin saecularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu ecclesiae interdictus sit eo ipso: regularis vero poenam privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, ac perpetuae inhabilitatis ad alia de cetero obtinenda, vocisque activae ac passivae, absque aliâ declaratione, incurrat. Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, et capsulas auferant ab ecclesiis cum inscriptione illâ *Eleemosyna pro missis*, vel aliâ simili, sub iisdem poenis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur.

**Superiores caute concedant facultatem pro suscipiendis missis perpetuis.**

VI. Episcopus vero, seu eius vicarius, aut generalis vel provincialis, ubi de licentiâ pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis missarum celebrandarum obligationibus cuique ecclesiae, monasterio aut loco pio incumbentibus; nec antea assensum huiusmodi aut licentiam praebeant, quam eis legitime constiterit illius sacerdotes tam novo oneri suscipiendo quam antiquis iam susceptis satisfacere posse, praecipuamque rationem habeant ut redditus, qui ecclesiis et locis piis relinquuntur,

omnino respondeant oneribus adiunctis secundum morem cuiuscumque civitatis vel provinciae, intelligantque, si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint, in novissimo die se huius praetermissi muneris rationem esse reddituros.

Ne familia religiosorum excedat redditus coenobiorum, nec in posterum augeatur sine licentia Congregationis Concilii.

VII. Postremo illustrissimi patres non sine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quae regularem disciplinam evertunt, ac praecipue nimiam hanc facilitatem fovent in oneribus missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infectâ radice pullulare ex maiori regularium numero quam ferant redditus et eleemosynae cuiusque monasterii, inhaerentes summorum Pontificum ac sacri Concilii Tridentini decretis hac de re editis, sanctissimi domini nostri auctoritate praecipiunt ac mandant omnibus et singulis generalibus, provincialibus, commissariis, ministris, praesidentibus, abbatibus, prioribus, praepositis, guardianis, vicariis et quibuscumque aliis superioribus monasteriorum, conventuum ac domorum regularium, bona immobilia possidentium vel non possidentium, cuiuscumque Ordinis, congregationis et instituti existentium intra fines Italiae et insularum adiacentium, ut singuli, ad quos pertinet, in qualibet provinciâ, adhibitis duobus aut tribus[1] regularibus sui Ordinis vel Congregationis probatioribus et rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, redditus et proventus omnes, consuetas item eleemosynas et obventiones, tam communes monasteriorum, conventuum et domorum eiusdem provinciae, quam etiam singularibus personis religiosis assignatas seu permissas in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediate praecedentium habitâ ratione, diligenter et mature recognoscant, iis omnibus detractis, quae reparationes, praestationes, grandines, sterilitates, aliave cuiuslibet generis onera consueverunt absorbere; eaque omnia scripto[2] fideliter exarata idem superior, cuius interest, in proximo capitulo seu congregatione generali vel provinciali coram tribus iudicibus ab ipsomet capitulo seu congregatione deligendis proponat, qui, computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis et obventionibus universis, et oneribus ut supra detractis, sedulo examinent quot religiosi homines, communeratis etiam laicis aliisque necessariis servientibus in unoquoque monasterio, conventu et domo regulari, iuxta regionis et proprii instituti morem, victum et vestitum et medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari; tum eorumdem bonorum, redditum, eleemosynarum et onerum praecisam notam ipsimet capitulo seu congregationi exhibeant, ut in illo, diligenter omnibus discussis, cuiusque familiae monasteriis[3], conventus, ac domus regularis in singulâ quaque provinciâ certus earum tantum personarum numerus patrum capitularium voto praefigatur, quae redditibus, elemosynis et obventionibus, ut superius, sufficienter ali possint. Ne vero superiores, qui id praestare debent, serius aut remissius, quam par est, suo muneri satisfaciant, mandat sacra Congregatio, ut, infra annum post proximum capitulum generale vel provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad sacram ipsam Congregationem Concilii singuli mittant; numerumque familiae singulorumque conventuum, monasteriorum et domorum huiusmodi regularium, capituli seu

1 Male edit. Main. legit *duorum aut illius* pro *duobus aut tribus* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *scripta* (R. T.).
2 Videtur legendum *monasterii* (R. T.).

congregationis generalis vel provincialis sententiâ et auctoritate praefinitum, iidem superiores, tam generales et provinciales omnes, quam locales, perpetuo servare omnino teneantur, nec possint illum quoquomodo augere, etiam praetextu augumenti redditunm, absque sacrae ipsius Congregationis licentiâ; superiores autem huiusmodi, qui praedicta omnia in praefixo termino non praestiterint, vel numerum ut supra praescriptum quovis modo augere praesumpserint, vel[1] privationis omnium officiorum, quae tunc temporis obtinebant[2], vocisque activae et passivae, et ad omnia suae religionis officia et gradus inhabilitatis perpetuam poenam eo ipso incurrere, atque aliis etiam gravioribus a Sede Apostolicâ infligendis poenis sacra Congregatio subiacere voluit et declaravit.

Coenobia erigenda sint capacia duodecim religiosorum.

VIII. Deinceps vero monasterium, conventus, domus, congregatio vel societas religiosorum seu regularium nullibi recipiatur, nisi, praeter alia ad id requisita, in singulis huiusmodi locis duodecim saltem fratres aut monachi seu religiosi degere, et ex redditibus et consuetis eleemosynis, detractis omnibus ut supra detrahendis, competenter sustentari valeant, ad praescriptum decreti felicis recordationis Gregorii XV hac de re editi; alioquin monasteria et loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim religiosi, ut supra, sustentari atque inhabitare non poterunt, et actu non inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni atque omnimode iurisdictioni subiecta esse intelligantur.

Haec decreta sexto quoque mense in publica missa perlegantur.

» Porro, ne ullo unquam tempore haec in oblivionem seu desuetudinem abeant, superiores locales cuiusque monasterii, conventus, ac domus regularis curare atque efficere tenentur, sub poenâ privationis officii vocisque activae et passivae ipso facto incurrendâ, ut in perpetuum, sexto quoque mense, idest feriâ secundâ post dominicam Adventus, et feriâ sextâ post octavam Corporis Christi, praesentes ordinationes in publicâ mensâ perlegantur.

Clausulae.

» Omnibus tam ecclesiasticis personis cuiuscumque sint ordinis, conditionis et gradus, quam laicis, quocumque honore et potestate praeditis, praesentia decreta declarandi vel interpretandi facultate penitus interdictâ.

» Non obstantibus, quoad suprascripta omnia et singula in praesentibus decretis contenta, constitutionibus et ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam[1] Mendicantium quam non Mendicantium, militiarum etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, congregationum, societatum, ac cuiuslibet alterius instituti, etiam necessario et individuo exprimendi, ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, capitulorum, hospitalium, confraternitatum et aliorum quorumcumque tam saecularium quam regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam *Mari magno* seu *Bullâ aureâ* aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extensionis concessis et iteratis vicibus

1 Particula *vel* delenda videtur (R. T.).
1 Aptius lege *obtinebunt* (R. T.).

1 Particula *tam* nos addimus (R. T.).

approbatis et innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro expressis habens, quibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, sacra Congregatio, Sanctitatis Suae auctoritate, specialiter et expresse derogat; ceterisque contrariis quibuscumque.

» Et ne praemissorum ignorantia a quoquam praetendi possit, voluit eadem sacra Congregatio ut praesentes ordinationes, in valvis basilicarum S. Ioannis Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Florae, ut moris est, affixae, omnes, ad quos pertinet, ita arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent; utque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae die XXI iunii, MDCXXV — Cosmus card. Detorres. Prosper Fagnanus sacrae Congregationis secretarius ».

Dubia Congregationi Concilii proposita circa relata decreta.

II. » Excitatis autem super praemissorum decretorum intelligentiâ seu interpretatione infrascriptis dubiis, prodierunt a memoratâ Congregatione, simili auctoritate illi a praefato Urbano Papa VIII specialiter attributâ, responsiones seu declarationes inferius apponendae.

De reductione missarum.

I. « Super primo S. Congregationis decreto de celebratione missarum, quo prohibetur ne episcopi in dioecesanâ synodo, aut generales in capitulis generalibus, vel aliàs quoquo modo, reducant onera illa missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, quaeritur, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi iniunctum subire, et, si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis? et quid, si permittatur episcopo in fundatione ut possit huiusmodi onera moderari?

De praescripto numero missarum pro data eleemosynà.

II. An[1] super secundo eiusdem Congregationis decreto, quo cavetur ut celebrentur tot missae, quot ad rationem tributae eleemosynae praescriptae fuerint, quaeritur, an verba illa *praescriptae fuerint* intelligenda sint de praescriptione factâ ab offerente vel ab Ordinario?

III. An, cum Ordinarius praescripserit eleemosynam congruam, iuxta qualitatem loci, personarum ac temporum, sacerdotes accipientes stipendium minus congruo teneantur missas illis ab offerente praescriptas celebrare?

IV. An sacerdotes, qui tenentur missas celebrare ratione beneficii seu cappellae, legati aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro missis votivis aut defunctorum recipere, et unico missae sacrificio utrique oneri satisfacere?

V. Posito quod testator relinquat ut celebrentur pro eius animâ centum missae, absque ullâ praescriptione eleemosynae, quaeritur, an liberum sit haeredibus eleemosynam sibi benevisam praescribere, an vero eadem eleemosyna praescribenda sit ab Ordinario?

De privilegiis revocatis.

VI. Super tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio revo-

[1] Particula *An* delenda videtur (R. T.).

cat privilegia, quibus indulgetur ut certarum missarum vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis seu orationibus, plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfaciat, quaeritur an verba *in futurum suscipiendis* intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium?

De diminutione eleemosynae.

VII. Super quarto eiusdem Congregationis decreto, quo prohibetur sacerdoti, qui suscepit missam celebrandam cum certâ eleemosynâ, ne eamdem missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retentâ, celebrandam committat, quaeritur, an permittendum sit administratoribus ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis ecclesiae, altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiae et similium?

VIII. An hoc decretum habeat locum in beneficiis, quae conferuntur in titulum, idest an rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum beneficii?

X. An sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior solitâ pro celebratione missae, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis quibus missas celebrandas committunt; an satis sit ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

De missis manualibus et quotidianis.

XI. Super quinto eiusdem Congregationis decreto, quo inter cetera statuitur an[1] haec verba *eleemosynas vero manuales et quotidianas pro missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, et capsulas auferant, etc.*, quaeritur, an hoc decretum prohibeat absolute, quominus accipiant novas eleemosynas ii qui acceptis non satisfecerunt; et quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

XII. Quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat ut sacerdos missam celebret cum primum poterit?

XIII. An poena interdicti et aliae appositae in eodem decreto afficiant tam eos qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi praescriptam, quam eos qui non auferunt capsulas ab ecclesiis, ut ibidem praecipitur?

XIV. An in hoc decreto comprehendantur illae capsulae, quae apponi solent in ecclesiis in die Commemorationis Omnium Sanctorum, et vulgo dicuntur *Casse de' morti?*

XV. An administratores ecclesiae magnae devotionis et concursus possint eleemosynas pro missis celebrandis accipere, si iisdem missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus ecclesiae et devotio ac concursus fidelium, ut aiunt, minuantur?

XVI. Quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa solis capitulis, collegiis, societatibus, congregationibus, necnon omnibus et singulis ecclesiarum et piorum locorum tam saecularium quam regularium superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausulâ generali *et aliis ad quos pertinet*, supplicatur pro opportunâ declaratione.

De numero religiosorum in singulis coenobiis.

XVII. Super septimo eiusdem sacrae Congregationis decreto, quo cavetur ut in singulis monasteriis religiosorum praefigatur numerus, qui ex consuetis redditibus aut eleemosynis commode possit sustentari, quaeritur, an ubi haec praefixio facta iam fuit in vim similis

[1] Aptius forsan legeretur *per* pro *an* (R. T.).

decreti sanctae memoriae Pauli V, absque tamen computatione redditunm cuiusque religiosi, sit denuo facienda, necne?

xviii. An novitii, ad habitum regularem admissi, possint admitti ad professionem in monasteriis, in quibus, habitâ ut supra praefixione numeri, commode ali non possunt?

De coenobiis erigendis.

xix. Super ultimo, quo cavetur ut nullibi recipiantur conventus regularium, nisi, praeter alia ad id requisita, duodecim saltem fratres in eis degere et competenter sustentari valeant, itaut alioquin subsint iurisdictioni ordinariae, quaeritur an hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem missarum, comprehendat eas religiones, quae non consueverunt onera missarum recipere, ut sunt religiones Capuccinorum ac Societatis Iesu?

Ultimo. An idem decretum, ubi disponit, *ut nullibi recipiantur monasteria, nisi, etc.*, habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum decretum proxime antecedens, an vero etiam extra Italiam ».

Declarationes seu responsiones ad supradicta dubia.

« Sacra Congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum, auctoritate sibi a sanctissimo domino nostro attributâ, ad singula dubia superius proposita ad hunc modum respondit, videlicet:

Ad i. Etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris ut supra impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quae absque ullâ impensâ id statuet quod magis in Domino e re esse iudicaverit. Verumtamen, si in ipsâ beneficii erectione expresse cautum fuerit ut liceat episcopo iniunctum onus reducere et moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam et observandam.

Ad ii. Esse intelligenda de praescriptione factâ ab eo qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario: quod si tribuens eleemosynam numerum missarum celebrandarum non praescripserit, tunc tot missas celebrari debere, quot praescripserit Ordinarius secundum morem[1] vel provinciae.

Ad iii. Teneri.

Ad iv. Sacerdotes, quibus diebus tenentur missas celebrare ratione beneficii seu cappellae, legati aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non posse eâdem missâ utrique obligationi satisfacere.

Ad v. Censuit, ubi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab episcopo praescribendam eleemosynam congruam quae respondeat oneribus missarum celebrandarum, secundum morem civitatis vel provinciae.

Ad vi. Ita esse intelligenda.

Ad vii. Respondit, permittendum non esse ut ecclesiae ac loca pia, seu illorum administratores, ex eleemosynis missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione, nisi cum ecclesiae et loca pia alios non habent redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint; et tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum quae pro ipsomet tantum missae sacrificio necessario sunt subeundae; et[2] nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad viii. Non habere locum, sed satis esse ut rector beneficii, qui potest

1 Videtur deesse *civitatis* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *ut* pro *et* (R. T.).

missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem civitatis vel provinciae, nisi in fundatione ipsius beneficii aliud cautum fuerit.

Ad x. Debere absolute integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad xi. Respondit, non prohibere absolute; ac propterea, etsi oneribus iam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad xii. Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen eleemosynam pro aliarum missarum celebratione offerens[1] id sciat et consentiat ut illae tunc demum celebrentur cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem missis iuxta benefactoris consensum celebrandis.

Ad xiii. Has poenas non habere locum, nisi in suscepturis onera perpetua missarum celebrandarum sine licentiâ episcopi vel eius generalis vicarii, aut generalis vel provincialis.

Ad xiv. Comprehendi.

Ad xv. Non posse nisi de consensu eorum qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad xii.

Ad xvi. Comprehendi etiam privatos sacerdotes.

Ad xvii. Numeri praefixionem esse iterum faciendam, servatâ formâ ultimi decreti hac de re editi.

Ad xviii. Esse admittendos ad professionem, si aliàs habiles existant, ac deinde in aliquo alio monasterio eiusdem religionis esse collocandos, ubi commode ali possint.

Ad xix. Censuit comprehendere.

Ad ultimum. Habere locum extra Italiam.

Cosmus cardinalis de Torres. — Prosper Fagnanus sacrae Congregationis secretarius ».

*Causae novorum decretorum Congregationis concilii auctoritate Innocentii XII anno MDCXCVII, die XXIII novembris edita.*

III. » Cum autem super praemissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione quamplures querelae et recursus ad Apostolicam Sedem pervenerint, cupiens eadem Congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum huiusmodi detestabiles abusus e christianâ republicâ pro viribus evellere, ac opportune providere, ut, sublatis fraudibus, ac emendatâ negligentiâ, piae disponentium seu benefactorum voluntati fides illibata servetur, defunctorum animabus integra et prompta praestentur suffragia, itidemque Deo maior gloria et ecclesiis praestantior cultus reddatur, praeviâ auctoritate per sanctissimum dominum nostrum Innocentium divinâ providentiâ Papam XII ei specialiter attributâ, infrascripta decreta, prius in particulari nonnullorum ex praefatis cardinalibus per Sanctitatem Suam deputatâ, et postea in generali huiusmodi cardinalium Congregatione mature et accurate discussa, recognita, examinata edidit.

*Confirmatio et innovatio relatorum decretorum et resolutionum.*

i. In primis praeinserta decreta cum praemissis illorum declarationibus plenissime et amplissime approbat, confirmat et innovat, omniaque et singula ibidem contenta et expressa iterum omni meliori modo decernit, statuit, ac ab omnibus et singulis etiam speciali et individuali notâ seu expressione dignis penitus observari et omnimodae executioni demandari decernit, sancit et praecipit.

*De condonatione, reductione, compositione onerum missarum.*

ii. Insuper ut in re tanti momenti consultius, ac maiori, ut par est, circumspectione procedatur, si qui for-

1 Vocem *offerens* nos addimus (R. T.).

san fuerint vel sint, qui, suis pravis et erroneis intentionibus seu opinionibus blandiri volentes, missarum celebrationem omittunt sub malitiosâ vel irrationabili spe earumdem condonationem vel reductionem a Sede Apostolicâ vel compositionem a reverendâ fabricâ S. Petri de Urbe obtinendi; Congregatio praefata tum eosdem, tum quoscumque alios, qui posthac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri et monitos esse voluit, praefatas condonationes et reductiones ab eâdem Sede nonnisi ex rationabili causâ seu aequâ commiseratione, compositiones vero a dictâ fabricâ, utente suis facultatibus et privilegiis, nonnisi ex causâ pariter rationabili, et cum clausulis opportunis, et praesertim cum illâ: *Dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, aliàs gratia nullo modo suffragetur*, admitti consuevisse et solere. Quapropter, ut locus omnis in posterum hisce praetextibus praecludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones seu spes, ac eleemosynarum sive in toto sive in parte versiones in alium quam praefatarum missarum usum seu satisfactionem, et quascumque alias, directas vel indirectas, immediatas vel mediatas, contraventiones seu circumventiones, declarat prorsus irrationabiles, iniustas et illicitas, illasque omnino reprobat, clamat et interdicit.

De receptione et tabula onerum missarum.

III. Cumque huiusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera missarum supra vires suscipiantur, caveant omnes et singuli rectores, superiores et ministri quarumcumque tum saecularium tum regularium ecclesiarum, seu earum capitula, ne onera, seu missas, tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquomodo suscipiant. Utque id ipsum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, semperque in loco magis patenti et obvio retinere tabellam onerum perpetuorum et temporalium litteris perspicuis et intelligentibus[1] descriptorum: quorum implemento si moraliter et intra praescriptum seu breve tempus satisfacere non posse, seu illa duntaxat et non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint; alias missas, sive perpetuas, sive temporales, sive manuales, per se vel per interpositas personas, quoquomodo recipere seu acceptare omnino desistant seu abstineant; et ulterius tali casu in eâdem tabellâ similiter exprimant se se propterea aliis missis acceptandis et celebrandis impares esse.

De duobus libris onerum missarum.

IV. Iidemque[2] teneantur pariter in sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua et temporalia, in altero autem missas manuales, et tam illorum quam istarum adimplementum et eleemosynas distincte et diligenter annotare et annotandas seu annotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis et oneribus pariter exactam rationem suis superioribus reddere, ac omnes et singulas rationes huiusmodi in praefatis respective libris, simili distinctione et diligentiâ, tam praefati a quibus rationes debent reddi, quam superiores quibus reddendae erunt, describere seu annotare sive describendas vel annotandas respective curare.

De capsâ eleemosynarum missarum pro regularibus.

V. Quibus semper salvis, debeant ulterius regulares praedicti omnes et quascumque eleemosynas tum manualium tum perpetuarum et temporalium missarum reponere in capsâ particulari sub duabus clavibus, quarum una penes superiorem localem, altera vero penes

1 Forsan *intelligibilibus* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *Idemque* (R. T.).

alium a capitulo conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis et celebratione missarum coram patribus discretis seu consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus districtam rationem exigere et respective reddere.

*Poenae in contravenientes circa praemissa.*

VI. Quod si praedicti, ad quos iura tabellae, capsae et librorum praefatorum respective pertinet seu pertinere debet, suam operam praemissis, ut praefertur, minime navaverint, et superiores tum saecularium tum regularium ecclesiarum rationem praedictam non exegerint, seu non invigilaverint quod praefati, qui in curam tabellarum et librorum incumbunt, suo muneri, ut praefertur, satisfaciant, in singulis respective casibus saeculares poenam suspensionis incurrant, regulares vero voce activâ et passivâ ac gradibus et officiis, quae obtinent, ipso facto et absque aliâ declaratione privati sint et intelligantur, necnon ad huiusmodi gradus et officia obtinenda similiter inhabilitentur, et inhabilitati sint et intelligantur.

*De expositione et lectione relatorum decretorum et declarationum.*

VII. Porro, ne ullo unquam tempore omnia et singula decreta praedicta in oblivionem seu desuetudinem abeant, rectores, superiores, seu capitula ecclesiarum saecularium illa retineant publice exposita in eorum sacrario; superiores vero locales cuiuscumque monasterii, conventus ac domus regularis curare et efficere teneantur, sub poenâ privationis officiorum quae obtinent, vocisque activae et passivae, ipso facto incurrendâ, ut in perpetuum sexto quoque mense, idest feriâ secundâ post primam dominicam Adventus, et feriâ sextâ post octavam Corporis Christi, omnes et singulae praemissae tum insertae seu confirmatae tum in praesens factae ordinationes, unâ cum dictis declarationibus, in publicâ mensâ perlegantur.

*De curâ Ordinariorum circa executionem praemissorum.*

VIII. Meminerint igitur et satagant Ordinarii, ut a personis et in ecclesiis quoquomodo etiam in vim decretorum Concilii Tridentini sibi subiectis missae eâ qua par est fide et diligentiâ celebrentur, et cuncta et singula decreta huiusmodi omnimodae executioni demandentur, nedum iustitiam recurrentibus seu instantibus reddentes, sed ex officio, tum in visitationibus, tum in aliis actibus et modis quos expedire et convenire toties quoties iudicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur vel omittatur, quod his omnibus et singulis decretis adversetur.

*De eâdem curâ superiorum regularium.*

IX. Caveant etiam respective omnes regulares tum subditi tum superiores quicumque, nedum locales, sed etiam provinciales et generales, ne missarum celebratio et omnium decretorum praemissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum praeiudicio illarum quibus missae sunt applicandae, et cum magno christifidelium scandalo, quoquomodo omittantur, differantur, negligantur seu pervertantur, alioquin, ultra propriae conscientiae onerationem, poenam privationis vocis activae et passivae, ac graduum et officiorum quae obtinent, necnon inhabilitationis ad huiusmodi gradus et officia obtinenda prorsus incurrant.

*De fide celebrationis missarum a superioribus in capitula exhibendâ.*

X. Curent propterea praefati superiores regulares in omnes et singulos contravenientes debitis poenis diligenter et prompte etiam per inquisitionem animadvertere; et insuper teneantur omnes et singuli superiores locales in provincialibus capitulis seu congregationibus exhibere attestationem seu fidem ab omnibus sacerdotibus conventus, monasterii, seu cuiuscumque domus regularis subscriptam et iuratam, quod [1] omnibus et singulis tum perpetuis tum

1 Edit. Main. legit *quoad* (R. T.).

manualibus missarum oneribus seu obligationibus, ad limites et tenorem praesentium decretorum, tempore eorum regiminis fuerit omnino et integraliter satisfactum, vel, deficiente aliquà modicà satisfactione, possit etiam huiusmodi residuali implemento missarum distincte referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri, eà adiectà et omnino adimplendà[1] conditione, quod ante praefatae attestationis exhibitionem quicumque superiores locales praedicti vocem activam seu passivam in memoratis capitulis seu congregationibus omnino habere non valeant.

De attestatione visitatorum, quod suo muneri satisfecerint circa praemissa.

XI. Praeterea provinciales, vicarii et visitatores provinciarum seu congregationum debebunt in fine eorum regiminis superioribus generalibus in formà probante ostendere quod executioni praesentium decretorum sedulo invigilaverint, et ad eorum tenorem in omnibus et singulis conventibus seu monasteriis vel domibus regularibus provinciae seu congregationis de omnibus et singulis oneribus et obligationibus ac insimul satisfactionibus missarum exactam et diligentem rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem et executionem respective poenarum in decretis contentarum processerint, et de adimplemento, circa ea quae in praemissis ad ipsos spectant, legitime docuerint; aliàs ad vocem activam et passivam in capitulis generalibus nullatenus admittuntur.

De executione praemissorum quoad superiores et officiales ceterorum locorum piorum.

XII. Ceterum, quia etiam ad quamplures archiconfraternitates, confraternitates, societates, congregationes, hospitia, altaria, cappellas, oratoria et ecclesias, ac alia loca et opera pia quomodolibet nuncupata (quae cuicumque curae seu regimini aut administrationi vel directioni laicorum cuiuslibet gradus, status, conditionis et praeeminentiae etiam speciali et individuali notà dignorum dumtaxat, vel quorumcumque ecclesiasticorum et laicorum huiusmodi mixtim commendata, annexa seu quomodocumque commissa vel attributa sunt) onus seu cura celebrationis missarum, sive manualium, sive ad tempus, vel in perpetuum pertinet: hinc, salvis semper iis, quae in praeinsertis decretis continentur, omnes et quicumque huiusmodi archiconfraternitatum, societatum, congregationum, hospitalium, altarium, cappellarum, oratoriorum et ecclesiarum, ac aliorum locorum et operum piorum rectores seu administratores vel directores, et alii huiusmodi officiales, necnon ii, ad quos cura tabellae et librorum in praemissis spectat, tabellarum libros et haec decreta respective, iuxta modos superius expressos, similiter retinere, necnon de oneribus ac celebrationibus et eleemosynis dictarum missarum singulis annis rationem exigere, et respective iis, ad quos pertinet, reddere, sub poenis arbitrio, et, in subsidium, excommunicationis, teneantur.

Interdicta facultas interpretandi et dispensandi.

XIII. Postremo omnibus et quibuscumque tam ecclesiasticis personis, cuiuscumque Ordinis, status, gradus, regulae, congregationis, societatis, conditionis et dignitatis existant, quam laicis quocumque honore et potestate praeditis, omnia et singula praemissa decreta interpretandi, necnon ecclesiasticis praedictis poenas in huiusmodi decretis relaxandi, seu[1] quoquomodo circa praemissa dispensandi, omnis et quaecumque facultas sit penitus interdicta.

Clausulae.

» Non obstantibus, quoad suprascripta omnia et singula in huiusmodi decretis contenta, constitutionibus et ordinationus apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum

1 Edit. Main. legit *adimplendi* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *sub* pro *seu* (R. T.).

tam Mendicantium quam non Mendicantium, militiarum, etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, et congregationum, societatum, ac cuiuslibet alterius instituti, etiam necessario, et in individuo exprimendi, ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, capitulorum, hospitalium, confraternitatum et aliorum quorumcumque tam saecularium quam regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam *Mari Magno* seu *Bullâ aureâ* aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, et insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extensionis, concessis et iteratis vicibus approbatis et innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro expressis habens, quibus quoad ea quae praesentibus[1] adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, sacra Congregatio, Sanctitatis Suae auctoritate, specialiter et expresse derogat; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, die XXIII novembris MDCXCVII. — IOSEPH card. SACRIPANTES, praefectus. FERDINANDUS NUPTIUS, sacrae Congreg. secretarius ».

1 Verba ista, *pro expressis habens, quibus quoad ea quae praesentibus*, nos addimus (R.T.).

§ 2. Quocirca, cum dilectus filius noster Ioseph tituli S. Mariae Transpontinae S. R. E. presbyter cardinalis Sacripantes, memoratae Congregationis praefectus, praefata decreta nobis retulerit, nos, considerantes eadem et singula omnia decreta, eâ qua decet maturitate digesta et examinata, ac in vim apostolicae auctoritatis, eidem Congregationi specialiter ut praefertur attributae, peracta, perutilia fore censentes, illaque propterea perpetuo et inviolabiliter observari, necnon constitutionis nostrae munimine roborare volentes, motu proprio, non ad cuiusquam nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, inserta decreta, omniaque et singula in eis contenta, tenore praesentium, auctoritate apostolicâ, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis robur et efficaciam adiicimus; quinimo, motu, scientiâ, deliberatione ac potestatis plenitudine similibus, omnia et singula, in supradictis decretis contenta, de novo statuimus, decernimus et ordinamus, ac ab omnibus et quibuscumque, etiam speciali et individuâ notâ dignis omnino exacte et perpetuo servari volumus, sancimus et mandamus. Causa confirmationis.

§ 3. Decernentes, praesentes litteras, cum omnibus et singulis inibi contentis, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque et quomodocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime et inviolabiliter observari; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, Clausulae.

quavis auctoritate, praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuntios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus omnibus et singulis, quae praefata Congregatio, auctoritate per eiusdem recordationis Urbanum PP. VIII et respective per nos illi specialiter attributâ, decrevit non obstare, quae pariter et iterum nos, tenore praesentium, non obstare decernimus et mandamus; quibus omnibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, etiam harum serie plenissime, specialiter et expresse derogamus: ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut praesentes litterae in valvis ecclesiae Lateranensis, ac basilicae Principis Apostolorum, nec non Cancellariae Apostolicae, curiaeque generalis in Monte Citorio, ac in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, publicentur et affigantur, sicque publicatae et affixae, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique eorum personaliter intimatae fuissent; pariterque, ut earumdem praesentium transumptis impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, statuti, decretorum, ordinationis, voluntatis, sanctionis, mandatorum et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCXCVII, x kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 23 decembris 1697, pontif. anno VII.

---

## CLVI.

*Conceditur eremitis Excalceatis sancti Augustini Congregationis Gallicanae provinciae Franciae facultas canendi cum notis in expositione SS. Sacramenti et missis defunctorum* [1].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Causae concessionis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii vicarius generalis, assistentes generales, et substituti definitorii Congregationis Gallicanae fratrum eremitarum Ordinis sancti Augustini Excalceatorum nuncupatorum, quod, cum iam pridem multi christifideles, ac praesertim carissimus in Christo filius noster Iacobus Magnae Britanniae rex illustris, necnon carissima itidem in Christo filia nostra Maria eius [2] Magnae Britanniae regina illustris, imo et quamplures ab haeresi ad fidem catholicam conversi, ab ipsis expostulent, ut in expositionibus et benedictionibus sanctissimi Eucharistiae sacramenti, quae frequenter in provin-

1 In Innocentii XI const. ed. MDCLXXIX, die 22 iunii, pontif. III, agitur de facultate aggregandi ad confraternitates Cincturatorum; et in Clementis XI const. edit. MDCCI, die 29 ianuarii, pontif. I, conceditur facultas cantus Gregoriani in Horis canonicis.

2 Videtur legendum *eius coniux* (R. T.).

ciâ Franciae eiusdem Congregationis, ac praecipue in conventibus civitatis Parisiensis et suburbii S. Germani in Laya nuncupati dictae civitatis, magno populi concursu fiunt, hymni, versus, aliaque, quae eâ occasione cani solent, modo plano decantari valeant; in statutis vero Congregationis praedictae totum officium sine notis cantari praecipiatur: ipsi exponentes, hymnos ac preces huiusmodi, quae in expositionibus ac benedictionibus praedictis canuntur, quaeque ad divinum officium nullatenus pertinere videntur, dicto modo plano et cum notis, prout similiter missas defunctorum, praefatis scilicet christifidelibus idipsum exposcentibus, solemniter decantare posse, ac proinde opportunam ad praemissa facultatem pro conventibus provinciae supradictae dumtaxat sibi a nobis concedi plurimum desiderant.

Concessio praedicta.

§ 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium, qui relationem venerabilis fratris Marci archiepiscopi Damasceni, apud carissimum pariter in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum nostri et Apostolicae Sedis nuncii, super praemissis transmissam, necnon dilectum filium Valerianum a S. Cecilia procuratorem generalem dictae Congregationis audiverunt, consilio, eisdem exponentibus petitum indultum pro cantu plano cum notis in hymnis et precibus praedictarum celebrationum tantum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, benigne concedimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Congregationis, provinciae et conventuum[1] praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII martii MDCXCVIII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 17 martii 1698, pontif. anno VII.

1 Particulam *tum*, heic importune interiectam, delemus (R. T.).

## CLVII.

*Confirmatur decretum Congregationis S. Officii de vicariis foraneis, aut aliis ab Ordinariis Americae in locis a curiâ episcopali ultra duas dietas distantibus pro statu libero contrahentium eligendis* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Decretum dictae Congregationis.

§ 1. Pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici exponi nobis nuper fecit dilectus filius nobilis vir modernus comes de Altamira, eiusdem Caroli regis apud nos et Sedem Apostolicam orator, quod, cum ipse, dicti Caroli regis nomine, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium in universâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum a Sede praedictâ specialiter deputatorum exposuisset, ipsi Carolo regi innotuisse scandala in partibus Americae eidem Carolo regi subiectis vigentia, eo quia, Ordinariis earumdem partium indistincte omnes suos subditos matrimonium contrahere volentes ad probandum suum statum liberum in cuiuslibet eorum curiâ episcopali compellentibus, ii, qui a curiâ huiusmodi longe aberant, post conclusum matrimonii tractatum, sive quia testes, qui ad curiam praedictam accedere vellent, non inveniebant, sive quia pecuniis pro illuc deducendis testibus huiusmodi necessariis carebant, matrimonio minime celebrato, cum scandalo et peccato in mutuâ consuetudine et commercio perseverabant; ac proinde dictus comes memorati Caroli regis nomine Congregationi praefatae supplicasset, quatenus, ad eiusmodi inconvenientia tollenda, Ordinariis praedictis praeciperet, ut, quoad loca a curiâ episcopali ultra duas dietas distantia, parochialium ecclesiarum rectoribus, sive aliis personis sibi benevisis, facultatem recipiendi probationes super statu libero matrimonia contrahere volentium concederent, itaut, probationibus huiusmodi sic factis, ad matrimonii celebrationem deveniri valeret: emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Feriâ quartâ, die IX aprilis MDCXCVIII, in congregatione generali sanctae Romanae et universalis Inquisitionis habitâ in conventu S. Mariae super Minervam, coram eminentissimis et reverendissimis dominis S. R. E. cardinalibus in totâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis, lecto retroscripto memoriali, eminentissimi et reverendissimi domini cardinales generales inquisitores praedicti annuerunt praedictae instantiae, et mandarunt quod per dominos episcopos deputentur, ad hunc effectum, vel vicarii foranei, vel alii eis benevisi. IOSEPH BARTHOLUS sanctae Romanae et universalis Inquisitionis notarius ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, firmiora sint et serventur exactius illa quae apostolici muniminis praesidio roborantur, nobis propterea praedicti Caroli regis nomine supplicatum fuit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, piis eiusdem Caroli regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apo-

[1] De auctoritate vicariorum apostolicorum in Oriente vide constit. edit. MDCXCVII, die 6 februarii, pontif. VIII.

stolicae firmitatis robur adiicimus: salvà tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit, in futurum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis autoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticà dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III maii[1] MDCXCVIII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 3 maii 1698, pontif. anno VII.

---

## CLVIII.

*Confirmatur constitutio Iulii II pro unitate servandà in Ordine Carthusiensi, cum adiectione poenae excommunicationis in contravenientes*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Ad pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilis divinae bonitatis divitias evecti, ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, stabiliendae inter religiosos viros a saeculi turbis segregatos et Altissimi obsequiis sub laudabili strictioris observantiae instituto addictos tranquillitatis studio, provide atque sapienter constituta et ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata serventur, apostolici praesidii nostri patrocinio, cum id a nobis petitur, libenter corroboramus, illisque, ne temerario cuiusquam ausu violentur, novas sanctiones adiungimus, sicut conspicimus in Domino rationi esse consentaneum.

Epilogus dictae constitutionis, qua interdicitur omnis divisio in Ordine, sub poenis privationis et inhabilitationis. § 1. Aliàs siquidem pro parte tunc existentium prioris maioris domus Carthusiae Gratianopolitanae dioecesis et definitorum capituli generalis Ordinis Carthusiensis felicis recordationis Iulio Papa II praedecessori nostro exposito, quod, licet omnes domus dicti Ordinis citra et ultra montes ac ubilibet existentes, illarumque religiosi, sub unà obedientià videlicet prioris et definitorum praedictorum existerent, et quos una religio ac professionis vinculum alligaverat, nulla aemulatio, nulla praesidendi ambitio, aut quaevis alia causa ab invicem separare debuisset, sed charitatis vinculum in unitate pacis eos conservare; nihilominus, humani generis

1 Edit. Main. in textu habet *martii*, sed ad marg. legit *maii* (R. T.).

1 Priori Carthusiensi factum fuit praeceptum non egrediendi, constit. MDCXCII, die 4 novembris, pontif. II; et in Clementis XI constit. ed. MDCCXII, die II maii, pontif. XII, interdictus fuit esus carnium.

inimico procurante et instigante, contingere poterat quod aliqui religiosi Ordinis praedicti aliis obedientiis subiici tentassent, et ab eorum vero superiore et capite discedere, unde non solum illorum, sed etiam aliorum religiosorum eiusdem Ordinis animarum periculum evenisset, ipsaque religio in dies scissuram passa fuisset, ac successu temporis, quae, inter ceteras, asperioris seu strictioris observantiae existebat, paulatim ad laxiorem vivendi modum declinasset: idem Iulius praedecessor, supplicationibus eorumdem prioris et definitorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, quod omnes et singulae personae dicti Ordinis tunc et pro tempore existentes, cuiuscumque status et conditionis vel praeeminentiae essent vel fuissent, quae, per se, vel per alium, seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, procurassent aliquam divisionem in Ordine praedicto, seu exemptionem aliquam domorum ipsius Ordinis ac illius religiosorum a communi obedientiâ prioris et capituli generalis praedictorum, eo ipso omnibus obedientiis et officiis in eodem Ordine perpetuo privatae, et ad similia obedientias et officia perpetuo inhabiles existerent, ac omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, gratiis et indultis dicto Ordini et illius personis in genere vel in specie quomodolibet concessis et concedendis, sine spe rehabilitationis ad illa, perpetuo carerent[1], litteraeque apostolicae desuper impetrandae, gratiam seu iustitiam concernentes, nullius essent penitus roboris vel momenti, auctoritate apostolicâ perpetuo statuit et ordinavit, et aliàs, prout in ipsius Iulii praedecessoris litteris desuper, sub plumbo, anno Incarnationis dominicae MDVIII, XVI kalendas iulii, pontificatus sui anno V expeditis uberius continetur.

1 Edit. Main. legit *careret* (R. T.).

Confirmatio constitutionis Iulii et adiectio poenae excommunicationis.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Ioannes Maria de Rochefort, procurator generalis dicti Ordinis, nobis nuper exponi fecit, ipse, quo Ordo praedictus, in eâ, quâ[1] de praesenti gaudet et hactenus, benedicente Domino, gavisus fuit, unitate et integritate in perpetuum conservetur, ac quodcumque in eo scissurarum periculum in posterum avertatur, supradictas Iulii praedecessoris litteras per nos confirmari et innovari, eosque praeterea, qui illis contravenerint, graviorum poenarum metu coërceri plurimum desideret: nos, religiosae personarum Ordinis supradicti, quem in visceribus gerimus charitatis, quieti et tranquillitati peramplius consulere, ac ipsius Ioannis Mariae procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon memoratarum Iulii praedecessoris litterarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto habentes, supplicationibus eiusdem Ioannis Mariae procuratoris generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praedictas Iulii praedecessoris litteras cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus ac innovamus, illisque inviolabilis et irrefragabifirmitatis vim, robur et efficaciam adiun-

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

gimus; ac omnibus et singulis supradicti Ordinis religiosis, tam subditis quam superioribus, quocumque gradu, dignitate, officio vel praeeminentiâ praeditis, nunc et pro tempore existentibus, ne litteris praedictis, directe vel indirecte, sub quovis quaesito colore, praetextu vel ingenio, contravenire audeant quomodolibet seu praesumant, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua absolutionem nemo praeter nos seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutis, concedere valeat, harum serie districte prohibemus et interdicimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praedictis Iulii praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII iulii MDCXCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 23 iulii 1698, pontif. anno VIII.

---

## CLIX.

*Confirmatur et denuo erigitur Congregatio super disciplinâ regulari cum concessione facultatum et abolitione Congregationis super statu regularium*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Debitum pastoralis officii quo Ecclesiae catholicae per universum orbem diffusae regimini divinâ dispositione praesidemus, nos urget atque impellit, ut, paternam christifidelium, qui e fluctibus saeculi in portum vitae religiosae confugerunt, curam gerentes, ad ea, per quae regularis illorum observantia atque disciplina opportunis rationibus sartatecta custodiri, et, sicubi collapsa est, adiuvante Domino, reparari valeat, favorabiliter intendamus, concessaeque nobis a Domino potestatis partes studiosâ charitate desuper interponamus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, religionis incrementum, ac spiritualem populi christiani aedificationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Causae dictae confirmationis et novae erectionis.

§ 1. Cum itaque nos aliàs sanctum et salutare Ecclesiaeque Dei maxime fructuosum regularis[2] disciplinae instaurandae opus aggressi, Congregationem nonnullorum venerabilium fratrum nostro-

1 Erecta fuit Congregatio super disciplinâ regulari ab hoc Pontifice. Congregatio vero super statu regularium ab Innocentio X. Indicta fuit visitatio apostolica in Urbe ab hoc Pontifice constit. ed. MDCXCIII, die 11 ianuarii, pontif. II; et iterum a Clemente XI constit. ed. MDCCI, die 14 ianuarii, pontif. I.

2 Edit. Main. legit *regulari* (R. T.).

rum S. R. E. cardinalium ac dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum super eâdem disciplinâ regulari specialiter deputaverimus; ipsaque Congregatio sic deputata plura hactenus et quidem valde utilia atque opportuna hac in re decreta ediderit; verum, sicut non sine gravi animi nostri molestiâ accepimus, tametsi decretorum huiusmodi observantia in plerisque religiosorum virorum monasteriis seu conventibus prospere et feliciter introducta fuerit, atque exinde inibi ulterior in dies electi sanctorum operum frumenti messis benedicente Domino exurgat, non eosdem tamen alibi caeleste idem semen afferat fructus; neque enim cessavit, nec adhuc cessat humani generis hostis in agro Domini superseminare zizania, quae patrisfamiliâs sementem suffocant: hinc est quod nos, prophetici illius moniti memores: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam,* ut constans enixaque voluntas nostra inceptum opus huiusmodi peculiari studio summâque animi contentione prosequendi magis ac magis omnibus innotescat, omnisque transgressoribus vano falsoque silentii nostri praetextu sese excusandi occasio penitus praecidatur, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictam Congregationem cardinalium et praelatorum super disciplinâ regulari a nobis ut praefertur deputatorum, ac in futurum tam a nobis quam a successoribus nostris Romanis Pontificibus deputandorum, tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis et irrefragabilis apostolici muniminis vim, robur et praesidium adiungimus; et nihilominus eamdem Congregationem cardinalium et praelatorum super disciplinâ regulari denuo, quatenus opus sit, etiam perpetuo erigimus et instituimus. Ipsius autem Congregationis a nobis sic confirmatae seu de novo erectae facultates sint et esse debeant, intra fines Italiae et insularum adiacentium, designandi ac deputandi pro novitiatibus et professoriis conventibus [1], monasteria, collegia ac domos quorumcumque monachorum et regularium virorum cuiusvis Ordinis, congregationis, societatis et instituti, tam Mendicantium quam non Mendicantium, etiam necessario exprimendorum [2], necnon novitiatus et professoria huiusmodi mutandi, transferendi, suspendendi et supprimendi, prout utilitas et necessitas postulaverit ac exegerit; dandi licentias superioribus regularibus, ad quos pertinet, recipiendi in novitiatibus sic deputatis novitios ad habitum et professionem; decreta tum felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri super reformatione [3] regularium, ac praesertim ea quae institutionem et educationem novitiorum concernunt, tum ab ipsâ Congregatione super disciplinâ regulari die XVIII iulii MDCXCV iussu nostro edita exequendi; quascumque inde emergentes controversias decidendi, potissimum vero exactae vitae communis observantiam promovendi; atque, ad hunc effectum dumtaxat, novas quorumcumque conventuum, monasteriorum, collegiorum et domorum huiusmodi fundationes diligenter examinandi, ne ulla scilicet in posterum religiosorum virorum loca fundari, erigi, aut quovis modo institui contingat, nisi in quibus eadem vita communis, iuxta ultimodictorum decretorum praescriptum, perpetuo et exacte servari valeat; omnia demum et singula faciendi, ordinandi, decernendi,

1 Forsan *conventus* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *exprimendi* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *reformationem* (R. T.).

statuendi et exequendi, quae ad eamdem disciplinam regularem efficaciter stabiliendam sive restituendam quomodolibet pertinere possunt, et in praemissis omnibus etiam poenis et censuris ecclesiasticis procedendi. Ceterum (quia, sicuti nonnullorum Romanorum Pontificum praedecessorum etiam nostrorum vestigiis inhaerentes, regularibus Italiae insularumque adiacentium, utpote nobis propioribus, ac veluti ante oculos huius Sanctae Sedis constitutis, quosque proinde ceteris religiosae vitae exemplo praelucere maxime decet, praecipuam quamdam apostolici muneris nostri sollicitudinem impendendam esse duximus, ita reliquos omnes religiosos viros toto orbe diffusos nostraeque speciali curae subiectos minime negligendos putamus, tam enim iis, qui longe, quam illis, qui prope sunt, debitores nos esse cognoscimus) earumdem tenore praesentium praecipimus et mandamus et[1] praecipuum ac peculiare dictae Congregationis munus et cura sit nobis ac pro tempore existenti Romano Pontifici ea iugiter suggerere et proponere, quae pro eorumdem regularium ubicumque existentium, cuiuscumque Ordinis, congregationis, societatis aut instituti sint, fovendâ seu reparandâ disciplinâ, felicibusque illorum in viâ mandatorum Domini progressibus et laudabilibus studiis iuvandis necessaria et opportuna fore in Domino iudicaverit.

Abolitio Congregationis super statu regularium, eiusque facultates, quibusdam exceptis, conceduntur Congregationi episcoporum et regularium.

§ 2. Quoniam vero de praesenti etiam alia Congregatio nonnullorum venerabilium itidem fratrum nostrorum eiusdem S.R.E. cardinalium ac dilectorum pariter filiorum Curiae praedictae praelatorum super statu regularium nuncupata dudum a recolendae memoriae Innocentio X instituta ac Clemente IX Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter nostris respective confirmata reperitur, eique plures ex praedictis facultatibus, dictae Congregationi super disciplinâ regulari per nos sicut praemittitur concessis, attributae fuerunt, ne, aucto eiusmodi Congregationum numero, rectum agendi ordinem confundi, atque inde regulares viros nimis distrahi, adeoque ipsos ex iis, quae pro salubri prosperâque illorum directione provide ac sapienter instituta fuerunt, perniciem potius et incommodum, quod absit, experiri contingat, dictam Congregationem super statu regularium, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, harum serie similiter perpetuo extinguimus, supprimimus et abolemus; omnes vero, et singulas facultates ipsi Congregationi super statu regularium quomodocumque et quandocumque concessas, iis dumtaxat exceptis quas memoratae Congregationi super disciplinâ regulari, sicut praemittitur, impertiti fuimus, in Congregationem venerabilium etiam fratrum nostrorum dictae S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositam perpetuo itidem transferimus et transportamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, etiam cardinalatus honore fulgentes, et aliàs specificâ et individuâ mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ quacumque etiam quantumvis iuridicâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso,

1 Aptius lege *ut* pro *et* (R. T.).

etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno ac formali et substantiali individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, modificari, retractari, in controversiam revocari, seu ad terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime et perpetuo suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum, congregationum, societatum et institutorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus, societatibus et institutis, illorumque superioribus et personis, ac aliis quibusvis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, vel aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem ubique fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV

augusti MDCXCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 4 augusti 1698, pontif. anno VII.

---

## CLX.

*Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium de interventu generalis, provincialium et rectorum cum discretis in capitulis provincialibus Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Relatio dicti decreti.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Iosephi Bellisen, procuratoris generalis Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod (licet aliàs in quadam causâ Parisiensi, concordatis [2] dubiis: 1° an capitulum provinciale Parisiense esset validum; 2° an determinatio vocalium facta in constitutionibus pro capitulo provinciali esset approbanda, ipsi Congregationi cardinalium respondere placuisset: Ad 1um sustineri; ad 2um negative, excepto generali actuali) nihilominus illa verba *excepto generali actuali*, nisi clare referrentur ad eos qui debebant interesse capitulo provinciali, et ad eos qui ab eodem capitulo debebant excludi, secum ferebant aliquam dubietatem, an scilicet determinatio vocalium facta in constitutionibus pro capitulo provinciali huiusmodi eligenda [3] esset approbanda tantum in personâ generalis actualis, non vero in aliis vocalibus qui erant in eàdem determinatione constitutionum, nempe in provinciali, rectoribus et discretis, cum tamen mens eiusdem Congregationis cardinalium fuisset tamen [1] excludere ab hac determinatione commissarium, exgenerales omnes et exprovincialem immediatum; ideoque pro parte dicti Iosephi procuratoris generalis eidem Congregationi cardinalium supplicato, ut, ad effectum condendi legem claram, ac dandi quietem supraedictae Congregationi Doctrinae Christianae, explicite determinare dignaretur, quod in posterum in capitulo provinciali interessent tantum, et quidem per se, generalis actualis, provincialis, ac rectores omnes cum suo quisque discreto a capitulo conventuali, ubi sex vocales resedissent, eligendo, quandoquidem hi omnes, exclusis commissario, exgeneralibus et exprovincialibus, remanebant in determinatione factâ in constitutionibus, et id erat quod ab omnibus petebatur ad pacem conciliandam, et ut lex remaneret clara et inconcussa, ita tamen ut in reliquas constitutiones praedictae Congregationis Doctrinae Christianae minime approbatae intelligerentur [2]: emanavit a praedictâ Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, censuit ac declaravit, quod in capitulis provincialibus interesse poterunt generalis actualis, provincialis et rectores omnes cum suo quisque discreto, a capitulo conventuali, ubi sex vocales residebunt, eli-

1 In const. ed. MDCXCVII, die 23 martii, pontif. VI, agitur de abrogatione discretorum; et in Clementis XI const. ed. MDCCVIII, die 25 iunii, pontificatus VIII, de voce definitoris adiuncti.

2 Forsan *propositis* (R. T.).

3 Forsan *eligendo* (R. T.).

1 Videtur legendum *tantum* (R. T.).

2 Videtur legendum *minime approbata intelligeretur* (R. T.).

gendo. Romae VI septembris MDCXCVII. — G. cardinalis CARPINEUS. *Loco † sigilli.* — A. archiepiscopus Athenarum secretarius ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut praedictus Iosephus prior generalis nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis Doctrinae Christianae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX augusti MDCXCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 9 augusti 1698, pontif. an. VIII.

---

## CLXI.

*Aboletur venalitas officii camerariatus S. R. E., cum dismembratione quamplurium eius redditiuum, Camerae Apostolicae et aromatariae pro pauperibus Urbis adscriptorum* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Ad Romani Pontificis, quem constituit Dominus super familiam suam, ministerium pertinet, ut, post multas et graves pastoralis officii curas, ad temporalium

1 Inter plures concessiones factas camerario praesertim est illa Gregorii XV constit. edit. MDCXXI, die 6 maii, pontif. I; in huius Pontificis const. edit. MDCXC, die 15 martii, pontif. I, restituti fuere fructus vicecancellario; in const. ed. MDCLXXXII, die 23 octobris, pontif. II, abolita fuit venalitas auditoris, thesaurarii, duodecim clericorum et praesidentis Camerae; et in const. edit. MDCXCIX, die 30 februarii, pontif. IX, agitur de datis et promissis pro iustitiâ vel gratiâ.

quoque sanctae Romanae Ecclesiae bonorum custodiam vigilet, et Camerae Apostolicae, per quam quotidianis pro conservatione Ecclesiasticae Ditionis oneribus et communibus etiam christianae reipublicae necessitatibus subvenitur, profectui et commodis, tamquam fidelis dispensator et prudens, habitâ etiam de pauperibus, quorum Ecclesiae res patrimonium sunt, providâ ratione prospiciat; sicque resecatis, absque dignitatis imminutione, quae in Romanae Curiae maioribus etiam officiis superflua videri possunt, fiat unius abundantia multorum inopiae supplementum.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Cum itaque vetus ac praeclarum nostri S. R. E. camerariatus officium, quod per obitum bonae memoriae Palutii, dum vixit, episcopi Portuensis, S. R. E. cardinalis de Alteriis nuncupati, vacavit, et vacat in praesens, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum concessione multiplici, ac praesertim felicis recordationis Gregorii XV, anno Incarnationis dominicae MDCXXI, pridie nonas maii, pontificatus sui anno I desuper expeditis litteris, ultra quamplura privilegia et facultates atque praerogativas, pinguibus redditibus et emolumentis hactenus abundare consueverit, quae quidem ex eo maxime decursu temporis excrevisse noscuntur, quod olim camerariatus huiusmodi inter Romanae Curiae officia venialia recensebatur, cuius propterea ingenti pretio congruebat redditnum affluentiam respondere: nos, qui, ne in posterum causarum curiae Camerae nostrae Apostolicae auditoratûs ac thesaurariatûs generalium necnon clericatuum et praesidentatûs officia recepto pretio concederentur, aliàs editâ constitutione nostrâ sancivimus, eoque magis a praedicto camerariatûs officio, quod personis amplissimâ cardinalatûs dignitate fulgentibus tribui solet, omnem venalitatis ac pretii mentionem arceri consultius arbitramur, eidem Camerae nostrae, quae iam a longo tempore liberalibus ac gratioribus eorumdem Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum condonationibus intervenientibus pretii commodum non recepit, et multis aliàs oneribus praegravatur, indemnitati consulere congruum duximus, simulque, Sapientis illud *Honora Dominum de tuâ substantiâ* monitum adimplendo, in aliquod pium opus, huic almae Urbi nostrae maxime necessarium, praefatorum portionem fructuum erogare.

Abolitio venalitatis dicti officii motu proprio facta.

§ 2. Quapropter, habito super his nonnullorum dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum, probitate, doctrinâ, rerumque usu praestantium, consilio, atque etiam motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, praedicti camerariatûs officii venalitatem omnem penitus et omnino supprimimus, extinguimus et abolemus, illudque deinceps absque ullâ prorsus pretii interventione, virtutis ac meritorum dumtaxat intuitu, conferri decernimus et mandamus.

Dismembratio emolumentorum.

§ 3. Omnes autem praefati camerariatus officii fructus, redditus, proventus, regalia, salaria, iocalia, responsiones, obventiones, aliaque cuiusvis generis emolumenta, tam ordinaria quam extraordinaria, quocumque nomine nuncupata et undecumque provenientia, ad camerarium pro tempore existentem, tam Sede Apostolica plenâ quam vacante, quomodolibet pertinentia, et ab eo percipi solita, ab eodem camerariatûs officio, salvâ dumtaxat infrascriptâ reservatione, harum serie penitus et omnino dismembramus ac separamus, et pro dismembratis ac separatis haberi volumus et mandamus.

Confirmantur camerario privilegia omnia et emolumenta ex sigillo.

§ 4. Porro, ut memorati officii amplitudo eâ qua decet auctoritate et honorificentiâ conservetur, simulque expensarum ipsi incumbentium necessitati de alicuius subventionis auxilio provideatur, privilegia, facultates, praerogativas, praeeminentias, antelationes, exemptiones, immunitates, iurisdictiones, gratias et indulta omnia, quae camerario praedicto pro tempore existenti, tam ex praefatorum Pontificum praedecessorum nostrorum concessione, quam ex legitimâ et approbatâ consuetudine, aut aliàs quomodolibet, competebant, et quibus Palutius episcopus cardinalis et camerarius praefatus usus, potitus et gavisus fuit, seu uti, potiri et gaudere debuit (exceptâ tamen facultate conferendi seu providendi officia in praefatis Gregorii praedecessoris litteris enumerata, super quibus omnibus et singulis, eaque in futurum conferendi formâ, specialiter providere intendimus, salvisque aliis infra dicendis) eidem camerario pro tempore existenti in omnibus et per omnia, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, earumdem tenore praesentium, praeservamus, confirmamus et innovamus, eique omnia et quaecumque emolumenta ex sigillo eiusdem officii provenientia et hactenus percipi solita, cum suis honoribus et oneribus plenarie reservamus, et, quatenus opus sit, denuo concedimus et attribuimus.

Ex aliis emolumentis nonnulla pro dote dictae aromatariae assignantur.

§ 5. Quoniam vero, quemadmodum, ab ipso suscepti a nobis apostolatûs initio, pauperum, qui domini nostri Iesu Christi personam sustinent, necessitatibus sublevandis, invalidorum hospitium apostolicum erigendo, et, iuxta Prophetae consilium, egenos vagosque in domum nostram inducendo, necnon puerorum ac puellarum institutioni simul et indigentiae prospiciendo, pastoralis nostrae sollicitudinis ministerium impendimus, ita ceteras gravesque dictae Urbis necessitates, urgente nos iugiter pastoralis officii debito, oblivisci non possumus: propterea, miseriam inopum et gemitum pauperum, praesertim infirmitate corporis laborantium, qui ad nosocomia, quibus eadem Urbs, benedicente Domino, abundat, transportari commode nequeunt, quantum cum Domino possumus, sublevare volentes (attento quod Palutius episcopus et cardinalis et camerarius praedictus, qui etiam archiconfraternitatis Ss. XII Apostolorum de Urbe protector existebat, inter cetera pietatis et christianae charitatis officia publicam aromatariam seu medicamentorum officinam pro pauperibus, a similis memoriae Francisco, dum vixit, episcopo Ostiensi, eiusdem S. R. E. cardinali Barberino nuncupato, dictae archiconfraternitatis itidem protectore, proprio aere primum erectam instructamque, ac per plures annos usque ab obitum de necessariis provisam, suis pariter sumptibus providebat et substentabat), ut tam pii operis firmitati perpetuae dotis constitutione consultum sit, ex praefatis emolumentis atque proventibus, ut praefertur, a camerariatûs officio dismembratis, omnia et singula, quae tam ex massâ collegii notariorum Camerae nostrae apostolicae, quam ex collectoriis in regno Hispaniae, Lusitaniae et Neapolis ac universâ Italiâ, vigesima nuncupata, quaeque ad rationem duorum pro centenario super spoliis, fructibus et emolumentis omnibus dictarum et aliarum collectoriarum ubicumque institutarum et instituendarum, ac etiam occasione decimarum impositarum et imponendarum quarumcumque, sive subsidiorum earum[1] loco suppositorum et supponendorum, camerario praefato pro

1 Edit. Main. legit *eorum* (R. T.).

tempore obveniebant, et ab eo percipi consueverant (in eo tamen statu quo de praesenti sunt atque erunt in futurum, itaut, ob quamcumque eorum diminutionem quantumvis maximam atque etiam totalem et integram deficientiam[1], ad aliquod supplementum Camera praedicta nullo unquam tempore teneatur) eidem aromatariae seu officinae, sub praefatae archiconfraternitatis eiusque prioris ac deputatorum pro tempore existentium administratione, earumdem tenore praesentium perpetuo donamus, concedimus et assignamus.

Reliqua vero emolumenta restituuntur Camerae cum quadam dismembratione a tribunali viarum.

§ 6. Reliquos autem omnes cameratiatûs officii praefati fructus, redditus ac proventus, ut supra dismembratos, Camerae supradictae, debitis tamen iisdem annexis, atque antea camerario praedicto ratione fructuum, redditnum et proventuum huiusmodi incumbentibus oneribus per eam congrue supportatis, motu, scientiâ, deliberatione ac potestatis plenitudine similibus, harum serie perpetuo itidem restituimus, reunimus, applicamus et incorporamus. Ac signanter omnia et singula emolumenta seu praestationes praedicto camerario pro tempore existenti ex rebus venalibus seu stationum pro venditoribus locatione, aut aliâs, in foro agonali, solitis detractis oneribus, quomodolibet competentia, et ab eo percipi hactenus consueta, quae aliâs per nos dudum editâ constitutione tribunali et magistratui viarum sub curâ pro tempore existentis illarum praesidis restituta, unita et incorporata fuerant (cum experientiâ compertum sit, ex gratiis et concessionibus in eâdem constitutione contentis, et successive diligentiori praefati tribunalis regimine, satis eiusdem necessitatibus esse consultum), praeviâ eorumdem emolumentorum ab eodem tribunali ac magistratu, et, quatenus opus sit, novâ etiam a praefato camerariatûs officio dismembratione, nec non antedictae constitutionis nostrae, hac in parte dumtaxat, derogatione (ceteris omnibus in eâdem constitutione dispositis, ac praesertim iurisdictione tribunalis eiusdem, necnon facultate locandi, de consensu tamen commissarii generalis memoratae Camerae pro tempore existentis, in suo robore permansuris), eidem Camerae nostrae perpetuo pariter unimus, annectimus et incorporamus.

Clausulae.

§ 7. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis[1] contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefati praeses et magistri viarum, seu alii eiusdem tribunalis ac magistratûs officiales, et alii quicumque in praemissis quomodolibet interesse habentes seu habere praetendentes, eisdem praemissis non consenserint, aut vocati seu auditi non fuerint, tametsi suorum indultorum seu privilegiorum vigore consentire, vocari seu audiri semel vel pluries quoquomodo debuissent, aut ex aliâ quacumque quantumvis iuridicâ, privilegiatâ causâ, de ullo subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, alioque quocumque etiam quantumvis magno, formali et substantiali defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, nullatenus posse, sed semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, et âb omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque et quomodocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque

1 Edit. Main. legit *deficientem* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *ea* pro *eis* (R. T.).

et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate, praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S.R.E. camerarium, et alios cardinales etiam de latere legatos, dictaeque Camerae praesidentes clericos et alios officiales et ministros quoscumque, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, praedictis Gregorii praedecessoris et nostris super confirmatione et concessione facultatum magistratûs viarum litteris, et, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, aliisque nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, necnon felicis recordationis Symmachi, Pauli II, Pauli IV, necnon aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum predecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae et Camerae praefatae non alienandis, et male alienatis recuperandis, aliisque non obligandis, ac recolendae memoriae Pii Papae IV similiter praedecessoris de gratiis qualecumque Camerae Apostolicae interesse concernentibus in dictâ Camerâ intra certum tempus praesentandis ac registrandis, itaut praesentes litteras ibidem praesentari aut registrari nunquam necesse sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Camerae, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, regulis et consuetudinibus ac decretis, etiam cameralibus et concistorialibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eiusdem[1] camerario, Camerae, tribunali, magistratui et officialibus praefatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam motu et potestatis plenitudine similibus, aut aliàs quomodolibet per nos et Romanos Pontifices praedecessores nostros in contrarium eorumdem praemissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis et innovatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma adhoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene ac sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, harum serie, specialiter et expresse, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, derogamus et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostram[1] suppressionis, dismembrationis, praeservationis, confirmationis, reservationis, concessionis, applicationis, incorporationis, intentionis, decreti, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Ma-

1 Forsan *eisdem* pro *eiusdem* legend. (R. T.).

1 Forsan *nostrarum* vel *nostrorum* (R. T.).

iorem, anno Incarnationis dominicae MDCXCVIII, IV idus augusti, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 10 augusti 1698, pontif. anno VIII.

---

## CLXII.

*Reformantur constitutiones Clementis VIII et Pauli V super regimine S. Domus et civitatis Lauretanae*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**Servus Servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium a causis huius constitutionis petitum.

Sacrosancta redemptionis humanae mysteria, quibus et christianae religionis primordium, et universae per orbem Ecclesiae dignitas, et ipsa Romani Pontificis Christi vicarii apostolica celsitudo consurgit, quemadmodum ad intimum doloris sensum ex sanctorum locorum, in quibus ea Dominus noster operari dignatus est, sub infidelium tyrannide gentium consideratione nos provocant (iamdiu enim est quod venerunt gentes in haereditatem Domini, polluerunt templum sanctum eius, et posuerunt civitatem sanctam Ierusalem in opprobrium et direptionem); ita ad sacra eiusdem redemptionis nostrae monumenta, quae, divinâ largiente gratiâ, sub christianorum potestate, ac potissimum sub temporali S. R. E. ditione reperiuntur, eo studiosius custodienda atque impensius veneranda pontificiam nostram sollicitudinem excitant et impellunt. Sane, cum sacrum illud cubiculum, seu S. Domum *Lauretanam* nuncupatam, ubi primum gloriosissima Dei genitrix ac semper virgo Maria, quasi aurora consurgens, praeclarâ nativitate suâ gaudium annuntiavit universo mundo, ac ubi Unigenitum Dei Filium S. Spiritus obumbratione concepit, insigni miraculo ac angelorum ministerio ad Picaeni nostri provinciam transportatum, universus christianus orbis, veluti primum tabernaculum Dei cum hominibus, iam a pluribus saeculis veneretur in terris, et omnipotens de caelis Deus assiduâ miraculorum frequentiâ illustrare non cesset: nos, erga tam sacrosanctam Domum mentis nostrae aciem simul et cordis affectum[1] convertentes, in eam libentissime curam incumbimus, ut, remotis iis quae dissidia et offensiones parere quoquo modo possent, felici prosperoque praefatae S. Domus, et Lauretanae nostrae, quae velut in atriis eiusdem domus Domini posita est, civitatis regimini, Romanorum etiam Pontificum praedecessorum nostrorum aliàs desuper editis constitutionibus, ubi opus fuerit, reformatis et immutatis, apostolicâ providentiâ consulamus.

A Clemente VIII castrum Lauretanum subiectum fuit protectori S. Domus; cui Paulus V tribuit iurisdictionem quasi episcopalem.

§ 1. Aliàs siquidem plures Romani Pontifices praedecessores nostri, ob eximium religionis zelum atque in Deiparam Virginem devotionis affectum, quamplurimis eamdem S. Domum privilegiis, indultis, gratiis et praerogativis condecorarunt, et signanter felicis recordationis Clemens[2] Papa VII praedecessor noster inter cetera castrum Lauretanum eiusque habitatores, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, curae, gubernio, administrationi et regimini, cum mero et mixto imperio et gladii potestate, commissario seu protectori dictae S. Domus submisit et demandavit; ac novissime recolendae memoriae Paulus Papa V, etiam praedecessor noster, volens

1 Clementis VII et Pauli V constitutiones infra citantur. In Benedicti XIII const. ed. MDCCXXI, die 13 septembris, pontif. I, conceditur custodi S. Sepulchri facultas conferendi sacramentum confirmationis, et constit. ed. MDCCXXVI, die 19 octobris, pontif. III, agitur de locumtenente generali Ravennatensi.

1 Edit. Main. legit *effectum* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *Clementis* (R. T.).

diversis litibus et contentionibus, quae inter episcopum Lauretanum et protectorum praefatae Domus exortae fuerant et oriri possent, in posterum obviare, utque eadem S. Domus Lauretana, eiusque officiales et ministri quicumque, necnon bona, res et iura ad eam pertinentia melius et facilius gubernarentur, eidem S. Domui, seu sancto cubiculo Lauretano, solum seu pavimentum, tam eiusdem sancti cubiculi seu sanctae capellae, quam circumcirca usque ad columnas et scalas inclusive contentum, in territorium proprium distinctumque et separatum nullius[1] dioecesis, in quo de cetero solus eiusdem S. Domus protector pro tempore existens, eiusque gubernator, privative quoad episcopum Lauretanum, etiamsi S. R. E. cardinalis existeret, iurisdictionem omnimodam et quasi episcopalem habere et exercere possit, perpetuo constituit et assignavit; ipsamque domum seu capellam magnam et parvam nuncupatam, ac pavimentum et territorium praedictum, eiusque gubernatorem, officiales, ministros, et quoscumque alios tam laicos quam clericos et regulares eidem S. Domui, seu capellae, eiusque bonis quomodolibet inservientes, necnon eorumdem officialium, ministrorum, aliorumque inservientium familias, servitores et famulos, et quoscumque cuiusvis generis, conditionis et praeeminentiae peregrinos ad eamdem sanctam capellam seu ecclesiam Lauretanam confluentes, necnon eiusdem S. Domus palatia, aedificia, possessiones et praedia quaecumque, et reliqua bona, tam stabilia quam mobilia et semoventia, ubicumque existentia, supellectilia etiam pretiosa, pecunias, eleemosynas, donationes, et quaecumque relicta, ab omni et quacumque episcopi Lauretani superioritate et iurisdictione, dominio ac potestate perpetuo, plenissime, penitus et omnino exemit et liberavit, ac sub beati Petri et Sedis Apostolicae protectione speciali suscepit; omnimodamque iurisdictionem ecclesiasticam et spiritualem et quasi episcopalem in praefatam S. Domum, eiusque territorium, ministros, officiales, aliosque inservientes, ac peregrinos, resque, bona ac iura praedicta, eidem pro tempore protectori subiecit et adiudicavit, variis eidem protectori, tam circa vicarii curati deputationem, quam circa dimissorialium litterarum concessionem, aliaque quamplurima, privilegiis et facultatibus attributis, prout in praefatorum Clementis in formâ Brevis sub die XIII ianuarii MDXXIV, pontificatus sui anno I, et Pauli, praedecessorum, sub plumbo, anno Incarnationis dominicae MDCXX, pridie idus iulii, pontificatus sui anno XVI, respective expeditis litteris, uberius continetur.

§ 2. Nos vero, provide considerantes ex huiusmodi formâ regiminis non eam, quae sperabatur, utilitatem provenisse, quin potius experientiâ, et quamplurium ad apostolatum nostrum perlatis querelis atque recursibus, certiores effecti, imminutâ nimis episcopi potestate, disciplinam ecclesiasticam paulatim dissolvi, necnon cleri populique mores, auctâ exemptorum multitudine, relaxari, non sine frequentibus praelatorum ac subditorum perturbationibus, itaut, quod aliàs in praefatae sanctae capellae decus et commodum ab iisdem Clemente et Paulo praedecessoribus salubriter constitutum fuerat, iam temporum varietate, ac fortasse hominum malitiâ, in eiusdem noscatur vergere detrimentum, habitâ super his cum nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus et dilectis filiis Romanae Curiae praelatis deliberatione maturâ, praefatas praede- Causae huius constitutionis.

1 Edit. Main. legit *nullus* pro *nullius* (R. T.).

cessorum litteras, earum tenores etiam veriores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione ad formam et terminos infra exprimendos moderamur, reducimus, restringimus et immutamus.

Confirmantur privilegia S. Domui a Paulo V concessa.

§ 3. Ac primo quidem, cupientes praefatae sanctae capellae seu domui, ubi Verbum caro factum est, praeeminentiam omnem, decus et honorificentiam conservari, nec ullâ ex parte imminui, quin potius uberioribus gratiis et privilegiis amplificari, diligimus enim decorem domus Dei, et quam maximam possumus gloriam nomini eius afferre satagimus in aulâ sanctâ eius, eidem S. Domui territorium proprium ac separatum, atque ab omni Ordinarii iurisdictione exemptum, et quasi episcopale, in praefatis Pauli Papae V praedecessoris nostri litteris assignatum, tenore praesentium confirmamus et approbamus, idemque territorium unâ cum omnibus praefatae S. Domus ministris et officialibus, aliisque personis ei quomodolibet intervenientibus, vel ad eam ex qualibet mundi parte devotionis gratiâ confluentibus, eiusque[1] quibuscumque ubilibet existentibus, ad formam praefatarum Pauli praedecessoris litterarum, ab omni et quacumque Ordinarii iurisdictione iterum ac plenissime et penitus eximentes (praefato protectoris, quod, per obitum bonae memoriae Palutii, dum vixit, episcopi Portuesis S. R. E. cardinalis de Alteriis nuncupati, de praesenti vacat, officio, dignitate, titulo, ac denominatione perpetuo suppressis ac prorsus de medio sublatis), sub beati Petri nostrâque et Sedis Apostolicae speciali et immediatâ protectione suscipimus.

Conceditur omnis iurisdictio in S. Domum et civitatem Congregationi Lauretanae nunc erectae.

§ 4. Omnem vero et quamcumque iurisdictionem, tam ecclesiasticam et spiritualem ac quasi episcopalem, quae in eamdem S. Domum, eiusque territorium, officiales, ministros, peregrinos, ac bona praedicta, quam saecularem sive laicalem in communitatem, homines et civitatem nostram Lauretanam, eiusque comitatum atque districtum, ut supra, protectori pro tempore S. Domus eiusdem, sive ex praefatis Clementis ac Pauli, sive aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus, indultis, privilegiis, aut aliàs quomodolibet, competebat, quandoquidem ei Romani Pontifices per se ipsos, apostolicae servitutis curis et omnium ecclesiarum sollicitudine praegravati, vacare non possunt, exerceri in posterum statuimus et mandamus per Congregationem nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium necnon dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum, *Lauretanam* nuncupandam, quam ad hunc effectum tenore praesentium erigimus, instituimus et specialiter deputamus. Eidemque Congregationi, ut, semel et pluries et quoties sibi videbitur et placebit, quaecumque statuta et ordinationes pro felici praedictae S. Domus eiusque bonorum ac personarum eidem inservientium regimine, sacris tamen canonibus et Concilii Tridentini decretis non adversantia, et signanter quoad numerum ministrorum et officialium eiusdem S. Domus privilegiis et exemptionibus gaudentium, quem per eamdem Congregationem omnino reformari et ad solos necessarios restringi volumus, ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observanda, condere, edere et publicare, illaque mutare, alterare, cor-

1 Videtur deesse *bonis* (R. T.).

rigere et emendare, prout in Domino salubriter expedire cognoverit, concedimus et indulgemus. Quo vero praefatarum S. Domus et civitatis regimen melius, distinctius, omnique, quantum fieri potest, litium et contentionum remoto periculo, administretur, omniaque honeste et secundum ordinem fiant, volumus et mandamus ut Congregatio praefata, in spiritualibus quidem, quae scilicet ad ecclesiae cultum, chori servitium, divinorum celebrationem, animarum curam, sacramentorum administrationem, morum correctionem, aliaque huiusmodi pertinent, episcopi Lauretani pro tempore existentis, tamquam Sedis Apostolicae delegati, in iis vero quae quorumcumque bonorum eiusdem sanctae capellae temporalem administrationem, necnon dictae civitatis Lauretanae eiusque comitatûs atque districtûs, tam in causis civilibus quam criminalibus seu mixtis, gubernium saeculare concernunt, Romanae Curiae praelati, in gubernatorem a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice deputandi, operâ et ministerio uti debeat. Ac propterea tam domorum aedificiorumque omnium fabricam et manutentionem, quam suppellectilium cuiuscumque generis, paramentorum, gemmarum, aliorumque iocalium, quae sub thesauri nomine nuncupantur, necnon eleemosynarum et largitionum quarumlibet custodiam, atque etiam montis pietatis, nosocomii, hospitii et triclinii pro pauperibus peregrinis superintendentiam, gubernatoris praefati curae committenda[1] esse, ministros vero supradictis locis rebusque inservientes, si clerici fuerint, in concernentibus dumtaxat eorum ministerium, gubernatori praefato, in reliquis autem, episcopo Lauretano tamquam Sedis Apostolicae delegato, organistam demum cantoresque quoscumque eiusdem S. Domus, quoad correctionem morum ecclesiaeque servitium, episcopo, in ceteris gubernatori subesse debere decernimus et declaramus.

Ecclesiae S. Domus in aliis dioecesibus sitae subiiciuntur Ordinariorum iurisdictioni cum dependentia a Congregatione.

§ 5. Quoniam vero nonnullae ecclesiae seu beneficia etiam curata, praefatae S. Domui seu capellae unita, annexa vel ab eâ dependentia, non in Lauretanâ solum, sed in quampluribus etiam aliis dioecesibus reperiuntur, ut earumdem ecclesiarum beneficiorumque bono regimini rectaeque administrationi consultum sit, easdem ecclesias, earumque rectores, aliosque ministros quoscumque, episcoporum, aliorumque ordinariorum, in quorum respective dioecesibus sita sunt, tamquam Sedis Apostolicae delegatorum, iurisdictioni, visitationi et correctioni, sub Congregationis tamen ut supra a nobis erectae[1] regimine et omnimodâ dependentiâ, subesse volumus et mandamus; idemque prorsus quoad omnes et singulos colonos sive officiales eiusdem S. Domus extra dioecesim Lauretanam ubilibet existentes, ad debitum tamen numerum ut supra reducendos, servari statuimus. Beneficia autem praedicta et alia quaecumque, cum curâ et sine curâ, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, qualitercumque qualificata, et ubicumque existentia, quae ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem et quamvis aliam dispositionem praefatae S. Domus pro tempore protectoris quomodolibet pertinebant, ordinationi, dispositioni et provisioni nostrae et Sedis Apostolicae perpetuo reservamus.

Ius declarandi hanc constitutionem Congregationi tribuitur.

§ 6. Si quid vero circa praesentis nostrae constitutionis observantiam, interpretationem, sive declarationem, ullo unquam tempore controverti aut dubitari contigerit, id omne praefatae Con-

1 Vel *committendam* vel *committendas* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *rectae* (R. T.).

gregationis, a nobis ut supra institutae, iudicio, cui propterea omnem desuper facultatem necessariam et opportunam concedimus et impartimur, declarandum, decidendum definiendumque esse, necnon, quâcumque appellatione, recursu, nullitatis dictione remotis, ab omnibus servandum omnino, districte praecipimus et mandamus.

Clausulae. § 7. Decernentes, praesentes litteras, etiam ex eo quod episcopus, capitulum et clerus aut communitas et homines praefatae civitatis nostrae Lauretanae, ac alii quicumque in praemissis quomodolibet interesse habentes seu habere praetendentes, eisdem non consenserint, aut vocati seu auditi non fuerint, aliàque quavis de causâ, quamtumvis legitimâ et iuridicâ, de ullo subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, vel in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci nullatenus posse, sed semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere, et ab eis, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super omnibus et singulis praemissis, vel circa ea, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 8. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, praemissis Clementis et Pauli praedecessorum huiusmodi et aliis quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in synodalibus et provincialibus et universalibus conciliis editis, innovatis et confirmatis, nostrâque de iure quaesito non tollendo, aliisque Cancellariae Apostolicae regulis, ac dictarum S. Domus et ecclesiae et civitatis Lauretanae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis S. Domui praefatae illiusque protectori pro tempore existenti concessis, et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, necnon etiam ceteris omnibus et singulis quae in praeinsertis litteris ipsi praedecessores voluerunt minime obstare; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis et individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, ad effectum praesentium, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis. § 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae moderationis, confirmationis, exemptionis, suspensionis, erectionis, concessionis, declarationis, reservationis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipo-

tentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCXCVIII, IV idus augusti, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 10 augusti 1698, pontif. anno VIII.

---

## CLXIII.

*Confirmatur concordia circa divisionem coenobiorum et alternativam officiorum inter fratres provinciae Narbonae et Burgundiae Ordinis eremitarum S. Augustini* [1].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Exordium. Redemptoris et domini nostri Iesu Christi, qui veritas est et Deus pacis, vices, licet immeriti, gerentes in terris, ea, quae inter christifideles quoscumque, ac praesertim divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatos, quos potissimum in fraternae charitatis quiete vota sua Altissimo reddere decet, amabilis concordiae studio provide prudenterque conventa esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, apostolici muniminis nostri praesidio, cum a nobis petitur, libenter constabilimus.

Causae dictae concordiae. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae Narbonae et Burgundiae Ordinis eremitarum sancti Augustini, quod, cum dicta provincia sub nomine religiosorum Narbonensium et Burgundorum in contraria studia scinderetur, ipsi exponentes, quo controversiis inter eos inde exortis, quae a quatuor circiter annis provinciae praedictae quietem perturbabant, finis imponeretur, paxque et tranquillitas eidem provinciae restitueretur, ac restituta stabiliretur, curâ et operâ venerabilis fratris moderni archiepiscopi Lugdunensis ad conventionem seu concordiam (reservato tamen desuper nostro et Apostolicae Sedis beneplacito) inter se devenerunt, per quam videlicet in primis quinam provinciae huiusmodi conventus intra Narbonae et quinam intra Burgundiae limites contineantur, ac deinde circa alternativam inter fratres Narbonenses et Burgundos praefatos quoad officia ipsius provinciae perpetuo servandam, sub diversis capitulis et conditionibus conventum fuit, prout continetur in scripturâ desuper emanatâ tenoris qui sequitur, videlicet:

Concordia inita anno MDCXCVII. « Infrascripti religiosi provinciae Narbonae et Burgundiae Ordinis sancti Augustini, patres scilicet Vincentius Ladet, sacrae facultatis Parisiensis doctor theologus et eiusdem provinciae provincialis, Andreas Belpel, pariter doctor Parisiensis et conventus Lugdunensis prior, Iacobus Massabuon, baccalaureus in theologiâ et dictae provinciae definitor, ex unâ parte procurationem habentes a superioribus partis Narbonae, et patres Hyacinthus Ducaissiere, doctor theologus et primus definitor, Emmanuel Lebon, doctor Parisiensis et pariter definitor, Nicolaus de Montal, doctor theologus et primus visitator, ex aliâ pariter parte procurationem habentes a superioribus partis Burgundiae, per admodum reverendum patrem Carolum de Bricard commissarium generalem congregati, iuxta ordinem ipsi datum ab illustrissimo archiepiscopo Lugdunensi, super futuri capituli celebratione, die XXIII mensis augusti anni MDCXCVII, coram domino archiepiscopo in suo palatio archiepiscopali, de sequentibus ar-

[1] In Innocentii XI const. ed. MDCLXXVIII, die 26 ianuarii, pontif. II, agitur de alternativâ in provinciâ Quitensi; et in Clementis XI const. ed. MDCCIV, die 19 aprilis, pontif. IV, de alternativâ in provinciâ Portugalliae.

ticulis convenerunt. Primo, quod intra limites partis Narbonensis contineantur et includantur conventus Monspesulanus, Biterensis, Narbonensis, Monstaniacensis, Nemausensis, Perpiniacensis, Voltensis, S. Ginnesii, Morologiensis, S. Romani a Terno, cum titulis priorum Podisseratensis et Tononensis; et quod intra limites partis Burgundiae contineantur et includantur conventus Lugdunensis, Cremiacensis, Seciliensis, S. Petri Albiniacensis, Turrigiensis, S. Amoris, Molvelliensis, Morestelliensis, Belllipariensis, Gannatensis, Eneziacensis, Monsrevellensis, Pignerolensis cum titulo prioris conventus Genevensis. Hoc ita disposito, ad stabiliendam pacem et concordiam in supradictâ illorum provinciâ, et finem tandem imponendum iurgiis a quatuor circiter annis ibi durantibus, utrique partium de alternativâ in perpetuum servandâ in ipsorum electionibus convenerunt eo modo, quo sequitur: 1°, quod provincialis alternis vicibus eligatur in capitulo uniuscuiusque dictarum partium, et casu quo officium suum, vel morte praeventus vel aliquo alio impedimento, absolvere non possit, reverendissimus pater generalis deputabit rectorem provincialem eiusdem partis usque ad futurum capitulum provinciale: 2°, quod pars illa, quae provincialem non habebit, vicarium provincialem habebit suae nationis in eâ commorantem, qui a capitulo eligetur: 3°, quod provincialis in proximo capitulo eligetur ex parte Burgundiae: 4°, quod vicarius provincialis inquiret de culpis in conventibus partis suae commissis, quibus provisionaliter providebit, et post factas et observatas iuris formalitates vel processus, transmittet ad provincialem, qui unà cum patribus sui definitorii iudicabit secundum formam constitutionum, habitâ ratione criminum, vel expectabit visitationem provincialis; dictus vero vicarius provincialis ius non habebit visitandi suae nationis conventus, nisi expressam habeat commissionem a patre provinciali; ut autem dictus ille vicarius provincialis possit esse de corpore definitorii, absque eo quod augeatur numerus novem patrum definitorii, eligetur ad hoc officium unus de duobus definitoribus illius partis, ad quem pertinebit habere vicarium provincialem: 5°, quod definitorium erit semipartitum, duo scilicet definitores cum uno visitatore ex parte Burgundiae[1]: 6°, quod praesidens capituli imposterum postulabitur a reverendissimo patre generali per provincialem pro tempore existentem, et sit alternatim: 7°, quod dictus provincialis decreta generalia pro totâ provinciâ condere non poterit, nisi de participatione totius definitorii et vicarii provincialis: 8°, superiores locales, sicut et alii officiales subalterni, non eligentur pro conventibus Burgundiae, nisi qui sunt ex illâ parte, sicut pro conventibus Narbonae, qui sunt pariter ex illâ parte: 9°, quod omnes religiosi remanebunt in conventibus suae nationis, nec poterunt cogi remanere in conventibus alterius nationis, nisi quando id postulaverint, vel invenerint benevolos receptores, et habuerint consensum patris provincialis: 10°, quod religiosi extranei, extra gremium provinciae nati, censebuntur esse de conventibus, quorum sunt professi, sicut et illi, qui nati in civitatibus provinciae, censebuntur esse ex illâ parte in qua nati sunt, et, in quantum opus est, illos provincia per praesens concordatum tamquam filios admittit: 11°, quod definitor, pro capitulo generali deputandus, erit eligendus ex illâ parte de qua

1 Comma praecedens videtur defectivum (R.T).

non erit provincialis; discretus e contra erit ex parte provincialis: 12°, quod in unâquaque parte designabitur conventus pro novitiatu, in quo non admittentur ad habitum novitii, nisi secundum exigentiam conventuum uniuscuiusque partis: 13°, quod, qui fuit semel electus in provincialem, numquam poterit iterum eligi, nisi fuerit virtutis et meriti omni exceptione maioris, et a tota provinciâ, nullo contradicente, postulatus: 14°, quod capitulum provinciale celebrabitur alternatim in praedictis duabus partibus: 15°, quod tam duo loca affiliatorum, quae modo vacant in maiori conventu Parisiensi, quam quae imposterum vacabunt, alternis vicibus replebuntur per utramque partem supradictam: 16°, conventio facta fuit sub beneplacito illustrissimi archiepiscopi pro bono pacis, et, ad eradicandam omnem dissidiorum materiam quae oriri possent ex expensis factis, lites motae cessabunt et tamquam non factae habebuntur, absque eo quod quisquam de illis expensis possit esse requisitus, eâ tamen lege, quod praesens compromissum bonâ fide executioni mandabitur, et Romae confirmabitur; alioquin unusquisque remanebit in iure suo insequendi, prout sibi videbitur expedire: 17°, quod partes supranominatae, et corám illustrissimo archiepiscopo congregatae, reciproce promiserunt et promittunt acceptare, sicut et de facto acceptant, praesentem alternativae contractum secundum omnes suos articulos, adstringentes se, illum pro rato habendum esse in proximo capitulo ab omnibus uniuscuiusque partis vocalibus, qui ad nullam electionem procedere valebunt in dicto capitulo, quin prius ratum habuerint praesens concordatum, quod nec reiicere, nec recusare poterunt, nisi optione divisionis ex parte Narbonae: 18° denique, postquam utrique Burgundi scilicet et Narbonenses supradictos alternativae articulos admiserunt, et gratiis illustrissimo archiepiscopo Lugdunensi praehabitis pro suo efficaci mediatoris officio, illum enixe rogant, a reverendissimo patre generali per litteras invitatum omnibus illius provinciae procellis finem imponere, ut praesentis concordati coram illo eiusque consilio auctoritate et prudentiâ transacti dignetur procurare nedum confirmationem reverendissimi patris generalis Ordinis, verum etiam et decretum eminentissimorum sacrae Congregationis cardinalium, imo et Breve apostolicum. Actum et conclusum in palatio archiepiscopali Lugduni, die et anno quibus supra ».

§ 2. Quare exponentes praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere[1] de benignitate apostolicâ dignaremur. *Preces provinciae.*

§ 3. Nos igitur, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, conventionem seu concordiam inter eosdem exponentes initam, ut praefertur, confectamque desuper scripturam praeinsertam, cum omnibus et singulis in eâ contentis, auctoritate *Confirmatio relatae concordiae.*

1 Edit. Main. legit *provideri . . . indulgeri* (R. T.).

apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis et apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX augusti MDCXCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 19 augusti 1698, pontif. anno VIII.

---

## CLXIV.

*Confirmantur duo decreta ministri generalis circa hospitium in coenobio de Aracaeli de Urbe pro fratrum provinciarum Indiarum Occidentalium Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Species facti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus de Leon frater expresse professus provinciae Ss. XII Apostolorum in regno Peruviae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod, cum aliàs ipse (qui, ut asserit, lector iubilatus ac Officii inquisitionis dicti regni qualificator, necnon causae canonizationis B. Francisci Solani, dum vixit, eiusdem Ordinis professoris, in Romanâ Curiâ procurator et secretarius generalis dicti Ordinis existit) ex eleemosynis provinciarum Indiarum Occidentalium ipsius Ordinis hospitium quoddam in conventu S. Mariae de Aracaeli nuncupato de Urbe, Ordinis huiusmodi, pro religiosis dictarum provinciarum privative ad alios construere intenderet, eâque de causâ venerabili fratri Bonaventurae Poërio archiepiscopo Salernitano, qui tunc ministri generalis eiusdem Ordinis munere fungebatur, supplicem libellum super praemissis porrexisset tenoris qui sequitur, videlicet:

Supplex libellus secretarii generalis pro construendo hospitio, quod primo inservire debeat

«Reverendissime pater. Exponitur humiliter reverendissimae paternitati vestrae pro parte fratris Nicolai de Leon, lectoris iubilati, sacrae Inquisitionis qua-

1 In Innocentii XI const. ed. MDCLXXVIII, die 25 maii, pontif. II, agitur de habitatione commissarii generali Terraesanctae in civitate Neapoli; et in Clementis XI const. ed. MDCCXII, die 23 septembris, pontif. XII, de hospitio S. Petri de Alcantara de Portici fratrum Discalceatorum Hispaniae in dioecesi Neapolitanâ.

fratribus Indiarum Occidentalium, deinde aliis cum facultate commissarii generalis.

lificatoris, excustodis et prioris provinciae XII Apostolorum *del Perù,* in hac Romanâ Curiâ causae canonizationis B. Francisci Solani procuratoris, et actualis secretarii generalis Ordinis, devoti paternitati vestrae reverendissimae oratoris, qualiter, ruinam minante et ex hac causâ ab architecto recognitâ et vere ruinosâ et collabente repertâ cellâ quae a quinquaginta annis et ultra inservierat et usque modo inservit pro habitatione procuratoris pro tempore supradictae causae B. Francisci Solani, quod totum reverendissimae paternitati vestrae patet, ad praecavendam huiusmodi habitationis imminentem ruinam, orator, habito super hoc, nedum praefatae suae provinciae, sed et aliarum Occidentalium Indiarum, ac insuper bonae memoriae patris Iuliani Cumillas praedecessoris et reverendissimi patris Antonii de Cardona actualis Indiarum commissarii generalis, maturo consilio et assensu ac voluntate, habitationem ipsam demoliri decrevit, aliamque a fundamentis in ampliorem et commodiorem formam ex eleemosynis earumdem provinciarum ad huiusmodi effectum collectis redigere et erigere perpendit. Verum, quia provinciae praefatae eleemosynas huiusmodi nullatenus profundere intendunt, nisi etiam, ut par est, super hoc accedat consensus, confirmatio et approbatio vestrae paternitatis reverendissimae, ac insuper quod novum aedificium eiusque cellae perpetuis futuris temporibus stare et inservire debeant pro habitatione dumtaxat reverendissimi patris commissarii generalis Indiarum pro tempore et[1] earumdem provinciarum religiosorum, si et quatenus quacumque de causâ sive quomodocumque Romam accedere et permanere contingat, ac insuper quod aedificium ipsum sic erectum eiusque cellae perpetuis futuris temporibus sub curâ et dispositione reverendissimi patris commissarii generalis Indiarum pro tempore existentis manere debeant, et in eo (casu quo Romae non adessent religiosi praedictarum provinciarum qui primo et principaliter in ipso domicilium habere debent privative ad alios) nullus omnino, cuiusvis gradus, dignitatis et conditionis sive cuiuscumque nationis, familiae seu provinciae sit, inibi recipi possit, nisi ad effectum huiusmodi ab eodem reverendissimo patre commissario generali Indiarum licentiam seu facultatem in scriptis exhibendam obtinuerit: hoc itaque totum humillime supplicat orator per paternitatem vestram reverendissimam confirmari, approbari et respective mandari atque inhiberi; ac insuper, pro maiori horum notitiâ, observantiâ et executione, petit idem orator a vestrâ paternitate reverendissimâ, quatenus dignetur permittere et mandare, ut eidem habitationi sive hospitio lapis superimponatur cum sequenti inscriptione, si ita in Domino sibi benevisum fuerit. Quod, etc.

*Inscriptio:* Ne habitationis inopiâ religiosi ex Indiis Occidentalibus Romam accedentes hinc inde vagari cogerentur, admodum reverendus P. F. Nicolaus de Leon, lector iubilatus, sanctissimae Inquisitionis regni Peruani qualificator, provinciae XII Apostolorum de Lima excustos et prior, necnon canonizationis B. Francisci Solani in Curiâ procurator, et secretarius generalis Ordinis, remotâ parvulâ et pene collabente cellâ, quae vix procuratori causae eiusdem B. Francisci Solani satis erat, ex eleemosynis provinciarum praedictarum, ad hunc effectum collectis, habitationem hanc et hospitium a fundamentis de assensu superiorum generalium extruxit anno Domini MDCXCVI »;

Decretum dicti ministri generalis, quo an-

Idem Bonaventura archiepiscopus tunc minister generalis super supplici libello

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

nuit cum adiectione poenarum in contravenientes.

huiusmodi decretum edidit tenoris sequentis, videlicet: « Frater Bonaventura Poërius, sacrae theologiae lector iubilatus, ac totius Ordinis nostri patris sancti Francisci minister generalis et servus, necnon auctoritate sanctissimi domini nostri Innocentii Papae XII commissarius apostolicus, etc., oratoris precibus, utpote fraternae religiosaeque charitati conformibus, ut hospitium pro religiosis provinciarum Indiarum Occidentalium dumtaxat, et in eodem loco, ubi usque modo habitavit et adhuc de praesenti habitat procurator causae canonizationis nostri B. Francisci Solani, dirutâ prius ac demolitâ antiquâ cellâ inibi existente, hospitium, in meliorem atque ampliorem formam a novis fundamentis construendum, erigi possit, vigore praesentis nostri decreti facultatem et assensum nostrum benigne indulgemus et concedimus, atque adeo id exequi iniungimus et mandamus. Quandoquidem vero pro huiusmodi aedificio supradictae provinciae Indiarum Occidentalium indipendenter[1] ab aliis eleemosynas necessarias subministraverint; ideo primo et principaliter earum religiosis Romam quacumque de causâ accedentibus hospitalitati inservire debebit, quod firmiter observari praecipimus: pro tempore autem, quo earumdem provinciarum fratres Romae non reperirentur, pariter mandamus ut in eodem hospitio nullus, quavis de causâ aut motivo, cuiusvis nationis, familiae vel provinciae, sive cuiuscumque gradus, dignitatis, et conditionis existat, omnino ad cohabitandum recipiatur, nisi a patre reverendissimo commissario generali Indiarum (cuius[2] hospitii curam et dispositionem committimus) facultatem et licentiam in scriptis exhibendam ad hunc effectum obtinuerit, sub poenis proprietariorum vocisque activae et passivae[1] ipso facto incurrendis, aliisque gravioribus ad arbitrium patris superioris generalis, tam aliter quam ut praefertur permittentibus, quam respective sustinere praetendentibus: itaut semper ex nunc et in futurum, ut aequum est, pro fratribus earumdem provinciarum, quae eleemosynas subministraverunt primo et principaliter, privative ad alios, hospitium ipsum stare et inservire debeat. Praeterea ad maiorem huius determinationis nostrae observantiam et subsistentiam, libenter concedimus, lapidem cum supra scriptâ, sive aliâ clariori, idem tamen referente, inscriptione, eidem hospitio superimponi. Permittentes oratori, si et quatenus opus fuerit ad maiorem validitatem et efficaciam, ut praedictorum omnium et singulorum a sanctâ Sede Apostolicâ bullam confirmationis procurare et obtinere valeat; quibuscumque non obstantibus, etc. Datum Romae, hac die XXV februarii MDCXCVII — Frater BONAVENTURA POËRIUS, magister generalis et commissarius apostolicus. — *Loco † sigilli*. De mandato suae paternitatis reverendissimae, frater I. MARIA DE S. CRUCE secretarius generalis Ordinis ».

Decretum alterum ministri generalis, quo relatum confirmatum fuit post constructum hospitium.

Subinde vero, cum idem Nicolaus dilecto filio Matthaeo a S. Stephano, moderno ministro generali Ordinis praedicti, exposuisset, se hospitium praedictum iam construxisse, ac proinde toto decreti supradicti tenore inserto eidem supplicasset ut illud confirmare dignaretur: emanavit ab eodem Matthaeo ministro generali aliud decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Frater Matthaeus a S. Stephano, sacrae theologiae lector iubilatus, ac totius Ordinis sancti patris nostri Francisci minister genera-

1 Edit. Main. legit *indipendente* (R. T.).
2 Potius lege *cui* (R. T.).

1 Deest *privationis* (R. T.).

lis, etc. Attentis oratoris precibus in hoc retroscripto libello ad nos directo contentis, eisdem omnino annuendum esse censemus. Hinc est quod, insistendo vestigiis reverendissimi patris Bonaventurae Poërii, nostri in officio praedecessoris, suprainsertum decretum, ab illo summâ maturitate, ponderositate et prudentiâ factum, tenore praesentium approbamus, ratihabemus et confirmamus, praecipientes in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis in eodem contentis, omnibus nobis subordinatis praelatis et subditis, ne illud quovis modo infringant vel infringi permittant, sed inviolabiliter observent, et taliter faciant observari. Datum Romae ex Aracaeli, die XXI septembris MDCXCVII. — Frater MATTHAEUS A S. STEPHANO minister generalis. — *Loco † sigilli.* De mandato suae reverendissimae paternitatis, frater IOANNES MARIA DE S. CRUCE secretarius generalis Ordinis ».

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Nicolaus decreta huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Nicolaum specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta, cum omnibus et singulis in eis contentis et expressis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis provinciarum et conventus praedictorum etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII augusti MDCXCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 23 augusti 1698, pontif. anno VIII.

## CLXV.

*Confirmatur restitutio quatuor assistentium generalium Ordinis B. M. Virginis de Monte Carmelo* [1].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Ab Alexandro VII instituti fuere assistentes et ab hoc Pontifice restituti.

§ 1. Aliàs, postquam quatuor assistentes generales Ordinis fratrum B. M. Virginis de Monte Carmelo, non ita pridem in vim cuiusdam decreti a felicis recordationis Alexandro PP. VII praedecessore nostro editi in eodem Ordine introducti, auctoritate apostolicâ primum quidem ob certas tunc expressas causas ad tempus suspensi, ac subinde in perpetuum aboliti ac suppressi fuerant; nos, ex commisso nobis divinitus pastoralis sollicitudinis munere ad ea, quae felici prosperoque Ordinis praedicti regimini et gubernio magis conducibilia esse poterant, iugiter intendentes, auditâ hac in re sententiâ capituli generalis Ordinis huiusmodi novissime in hac almâ Urbe celebrati, ipsos assistentes generales, iuxta formam in praedicto Alexandri praedecessoris decreto praescriptam, in perpetuum restitui, adeoque ad eorum electionem in eodem capitulo generali deveniri demandavimus, et aliàs prout in decreto iussu nostro desuper emanato uberius continetur.

Confirmatio restitutionis et electionis assistentium.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius procurator generalis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, in executionem mandati nostri huiusmodi perpetua dictorum assistentium generalium restitutio eorumque canonica in capitulo generali praedicto electio secutae fuerint: hinc est quod nos, firmiori praemissorum robori et efficaciae providere, dictumque procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac tam primodicti quam secundodicti decretorum tenores et alia quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, supplicationibus eiusdem procuratoris generalis nomine nobis humiliter porrectis inclinati, perpetuam praedictorum quatuor assistentium generalium restitutionem eorumque electionem in memorato capitulo generali iussu nostro factas, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 In Innocentii XI const. ed. MDCLXXXII, die 12 ianuarii, pontif. VI, prohibita fuit electio sociorum pro Congregatione Mantuana; et in Clementis XI constit. edit. MDCCXI, die 10 novembris, pontif. XI, reducuntur graduati pro provinciis Italiae.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX augusti MDCXCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 30 augusti 1698, pontif. anno VIII.

---

## CLXVI.

*Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium pro executione alterius decreti et constitutionis Clementis X circa alternativam officiorum in provinciâ Cantabriae Ordinis S. Francisci de Observantiâ* [1].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Alternativa praedicta confirmata fuit a Congregatione anno MDCLXXI et a Clemente X.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Ioseph de las Barzenas fratris expresse professi Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod (licet in provinciâ Cantabriae dicti Ordinis, quae quatuor nationibus, nempe Montana, Alaba, Guipuzcoa et Bizcaya constat, introducta esset alternativa officiorum, itaut minister provincialis pro uno triennio eligeretur ex unâ dictarum nationum, custos ex alterâ, sicque alternatim inter easdem quatuor nationes, quarum quaelibet suum definitorem habere cum suis guardianis, lectoribus, praedicatoribus, vicariis, confessariis monialium, magistris novitiorum, omnibusque aliis solitis officiis dicti Ordinis, quae aequaliter pro qualibet dictarum nationum in eâdem provinciâ distribuerentur, ac aliàs, nempe die XI septembris MDCLXXI, memorata Congregatio cardinalium alternativam huiusmodi, quae, ut asserebatur, per tempus quinquaginta annorum et ultra in dictâ provinciâ de superiorum generalium consensu pacifice inter praedictas quatuor nationes servari consueverat, itidem in singulis eiusdem provinciae capitulis de cetero celebrandis per suum decretum desuper emanatum religiose servari mandavisset et praecepisset, ac subinde felicis recordationis Clemens Papa X praedecessor noster decretum huiusmodi per suas desuper in simili formâ Brevis expeditas litteras confirmasset) nihilominus (cum inter spectantes ad dictam nationem de Bizcaya quaedam reperirentur valles de Somorostro, Musques, Sopuerta, et aliae, encartationes de Bizcaya vulgariter nuncupatae, ab immemorabili tempore exemptionibus et immunitatibus, quas *fueros* vocant, ipsius nationis de Bizcaya gaudentes, eiusque gubernio subiectae, ac ad illius congregationes, dispositiones et ordinationes convenientes non secus ac cetera eiusdem nationis loca) aliqui (tametsi dictae valles ad praedictam nationem Montanam, sive quoad participationem

1 In const. ed. MDCXCVI, die 7 ianuarii, pontif. V, et const. edit. MDCXCVIII, die 6 octobris, pontif. VIII, agitur de alternativâ in provinciâ Ianuensi Reformatorum.

privilegiorum, sive quoad gubernium, aut aliàs, directe vel indirecte, nullatenus unquam spectassent[1], nec ullus religiosus ex vallibus[2] huiusmodi ad supradictae provinciae provincialatum pro dictâ natione Montanâ, a tempore quo praenarrata alternativa in eam, ut praefertur, introducta fuerat, etiam antequam dictum decretum praedictaeque Clementis praedecessoris litterae illius confirmativae emanassent, unquam assumptus fuisset) in proxime futuro eiusdem provinciae capitulo provinciali, in quo iuxta alternativam huiusmodi minister provincialis ex praefatâ natione Montanâ eligi debebat, illum ex montanâ valle de Somorostro, aut ex aliâ de vallibus ad praedictam nationem de Bizcaya spectantibus, eligere intendebant; et in eâdem expositione subiuncto, quod id, si fieri contigeret, non aliud foret, quam dictam alternativam invertere, sicque ius alterius nationis usurpare, ac lites in gravissimum pacis in dictâ provinciâ vigentis praeiudicium excitare, atque hoc ipsum in contemptum praedictorum decreti et litterarum cessurum esset; ac propterea pro parte dicti Iosephi eidem Congregationi cardinalium supplicato, ut, quo inconvenientibus huiusmodi mature occurri posset, praecipere dignaretur, sub poenâ nullitatis electionis eo ipso incurrendâ, ne in proxime futuro capitulo provinciali praedicto, seu aliàs quandocumque, ullus religiosus ex parentibus in dictis vallibus permanens domicilium seu habitationem habentibus natus, et in illorum ecclesiis baptizatus, ad provincialatum seu aliàs[3] praedictae provinciae officia ad praedictam nationem Montanam iuxta decretum et litteras huiusmodi spectantia, sed solum ad

1 Edit. Main. legit *spectasset* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *vallis* (R. T.).
3 Aptius lege *alia* (R. T.).

ea, quae sunt dictae nationis de Bizcaya, quippe ad quam valles praedictae, iuxta authentica documenta dictae Congregationi cardinalium exhibita, pertinere dignoscuntur, eligi seu assumi valeret: emanavit a praedictâ Congregatione cardinalium decretum qui sequitur, videlicet: « Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, audito patre commissario generali Curiae, censuit ac decrevit, servandum Breve sanctae memoriae Clementis X, sub nullitate electionis, aliisque poenis arbitrio eiusdem sacrae Congregationis infligendis, et religiosos de vallibus descriptis non comprehendendos sub áliâ natione, quam suâ de Bizcaya. Romae, XI aprilis MDCXCVIII. — G. cardinalis CARPINEUS. I. D. archiepisc. Atenarum, secretarius ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut praedictus Iosephus nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret[1]: nos, ipsum Iosephum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique[2] inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen

1 Edit. Main. legit *desiderent* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *illisque* (R. T.).

semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v septembris MDCXCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 5 septembris 1698, pontif. anno VIII.

---

## CLXVII.

*Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium in causâ Lusitanâ pro executione constitutionis Clementis X pro Ordinariis contra confessarios regulares ab aliis approbatos* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Decretum praedictum pro executione constitutionis Clementis X, etsi vigeat Bulla Cruciatae. § 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, in causâ Lusitanâ iurisdictionis inter venerabiles fratres modernos archiepiscopum Bracharensem et episcopum Leriensem, ex unâ, necnon dilectos filios regulares regni Portugalliae, ex alterâ partibus, vertente, decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « In causâ Lusitanâ iurisdictionis vertente inter archiepiscopum Bracharensem et episcopum Leriensem, ex unâ, necnon regulares eiusdem regni, partibus ex alterâ, instantibus dictis archiepiscopo et episcopo declarari an episcopi possint in suâ dioecesi prohibere regularibus, ad confessiones audiendas approbatis ab antecessoribus episcopis vel ab episcopis alienae dioecesis, ne amplius confessarii munus exerceant sine ipsorum novâ approbatione et licentiâ, non obstante Bullâ Cruciatae, et contra regulares transgressores procedere valeant ad suspensionem, censuras et alias canonicas poenas: sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, auditâ relatione nuncii apostolici apud

1 Laudata Clementis X const. ed. fuit MDCLXX, die 21 iunii, pontif. I; in huius Pontificis const. ed. MDCXCVI, die 5 octobris, pontif. VI, concessa fuit vicariis apostolicis contra regulares in Angliâ iurisdictio quaedam; et in Clementis XI constit. edit. MDCCV, die 30 ianuarii, pontif. V, conceditur Ordinariis insularum Philippinarum ius quoddam in regulares.

serenissimum Lusitaniae regem residentis, referente eminentissimo Colloredo, censuit et declaravit, servandam esse omnino constitutionem septimam sanctae memoriae Clementis X, quae incipit *Superna*, etc.; non obstante Bullâ Cruciatae, quae in hac materià nihil novi iuris induxit, neque quoad poenitentes, neque quoad confessarios: prout praesentis decreti vigore servari mandat ac praecipit. Romae, XI aprilis MDCXCVIII. — G. cardinalis CARPINEUS. I. D. archiepiscopus Athenarum, secretarius ».

Confirmatio relati decreti. § 2. Cum autem, sicut pro parte archiepiscopi et episcopi praedictorum nobis subinde expositum fuit, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, ipsos archiepiscopum et episcopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI septembris MDCXCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 6 septembris 1698, pontif. anno VIII

---

## CLXVIII.

*Avocatur causa cum extinctione litis et impositione silentii super executione alternativae in provinciâ Ianuensi fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Sacrosancti apostolatus officium, superni dispositione consilii, nobis, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, impositum, salubriter exequi, adiuvante Domino, iugiter satagentes, exorta inter religiosos viros, quos vota sua Altissimo in sanctitate et iustitiâ paceque fraternâ reddere decet, animorum dissidia opportunis rationibus dirimere, illisque, ne rursus quandocumque excitari valeant, ansam mature praecidere studemus, sicut, prudenti deliberatione praeviâ, ad Exordium.

1 Ab Innocentio XI, const. ed. MDCLXXXVII, die 12 iunii, confirmata fuit dicta alternativa, et ab hoc Pontifice const. edit. MDCXCVI, die 7 ianuarii, pontif. V; ab Innocentio vero XIII constit. edit. MDCCXXI, die 16 ianuarii, pontif. I, confirmatur alternativa in provinciâ S. Antonii in Lusitaniâ fratrum Discalceatorum.

omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem arbitramur in Domino expedire.

Non semel ante hunc Pontificem confirmata fuit alternativa.

§ 1. Aliàs siquidem nos, ad supplicationem tum existentis ministri provincialis provinciae Ianuensis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum, quasdam felicis recordationis Innocentii Papae XI praedecessoris nostri in simili formâ Brevis litteras pro religiosâ quiete fratrum dictae provinciae die XII iunii MDCLXXXVII emanatas, per quas quoddam decretum a venerabili fratre nostro Alderano episcopo Ostiensi S. R. E. cardinalis Cybo nuncupato, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectore, editum (quo alternativam circa electionem ad provincialatum, ceteraque definitorii provinciae huiusmodi officia, inter tres partes seu districtus, quibus provincia ipsa constat, dudum in capitulo provinciali eiusdem provinciae ac per quasdam recolendae memoriae Urbani Papae VIII praedecessoris pariter nostri itidem in formâ Brevis litteras stabilitam et ordinatam, idem Alderanus episcopus cardinalis et protector servari, nec quidquam in contrarium innovari seu attentari, sub diversis poenis praeceperat et mandaverat) confirmabatur, auctoritate apostolicâ similiter confirmavimus et approbavimus, et aliàs, prout in nostris desuper in eâdem formâ Brevis VII ianuarii MDCXCVI expeditis litteris uberius continetur. Subinde vero (cum pro parte eiusdem ministri provincialis nobis expositum fuisset, quod dilectus filius Ioannes Baptista Ghersi, frater expresse professus dictae provinciae, qui aliàs, post expletum, ad quod assumptus fuerat, provincialatus provinciae huiusmodi officium, antequam dictae Innocentii praedecessoris litterae emanassent, moderationem praedictarum Urbani praedecessoris litterarum ab eodem Innocentio praedecessore obtinere, ac memoratam alternativam in ipso limine fundationis dictae provinciae, sicut praemittitur, stabilitam et ordinatam, ac successive per quadraginta et amplius annorum spatium pacifice observatam, subvertere frustra tentaverat; ac deinde, cum aliis forsan ei hac in re adhaerentibus, post emanatas Innocentii praedecessoris litteras supradictas, eamdem provinciam, acerrimâ lite in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ super praemissis excitatâ, per quatuor circiter annos continuos, non sine gravi religiosorum et saecularium scandalo, vexaverat; demum vero, cum a dictâ Congregatione cardinalium varia decreta utrique parti collitigantium favorabilia et contraria respective emanassent, nosque causam huiusmodi ad capitulum generale Ordinis praedicti, quod tunc in oppido civitate nuncupato Victoriae, Calaguritanae dioecesis, celebrabatur, seu brevi celebrandum erat, pro informatione remisissemus, adeoque causa praedicta nondum penitus terminata, sed dumtaxat suspensa reperiretur, ipse Ioannes Baptista, tempore quo informatio huiusmodi capienda erat, omnes vocales cismontanae familiae dicti Ordinis suspectos iuridice allegaverat, ac proinde ab hac almâ Urbe, ubi tunc commorabatur, ad provinciam suam praefatam reverti auctoritate nostrâ iussus fuerat, etiam contra praedictas nostras litteras reclamabat, et ad dictam Urbem redire, praedictamque litem instaurare satagebat; ideoque idem minister provincialis, quo quies tandem dictae provinciae post tot perturbationes restitueretur, causam praedictam ad nos avocari, perpetuumque desuper silentium imponi summopere desiderabat)

nos die XXI augusti MDCXCVI dictas nostras litteras omnino servari, nec quempiam ullo unquam tempore adversus illas, sive in praedictâ Congregatione cardinalium, sive in quovis alio tribunali, nisi nobis consultis, audiri mandavimus, prout in rescripto a tergo supplicis libelli nobis super praemissis porrecti per dilectum filium nostrum Ioannem Franciscum S. R. E. cardinalem Albanum nuncupatum secretarium Brevium nostrorum secretorum annotato continetur.

Causa huius constitutionis et preces provinciae.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti etiam filii fratres Liguriae orientalis et Liguriae occidentalis, quae duas ex supradictis partibus provinciae huiusmodi constituunt, nobis nuper exponi fecerunt, ipsi compererint dictum Ioannem Baptistam adhuc non acquiescere, sed a dilecto pariter filio moderno ministro generali dicti Ordinis postulasse, ut sibi duos religiosos Ianuenses pro dictâ lite prosequendâ ad Urbem praedictam mittendi facultas concedatur: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Avocatio causae ut in rubricâ.

§ 3. Nos igitur, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac litis et causae huiusmodi statum et merita, nominaque et cognomina et qualitates iudicum et collitigantium, et alia quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et specificatis habentes, easdem litem et causam, in statu et terminis in quibus de praesenti reperiuntur, a praedictâ cardinalium Congregatione aliisve quibuscumque tribunalibus ad nos, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, avocamus, illasque perpetuo supprimimus et extinguimus, ac perpetuum desuper ipsi Ioanni Baptistae et aliis quibusvis silentium imponimus, osque occludimus. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus litis pendentiâ aliisque praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCXCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 7 octobris 1698, pontif. anno VIII.

---

## CLXIX.

*Prohibetur, ne fratres Capuccini transeant ad aliam religionem contra formam in constitutione Urbani VIII praescriptam* [1].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Sollicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae regimini per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praesidemus, nos urget atque impellit, ut, paternam christifidelium Altissimi obsequiis sub arctioris vitae instituto laudabiliter incumbentium curam gerentes, religiosae eorum stabilitati, ut in eâ vocatione, in qua vocati sunt, perseverent usque in finem, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere satagamus.

Ab Urbano VIII sub certis poenis interdictus fuit quicumque transitus sine licentia Sanctae Sedis vel generalis.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessori nostro pro parte nunc existentis procuratoris generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum exposito, quod nonnulli dicti Ordinis religiosi, nullâ desuper ab Apostolicâ Sede vel superioribus suis obtentâ licentiâ, ad alios Ordines seu Congregationes se transferre posse praetendebant et praetendebant, non sine gravi regularis disciplinae detrimento ipsiusque Ordinis inquietudine, idem Urbanus praedecessor, ut incommodis, damnis et perturbationibus, quae ex huiusmodi translationibus oriebantur, occurreret, supplicationibus dicti procuratoris generalis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, ne de cetero perpetuis futuris temporibus ullus eiusdem Ordinis religiosus ad laxiorem absque speciali dictae Sedis, ad Carthusiensem vero, seu quemcumque alium Ordinem vel Congregationem, nisi de ministri generalis pro tempore existentis Ordinis supradicti licentiâ in scriptis obtinendâ, quovis praetextu aut ex quavis causâ, sub apostasiae et infamiae perpetuae notâ, necnon excommunicationis et privationis vocis activae et passivae poenis ipso facto absque ullâ declaratione incurrendis, transire quoquo modo auderet seu praesumeret, apostolicâ auctoritate interdixit et prohibuit, et aliàs, prout in ipsius Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die IX augusti MDCXXVIII expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causae constitutionis et preces procuratoris generalis pro prohibitione transitus ad monasterium *de la Trappe*.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Franciscus Maria ab Aretio, modernus procurator generalis dicti Ordinis, nobis nuper exponi fecit, non minora incommoda, damna et perturbationes memorato Ordini immineant, quinimo provinciae Galliarum ipsius Ordinis ea iam experiri coeperint, ex transitu fratrum Ordinis huiusmodi ad monasterium Beatae Mariae *de la Trappe* nuncupatum, Ordinis Cisterciensis, Sagiensis dioecesis, ad quod quidam ex illis, quo spiritu ducti nescitur, praetextu tamen arctioris vitae ducendae, se transferre satagunt: nobis propterea dictus Franciscus Maria procurator generalis humiliter supplicari

1 Constitutio Urbani VIII edita fuit anno MDCXXVIII, die 9 augusti. Similis constitutio edita fuit a Clemente X et Innocentio XI, quae postea confirmata fuit ab hoc Pontifice pro Benedictinis Congregationis S. Mauri in Gallia. In huius Pontificis constit. edit. MDCXCVII, die 12 iunii, pont. VI, agitur de religiosis transeuntibus.

fecit, ut in praemissis de opportuno remedio providere, nempe quod fratres dicti Ordinis Capuccinorum expresse professi ad memoratum monasterium Beatae Mariae *de la Trappe* Ordinis Cisterciensis, animo se se ibidem associandi seu incorporandi, sine expressâ solius ministri generalis eiusdem Ordinis Capuccinorum licentiâ in scriptis obtinendâ, nullo modo transire possint, etiamsi alia servanda servarentur, sub poenâ excommunicationis latae sententiae Sedi Apostolicae reservatae, tam pro receptis quam pro recipientibus, prohibere (quemadmodum ob easdem ferme rationes recolendae memoriae Clemens X et Innocentius XI Romani Pontifices praedecessores nostri id ipsum monachis Congregationis sancti Mauri Ordinis sancti Benedicti prohibuerunt) de benignitate apostolicâ dignaremur.

Prohibitio generalis et specialis pro dicto transitu.

§ 3. Nos igitur, ipsum Franciscum Mariam procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, ne fratres expresse professi dicti Ordinis Capuccinorum ad quemcumque alium Ordinem et monasterium seu alium regularem locum cuiusvis alterius Ordinis seu congregationis, etiam Carthusianorum, et praesertim ad monasterium Beatae Mariae *de la Trappe* huiusmodi, nisi servatâ praedictarum Urbani praedecessoris litterarum formâ, transire ullo modo audeant seu praesumant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, prohibemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, quorumcumque Ordinum et Congregationum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra

illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x octobris MDCXCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 10 octobris 1698, pontif. anno VIII.

---

## CLXX.

*Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium circa electionem abbatis generalis monachorum S. Hieronymi in Hispania*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

In capitulo generali MDCXCII condita fuere sequentia decreta circa electionem generalis in et extra capitulum.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum abbatis seu superioris generalis et definitorum Ordinis monachorum S. Hieronymi in Hispania, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium exposito, quod aliàs in capitulo generali dicti Ordinis, in monasterio S. Bartholomaei de Lupianà eiusdem Ordinis Toletanae dioecesis anno MDCXCI celebrato, pro bono regimine ac pace et quiete Ordinis praedicti, in primis multum expedire visum fuerat ne quis monachus dicti monasterii, qui prius superioris generalis Ordinis praedicti officio functus fuisset, denuo ad officium huiusmodi, nisi per sexennium ad minus ab illo vacavisset, eligi valeret; 2°, quo dicti officii vacationis casibus, qui pro tempore, quod inter unum et alterum capitulum generale, iuxta praedicti Ordinis statuta, intercedere debet, quoquomodo contingere possent, prospectum foret, multaque inconvenientia evitarentur, statutum fuerat, ut, in eventum vacationis huiusmodi, pro electione novi superioris generalis, capitulum generale hoc tempore intermedio non convocaretur, sed solum sexdecim monachi ex octo designatis monasteriis dicti Ordinis, prior nempe et procurator cuiuslibet eorum, dictum novum superiorum generalem, qui vacantis generalatus officii tempus, quod usque ad proxime secuturum capitulum generale superesset, compleret, uti vocales seu electores ad id specialiter deputati eligere valerent, iusque eligendi huiusmodi, rursus eveniente alià simili vacatione, ad alios sexdecim monachos priores pariter et procuratores respective aliorum octo monasteriorum spectaret, itaut, quandocumque similis vacatio contingeret, ea alternatio inter priores et procuratores quadraginta octo monasteriorum, quibus Ordo praedictus constat, per statas vices servaretur; 3° demum, si contingeret, ut memorati vocales in electione dissiderent, aut electio minus canonica fieret, decretum extiterat ut electio huiusmodi ad sex scrutinia redigi deberet, hac servatà formà, videlicet, ut si in primo, secundo, tertio, quarto et quinto scrutiniis huiusmodi electio canonica secuta non fuisset, duo, qui plura quam ceteri suffragia sortiti essent, eligerentur, in quos dicti vocales in sexto scrutinio sua suffragia dirigere tenerentur; quod si neque in hoc sexto et ultimo scrutinio, ob paritatem suffragiorum electio canonica peracta esset, illorum duorum alter, qui prius ad habitum regularem admissus reperiretur, electus intelligi et declinari deberet; casu vero, quo in quinto scrutinio suffragia in diversas personas collata essent, pluresque paria suffragia obtinuissent, tunc quoque duo, qui prius similiter quam ceteri ad ha-

1 De electione priorum titularium et superiorum agitur constit. edit. MDCXCV, die 19 ianuarii, pontif. IV.

bitum regularem admissi fuissent, ex illis eligerentur, et[1] si quis in hoc quinto scrutinio superior, alii pares suffragiis existerent, superiori suffragiis, ex iis qui pares essent, is pariter, qui prius quam ceteri ad habitum praedictum admissus fuisset, adiungeretur, ut deinde in sexto scrutinio, primo quidem casu in duos ex iis qui paria suffragia obtinuissent, sicut praemittitur, eligendos, secundo vero in superiorem suffragiis, illique, ut praefertur, adiungendum, omnium suffragia restringi et conferri deberent; porro decretum et forma huiusmodi etiam in capitulis generalibus, quae a totius Ordinis praedicti vocalibus celebrarentur, servanda essent; et aliàs, prout ex libris actorum capitularium plenius constare dicebatur: et in eàdem expositione subiuncto, quod nullà alià meliori et magis congruà ratione paci et quieti praedicti Ordinis consuli posse videbatur: ac proinde eidem Congregationi cardinalium supplicato ut suam desuper sententiam interponere et confirmationis auctoritatem adiungere dignaretur: emanavit ab eàdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentà relatione nuncii apostolici Hispaniarum, referente eminentissimo S. Clementis, censuit quoad 1<sup>um</sup> reducendum tempus ad triennium, iuxta votum eiusdem nuncii apostolici; quo vero ad 2<sup>um</sup> et 3<sup>um</sup> respondit affermative. Romae XX maii MDCXCVIII. — G. cardinalis CARPINEUS. — M. archiepiscopus Athenarum secretarius ».

*Decretum sacrae Congregationis super his refertur.*

*Confirmatio relati decreti.*

§ 2. Cum autem, sicut abbas, seu superior generalis et definitores praefati nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvà tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

*Contrariorum derogatio.*

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et monasteriorum praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis

[1] Male edit. Main. legit *ut* pro *et* (R. T.).

in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII octobris MDCXCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 18 octobris 1698, pontif. anno VIII

---

## CLXXI.

*Confirmantur patentes ministri generalis Ordinis sancti Francisci de Observantiâ circa usum librorum divini officii pro suis religiosis utriusque sexus* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Ex debito pastoralis officii, quo catholicae Ecclesiae per universum orbem diffusae regimini divinâ dispositione praesidemus, ea, quae a regularium Ordinum, ad omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem sapienti pietate ab hac Sanctâ Sede institutorum magnisque in Ecclesiam Dei meritis fulgentium, superioribus ad servandam in divinis officiis uniformitatem prudenter constituta esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

Patentes anno MDCXCIII, quibus praescribitur sub certis poenis forma in usu librorum divini officii auctoritate apostolica dispositorum et confirmatorum.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Diaz a S. Bonaventura, frater expresse professus Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod (cum ipse, ut iniunctum sibi dudum a venerabili fratre Bonaventura Poërio archiepiscopo Salernitano, qui tunc ministrum generalem dicti Ordinis agebat, munus expleret, non modo breviarium, sed etiam alios libros officii, nempe rituale, caeremoniale, martyrologium, missale ac diurnale dicti Ordinis longo labore sedulâque curâ disposuerit, ipsique libri, typis in almâ Urbe nostrâ impressi, propediem in lucem, praeviâ debitâ approbatione, benedicente Domino, prodituri sint) dilectus etiam filius Matthaeus a S. Stephano, modernus minister generalis eiusdem Ordinis, omnibus et singulis utriusque sexus personis eius obedientiae seu directioni subiectis, quomodo circa usum eorumdem librorum se gerere debeant, praecepit et mandavit per suas patentes litteras desuper emanatas tenoris qui sequitur, videlicet: « Frater Matthaeus a S. Stephano, lector iubilatus, totius Ordinis fratrum Minorum sancti patris nostri Francisci minister generalis et servus, etc. Dilectis nobis plurimum in Domino omnibus ac singulis fratribus ac monialibus, alisque utriusque sexus personis Ordinum et Congregationum obedientiae seu directioni nostrae, ac successorum nostrorum, sub aliquâ e regulis a Sanctâ Sede approbatis, nunc et pro tempore subiectis ac subiiciendis, salutem in Eo qui est vera salus. Delegatâ per sanctissimum dominum nostrum Innocentium Papam XII praedecessori nostro opportunâ facultate ad[1] hoc, ut, tamquam Sedis Apostolicae commissarius, evangelicae et apostolicae doctrinae sacrorum canonum, et generalium conciliorum

1 De huiusmodi libris agitur constit. edit. MDCXCVI, die 21 novembris, pontif. VI, et constit. edit. MDCXCVII, die 3 decembris, pontif. VII; in Clementis XI constit. edit. MDCCIV, die 13 februarii, pontificatus IV, conceditur Discalceatis provinciae Baeticae facultas celebrandi missam de B. M. V. singulis anni sabbatis.

1 Male edit. Main. legit *et* pro *ad* (R. T.).

praesertim Tridentini decretis, et sanctorum Patrum traditionibus, atque regularibus nostri Ordinis institutis apostolicâ auctoritate confirmatis inhaerendo, abusus quoscumque tolleret, regulas, institutiones et ecclesiasticam regularemque disciplinam, ac in primis divinum cultum, ubicumque excidisset, iuxta eiusdem Ordinis regulam et constitutiones, dictâ auctoritate confirmatus[1], modis congruis (prout in Brevi, cuius initium *Ex debito*, etc., die XXVIII augusti MDCXCIV emanato, latius continetur) restitueret ac reintegraret, ipse praedecessor noster, attente recogitans se in his, quae divinum cultum concernunt, mentem Sanctitatis Suae facile executurum, si de novo ederet in lucem tum rituale, tum caeremoniale, tum martyrologium, tum missale et diurnale, ac breviarium Romano-seraficum, quae pro toto Ordine in posterum ubique deservirent, reverendum apostolicum patrem fratrem Franciscum Diaz a S. Bonaventura Ordinis patrem ac sacrae Congregationis Rituum consultorem, in notitiâ rerum praedictarum apprime versatum, consulto selegit ad praestandum Deo et Ordini nostro hoc perutile atque laudabilem obsequium; nosque, pro eodem perficiendo, omnem eidem a die assumptionis nostrae ad Ordinis ministeriatum duximus exhibere opem atque assistentiam opportunam. Hinc certiores effecti de solerti curâ, qua prius rituale, deinde caeremoniale, postea martyrologium, successive missale, subinde diurnale, ac tandem breviarium praedicta, iuxta formam a sanctissimo domino nostro, ut praefertur, sancitam, ad praelum idem disposuit, necnon de approbationibus, quibus tam sacra Rituum Congregatio, quam idem Sanctissimus calendarium et rubricas, ad cuius et quarum praescriptum cetera cuncta ordinari debebant, et re-ipsâ ordinata conspiciuntur, benigne comprobarunt: nos, ad hoc ut impressio breviarii, ab eodem Sanctissimo apostolico munimine cum calendario ac rubricis praefatis roborati[1], prius incepta, quamcitius perduceretur in finem, prout iam opitulante Domino cernitur terminata, omnem ex tunc adhibuimus operam et sollicitudinem. Nunc vero attendentes, quod sub titulo rubricarum particularium breviarii praememorati, cui apostolicae approbationes praedictae iam pridem accesserunt, sequens adest dispositio, videlicet: *Pro ordinando quotidiano officio recurrendum est ad calendarium a num. 5 dispositum, et ad tabulam festorum mobilium, necnon ad suprascriptas rubricas, tam generales breviarii romani, quam particulares pro nostro, hîc et in dierum singulorum officiis exacte descriptas; omniumque servato praescripto, dietim servabitur regula seraphica, quae praecipit ut clerici faciant divinum officium secundum ordinem S. R. E., excepto psalterio, ex quo habere poterunt breviaria. Quoad caeremoniale vero, et alia ad recte et sancte reddendum Domino sacrificium laudis quoquomodo necessaria et opportuna, observanda sunt documenta a S. Bonaventura edita, necnon ordinationes capitulorum generalium apostolicâ auctoritate confirmatae, proinde rituale, constitutiones et doctrinae in firmamento trium Ordinum contentae, ibidem a sanctae memoriae Iulio II et tandem a felicis recordationis Clemente X in Brevi* Ex commissi nobis *die* XXVIII *augusti* MDCLXXI, *cum aliis recentioribus approbatae, et sub nonnullis poenis tunc et nunc observari mandatae. Forma itaque Deo persolvendi divinas laudes, hîc praescripta, ab omnibus*

1 Forsan *confirmatas* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *roborari* (R. T.).

*fratrum Ordinibus et Congregationibus, obedientiae ministri generalis fratrum Minorum S. Francisci subiectis, necnon a monialibus Conceptionistis, Coletaneis, de Annuntiata, et aliorum institutorum, quae sub eâdem obedientiâ debitum praestant Altissimo obsequium et famulatum, omnino tenenda est*: propterea, ne fratres ac moniales nostri seraphici coetus commodo ritualis et caeremonialis, necnon martyrologii, diurnalis ac missalis praefatorum, diu careant, et ab observando praescripto praeinsertae rubricae, apostolicâ auctoritate ut praefertur approbatae, se quoquomodo excusent, tenore praesentium eidem consultori commisimus et in Domino commendavimus, ut praedictos libros divini officii, nondum impressos, ad praescriptum vero kalendarii, rubricarum et breviarii, ut praediximus, dispositos, sine ullâ ulteriori morâ Romae typis mandare curaret: vobis autem omnibus tam subditis quam superioribus stricte, ac sub poenis contentis in Brevibus *Cum sicut*, die XXI novembris MDCXCVI, et *Exponi nobis*, die III decembris MDCXCVII a sanctissimo domino nostro pro approbatione, usu et impressione breviarii iam dicti expeditis, praecipimus, iniungimus et mandamus, ut, postquam libri huiusmodi Romae praelo mandati extiterint, aeque in ipsorum usu, et aliorum serie similis[1] reiectione et abolitione, vos geratis, ac teneamini, iuxta praefatorum Brevium praescriptum, soli breviario memorato ubique et in omnibus vos ipsos conformare: sic enim et non aliter executioni mandata censebitur commissio praedecessori nostro a Sanctissimo benigne facta atque impartita. Nec ulli unquam fas sit, sine reatu culpae in re adeo gravi omnino vitandae, quidquam in saepedictis libris, Sanctâ Sede inconsultâ, addere vel minuere, aut quoquo modo, etiam in praxi, alterationibus[1] depravare. Datae in sacro nostro Aracaelitano conventu, die IV augusti MDCXCVIII, et CDXC a primâ nostri Ordinis approbatione apostolicâ. — Frater MATTHAEUS A S. STEPHANO minister generalis. De mandato suae reverendissimae paternitatis, frater SEBASTIANUS A BENEVENTO, secret. generalis Ordinis ».

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Franciscus praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, specialem ipsi Francisco gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac auditâ super praemissis venerabilis fratris Prosperi archiepiscopi Myrensis fidei promotoris relatione, praeceptum et mandatum a memorato Matthaeo ministro generali facta, ut praefertur, expeditasque desuper eiusdem Matthaei ministri generalis patentes litteras praeinsertas, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. *Confirmatio relatorum decretorum.*

§ 3. Decernentes, easdem praesentes et praeinsertas patentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et *Clausulae.*

1 Voces *serie similis* non intelligo (R. T.).

1 Edit. Main. legit *alternationibus* (R. T.).

fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos et quas spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, eiusque provinciarum, congregationum et constitutionum quarumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam in libris huiusmodi impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae; utque eaedem praesentes litterae in principio vel fine dictorum librorum, etiam quandocumque de novo imprimendorum, typis imprimi debeant.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x novembris MDCXCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 10 novembris 1698, pontif. anno VIII.

---

## CLXXII.

*Confirmatur constitutio Clementis VIII contra occupantes vel perturbantes bona Congregationis de Alcobatia Ordinis Cistercіensis in regno Portugalliae* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

§ 1. Dudum a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro contra occupantes seu usurpantes bona Congregationis de Alcobatia nuncupata Ordinis Cisterciensis in regno Portugalliae emanarunt litterae in simili formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet:

Constitutio Clementis VIII pro dicta Congregatione, cum adiectione poenae excommunicationis in contravenientes.

« *Clemens Papa VIII ad perpetuam rei memoriam*. Pastoralis nostrae sollicitudinis ratio postulat, ut in his auctoritatis nostrae partes libenter interponamus, per quae monasteriorum et personarum in eis sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium commodo et utilitati opportune consulitur. Sane dilecti filii abbas generalis et alii abbates, abbatissae, monachi et ceterae regulares personae Congregationis de Alcobatia Ordinis Cisterciensis regnorum Portugalliae et Algarbiorum nobis nuper exponi fecerunt, quod (licet aliàs felicis recordationis Eugenius Papa IV praedecessor noster, per suum speciale privilegium Congregationi S. Iustinae Ordinis S. Benedicti concessum, quo exponentes praedicti ita utuntur, potiuntur et gaudent, ac si pro eis in favorem eorumdem a Sede Apostolicâ

1 Clementis VIII const. infra refertur. In Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXVIII, die XXV ianuarii, pontif. V, confirmantur omnia privilegia Ordini Cisterciensi.

a principio emanasset et fuisset immediate concessum, inter alia decrevit, ut nulli omnino hominum liceret praedictae Congregationis monasteria, loca, res et bona mobilia et immobilia, possessiones, domos, molendina, aquas piscationis, iura seu iurisdictiones temere perturbare, aut illa vel eorum aliquod auferre, vel ablata retinere, occupare, seu quomodolibet vexationibus fatigare; quodque, si aliqua ecclesiastica saecularisve persona, cuiuscumque gradus vel conditionis existeret, etiamsi pontificali dignitate praefulgeret, contra huiusmodi privilegium et indultum venire, vel aliquod eorum violando, occupando, turbando vel diminuendo, seu indebite fatigare praesumeret, neque, factâ ei notitiâ de huiusmodi indulto, infra tres dies se corrigeret, aut idoneam cautionem de satisfaciendo praestaret, excommunicationis sententiam ipso facto incurreret, a qua, nisi dictâ satisfactione praestitâ, praeterquam in articulo mortis, et tunc de satisfaciendo per se, si superviveret[1], aut per suos haeredes vel successores idoneâ praestitâ cautione, non posset absolutionis beneficium obtinere, ac aliàs, prout in dicti Eugenii praedecessoris litteris sub datum anno Incarnationis dominicae MCDXXXIV, VII kalendas martii, pontificatus sui anno IV expeditis latius continetur) nihilominus a nonnullis maxima adhuc damna inferuntur monasteriis praedictae Congregationis de Alcobatia, qui eorumdem monasteriorum muros, septa, valla, hortos, pomaria, nemora, sylvas, vineas, agros, praedia, possalia et prata diripiunt et destruunt. Quare pro parte praefatorum nobis fuit supplicatum, ut, dicti Eugenii praedecessoris litteris inhaerendo, super his opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, cupientes ut dictae Congregationis monasteria et religiosa loca eorumque personae nullum neque in spiritualibus nec in temporalibus recipiant detrimentum, huiusmodi supplicationibus inclinati, motu proprio, et ex certâ nostrâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, perpetuo statuimus, decernimus et ordinamus, ut nulli omnino personae, cuiuscumque ordinis, gradus, qualitatis et conditionis existat, quantumvis saeculari aliquâ aut ecclesiasticâ dignitate perfulgeat, liceat, directe vel indirecte, tacite vel expresse, quovis quaesito colore vel ingenio, tam per se quam per aliquam aliam tertiam personam seu personas, monasteriorum tam praesentium quam futurorum dictae Congregationis pecunias, bona, aedificia, villas, grangias, oliveta, possalia, prata, pascua, piscationes, molendina, aquas, aquarum decursus, iura, iurisdictiones, nemora, sylvas, vineas, possessiones, et alia quaecumque bona, quae in praesenti sunt et in futurum erunt, et quae omnia et singula per eorum vocabula hìc haberi volumus pro sufficienter expressis, temere perturbare, destruere, imminuere, occupare, diripere, auferre, depopulare, usurpare, seu quovis alio modo indebite damnificare, aut eorumdem monasteriorum septa, hortos, pomarios et vineas, quae sunt intra muros et clausuram ipsorum monasteriorum, intrare, et ex ipsis vineis, pomariis et hortis, quae non sunt intra clausuram et muros, aliquid furari, aut in ipsorum nemoribus et sylvis arbores et ligna scindere, eaque inde portare ausus fuerit, nec, factâ notitiâ de huiusmodi indulto, decreto, statuto et ordinatione nostris, infra tres dies se correxerit, et idoneam cautionem de satisfaciendo praebuerit, excommunicationis

[1] Male edit. Main. legit *supervenirel* pro *superviveret* (R. T.).

sententiam incurrat, a qua, nisi debitâ et integrâ satisfactione praestitâ, praeterquam in mortis articulo, et tunc per eos de satisfaciendo per se, si supervixerit[1], vel per haeredes aut successores suos factâ promissione, possit a quocumque, nisi a nobis, aut a Romano Pontifice pro tempore existente, absolutionis beneficium obtinere. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, Sedis Apostolicae nuncios, et causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus. Quocirca dilectis filiis ecclesiarum cathedralium dictorum regnorum Portugalliae decanis illarum dioecesum, in quibus dictae Congregationis monasteria consistunt, per praesentes committimus et mandamus, quatenus easdem praesentes litteras, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum generalis et aliorum abbatum, abbatissarum, ac dictae Congregationis regularium personarum fuerint requisiti, aut aliquis eorum fuerit requisitus, per parochialium ecclesiarum abbates, rectores, vicarios publicari faciant et procurent, atque etiam ut in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque inviolabiliter observari, ac plenum effectum sortiri, necnon eosdem generalem, abbates et ceteros regulares personas praedictas et eorum singulos omnibus praemissis frui et gaudere; non permittentes, eos et eorum quemlibet desuper contra praesentium tenorem sub quovis praetextu, vel subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio, vel defectu intentionis nostrae, per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, inquietari vel impediri; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictorum Ordinis et Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, et manu notarii publici aut alicuius scribae monasteriorum dictae Congregationis subscriptis, et sigillo dictae Congregationis, aut alicuius ipsius monasterii aut personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem omnino fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX iunii MDXCVI, pontificatus nostri anno V ».

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii modernus abbas generalis aliique abbates, necnon dilectae in Christo filiae abbatissae et ceterae regulares personae utriusque sexus dictae Congregationis nobis nuper exponi fecerunt, adhuc non desint qui maxima damna monasteriis dictae Congregationis inferre, illorumque bona frequenter diripere et destruere minime vereantur, ac propterea ipsi exponentes praeinsertas Clementis praedecessoris litteras, quo serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae praesidio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi

*Confirmatio relatae constitutionis.*

1 Edit. Main. legit *supervixerint* (R. T.).

volentes, eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium[1] consilio, praeinsertas Clementis praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis praedictorum cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus omnibus et singulis illis quae in praeinsertis Clementis praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV novembris MDCXCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 14 novembris 1698, pontif. anno VIII.

1 Deest *praepositorum* (R. T.).

## CLXXIII.

*Imponitur perpetuum silentium super quaestione de institutione Ordinis Carmelitarum a prophetis Elia et Eliseo*[1].

**Innocentius Papa XII, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Redemptoris[2] ac domini nostri Iesu Christi, qui charitas est et Deus pacis, vices, licet immeriti, gerentes in terris, christifidelium quorumcumque, potissimum vero divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus, adspirante superni favoris aurâ, proferre iugiter satagentium, quieti et tranquillitati, sublatis iurgiis atque altercationibus, quae fraternae charitatis serenitatem obnubilare possent, quantum nobis ex alto conceditur, consulere, commissaeque nobis a Domino potestatis partes desuper interponere studemus, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, salubriter in Domino expedire arbitramur.

Statuit ut in rubrica. § 1. Cum itaque, sicut non sine gravi animi nostri molestiâ accepimus, ex acribus super primaevâ institutione Ordinis fratrum beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo illiusque successione a sanctis prophetis Elia et Eliseo dudum enatis contentionibus, magnum christifidelium (eiusmodi minus necessarias quaestiones, utpote de rebus ad fidei veritatem seu morum disciplinam minime pertinentibus, praesertim inter religiosos viros, quos vota sua Altissimo in sanctitate et iustitiâ paceque fra-

1 Congregationem Discalceatorum componere Ordinem Carmelitarum declararunt Romani Pontifices, ut in Clementis X const. ed. MDCLXX, die 31 octobris, pontif. I: in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXX, die 14 februarii, pontif. VI, agitur de decretis circa doctrinam S. Thomae.

2 Edit. Main. legit *Redemptori* (R. T.).

ternâ reddere decet, summopere improbantium[1]) scandalum obvenerit, illudque ob quamplures libros ac libellos acerbiori stylo desuper hinc inde conscriptos in dies plurimum augeatur: hinc est quod nos, ex iniuncto nobis divinitus pastoralis sollicitudinis munere serio considerantes, in quantam malorum segetem eiusmodi dissidiorum zizania succrescere possint, nisi provide ex agro Domini evellantur, ac proinde gravioribus perturbationibus, quae praemissorum occasione in dies oriri possent, omnem ansam praecidere, et opportunum iam exortis remedium adhibere cupientes, habitâ super iisdem praemissis cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus, qui rem mature discusserunt, diligenti deliberatione, de illorum consilio, ac etiam motu proprio et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, super praefatâ quaestione de primaevâ institutione ac successione Ordinis supradicti a prophetis Elia et Eliseo perpetuum silentium tenore praesentium imponimus; illudque a defensoribus utriusque sententiae, necnon ab omnibus et quibuscumque aliis cuiuslibet status, gradus, conditionis, ordinis, congregationis, societatis et instituti, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione digni, tam in scriptis dissertationibus et libris imposterum typis edendis, quam in publicis disputationibus ac thesibus, sub excommunicationis latae sententiae poenâ per contrafacientes ipso facto incurrendâ, perpetuo servandum esse decernimus et ordinamus.

Prohibentur libri et scripta super dictâ quaestione.

§ 2. Praeterea libros, theses, seu scripta quaecumque, contra earumdem praesentium formam in posterum edenda, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, harum serie prohibemus sub poenis et censuris in regulis Indicis librorum prohibitorum contentis, illaque eo ipso absque aliâ declaratione pro expresse prohibitis haberi volumus et mandamus. Non intendimus tamen per silentii huiusmodi impositionem uni seu alteri ex dictis sibi adversantibus sententiis ullum maius pondus adiungere, sed utramque manere volumus in statu et terminis, quibus de praesenti reperitur, donec aliter nobis et Sedi Apostolicae visum fuerit determinare.

Clausulae.

§ 3. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime et inviolabiliter observari, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos ac Sedis nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinum, congregationum, societatum et institutorum quorumcumque, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, pri-

1 Ista parenthesi claudimus, quia non satis cohaeret syntaxis (R. T.).

vilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis quibusvis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, in genere vel in specie, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur et insererentur, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, eisdem praesentibus pro expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si praefatis vel aliis quibuslibet communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut praesentes litterae in valvis ecclesiae Lateranensis, ac basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae apostolicae, Curiaeque generalis in Monte Citorio, ac in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, publicentur et affigantur, sicque publicatae et affixae omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique eorum personaliter intimatae fuissent; quodque earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX novembris MDCXCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 20 novembris 1698, pontif. anno VIII.

---

## CLXXIV.

*Statuitur ut canonici regulares Congregationis Hispaniae Ordinis Praemonstratensis tam in habitu quam in ceteris cum aliis uniformes sint*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Causa mutati habitus.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii canonici regulares Congregationis Hispaniae Ordinis Praemonstratensis, quod (cum aliàs tunc existentes canonici regulares dictae Congregationis canonicis regularibus Gallis Ordinis praedicti se se opposuissent, et subinde superior generalis Ordinis huiusmodi ex natione Gallicâ assumptus fuisset), ut se ab illius iurisdictione eximerent, a bonae memoriae Nicolao, dum vixit, episcopo Patavino, tunc in Hispaniarum regnis Apostolicae Sedis nuntio, petierunt,

1 Idem circa habitum mandatum fuit ab Urbano VIII, const. ed. MDCXLI, die 19 augusti, pontif. XIX, et praesens const. confirmatur a Clemente XI, const. ed. MDCCII, die 9 novembris, pontif. II.

ut, quo ab aliis canonicis regularibus Ordinis praedicti distinguerentur, sibi habitus regularis formam immutare liceret, ab eoque obtinuerunt, ut, ad instar fratrum Calceatorum Ordinis beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum, habitum albi coloris ex stamineo textu subtiliori, sine tamen tesserâ scapulario adsutâ, ac absque mantello seu pallio super caputio, gestare valerent; quo habitu ipsi exponentes de praesenti utuntur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes usum habitus huiusmodi imprudenter et inconsiderate ab eorum antecessoribus introductum fuisse, ipsumque habitum ab eo, qui per regulam sancti Norberti Ordinis praedicti fundatoris praescribitur, quique a canonicis regularibus provinciarum Italiae, Franciae et Alemanniae dicti Ordinis aliarumque christiani orbis partium, in quas idem Ordo propagatus reperitur, de praesenti gestatur, et antiquitus etiam a canonicis regularibus Ordinis huiusmodi in regno Castellae degentibus gestabatur, difformen esse, adeoque se per illius delationem a dictae regulae institutis deficere, et insuper a fratribus quorumdam aliorum Ordinum non distingui agnoscant; ac proinde habitum regularem, qui in limine fundationis dicti Ordinis praescriptus fuit, reassumere, eoque in futurum uti, necnon officia Sanctorum eiusdem Ordinis recitare posse plurimum desiderent[1]: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

*Statutum praedictum.* § 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, ut de cetero iidem exponentes cum universo Ordine Praemonstratensi tam in habitu quam in ceteris uniformes sint et esse debeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

*Clausulae.* § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

*Contrariorum derogatio.* § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis Hispaniae, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemis-

1 Edit. Main. legit *desiderant* (R. T.).

sorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI decembris MDCXCVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 6 decembris 1698, pontif. anno VIII.

---

## CLXXV.

*Confirmatur aggregatio Congregationis sancti Patritii in Hiberniâ Congregationi canonicorum regularium Lateranensium cum eorumdem constitutionum receptione* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Causa aggregationis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii canonici regulares Cangregationis sancti Patritii in regno Hiberniae, quod aliàs, ne ipsi diutius dispersi ac sine pastore remanerent, dicta eorum Congregatio Congregationi Lateranensi canonicorum regularium Ordinis sancti Augustini, de consensu illius superiorum, aggregata fuit cum facultate utendi constitutionibus eiusdem Congregationis Lateranensis, servatis tamen, durante praesenti rerum dictique regni statu, nonnullis moderationibus in decreto super aggregatione huiusmodi emanato expressis.

Confirmatio dictae aggregationis sine praeiudicio Ordinariorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes aggregationem praedictam, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, qui rem mature perpenderunt, consilio, aggregationem praedictae Congregationis sancti Patritii Congregationi Lateranensi, sicut praemittitur, factam, sine praeiudicio tamen iurium Ordinariis locorum quomodolibet competentium, et cum usu constitutionum ipsius Congregationis Lateranensis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerit, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

[1] A Clemente X, const. ed. MDCLXXII, die 19 augusti, pontif. III, editae sunt nonnullae constitutiones pro canonicis Lateranensibus, et a Clemente, XI const. ed. MDCCI, die 19 maii, pontif. X, confirmatur Clementis X constitutio.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationum sancti Patritii et Lateranensis ac Ordinis praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX ianuarii, MDCXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 30 ianuarii 1699, pontif. anno VIII.

---

## CLXXVI.

*Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium pro independentiâ coenobii Albarii Ordinis Minorum sancti Francisci Conventualium*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, in causâ Ianuensi subiectionis conventus loci Albarii, inter dilectos filios fratres conventus Ianuensis, ex unâ, et modernum ministrum provincialem provinciae Ianuensi Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, ex alterâ partibus, vertente, decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « In causâ Ianuensi subiectionis conventus Albarii inter patres conventus Ianuae, ex unâ, et patrem provincialem dictae provinciae Ordinis Minorum Conventualium, partibus ex alterâ, de et super infrascriptis dubiis, nempe: 1°: An conventus loci Albarii sit proprie membrum annexum ac dependens a conventu Ianuae, seu potius sit conventus formatus ac independens; 2°: An patribus Ianuae competat ius faciendi actus capitulares, et signanter petendi revisiones computorum, ac redditiones rationum, seu potius hoc spectet ad guardianum Albarii et eius familiam, vel ad ad ministrum provincialem; 3°: An guardianus Albarii sit eligendus ex corpore capituli Ianuae; 4°: An guardianus Ianuae possit ad sui libitum transmittere patres capitulares Ianuae ad dictum conventum, itaut censeantur tamquam de familiâ, an vero id spectet ad ministrum provincialem ac definitorium; Decretum Congregationis in causâ inter fratres provinciae Ianuensis super subiectione dicti coenobii.

[1] In Alexandri VIII const. ed. MDCXC, die 5 aprilis, pontif I, extant quaedam decreta capituli generalis, et in huius Pontificis constit. edit. MDCXCIX, die 16 maii, pontif. VIII, agitur de primatu inter definitores perpetuos provinciarum.

5° : An patres Ianuae possint etiam dici patres et filii conventus Albarii, seu potius liceat ministro provinciali decernere ut in dicto conventu patres et filii constituantur iuxta constitutiones Ordinis: Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, partibus ipsis infromantibus, referente eminentissimo Petruccio, censuit ac declaravit praedictum conventum Albarii esse in statu conventus formalis et independentis; et in reliquis servari constitutiones Urbanas. Romae, XXIII ianuarii MDCXCIX. — G. cardinalis CARPINEUS. — N. Archiepiscopus Athenarum.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte eiusdem ministri provincialis nobis subinde expositum fuit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, specialem ipsi ministro provinciali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis, provinciae et conventuum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII februarii MDCXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 7 februarii 1699, pontif. anno VIII.

---

## CLXXVII.

*Damnatur et prohibetur liber, cui titulus* Explication des maximes des Saints, *etc. Parisiis* MDCXCVII [1].

1 Ab Innocentio XI damnati fuere libri et scripta de Molinos const. edit. MDCLXXXVII, die 21; et a Clemente XI constit. edit. MDCCIII, die 10 februarii, pontif. III, damnantur quaedam folia gallica.

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Causae huius constitutionis.

§ 1. Cum aliàs ad apostolatus nostri notitiam pervenerit, in lucem prodiisse librum quemdam gallico idiomate editum, cui titulus: *Explication des maximes des Saints sur la vie intérieure, par messire François de Salignac Fénélon, archevêque de Cambray, précepteur de messeigneurs dues de Bourgogne, d'Anjou et de Berry. A Paris chez Pierre Emery, Charles Clousier* MDCXCVII; ingens vero subinde de non sanâ libri huiusmodi doctrinâ excitatus in Galliis rumor adeo percrebuerit ut opportunam pastoralis vigilantiae nostrae operam efflagitaverit: nos eumdem librum nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, aliisque in sacrâ theologiâ magistris, mature, ut rei gravitas postulare videbatur, examinandum commisimus. Porro hi mandatis nostris obsequentes, postquam in quamplurimis congregationibus varias propositiones ex eodem libro excerptas diuturno accuratoque examine discusserant, quid super earum singulis sibi videretur tam voce quam scripto nobis exposuerunt.

Prohibitio dicti libri tanquam temerarii, scandalosi, male sonantis, offensivi, perniciosi et erronei motu proprio facta.

§ 2. Auditis igitur in pluribus itidem coram nobis desuper actis congregationibus memoratorum cardinalium et in sacrâ theologiâ magistrorum sententiis, dominici gregis nobis ab Æterno Pastore crediti periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, librum praedictum, ubicumque et quocumque alio idiomate seu quavis editione aut versione hucusque impressum, aut in posterum imprimendum, quippe ex cuius lectione et usu fideles sensim in errores ab Ecclesiâ catholicâ iam damnatos induci possent, ac insuper tamquam continente propositiones, sive in obvio earum verborum sensu, sive attentâ sententiarum connexione, temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respective, tenore praesentium damnamus et reprobamus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem et usum omnibus et singulis christifidelibus, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, interdicimus et prohibemus; volentes et apostolicâ auctoritate mandantes, ut, quicumque supradictum librum penes se habuerint, illum, statim atque praesentes litterae eis innotuerint, locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis inquisitoribus tradere ac consignare omnino teneantur: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Propositiones ob quas damnatus fuit liber.

§ 3. Ceterum propositiones in dicto libro contentae, quas apostolici censurâ iudicii, sicut praemittitur, configendas duximus, ex gallico idiomate in latinum versae, sunt tenoris qui sequitur, videlicet:

« I. Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura et sine ullâ admixtione motivi proprii interesse. Neque timor poenarum neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.

II. In statu vitae contemplativae, seu unitivae, amittitur omne motivum interessatum timoris et spei.

III. Id quod est essentiale in directione animae, est non aliud facere quam sequi pedetentim gratiam cum infinitâ

patientiâ, praecautione et subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, et nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, et adeo potest illas scandalizare aut in perturbationem coniicere.

IV. In statu sanctae indifferentiae, anima non habet amplius desideria voluntaria et deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus in quibus toti suae gratiae fideliter non cooperatur.

V. In eodem statu sanctae indifferentiae, nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus ut simus perfecti et beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere ut velimus res istas impressione suae gratiae.

VI. In hoc sanctae indifferentiae statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem aeternam, ut mercedem nostrorum meritorum, nostrorum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plenâ, ut gloriam et beneplacitum Dei, ut rem quam ipse vult et quam nos vult velle propter ipsum.

VII. Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui[1] ipsius renunciatio, quam Iesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium. Extremae probationes, in quibus haec abnegatio seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus aemulator vult purgare amorem, nullum ei ostentendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium etiam aeternum.

VIII. Omnia sacrificia, quae fieri solent ab animabus quammaxime disinteressatis circa earum aeternam beatitudinem, sunt conditionalia; sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.

IX. In extremis probationibus potest animae invincibiliter persuasum esse persuasione reflexâ, et quae non est intimus conscientiae fundus, se iuste reprobatam esse a Deo.

X. Tunc anima divisa a semetipsâ expirat cum Christo in cruce, dicens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* In hac involuntariâ impressione desperationis, conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad aeternitatem.

XI. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse, sed nunquam amittit in parte superiori, idest in suis actibus directis et intimis, spem perfectam, quae est desiderium disinteressatum promissorum.

XII. Director tunc potest huic animae permittere, ut simpliciter acquiescat iacturae sui proprii interesse, et iustae condemnationi quam sibi a Deo indictam credit.

XIII. Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

XIV. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quaedam separatio partis superioris animae ab inferiori. In istâ separatione actus partis inferioris manant ex omnino caecâ et involuntariâ perturbatione; nam totum quod est voluntarium et intellectuale, est partis superioris.

XV. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur. Ista compositio actuum discursivorum et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

1 Edit. Main. legit *suis* pro *sui* (R. T.).

xvi. Datur status contemplationis adeo sublimis, adeoque perfectae, ut fiat habitualis, itaut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire[1] ad meditationem eiusque actus methodicos.

xvii. Animae contemplativae privantur intuitu distincto sensibili et reflexo Iesu Christi duobus temporibus diversis: primo in fervore nascente earum contemplationis; secundo anima amittit intuitum Iesu Christi in extremis probationibus.

xviii. In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctae, non cogitando quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur quam facere id quod Deus vult, et amor zelotypus simul efficit ne quis amplius sibi virtutem velit nec unquam sit adeo virtute praeditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.

xix. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva et disinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio et sua felicitas, sed solum quatenus est id quod Deus a nobis vult.

xx. In confitendo debent animae transformatae sua peccata detestari, et condemnare se, et desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem et liberationem, sed ut rem quam Deus vult, et vult nos velle propter suam gloriam.

xxi. Sancti mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

xxii. Quamvis haec doctrina (de puro amore) esset pura et simplex perfectio evangelica in universâ traditione designata, antiqui pastores non proponebant passim multitudini iustorum nisi exercitia amoris interessati eorum gratiae proportionata[2].

1 Edit. Main. legit *redigere* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *proportionatae* (R. T.).

xxiii. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, et tunc evadit unicum principium et unicum motivum omnium actuum, qui deliberati et meritorii sunt ».

§ 4. Non intendit tamen Sanctitas Sua per expressam propositionum huiusmodi reprobationem alia in eodem libro contenta ullatenus approbare. Reliquae propositiones non approbantur.

§ 5. Ut autem eadem praesentes litterae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, et auctoritate praefatâ decernimus, ut illae ad valvas basilicae Principis Apostolorum ac Cancellariae apostolicae, necnon Curiae generalis in Monte Citatorio, et in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur, itaut sic publicatae omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent; utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae. Clausulae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII martii MDCXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 12 martii 1699, pontif. anno VIII.

---

## CLXXVIII.

*Confirmatur decretum Congregationis Concilii super obligatione parochorum*

*applicandi sacrificium pro populo in diebus festivis*[1].

**Innocentius Papa XII,
ad futuram rei memoriam.**

Causa huius decreti fuit episcopus Pistoriensis et Pratensis.

§ 1. Nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum emanavit, super quodam dubio pro parte venerabilis fratris moderni episcopi Pistoriensis et Pratensis Congregationi huiusmodi proposito, decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « *Pistoriensis et Pratensis:* Cum parochi ecclesiarum Pistoriensis et Pratensis, inter varias opiniones doctorum involuti, negligant in dies celebrationem et respective applicationem sacrificii pro populo iuxta dispositionem sacrorum canonum et Concilii Tridentini, episcopus, ad consulendum nedum propriae, verum etiam dictorum parochorum conscientiae, supplicat declarari: *An parochi teneantur omnibus diebus festis applicare sacrificium pro populo, sive non.*

Decretum Congregationis MDCXCIX simile alteri pro abbate Nonantulano.

» Die XIV februarii MDCXCIX, sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, dandas esse resolutiones aliàs hac de re editas, et signanter in nullius Nonantulano eminentissimo abbati XXX augusti MDCXCVIII tenoris ut infra:

« Cum praecepto divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis sacrificium offerre, saepe aliàs sacra Congregatio Concilii censuit parochos teneri pro parochianis sacrificium applicare, et praecipue in dubio applicationis sacrificii proposito et respective resoluto sub die X maii MDCXCII his praecisis verbis concepto: *An parochus missam celebrare teneatur et sacrificium applicare pro parochianis in diebus dominicis et festis, sive habeat congruam sive non?* Sacra, etc., iuxta alias declarationes, censuit teneri, nec posse eisdem diebus aliam eleemosynam recipere: ac proinde idem nunc respondendum esse censuerunt eminentissimi patres quoad parochos Nonantulanae dioecesis; addentes insuper quod E. V. pro suo pastorali zelo detrectantes parochos compellere non gravetur — I. cardinalis SACRIPANTES praefectus — F. NUPTIUS secretarius ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus episcopus nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, specialem ipsi episcopo gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore

[1] In const. ed. MDCXCVII, die 23 decembris, pontif. VII, extant plura decreta super celebratione missarum; et in Benedicti XIII const. ed. MDCCXXVIII, die 14 iunii, pontif. V, agitur de ordinatis eiectis a Societate Iesu.

quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV aprilis MDCXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 24 aprilis 1699, pontif. anno VIII.

---

## CLXXIX.

*Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium circa primatum inter definitores perpetuos seu patres provinciae Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

A Clemente X concessum fuit, ut inter quinque species definitorum perpetuorum servaretur ordo antianitatis.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum definitorum perpetuorum Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum per patentes litteras ministrorum generalium dicti Ordinis institutorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod dudum felicis recordationis Clemens Papa X praedecessor noster, ut statui et praecedentiae inter definitores perpetuos Ordinis praedicti, patres provinciae vocari solitos (qui in quinque species distincti esse recensebantur: nempe aliqui propter gestum in propriâ vel alienâ provinciâ provincialatus officium; alii quia lecturam duodecim annorum spatio in regentiis, inter quas erant quae primae classis vocabantur, et collegiis vel universitatibus studii generalis exercuissent; alii ex eo quod verbum Dei eodem temporis spatio in pulpitis seu ecclesiis per decreta dicti Ordinis praescriptis praedicassent; alii quia, cum in sacrâ theologiâ magistri essent, per annos duodecim magistri novitiorum munere functi fuissent; et reliqui, ex decreto recolendae memoriae Alexandri Papae VII etiam praedecessoris nostri, qui pariter magisterii in sacrâ theologiâ gradu decorati per duodecim annorum decursum inquisitores haereticae pravitatis fuissent, seu partim lecturam, ut supra, et partim inquisitoris officium exercuissent), provisum foret, supplicationibus pro parte tunc existentis procuratoris generalis Ordinis praedicti nomine etiam tunc pariter existentium ministri generalis ac definitorum generalium perpetuorum et assistentium eiusdem Ordinis sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, ut de cetero omnes et singuli definitores perpetui provinciarum dicti Ordinis, modo et formâ praedictis, post finitum lecturae seu praedicationis vel magisterii novitiorum aut inquisitoratus tempus per constitutiones eiusdem Ordinis seu praedictum Alexandri praedecessoris decretum respective praescri-

1 A Clemente X, const. ed. MDCLXXI. die 1 decembris, pontif. II, nonnulla determinata fuere circa dictos definitores; ab Innocentio XI constitutione ed. MDCLXXXVIII, die 29 novembris, pontif XIII, circa primatum collegialium, et ab hoc Pontifice const. edit. MDCC, die 14 iunii, pontif. IX, circa primatum fratrum S. Didaci Discalceatorum in Indiis Occidentalibus, necnon a Clemente XI const. edit. MDCCXX, die 7 maii, pontif. XX, confirmantur quaedam decreta definitorii generalis.

ptum, ab existente pro tempore ministro generali Ordinis huiusmodi per patentes eius litteras ceteroqui canonice catenus instituti et in futurum instituendi, illico exprovincialium praeeminentiis, praerogativis et praecedentiis fruerentur, potirentur et gauderent, in omnibus et per omnia, ac sine prorsus ullâ differentiâ, perinde ac si provincialatus munere functi fuissent, atque inter eos et exprovinciales praedictos servaretur aequalitas, et, quoad ordinem praecedentiae, sola prioritas definitoratus et paternitatis provinciae attenderetur, auctoritate apostolicâ concesserat et indulserat, et aliàs prout in ipsius Clementis praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis expeditis uberius dicebatur contineri: et in eâdem expositione subiuncto, quod nonnulli, qui ratione officii provincialatus titularis definitores perpetui Ordinis praedicti esse reperiebantur, antianitatem sui definitoratus in suis provinciis nativis non a tempore absoluti, quando scilicet revera exprovinciales dicuntur et remanent, sed a die incepti provincialatus titularis officii huiusmodi, seu ipsorum institutionis in provinciales titulares computari seu desumi debere praetendebant, contra expressum sensum verborum praedictarum Clementis praedecessoris litterarum, in quibus videlicet exprovinciales denominabantur et propter gestum provincialatus officium definitores perpetui recensebantur, imo etiam contra expressam dispositionem constitutionum Urbanarum nuncupatarum dicti Ordinis, cap. VIII, tit. XXII, n. 3. in fine, ubi statutum illos concernens legi dicebatur hoc verborum tenore: *expleto huiusmodi provincialatus tempore, deinceps nativarum provinciarum patres perpetuique definitores iure legitimeque remaneant;* ex praetensionibus vero huiusmodi multae dissensiones inter fratres praedicti Ordinis non sine divini servitii et regularis observantiae detrimento resultabant: ideoque pro parte eorumdem definitorum perpetuorum per patentes litteras ministrorum generalium Ordinis huiusmodi sicut praemittitur institutorum dictae Congregationi cardinalium supplicato, ut declarare vellet, an iuxta praedictas Clementis praedecessoris litteras memorati exprovinciales titulares ab incepti seu potius ab absoluti eorum provincialatus officii tempore definitores perpetui in suis provinciis nativis reputari deberent: emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, audito patre procuratore generali praedicti Ordinis, et attentis narratis, censuit et declaravit, praecedentiam inter definitores perpetuos et provinciales titulares admissos ante ultimum capitulum generale desumendam esse in provinciis nativis, postquam ipsi patres provinciales compleverint triennium provincialatus titularis et titulum et denominationem exprovincialium assumpserint, et non antea; in provinciis vero titularibus a die post institutionem per litteras patentales et post emissionem professionis fidei; prout praesentis decreti vigore desumi mandat ac praecipit. Romae XXVI martii MDCXCIX. — G. cardinalis CARPINEUS. — N. archiepiscopus Athenarum secretarius ».

Nonnulli definitores praetendebant antianitatem computandam esse a tempore electionis.

Decretum super re S. Congregationis.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut definitores perpetui, per patentes litteras, ut praefertur, instituti, nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae pa-

trocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI maii MDCXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 16 maii 1699, pontif. anno VIII.

---

## CLXXX.

*Indicitur universale iubilaeum anni sancti* MDCC [1].

**Innocentius episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis,**
**salutem et apostolicam benedictionem.**

Prooemium a commendatione huius anni sancti petitum. Regi saeculorum, qui sedet super Cherubim, et terrena omnia per labentium temporum vices, immortalis ipse et incommutabilis permanens, mirâ ordinatione dispensat, cantemus, dilecti filii, canticum novum, et acceptabile gratiarum et laudis sacrificium immolemus. Dum enim exeuntis iam saeculi finem instare conspicimus, supernam merito

1 Ultimum iubilaeum anni sancti MDCLXXV indictum fuit a Clemente X, const. ed. MDCLXXIV, die 16 aprilis, pontif. IV.

erga nos misericordiam confitemur, quia tot inter humanae vitae pericula non sumus consumpti, et nostrae simul mortalitatis admoniti, praeterire omnia, et nihil permanere sub sole, non divinis modo eloquiis credimus, sed ipsum decurrentium saeculorum experimento deprehendimus; aeternae scilicet providentiae per mundanas huiusmodi varietates nos erudiente consilio, ut, immortalis vitae gaudiis destinati, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo, atque infirma haec et instabilia contemnentes, ad ea, quae sursum sunt et in aeternum permanent, animos erigamus. Hoc vero saluberrimum et christiano plane dignum nomine studium, etsi nullo unquam vitae nostrae tempore negligendum, peculiari tamen ratione ac suo quodam veluti iure nobis exigit appropinquans laetissimus ille, universaeque catholicae Ecclesiae venerabilis annus, nobis ex veteri maiorum instituto celebrandus, quo ad hanc almam Urbem nostram et beati Petri sedem ex toto orbe concurritur, et universis fidelibus ad quaeque pietatis officia impensius excitatis, caelestes thesauri unigeniti Filii Dei et salvatoris nostri Iesu Christi sanctorumque eius meritis comparati, latissime reserantur. Antiquorum enim, ut nostis[1], habet fida traditio, per decurrentes saeculorum aetates, centenis quibusque ab eiusdem Domini nostri salutiferâ Incarnatione annis, amplissimas peccatorum indulgentias ac remissiones pie ac devote sacra Apostolorum limina visitantibus esse propositas. Et quamvis provido Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum consilio sanctissimi huius iubilaei celebrandi tempus, quod multi, aetate hominum in die descrescente, attingere non valebant, quo plures possent indulgentiarum eius fieri participes, intra angustiores annorum limites contractum fuerit; ipsa nihilominus centenarii celebratio et antiquitatis praestantiâ et[1] expressiori primaevae originis repraesentatione in primis insignis merito existimatur; postremo videlicet cuiusvis saeculi anno (quod longissimus humanae vitae spatium reputatur) christianis omnibus partum sibi per Christum aeternae vitae per infinita saecula duraturae beneficium solemnius recolentibus. Audite ergo haec omnes gentes, quae Christi nomine gloriamini; auribus percipite qui habitatis orbem, reges terrae et omnes populi, simul in unum dives et pauper, dum nos, eiusdem Christi vices, licet immeriti, gerentes in terris, annuntiamus vobis et evangelizamus annum Domini placabilem, annum expiationis et veniae, redemptionis et gratiae, remissionis et indulgentiae peccatorum. Audiat terra verba oris nostri, et buccinae sacerdotalis iubilaeum populo Dei personantis clangorem universus orbis laetus excipiat, dum, quod olim filiis Israël in umbrâ legis praefiguratum accepimus, hoc in Evangelii veritate iam cernimus spiritualiter adimpletum: nec enim, ut pridem iudaicum populum ad terrenarum possessionum recuperationem christianus nos annus iubilaeus invitat, sed ad aeternae assequutionem haereditatis, a qua nos praevaricatio primi parentis excluserat; non ab humanâ servitute manumittimur, sed in libertatem filiorum Dei vindicamur; non pecuniarum debito absolvimur, sed peccatorum; non labori colendae terrae subducimur, sed in caelestium contemplatione Domino feriamur.

§ 1. Quod igitur ratio temporis et eorumdem Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum admonet con- *Indictio iubilaei et eius consequendi ratio.*

1 Male ed. Main. legit *nostris* pro *nostis* (R. T.).

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

suetudo, illorum vestigiis inhaerentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium assensu, universalis et maximi in hac almâ Urbe nostrâ iubilaei celebrationem in annum proximum MDCC, a primis vesperis vigiliae Nativitatis domini nostri Iesu Christi proxime futurae inchoandam, et per totum annum ipsum finiendam, auctoritate Dei omnipotentis et beatorum Petri et Pauli ac nostrâ, maximo et superabundanti nostri cordis gaudio et exaltationem, ad ipsius Dei gloriam, catholicae Ecclesiae exaltationem, ac totius christiani populi sanctificationem indicimus et promulgamus. Quo quidem iubilaei anno durante, omnibus utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, qui beatorum Petri et Pauli, necnon S. Ioannis Lateranensis et S. Mariae Maioris de Urbe basilicas semel saltem in die per triginta continuos aut interpolatos dies, si Romani vel incolae Urbis, si vero peregrini aut aliàs externi fuerint, per quindecim saltem dies devote visitaverint, et pro sanctae Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, catholicorum principum concordiâ, et christiani populi salute et tranquillitate pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem ac veniam misericorditer in Domino concedimus et impertimur. Et quoniam evenire potest, ut ex iis, qui hac de causâ iter aggressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in viâ aut etiam in ipsâ Urbe morbo vel aliâ legitimâ causâ detenti aut morte praeventi, praefinito dierum numero non completo, ac ne quidem fortasse inchoato, praemissa exequi et dictas basilicas visitare nequeant: nos, piae promtaeque illorum voluntati, quantum in Domino possumus, benigne favere cupientes, eosdem vere poenitentes et confessos praedictae indulgentiae et remissionis participes perinde fieri volumus, ac si dictas basilicas diebus a nobis praescriptis reipsa visitassent; ut, praefatis necessitatibus impediti, desiderii sui effectum dono Sancti Spiritus consequantur.

*Excitantur omnes ad bona opera et ad iubilaeum.*

§ 2. Sanctificamini itaque, filii dilectissimi, et praeparate corda vestra Domino, ut annum merito sanctum a maioribus appellatum, quia sanctis operibus specialius praestitutum, devotionis religiosae consuetudine celebretis. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis Domini, et, renovati spiritu mentis vestrae, orationibus insistite; frequentate ieiunia, eleemosynas erogate, quibus et propitiatio Dei quaeritur, et concupiscentia carnis extinguitur, et anteactae vitae crimina redimuntur. His porro christianae vitae ornamentis instructi, virtutumque praesidiis communiti, impigrâ piâque animi alacritate ad hanc sanctam in terris civitatem Dei, tot sanctorum martyrum ac beatorum, praecipue apostolorum Ecclesiae principum memoriâ praecellentem, velut ad thronum gratiae accedite cum fiduciâ, ut misericordiam consequamini; si enim duorum vel trium fidelium pio consensui, omnia quae poposcerint, Dominus praestanda promittit, quid denegabitur multorum millium plebi unam observantiam pariter exequenti, et per unum spiritum in ipsâ religionis arce concorditer supplicanti? Dirigat Dominus gressus vestros in semitis suis, et in pace deducat vos[1] velut oves pascuae suae ad pastorem vobis in terris divinitus constitutum humiliter confluentes, ut qui unum corpus sumus in Christo, unanimes honorificemus Deum, et in sanctae Ecclesiae, quae una est dilecta Dei nostri, communione invicem collaete-

1 Edit. Main. legit *nos* pro *vos* (R. T.).

mur. Atque utinam vobiscum pari charitatis amplexu et paterni amoris in sinu daretur excipere filios olim nostros, nunc autem ab Ecclesiâ transfugas, qui iuxta nos erant, et de longe steterunt, recedentes a fide patrum suorum, et avertentes se ab ubere matris suae, quod sine gravi maerore recolere non valemus; deceptarum quippe tot animarum ruinas cum fletu et lacrymis miseramur, exequentes apostolicae pietatis exemplum, ut cum infirmantibus infirmemur. Et quia nos eius locum, licet immeriti, tenere conspicimus, qui venit revocare dispersos in terram suam, oves quae perierunt, assiduis ad Deum votis, repetere et pastorali sollicitudine quaerere non desistimus, clamantes et invitantes ut revertantur praevaricatores ad cor, omnique haereticâ pravitate depositâ, catholicae veritatis lumen agnoscant, et ad sanctae matris Ecclesiae redeant unitatem.

Mandatur Ordinariis locorum promulgatio iubilaei.

§ 3. Vos autem in primis, venerabiles fratres nostri patriarchae, primates, archiepiscopi et episcopi, sal terrae et lux mundi a Domino constituti, et ad dandam scientiam salutis plebi eius, in consortium nostrae sollicitudinis advocati, dominico gregi devotionem officii pastoralis impendite, vocate coetum, congregate populum, ovesque vobis creditas ad primi post Christum pastoris beati Petri sedem adducite, ut, convenientibus undequaque ad fidei petram et catholicae unitatis fundamentum christifidelibus, una Ecclesiae fides et unus Spiritus clarius pateat, atque uni visibili capiti, Christi in terris vicario, membrorum eius perpetua atque indivisa coniunctio charitatis glutino coagmentata, unde unum Christi corpus efficitur, toti mundo splendidius elucescat. Dicite in gentibus, quam magnum et in conspectu Domini pretiosum sit cum totus Christi populus eisdem simul instat officiis, et in utroque sexu omnes gradus, omnesque ordines sanctis operibus uno cooperantur affectu; plenissima enim obtinetur peccatorum abolitio, quando una est Ecclesiae totius oratio. Annunciate populis annum acceptabilem Domino, caelestium gratiarum ubertate redundantem, quem proinde fideles cuncti piâ devotione suscipiant, et bonorum operum frequentatione sanctificent. Docete omnes, sacro hoc potissimum tempore, a peccatis abstinere, intemperantiam fugere, et turpium voluptatum damna vitare, emundatosque ab omni inquinamento carnis et spiritûs caelestia concupiscere, et in amorem se incorruptibilis boni atque in spem verae lucis attollere. Detumescat superbia, mansuescat iracundia, cessent odia, deficiant simultates, et in unitatem dilectionis omnia Christi membra conveniant. Qui vero substantiam huius mundi habent, vobis praedicantibus discant non in incerto divitiarum confidere, sed omni avaritiae labe depositâ, ad promerendam misericordiam Dei per opera misericordiae se preparare. Aperiant viscera sua, et fratrum suorum pauperum inopiam sublevent, ac peregrinos praecipue Romam venientes subsidiis adiuvent, hospitio excipiant, omnibusque christianae charitatis officiis prosequantur. Omnes autem, ut vetus Ecclesiae consuetudo apostolico ore laudata nos admonet, orent pro regibus et principibus christianis, ut quietam et tranquillam vitam agamus, et pax et concordia perpetuo conservetur. Eos porro, qui sacram peregrinationem ad hanc almam Urbem nostram susceperint, paternis exhortationibus specialibus admonete, qua cordis devotione et modestiâ ac fraternae pacis observatione ubique se gerant, ut Christi bonus odor fiant in omni loco.

Non vanis intendant fabulationibus, non mundi curiosa sectentur, sed piis meditationibus mentem instruant, et ad portandas itineris molestias divinarum rerum colloquiis, hymnis[1] etiam et canticis spiritualibus sibi invicem adiumento sint, et cantent in viis Domini; quoniam magna est gloria Domini, cogitent, quia dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, quodque non habentes hic manentem civitatem, futuram inquirimus, et ad eam, quae sursum est, Ierusalem matrem nostram sanctae spei affectibus aspiramus. Avertant in itinere oculos suos ne videant vanitates, nec illicitis cupiditatibus aut saecularibus desideriis a suscepto pietatis proposito distrahi se patiantur. Sic bonas facient vias suas, et ambulantes in semitis iustitiae, digni fient, angelo Dei comite, ad hanc santam civitatem cum exultatione deduci, ubi introibunt in tabernacula Domini, et adorabunt in locis ubi requiescunt Sancti eius. Intrabunt portas eius in confessione, portas iustitiae, quibus facilis ad misericordiam Dei praestatur accessus, et ad caelestium benedictionum thesauros acquirendos felix aditus aperitur. In omnibus autem, venerabiles fratres, probate vos ipsos, et omnem clerum exemplum bonorum operum et formam gregis: luceat lux vestra coram hominibus, ut vestrae virtutis ac religionis velut sale ceteri condiantur, dumque in vos tamquam speculum oculos coniiciunt, ex actionibus vestris habeant quod imitentur. Carissimos quoque in Christo filios nostros imperatorem electum, ac reges et principes omnes catholicos, quos, in ipsâ etiam ad sacra beatorum apostolorum limina piae peregrinationis laude, maiorum suorum aemulatores fieri summopere cuperemus, et magno ingravescentis senii nostri solatio, antequam Dominus in pace dimitteret servum suum, in benedictionibus dulcedinis amantissime amplecteremur, hortamur interim et rogamus in Domino, ut, quo plura et magis illustria beneficia, ab Eo per quem reges regnant, acceperunt, tanto ardentius, ut par est, ad Dei gloriam procurandam pio zelo excitentur; praecipue vero venerabilium fratrum nostrorum episcoporum et superiorum antistitum pastoralem sedulitatem ut[1] vigilantiam adiuvent, et a suis magistratibus et ministris adiuvari mandent, et improborum licentia coërceatur, et bonorum studia eorum regiâ ope et gratiâ foveantur; maxime autem erga peregrinos beneficentiam et liberalitatem exerceant, curentque, ut tutis incedant itineribus, et nullâ hominum perditorum vexatione perturbentur, sed hospitalibus domibus et publicis hospitiis amanter excepti, et commeatu rebusque ad vitam necessariis recreati, sine ullâ concussione et iniuriâ, institutum iter laeti peragant, et cum gaudio in patriam revertantur. His enim hostiis reges potissimum et principes Deum sibi placabilem reddent, ut diu in terris felices vivant, et demum in aeterna tabernacula recipiantur ab illis ipsis pauperibus, erga quos misericordiam exercuerint, in quibus Christus pascitur et nutritur.

*Imploratur auxilium principum.*

*Clausulae.*

§ 4. Ut vero praesentes litterae ad omnium fidelium quibuscumque in locis existentium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, ac personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fidem haberi, quae haberetur ipsis praesentibus si exhibitae forent et ostensae.

*Sanctio poenalis.*

§ 5. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae indictionis, promulga-

1 Male ed. M. legit *humanis* pro *hymnis* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

tionis, concessionis, impartitionis, hortationis, rogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXCIX, XV kalendas iunii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 18 maii 1699, pontif. anno VIII.

---

## CLXXXI (*al.* 182).

*Confirmatur constitutio Gregorii XV circa dispensationem voti ac iuramenti a clericis Congregationis Doctrinae Christianae de Urbe emissi, unà cum illius declaratione, et indulto suscipiendi ordines ad titulum Congregationis* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Apostolicae sollicitudinis, quam meritis licet et viribus longe impares divinâ dignatione gerimus, ratio exigit, ut illis, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad virorum in sortem Domini vocatorum pietatisque officiis assidue incumbentium congregationes sub salubribus earum regulis atque institutis continendas sapienter disposita esse noscuntur, quo firmiora sint et serventur exactius, apostolici muniminis nostri patrocinium adiungamus, ac alias pastoralis officii nostri partes desuper interponamus, sicut in Domino expedire arbitramur.

A Gregorio XV statutum fuit, ut solus Pontifex dispensaret vel commutaret votum et iuramentum praedicta.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Gregorio XV praedecessori nostro pro parte tunc existentium praepositi et clericorum Congregationis Doctrinae Christianae, in ecclesiâ S. Agathae Transtyberim de Urbe institutae, exposito, quod clerici eiusdem Congregationis, elapso novitiatus anno, votum cum iuramento in eâdem Congregatione perpetuo manendi liberâ et spontaneâ voluntate emittebant; nonnulli vero super voto et iuramento praefatis, invitâ etiam Congregatione huiusmodi, dispensare, et illa commutare licitum putabant, et de facto in eiusdem Congregationis praeiudicium dispensabant et commutabant: idem Gregorius praedecessor, supplicationibus eorumdem praepositi et clericorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, inter cetera, auctoritate apostolicâ decrevit et ordinavit, quod de cetero cum clericis eiusdem Congregationis, super voto et iuramento praedictis, nisi per ipsum Gregorium praedecessorem aut Romanum Pontificem pro tempore existentem dispensari, aut votum et iuramentum huiusmodi commutari nullatenus possent, nec non facultatem desuper dispensandi seu eadem vota commutandi sibi et Romano Pontifici pro tempore existenti reservavit, et aliàs, prout in eiusdem Gregorii praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XII novembris MDCXXI expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Confirmat, declarat et indulget ut in rubrica.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii moderni praepositus et presbyteri seniores praedictae Congregationis nobis nuper exponi fecerunt, ipsi, quo dictae Congregationis statui et utilitati peramplius consultum sit, praefatas Gregorii praedecessoris litteras apostolicae confirma-

1 Const. Gregorii XV infra citatur. Ab Alexandro VII ligati fuere tribus votis const. edit. MDCLIX, die 26 septembris; et in Clementis XI const. ed. MDCCXVI, die 29 septembris, pontif. XVI, agitur de voto perseverantiae.

tionis nostrae patrocinio communiri, ac aliàs opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, et attentis voto et relatione dilecti filii nostri Petri Matthaei eiusdem S.R.E. cardinalis Petruccii nuncupati, ad quem Congregatio dictorum cardinalium negotium huiusmodi examinandum remiserat, desuper factis, decretum et ordinationem ac reservationem huiusmodi, expeditasque desuper Gregorii praedecessoris litteras supradictas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur et efficaciam adiungimus. Praeterea cum clericis et presbyteris dictae Congregationis Doctrinae Christianae, postquam votum et iuramentum praedictum emiserint, nisi forte ab ipsâ Congregatione iuxta illius constitutionum dispositionem dimissi fuerint, nec per officium Poenitentiariae Apostolicae, nec ab aliâ quacumque personâ, sub cuiusvis privilegii seu indulti praetextu, sed solum per nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in casibus a iure permissis (nempe primo in eventum quo vel ex parte ipsorum vel ex parte eiusdem Congregationis Doctrinae Christianae tanta et tam notabilis mutatio contingeret, ut alia res ab eâ, quae per eos promissa fuit, moraliter diversa merito censenda esset; secundo si aliquis ex eisdem clericis seu presbyteris post emissum dictum votum ad aliquam religionem ab hac Sanctâ Sede approbatam transire vellet; tertio demum, quando filiusfamiliàs votum huiusmodi inscio patre emisisset, nisi tamen tacitus illius consensus adesset), dispensari posse, aliterque etiam a Sede praedictâ sine expressâ voti et iuramenti praedictorum mentione obtentas dispensationes nullas et subreptitias fore, auctoritate et tenore praedictis, decernimus et declaramus. Porro clericis eiusdem Congregationis Doctrinae Christianae, ut, postquam votum praedictum emiserint, ad omnes sacros etiam presbyteratus ordines, si aliàs ad id idonei reperiantur, nec ullum canonicum eis obstet impedimentum, ad titulum ipsius Congregationis, ut moris esse asseritur (dummodo tamen Ordinario loci constet dictam Congregationem victum et vestitum eorum cuilibet pro ratâ quadraginta saltem scutorum monetae ex tot bonis stabilibus, certis et fructiferis vel locis montium Camerae Apostolicae non vacabilium annuatim subministrare posse), servatis aliàs servandis, promoveri, et promoti in ordinibus huiusmodi etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possint et valeant, eâdem auctoritate, harum serie, concedimus et indulgemus; firmo tamen remanente quodam decreto aliàs nempe die XIII ianuarii MDCLXXIII a Congregatione tunc existentium dictae S. R. E. cardinalium et Romanae Curiae praelatorum super negotiis visitationis apostolicae ecclesiarum et locorum piorum dictae Urbis auctoritate apostolicâ institutâ deputa-

torum edito, quo mandatum fuisse dicitur, ut in eâdem Congregatione Doctrinae Christianae admissi, si eos quamvis licite inde exire seu demitti continget, ab exercitio ordinum ad illius titulum susceptorum, quamdiu, praeviâ eorum Ordinarii recognitione et approbatione, tantum in redditibus habeant quantum ad congruam ipsorum substentationem sufficiat, suspensi remaneant; ac iuribus insuper eis agendi contra ipsam Congregationem, quatenus, in eorum eiectione[1] seu dimissione, forma, ab illius constitutionibus capite VIII secundae earum partis praescripta, servata non fuisset, et aliàs prout de iure, reservatis. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Conirariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis Doctrinae Christianae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII iunii MDCXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 23 iunii 1699, pontif. anno VIII.

1 Pessime edit. Main. legit *erectione* pro *eiectione* (R. T.).

---

## CLXXXII (*al.* 183).

*Transfertur valetudinarium pauperum sacerdotum de Urbe ad palatium in civitate Leoninâ, cum erectione collegii seu seminarii ecclesiastici pro presbyteris et clericis*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Ecclesiae catholicae per universum terrarum orbem diffusae regimini, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae sapientiae atque bonitatis abundantiam praesidentes, ad ea, per quae salubri christifidelium in sortem Domini assumptorum institutioni felicique di-

1 De hoc valetudinario vide Clementis X const. ed. MDCLXXIV, die 13 iulii. In huius Pontificis const. ed. MDCXCIII, die 22 maii, pont. II, erectum fuit hospitium invalidorum; et in constitut. edit. MDCC, die 20 maii, pontif. IX, erigitur Congregatio hospitalis pauperum infirmorum in Indiis Occidentalibus.

rectioni ubique locorum, potissimum vero in almâ Urbe nostrâ verae religionis arce, ex qua bonorum operum exempla in omnes christiani orbis partes assidue promanant, quamque propterea prae ceteris ordinatissimam esse decet, opportunis rationibus consulitur, propensis studiis ingiter intendimus, et ut piae testantium voluntates, praesertim ad pauperum presbyterorum infirmorum subventionem et utilitatem ordinatae, commodius ac consultius impleantur, concessae nobis a Domino potestatis partes libenter interponimus, sicut ad Dei omnipotentis gloriam, piorum operum incrementum, et animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Epilogus constitutionis Clementis X, in qua describuntur ortus et progressus dicti valetudinarii.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Clementi Papae X praedecessori nostro, pro parte tunc existentium deputatorum seu[1] administratorum valetudinarii seu hospitalis pauperum sacerdotum saecularium de Urbe, exposito, quod, cum dudum quondam Ioannes Antonius Vestrius Romanus valetudinarium seu hospitale huiusmodi ad curandos pauperes sacerdotes infirmos in propriâ domo ad Cloacam S. Luciae nuncupatâ in regione Pontis S. Angeli dictae Urbis positâ, ubi tunc reperiebatur ac de praesenti etiam reperitur, erexisset et constituisset, illudque suum ex asse haeredem instituisset, necnon curae et gubernio decani canonicorum basilicae Principis Apostolorum de eàdem Urbe pro tempore existentis, ac duorum presbyterorum a Congregatione centum sacerdotum et viginti clericorum in ecclesiâ eiusdem S. Angeli in civitate Leoninâ sive burgo Urbis huiusmodi canonice ut asserebatur erectâ deputandorum, et annis singulis mutandorum, commisisset, executores testamenti eiusdem Ioannis auctoris, fundationem hospitalis huiusmodi a bonae memoriae Ascanio Rinaldo tunc existentis in Urbe praedictâ vicarii in spiritualibus generalis vicesgerente approbari, eique sic erecto privilegia, immunitates et exemptiones, quae aliis hospitalibus de iure competunt, concedi obtinuerant, cum facultate ibidem altare seu capellam[1] ad effectum celebrandi, campanas retinendi, sepulturam aedificandi, ac omnia alia faciendi iuxta mentem et piam dispositionem dicti Ioannis testatoris, et aliàs, prout in praedicti Ascanii vicesgerentis decreto desuper emanato uberius dicebatur contineri: idem Clemens praedecessor, supplicationibus dictorum deputatorum seu administratorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, decretum praedictum, toto illius tenore inserto, auctoritate apostolicâ confirmavit et approbavit, et aliàs, prout in ipsius Clementis praedecessoris desuper in simili formâ Brevis die XIII iulii MDCLXXIV expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causa translationis.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, tametsi valetudinarium praedictum, in memoratâ testatoris domo ut praefertur erectum et constitutum, omnibus pauperibus sacerdotibus infirmis in eo excipi volentium semper hactenus patuerit et pateat de praesenti, nihilominus ipsius valetudinarii redditus, tam ob exiguum eorumdem sacerdotum ad illud confluentium numerum, quam ob sedulam ac fidelem curam, qua redditus huiusmodi hucusque administrati fuerint, notabiliter creverint, iique insuper quorumdam piorum legatorum ac novissime haereditatis quondam Francisci Biancardi, quae valetudinario huiusmodi

[1] Edit. Main. legit *sed* pro *seu* (R. T.).

[1] Videtur deesse verbum *erigendi* (R. T.).

obvenit, accessione adeo amplificati fuerint, ut usibus, in quos iuxta memoratorum testatorum aliorumve piorum largitorum voluntatem convertendi essent, superabundare dignoscantur: hinc est quod nos, pastoralis officii nostri debito summopere congruentem rem facturi nobis videmur, si valetudinarium supradictum ex angustà nec satis notà domo, in qua de praesenti, sicut praemittitur, reperitur, ad ampliorem et commodiorem locum, nempe ad palatium in civitate Leoninà seu burgo huiusmodi situm, quod nuper hoc consilio a dilecto filio nobili viro Philippo Columna magno regni Neapolis contestabili emendum duximus, transferamus, ipsiusque valetudinarii redditus, quos[1] expensas pro corporibus dictorum sacerdotum infirmitatibus curandis faciendas excedere compertum fuerit, inutili eorum multiplico sublato, ad spiritualem ipsorum sacerdotum aliorumque ecclesiasticorum virorum utilitatem fructuosius applicemus.

Translatio a regione Pontis S. Angeli motu proprio facta.

§ 3. Itaque, dictorum Ioannis Antonii et Francisci, aliorumque testatorum et piorum largitorum quorumlibet, testamentorum et aliarum etiam ultimarum voluntatum ac dispositionum quarumcumque tenores, et alia quaecumque etiam specificam et individuam mentionem seu expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, motu proprio, ac ex certà scientià et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, memoratum valetudinarium in praedictà domo erectum et institutum, cum omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus et exemptionibus ei ut praefertur concessis et competentibus, a domo huiusmodi ad palatium supradictum, per nos sicut praemittitur emptum, tenore praesentium perpetuo transferimus et transportamus.

Erectio seminarii ecclesiastici in eodem palatio.

§ 4. Ceterum in eodem palatio collegium seu seminarium ecclesiasticum, quo, procul a saecularibus negotiis, iuxta regulas iussu nostro praescribendas, presbyteri aliique clerici, qui, vocationis qua vocati sunt memores, ac Dominum in haereditatem sortiti[1], id re ipsâ esse, quod dicuntur, sedulo studere voluerint, benigne excipi, atque inibi, quo ceteris fidelibus tum doctrinae lumine tum bonorum operum exemplo praelucere possint, disciplinis eorum statui conformibus instrui ac exerceri debeant, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, harum serie perpetuo erigimus et instituimus; ipsique collegio sic erecto et instituto, pro illius dote, eiusque officialium ac ministrorum, ceterarumque personarum ei pro tempore inservientium sustentatione et stipendio, nec non aliis illius usibus et necessitatibus (salvâ tamen semper in omnibus et per omnia memorati valetudinarii, sicut praemittitur, translati manutentione) omnia et singula ipsius valetudinarii, et alia quaecumque bona, proprietates, canones, census, fructus, redditus et proventus, pecunias, res, actiones et iura, tam per nos vel successores nostros Romanos Pontifices quam per alias quaslibet personas in futurum quandocumque et quomodocumque eidem collegio etiam per modum eleemosynae donanda, assignanda, unienda, offerenda, concedenda et relinquenda (itaut liceat pro tempore existentibus collegii et valetudinarii huiusmodi administratoribus, nomine eiusdem collegii, per se, vel alios per eos pro eorum arbitrio deputandos et amovendos, illorum omnium et singulorum veram, realem, corporalem et actualem possessionem seu

1 Male edit. Main. legit *quod* pro *quos* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *sortiri* pro *sortiti* (R. T.).

quasi possessionem absque spolii vel attentatorum vitio, et sine cuiuscumque iudicis decreto et ministerio, libere apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, illaque locare, dislocare, regere, administrare, ac illorum fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, exigere et levare, ac in praedicti collegii et non in alios usus et necessitates, omnibus tamen prius erga pauperes sacerdotes infirmos iuxta praedicti valetudinarii institutum christianae charitatis officiis expletis ceterisque illius oneribus plane supportatis, convertere et erogare, nostrâ et pro tempore existentis Romani Pontificis, dioecesani loci, dictae Urbis vicarii, vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ), motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine ac tenore praedictis, itidem perpetuo, ex nunc prout ex tunc postquam donata, assignata, unita, oblata, concessa et relicta fuerint, et e contra, applicamus, assignamus, concedimus, appropriamus et incorporamus.

Instituitur Congregatio super regimine collegii et valetudinarii.

§ 5. Porro super regimine et administratione collegii supradicti Congregatio unius seu plurium ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, ac nonnullorum dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum, aliorumque ecclesiasticorum virorum doctrinâ, pietate, prudentiâ et rerum usu praestantium, a nobis deputatorum, ac in futurum tam a nobis quam a successoribus nostris Romanis Pontificibus deputandorum, inter quos etiam volumus dilectum filium modernum et pro tempore existentem decanum canonicorum dictae basilicae, iuxta praedicti Ioannis Antonii testatoris dispositionem qualificatam, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, earumdem tenore praesentium, similiter perpetuo praeponimus et constituimus; in ipsamque Congregationem sic praepositam et constitutam etiam praedicti valetudinarii regimen et administrationem, illis a quibusvis aliis personis penitus et omnino abdicatis, perpetuo itidem transferimus et transportamus, ac translata et transportata esse decernimus et declaramus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, aliive quilibet, etiam speciali et individuâ mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque etiam quantumvis iuridicâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno ac formali et substantiali individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, modificari, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et

fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime et perpetuo suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 7. Non obstantibus memoratorum Ioannis Antonii et Francisci aliorumque testatorum et piorum largitorum etiam ultimis voluntatibus [1], quas quoad praemissa sufficienter et expresse commutamus, aliisque omnibus et singulis praemissis, ac de iure quesito non tollendo, ceterisque nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, aliisque apostolicis, et in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedicti valetudinarii, seu hospitalis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, vel aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Male edit. Main. legit *voluntatis* (R. T.).

Fides transumptorum.

§ 8. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iunii MDCXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 28 iunii 1699, pontif. anno VIII.

---

## CLXXXIII (*al.* 184).

*Confirmantur quamplurima decreta collegii cantorum capellae pontificiae* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

A Sixto V concessa fuit dicto collegio facultas condendi decreta.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni magister et punctator collegii cantorum capellae nostrae pontificiae, quod dudum felicis recordationis

1 Extant quaedam ordinationes pro tutiori custodiâ librorum in Alexandri VIII constit. ed. MDCXC, die 14 novembris, pontif. II.

Sixtus Papa V praedecessor noster, per quasdam suas sub plumbo expeditas litteras, inter alia, dicto collegio (pro felici statu, regimine et gubernio ipsius collegii, illiusque personarum, rerum et bonorum, tam spiritualium quam temporalium, necnon super electionibus, qualitatibus, oneribus, servitiis et ministeriis magistri capellae, aliorumque officialium et ministrorum pro tempore existentium eiusdem collegii) quaecumque statuta, ordinationes et decreta, sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis non contraria, condendi, et condita, quoties pro illorum ac rerum et temporum qualitate vel aliàs expediens visum fuisset, mutandi, corrigendi, reformandi, alterandi, moderandi, in toto vel in parte revocandi, ac alia de novo edendi, eaque omnia, dummodo apostolicâ vel saltem collegii huiusmodi protectoris pro tempore existentis auctoritate approbata fuissent, ab omnibus, ad quos tunc spectabat et pro tempore spectasset, sub poenis pecuniariis arbitrio eiusdem collegii infligendis et illi applicandis, observari faciendi, facultatem concessit et elargitus fuit, et aliàs, prout in praefatis Sixti praedecessoris litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso[1], uberius continetur. Quocirca dictum collegium vigore facultatis huiusmodi plura decreta, quae tamen, quia praedictâ apostolicâ vel dicti protectoris auctoritate approbata minime fuerant, suos plenarios et integros effectus nunquam obtinuerunt, variis temporibus edidit, mutavit, correxit, ac respective reformavit. Novissime vero eiusdem collegii iussu nonnulla ex decretis supradictis magis necessaria et opportuna ex authenticis illorum libris et registris excerpta, illisque alia sexdecim decreta seu capita novarum regularum, punctatoris officium concernentia, de novo adiuncta fuerunt; quae in unum collecta, et a dilecto filio nostro Francisco S. R. E. cardinali Maidalchino nuncupato, moderno praedicti collegii protectore, quibusdam sublatis et respective additis, revisa et approbata, et tam ab ipso cardinali et protectore quam ab eiusdem collegii cantoribus, qui sese ad eorum observantiam iuramento adstrinxerunt, subscripta sunt tenoris qui sequitur, videlicet:

1 Deest *haberi volumus* (R. T.).

*Scelta dei decreti degni di maggior osservanza per il regolamento del collegio dei cantori della cappella pontificia.* Decreta referuntur.

Avendo noi Benedetto Ceccarelli maestro di cappella, Giuseppe Vecchi, Giovan Battista Giannelli camerlengo, Raffaele Raffaelli, Giuseppe Ceccarelli, Andrea Adami puntatore, d'ordine del collegio dei signori cantori della cappella pontificia, scelti ed uniti i decreti di esso degni di maggior osservanza, con aggiungervi alcuni nuovi regolamenti per il puntatore, in virtù della Bolla della santa memoria di Sisto V, che dà ad esso collegio facoltà di mutare, aggiungere e diminuire in tutto o in parte i medesimi decreti, e farne altri di nuovo, e dal detto collegio a noi compartita, ora che ne veniamo alla pubblicazione del presente libro si ordina a ciascheduno in nome di tutto il collegio, che a noi concede tale autorità, l'osservanza dei sopraccennati decreti sotto le pene in essi stabilite.

I. De punctatore, vide 7, et punctandis, vide 5.

*Die* XVIII *ianuarii* MDLXVII. Franciscus de Montalvo censor. — Eodem die fuit congregatio post prandium, et omnes de cetero decreverunt, quod punctator debeat punctare omnes non cantantes et garrulantes, et non interessentes in suo loco, et deambulantes durante officio, dum modo cantatur.

II. De abbate et emolumentis, vide infra 7.

*Die* VII *februarii* MDLXIX. Ioannes Aloysius de Episcopis censor. — Item congregatis dominis cantoribus in capellâ Paulinâ, fuit resolutum denuo, ut abbas, pro tempore existens, debeat dividere inter cantores participantes, non solum partem venientem pro

unoquoque de regalibus, tam in missis quam de aliis, sed etiam de agio, ut vulgariter dicitur, quando dictus abbas recipit ipsa regalia in auro: et quia dominus Ioannes Antonius Merolus, cum fuisset abbas per tres annos proximos elapsos, fuit istâ die et anno, ut supra, condemnatus a dictis dominis cantoribus ut solveret quidquid de ipso agio veniebat, et ita distribuit pro quolibet cantore quod veniebat.

III. De infirmariis et infirmis, vide 35.

*Die* VI *februarii* MDLXXXIII. Reverendus dominus Vincentius de Musatis, censor. — Deinde decretum fuit etiam quod duos constituere debeant in novo officio pro infirmis visitandis, qui per unum annum integrum visitent infirmos, infirmarii nuncupati, et sic semper quotannis duos eligere debeant: hilari vultu, omnes consenserunt.

IV. De quadam societate musicorum, vide 5.

*Die* VI *iulii* MDLXXXIV. Reverendus dominus Hippolytus Gambocius, censor. — Post sacrum, congregatio cantorum decrevit ut nullus nostri collegii in quadam sodalitate musicorum noviter erectâ, multis dignis de causis, adscribatur.

V. Vide 4, 19.

*Die* VII *septembris* MDLXXXIV. Rev. D. Boccapadulius magister capellae. Rev. D. Hippolytus Gambocius, censor. — Cum, diebus elapsis, in nostrâ congregatione propositum esset, conveniens necne esset ut in novâ quadam musicorum societate adscriberemur, re bene consideratâ et cognitâ, iudicavimus id non fieri, neque convenire, neque, salvis nostrae capellae decretis, licere; fuit decretum ne quis nostrum ullo modo id attentaret, aut se in illam sodalitatem adscribi pateretur. Iamvero, cum ad nostras aures pervenerit nonnullos e nostro collegio, nullâ nostrorum ordinum vel decretorum habitâ ratione, in illam sodalitatem adscriptos esse: nos, ut [1] tum praesenti tum futuro malo mederemur, voluimus ut hodie, qui septimus est septembris MDLXXXIV, denuo in congregatione nostrâ res ipsa in medium afferretur, ut, accuratius consideratâ, unusquisque quae sui animi sententia foret libere proferret. Itaque, cum de more solito, peracto missae sacrificio, in divi Marci sacrarium convenissemus, cumque a reverendissimo D. Antonio Boccapadulio nostrae sacrae capellae in praesens magistro propositum [1] esset, cumque omnes, quod sibi magis expedire videretur, dixissent, tandem communi omnium sententiâ statuimus, ut, quod in praeteritâ congregatione decretum fuerat, illud posthac inviolabiliter observaretur; quare ne in futurum quis temere et impune haec nostra decreta parvi facere audeat, decernimus et mandamus ne quis nostri collegii dictam musicorum societatem ingrediatur, et si quis secus fecerit, quinquaginta aureorum nostro arbitrio applicandorum mulctâ puniatur volumus, et aliâ poenâ sanctissimo domino nostro et sacrae nostrae capellae magistro reservatâ. Verum, quoniam post nostrum primum decretum nobis relatum est Ioannem Baptistam Iacomellum, nostro collegio penitus ignorante, dictam societatem esse ingressum, ut in eâ nescio quod officium exerceret, nos, ut tantam illius inobedientiam reprimeremus, et ceteris posthac, hoc proposito exemplo, cautiores in huiusmodi rebus sint, illum integrâ unius mensis solutione aureorum videlicet novem punctamus, prout punctatum declaramus, volumus, et communi omnium sententiâ decernimus; quae quidem solutio nostro arbitrio applicabitur. Vide 1, 8.

In hac congregatione hi praesentes fuerunt, videlicet: D. Petrus Bartholomocius decanus, D. Matthias Blancus, D. Benedictus Arcadius, D. Franciscus Sottus, D. Christianus Amaydem, D. Michaël Peromatus, D. Vincentius Musattus, D. Sanctes Gherlinus, D. Caesar Misserius, D. Onofrius Guelfiduccius, D. Ioannes Maria Naninus, D. Oratius Crescentius, D. Ioannes de Martinis, D. Caesar Belluccius, D. Vincentius Zambonus, D. Angelus Cribellus, D. Thomas Benignus.

Ego Hippolytus Gamboccius punctator, ad perpetuam rei memoriam, hoc decretum scripsi de mandato.

*Addi* 10 *luglio* 1588. Il rev. sig. D. Francesco, sotto maestro di cappella. Il signor Agostino de Martini puntatore. — Dopo la messa radunati tutti li cantori nella detta congregazione, e risoluto col commune con- VI. Della santa comunione, vedi 34, et de magistro, vedi 33.

1 Praeposit. *in* hinc abiicimus (R. T.).

1 Edit. Main. legit *proposito* (R. T.).

senso di tutti li cantori presenti, e *nemine discrepante*, che tutti li cantori sacerdoti e laici debbano nelle feste solenni, cioè nella Natività di nostro Signore, il giorno di Pasqua, di Pentecoste, l'Assunzione della Madonna di agosto, e la solennità di Tutti Santi, si debbano preparare per ricevere nelli sopraddetti giorni il santissimo sagramento, siccome è consueto, in palazzo pubblicamente; e perchè in questi giorni sono cappelle papali, e non vi è comodità nella nostra cappella, perchè si canta la messa in S. Pietro, ed altre chiese, pertanto si è risoluto e stabilito in perpetuo, che il maestro di cappella esistente debba otto giorni avanti le dette solennità ricordar detta preparazione, e deputare il giorno nel quale tutti li cantori, tanto sacerdoti come laici, si trovino preparati a ricevere il santissimo sagramento pubblicamente nella nostra cappella, e dove si reciterà per detti cantori il divino officio.

VII Della riverenza ne' divini offici, vedi 15.

*Addì 10 luglio* 1588. Il rev. signor D. Francesco sotto maestro di cappella. Il signor D. Agostino de Martini puntatore. — Nella Congregazione fu proposto, che durante li divini officî in cappella, o dove si troverà il collegio de' cantori, si dovesse osservare il silenzio, e si dovesse stare con ogni riverenza ed attenzione alli divini offizî e messa, e di comun consenso fu ordinato e stabilito, che detto capitolo o decreto s'osservi inviolabilmente, che l'appuntatore, dopo aver avvisato e ricordato il silenzio, se li dà autorità che possa e debba puntare quello non obbedirà e non osserverà il detto decreto.

Vedi 1, 8.

VIII Del segretario.

*Addì 2 ottobre* 1588. Il rev. signor D. Francesco sotto maestro di cappella. Il sig. Agostino de Martini puntatore. — Fu ordinato in congregazione, che nessun cantore per l'avvenire debba scrivere in nome del collegio a nessuna persona per qualsivoglia negozio, se non il segretario a questo deputato da tutto il collegio, con il solito sigillo; il segretario s'intende il puntatore *pro tempore;* e chi scriverà o spenderà la parola del collegio senza l'espresso ordine, tutti di comun consenso hanno ordinato e stabilito sia penato chi contravverrà per ciascheduna volta in dieci giulì, e secondo il caso si riserba il collegio l'arbitrio insieme con monsignor illustrissimo protettore: *Omnes praesentes, ut supra dictum est.*

Vedi 1, 26.

Vedi 1, 9.

IX. Delle quarant'ore.

*Addì 25 novembre* 1604. Il sig. Cristiano Amaydem maestro di cappella. Il rev. signor Ippolito Gambocci puntatore. — Il molto reverendo nostro collegio questa mattina ha risoluto et ordinato che il cantore, che mancherà nella sua orazione secondo la lista per le Quarant'ore, sarà puntato in tutto quattro giulì, cioè per ogni quarto d'ora un giulio.

Vedi 1, 10.

X. Dalle elezioni degli officiali, vedi 27.

*Addì 2 gennaio* 1600. Il sig. Oratio Benigni maestro di cappella. Il rev. frà Orazio Malvezzi puntatore. — Domenica si cantò la messa a ore 16, tutti presenti; il signor Tommaso Benigni maestro di cappella intimò congregazione per la mattina seguente per l'elezione delli nuovi officiali, e con consenso del collegio ordinò che chi non fosse venuto alla detta congregazione fosse puntato cinque giulì.

Vedi 1, 11.

XI Dell'assenza dalla cappella, vedi 32.

*Addì 25 gennaio* 1604. Il sig. Giovanni Maria Nanini maestro di cappella. Il rev. signor D. Stefano Ugerio puntatore. — Questa mattina, si cantò solennemente la messa in cappella, per aversi a leggere le constituzioni; dopo si ragionò di molte cose, e in particolare, che se alcuno delli signori cantori mancherà dal servizio di cappella, e poi vada in qualsivoglia pubblico luogo a cantare o suonare e fare da maestro di cappella, senza licenza del collegio, sarà puntato in uno scudo almeno, e più, secondo l'arbitrio del signor maestro e collegio; s'intende luogo pubblico la chiesa ed oratorî che si fanno con invito e moltiplicità di concorso; e questo l'ho scritto per commissione nella pubblica congregazione, e che abbia da servire per decreto, e questo per levare alcuni abusi che possano intervenire.

Vedi 1, 13.

XII. Delli punti, vedi 24.

*Addì 12 giugno* 1606. Il signor Leonardo Crescenti maestro di cappella. Il rev. signor D. Francesco de Spinosa puntatore. — Questo dì fu decretato, che, per buoni rispetti, la metà del punto si facesse al secondo in-

troito della messa: e così fu determinato da tutti il seguente:

XIII. Dell'abito, vedi 25. *Addì* 29 *giugno* 1606. Il sig. Leonardo Crescenti maestro di cappella. Il rev. signor D. Francesco de Spinosa puntatore. — Fu determinato, che, sempre che si andasse a cappella papale alla presenza di Sua Santità, tutti portassero sottane di pavonazzo sotto pena d'un giulio. (Vedi I, 15.)

XIV. Delle licenze, vedi 16. *Addì* 11 *marzo* 1614. Il rev. sig. D. Ruggerio Giovanelli maestro di cappella. Il reverendo sig. D. Vincenzo de Grandis puntatore. — Domenica, finita la messa, il puntatore ha detto quello si debba fare intorno alle licenze che si danno, senza che si vengano a domandare da se stessi, non parendo bene che si conceda in questo modo; però si è determinato da tutti che non si debba per l'avvenire concedere licenza a nessuno, se non verrà da se stesso a domandarla in cappella, eccetto gli ammalati.

XV. Vedi 7, 8. *Addì* 17 *marzo* 1614. Il rev. sig. D. Ruggerio Giovanelli maestro di cappella. Il reverendo sig. D. Vincenzo de Grandis puntatore. — Inoltre, acciò, per il poco silenzio che si osserva nel coro, non ci sia causa che non si senta bene Nostro Signore ovvero il celebrante, si è dichiarato che il puntatore debba puntare rigorosamente di un giulio per ciascheduna volta chi ragionerà mentre si diranno le orazioni o qualsivoglia altra orazione dopo la quale si debba rispondere; et il tutto *nemine discrepante*. (Vedi 1, 20.)

XVI. Vedi 14, 18. *Addì* 25 *gennaio* 1616. Il rev. sig. D. Ercole Ferruzzi maestro di cappella. Il reverendo sig. D. Carlo Vanni puntatore. — Dopo la messa furono lette le costituzioni nella libraria in S. Marco, e si fece congregazione, dove il sig. maestro di cappella e tutti li signori cantori confermarono, e di nuovo decretarono, che li cantori non possano chiedere licenza a particolare per particolare, ma a tutto il collegio insieme, cioè alla maggior parte, altrimente la licenza sia nulla.

XVII. Del vice puntatore. *Addì* 11 *marzo* 1618. Il rev. sig. D. Gioanni Grisardo maestro di cappella. Il reverendo sig. D. Aldobrando Trabocchi puntatore. — Fu dichiarato dal collegio, che, in assenza del puntatore, il vicepuntatore avesse la medesima autorità nel puntare, e fare tutto quello che si ricerca ad un diligente offiziale per servizio di Nostro Signore e del nostro collegio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, exponentes praedicti decreta huiusmodi, utpote accurato et exacto dictae capellae nostrae servitio salubrique dicti collegii directioni conducibilia, quo firmius subsistant, nec in vim facultatis ipsi collegio per dictas Sixti praedecessoris litteras, sicut praemittitur, concessae, in futurum revocari, mutari, corrigi, reformari seu alterari valeant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, illorumque observantiam, itaut quemadmodum unanimi totius collegii praefati consensu edita fuerunt, sic ab illis nonnisi pari consensu, et accedente ad id apostolicâ seu pro tempore existentis eiusdem collegii protectoris auctoritate, recedi ullo modo possit, constabiliri summopere desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 3. Nos igitur, eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula praeinserta decreta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis actoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praefatis Sixti praedecessoris litteris, aliisque praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon capellae et collegii praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et lit-

teris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI iulii MDCXCIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 16 iulii 1699, pontif. anno IX.

---

## CLXXXIV (*al.* 185).

*Confirmantur duo decreta capituli generalis Congregationis Caelestinorum Ordinis S. Benedicti circa habilitationem magistrorum novitiorum et quatuor lectorum ad abbatiam* [1].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Causa dictorum decretorum anno MDCXCVIII.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus abbas generalis Congregationis monachorum Caelestinorum Ordinis sancti Benedicti, quod ipse, ad maiorem Dei gloriam et dictae Congregationis incrementum, illiusque monachorum, ut non minus in religionis virtutibus quam litterarum studiis magis magisque proficiant, incitamentum, tria decreta in capitulo generali dictae Congregationis anno MDCXCVIII celebrato ab omnibus illius vocalibus concorditer acceptato [2] edi curavit: nempe primum, quod magistri novitiorum eiusdem Congregationis post sexennium in exercitio muneris magisterii novitiorum huiusmodi peractum, privilegio priorum actualium et triennalium gaudeant, ad hoc ut ad gradum abbatialem de iure habiles reddantur; secundum, quod ii monachi praefatae Congregationis, qui iam memoratum munus magisterii novitiorum per integrum sexennium exercuisse reperiuntur, eodem privilegio gaudere debeant, et de facto ad dictum gradum abbatialem habiles sint; tertium denique, quod, praeter lectores monasteriorum Congregationis huiusmodi in quibusdam felicis recordationis Urbani PP. VIII praedecessoris nostri litteris nominatorum, lectores aliorum quatuor scilicet S. Mariae de Corropoli, et de Casaluce, ac S. Bartholomaei Lucerensis, necnon S. Stephani Bononiensis monasteriorum eiusdem Congregationis, qui vel philosophiae vel theologiae scholasticae lecturam in quatuor monasteriis huiusmodi per duodecim annorum spatium exercuerint, dicto privilegio priorum actualium et triennalium similiter gaudeant, ac etiam ad praedictum gradum abbatialem de iure habiles existant.

Confirmatio duorum decretorum ex tribus relatis cum moderatione quoad secundum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus abbas generalis decreta huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius abbatis generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc

1 Idem concessum fuit aliis lectoribus et confirmatae constitutiones ab Urbano VIII, constitit. editâ MDCXXVI, die 8 iulii, pontif. III.

2 Videtur legendum *acceptata* (R. T.).

militer porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui votum dilecti filii nostri Leandri, eiusdem S. R. E. cardinalis Colloredi nuncupati, super praemissis considerarunt, et quoad petitam confirmationem secundi ex dictis tribus decretis minime annuendum esse censuerunt, consilio, alia duo, nempe primum pro magistris novitiorum, addito tamen quod ad memoratas praerogativas seu graduationes consequendas non sufficiat solus temporis lapsus in qualicumque exercitio magisterii novitiorum huiusmodi, nisi etiam concurrat definitorii generalis vel provincialis dictae Congregationis approbatio seu declaratio super laudabili exercitio, ac tertium decreta huiusmodi super lectoribus praedictorum quatuor monasteriorum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Congregationis monachorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxv iulii MDCXCIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 25 iulii 1699, pontif. anno IX.

---

## CLXXXV (*al.* 186).

*Communicantur gratiae spirituales Congregationis Cassinensis Benedictinis monasterii Mellicensis in Austria* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium. Pastoralis officii, quo catholicae Ecclesiae per universum terrarum orbem

[1] Similis communicatio facta Congregationi Bavaricae extat const. ed. MDCXCI, die 11 augusti, pontif. I; et in Clementis XI const. ed. MDCCXIV, die 11 octobris, pontif. XIV, pro Congregatione monachorum in Boëmia.

diffusae [1] regimini divinâ dispositione praesidemus, sollicitudo nos admonet, ut, paternam virorum religiosorum Altissimi obsequiis sub suavi monasticae vitae iugo mancipatorum curam gerentes, prosperis eorum in viâ Domini progressibus, quantum nobis ex alto conceditur, consulere iugiter studeamus.

Communicatio ut in rubrica.

§ 2. Cum itaque, sicut dilecti filii abbas et monachi monasterii Mellicensis in Austriâ Inferiori, Sedi Apostolicae ut asseritur immediate subiecti, Ordinis sancti Benedicti, nobis nuper exponi fecerunt, monasterium praedictum magno religiosorum uberes in illis partibus bonorum operum fructus adspirante superni favoris auxilio proferre iugiter satagentium numero introductum [2] sit, ipsi vero exponentes, pro maiori eiusdem monasterii augmento feliciorique illius directione, omnia et singula privilegia, gratias, indulgentias, favores et indulta, tam hactenus concessa, quam in posterum concedenda, quibus Congregatio Cassinensis monachorum Ordinis praedicti, eiusque abbates et monachi, aliaeque personae quaecumque, etiam per viam communicationis vel extensionis aut aliàs quomodolibet, fruuntur et gaudent, ac frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, sibi dictoque eorum monasterio a nobis communicari plurimum desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, praedictam communicationem, quoad gratias spirituales tantum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Clausulae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV septembris MDCXCIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 24 septembris 1699, pontif. anno IX.

---

CLXXXVI (*al.* 187).

*Mandatur, ut in provinciâ S. Ioannis Baptistae in regno Peruano Ordinis Praedicatorum serventur constitutiones capitulorum generalium circa suc-*

1 Edit. Main. legit *diffusa* (R. T.).

2 Videtur legendum *instructum* (R. T.).

*cessionem fratrum coniunctorum in prioratibus*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Referuntur constitutiones et causae mandati.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Hieronymus Salzedo frater expresse professus provinciae S. Ioannis Baptistae in regno Peruano Ordinis Praedicatorum, quod (cum dilectus etiam filius Didacus Moratto prior provincialis dictae provinciae, in novissimo illius capitulo provinciali die XXIV iulii MDCXCVII celebrato, ad officium prioris provincialis huiusmodi electus, eiusque procurator ad hanc almam Urbem missus, varia consilia et conatus meditarentur, ut ipsius Didaci fratres secundum carnem dicti Ordinis professores ad succedendum ei in dicto officio habilitari obtinerent; ipse vero Hieronymus, ad eamdem Urbem, ut illorum consilia huiusmodi praeveniret pariter missus, nobis supplicasset, ut, quo inordinationibus[2] quae in proximo et aliis subsecuturis electionibus priorum provincialium provinciae praedictae praesertim ex praetensâ habilitatione huiusmodi oriri poterant occurreretur, constitutiones praedicti Ordinis, per quas expresse prohiberi dicitur ne frater fratri secundum carnem in eodem provincialatus aut prioratus officio immediate succedere valeat, omnino observari debere decerneremus, nosque supplicem libellum nobis super hoc porrectum ad Congregationem infrascriptorum cardinalium remisissemus) ipsa Congregatio cardinalium dilecto etiam filio magistro generali dicti Ordinis rescripsit pro omnimodâ observantiâ decretorum capitulorum generalium tam in imminenti quam in aliis in futurum peragendis electionibus.

Preces patris Hieronymi Salzedi.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ut conservationi regularis disciplinae in dictâ provinciâ peramplius consultum sit, non tantum generaliter decretum capitulorum generalium huiusmodi, sed insuper specialiter earum constitutionum seu ordinationum, per quas disponitur ut non solum fratres secundum carnem, verum etiam alii quicumque primo et secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu inter se coniuncti seu se attinentes, sibi invicem in prioratibus sive provincialibus sive conventualibus immediate succedere nequeant, observantiam in provinciâ huiusmodi demandari necesse sit, attento praesertim quod priores provinciales dictae provinciae pro tempore electi, ex privilegio a Sede Apostolicâ, ut asseritur, concesso, ante obtentam confirmationem electionis de ipsorum personis factae, ipsam provinciam statim gubernare incipiant, adeoque, cum litterae pro tempore existentis magistri generalis Ordinis praedicti super confirmatione huiusmodi nonnisi post duos annos a tempore secutae electionis decursos illuc perveniant, nullum malis, quae hoc intermedio tempore ex immediatis fratrum vel aliorum consanguineorum aut affinium successionibus huiusmodi oriri possunt, remedium ab ipso magistro generali adhiberi possit; ac proinde dilectus pariter filius modernus procurator generalis dicti Ordinis memoratas constitutiones seu ordinationes, quas, ut his malis occurratur et regulari disciplinae prospectum sit, in dictâ provinciâ observari, sicut praemittitur, necesse est, ex diversis capitulis generalibus Ordinis prae-

1 De reductione magistrorum vid. const. ed. MDCXCV, die 22 septembris, pontif. V; et de translatione cadaverum pro hac provinciâ vide Clementis XI constit. ed. MDCCXVI, die 3 iunii, pontif. XVI.

2 Male ed. Main. leg. *in ordinationibus* (R.T.).

dicti collegerit, et in relatione suâ dictis cardinalibus super praemissis factâ enunciaverit ac recensuerit, nempe: « in capitulo Vallisoletano anno MDCV celebrato, ordinatione XLV, mandatum reperiri ut in provinciis Indiarum dicti Ordinis duo secundum carnem fratres sibi invicem in prioratibus tam provincialibus quam conventualibus nullo pacto succedant, eorumque electiones contra ordinationes huiusmodi formam factas eo ipso irritas et nullas declarari et decerni; ac id ipsum etiam antea in capitulo Romano, ordinatione XX, pro provinciâ Lombardiae Ordinis praedicti statutum fuisse; quinimo in capitulo Veneto, anno MDXCII habito, ordinatione XXXI, pro provinciâ S. Thomae seu Apuliae Ordinis huiusmodi disponi ut primo et secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu inter se coniuncti seu se attinentes sibi in officiis provincialibus vel prioratus[1] non succedant; idque pariter in capitulo Valentino anno MDXCVI congregato pro provinciâ Fainacliae eiusdem Ordinis demandari » : nobis propterea dictus Hieronymus humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio laudatarum constitutionum.

§ 3. Nos igitur, eiusdem Hieronymi votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dictum procuratorem generalem super praemissis audiverunt, consilio, enunciatas constitutiones capitulorum generalium Ordinis supradicti in memoratâ provinciâ S. Ioannis Baptistae in regno Peruano, itaut fratres illius tam in primo quam in secundo gradu coniuncti in officiis priorum tam provincialium quam conventualium immediate succedere nequeant, observari, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, mandamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciae S. Ioannis Baptistae ac Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse dero-

1 Forsan *pioratibus* (R. T.).

gamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX octobris MDCXCIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 9 octobris 1699, pontif. anno IX.

---

## CLXXXVII (*al.* 188).

*Confirmatur resignatio facta Francisco Farnesio suaeque familiae successoribus Parmae et Placentiae ducibus, cum novâ concessione, officii magni magistri militiae auratae Constantinianae*[1].

**Dilecto filio, nobili viro, Francisco Farnesio Parmae et Placentiae duci,**
**Innocentius Papa XII,**

**Dilecte fili, nobilis vir, salutem et apostolicam benedictionem.**

Commendatur dux eiusque familiae.

Sincera fidei et singularis devotionis affectus, quem erga nos et Sedem Apostolicam gerere comprobaris, necnon praeclara et multiplicia illustris familiae tuae Farnesiae in eamdem Sedem merita nos adducunt, ut ea tibi ac tuis futuris natis descendentibus aliisque eiusdem tuae familiae principibus libenter concedamus, per quae honorum vobis fiat accessio, et perenne aliquod paternae nostrae in te tuamque familiam praedictam voluntatis extet monumentum.

Resignatio dicti officii facta a Ioanne Andrea ultimo familiae Angelae Flaviae Comnenae, eiusque confirmatio.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius nobilis vir Ioannes Andreas Angelus Flavius Comnenus, princeps Macedoniae ac magnus magister militiae auratae Constantinianae sub titulo S. Georgii et regulâ S. Basilii Magni, nobis nuper significavit, ipse, qui, ut asserit, nobilis et antiquae familiae suae Angelae Flaviae Comnenae solus superstes, ac non tam liberis quam spe illos procreandi destitutus existit, quippe qui in provectâ aetate constitutus iam reperitur, necnon parum firmâ ac bellicis aerumnis fessâ valetudine utitur, summopere cupiens in officio seu munere magni magistri seu perpetui administratoris militiae praedictae, quod longissimo tempore ab eius progenitoribus continuâ ac non interruptâ serie obtentum et possessum fuit, dari sibi successorem praevalidum, cuius ope ac virtute militia praefata relevetur et praeservetur a noxiis, necnon laetioribus, benedicente Domino, proficiat incrementis, ad nobilitatem tuam egregiis naturae gratiaeque divinae muneribus praefulgentem mentis suae oculos provide direxerit, iuribusque sibi hac in re quovis modo competentibus, seu quae sibi competere existimaverat, utens, tibi, ac tuis successive natis, nepotibus et descendentibus, aliisque familiae tuae Farnesiae praedictae successoribus Parmae et Placentiae ducibus pro tempore existentibus, officium seu munus huiusmodi (reservato tamen desuper nostro et dictae Sedis beneplacito) resignaverit: hinc est quod nos, sperantes in Domino, te, cui, praeter generis splendorem ac domestica maiorum exempla, catholicae religionis tuendae zelus, aliaeque eximiae, ac pio prudentique principe dignae virtutes abunde suffragantur, militiae praedictae plurimum utilitatis, adspirante superni favoris auxilio, allaturum esse, ac proinde felicibus eiusdem militiae progressibus, quae, ut asseritur, diversis privilegiis, gratiis et indultis a quamplurimis Romanis Pontificibus praedecessoribus no-

1 In Innocentii XI const. ed. MDCLXXXVI, die 26 februarii, pontif. X, declarata fuit nulla alienatio status Messerani a duce Sabaudiae facta; et in Clementis XI const. ed. MDCCXX, die 26 septembris, pontif. XX, conceditur regi Portugalliae, ut suscipere valeat insignia a patriarcha Ulissiponensi.

stris insignita fuit, quantum nobis ex alto conceditur, opportune consulere, teque specialis favore gratiae prosequi volentes, tuique ac dicti Ioannis Andreae principis ac magni magistri singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, necnon praedicti officii seu muneris erectionem, naturam, statum qualitates et circumstantias quascumque, etiamsi electivum et personale existat, aliave quaelibet etiam specificâ et individuâ mentione et expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac exactissime et accuratissime specificatis habentes, supplicationibus tam tuo quam eiusdem Ioannis Andreae principis et magni magistri nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisque benigne annuentes, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, resignationem dicti officii seu muneris magni magistri seu perpetui administratoris militiae auratae Constantinianae tibi ac tuis post te natis nepotibus et descendentibus aliisque familiae tuae Farnesiae supradictae successoribus Parmae et Placentiae ducibus pro tempore existentibus a memorato Ioanne Andrea principe et magno magistro factam, ut praefertur, publicumque desuper confectum instrumentum seu scripturas, cum omnibus et singulis in eis contentis, aliàs tamen licitis et honestis ac Apostolicae Sedi praedictae illiusque auctoritati minime adversantibus, tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis vim, robur et efficaciam et validitatem adiungimus et adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti et solemnitatum quarumcumque, tam ex iuris communis et constitutionum privilegiorum et indultorum apostolicorum, necnon militiae praedictae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratorum, statutorum seu stabilimentorum quorumlibet praescripto, quam de stylo, usu et consuetudine, etiam immemorabili, seu aliàs quomodolibet in similibus etiam de necessitate observandorum, et alios quosvis etiam quantumvis formales et substantiales et incogitatos et inexcogitabiles defectus, si qui in praemissis principaliter vel accessorie, seu antecedenter, consequenter vel concomitanter, aut aliàs quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, praetendi vel intelligi quomodocumque et quandocumque possent, etiamsi tales sint ut nonnisi factâ eorum specificâ et individuâ mentione et expressione sanari possint, plenissime et amplissime supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus, abrogamus et abolemus.

Item nova concessio dicti officii.

§ 2. Et nihilominus, ad maiorem et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, ac etiam omni alio meliori modo, viâ, iure et formâ quibus firmius et validius facere possumus, tibi ac praedictis tuis natis, nepotibus et descendentibus, aliisque familiae tuae huiusmodi successoribus Parmae et Placentiae ducibus pro tempore existentibus, suo ordine respective, supradictum officium seu munus magni magistri seu perpetui administratoris militiae auratae Constantinianae, praemisso, vel aliàs certo, quem praesentibus itidem pro expresso haberi volumus, modo vacans, cum

omnibus et singulis illius honoribus, iuribus, praeeminentiis et praerogativis solitis et consuetis, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, harum serie perpetuo concedimus et assignamus; necnon vobiscum super receptionis in fratres milites militiae praedictae, susceptionis habitus per eosdem gestari soliti, ac professionis per illos emitti consuetae regularium, necnon servitiorum quorumlibet a statutis seu stabilimentis huiusmodi praescriptorum, ac aliarum quarumvis per eadem statuta seu stabilimenta ac privilegia et indulta apostolica ad obtinendum officium seu munus huiusmodi, illiusque iurisdictionem, potestatem, praeeminentias et praerogativas exercendum quomodolibet requisitarum qualitatum defectibus, ceterisque impedimentis quibusvis, hac in re vobis quomodolibet obstantibus et quomodocumque obstituris, seu quae vobis obstare quovis modo praetendi, censeri vel intelligi possent, ad praemissorum effectum, quatenus opus sit, etiam ex nunc, prout ex tunc, et e contra, de specialis dono gratiae dispensamus.

Mandatum executionis. § 3. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae ac districte praecipientes omnibus et singulis memoratae militiae officialibus et ministris quocumque nomine nuncupatis, militibus, fratribus et personis, ceterisque ad quos spectat et quandocumque spectabit in futurum, ut te statim, post te vero praedictos tuos natos, nepotes et descendentes, aliosque memoratae familiae tuae successores Parmae et Placentiae duces pro tempore existentes, ad officium seu munus magni magistri seu perpetuo administratoris huiusmodi eiusque liberum exercitium iuxta tenorem praesentium recipiant et admittant, vosque recognoscant, ac vobis, in omnibus quae ad idem officium seu munus pertinent, pareant et obediant, faveantque et assistant respective.

Clausulae. § 4. Ac decernentes, ipsas praesentes litteras, etiamsi in cancellariâ militiae supradictae nunquam registrentur nec admittantur, nihilominus firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac vobis plenissime suffragari in omnibus et per omnia perinde ac si ab iis, ad quos ea res spectat, unanimiter, nemineque penitus discrepante vel contradicente, admissae, et in cancellariâ praedictâ registratae fuissent, neque ipsas praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, etiam primores, seu primi cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, seu aliàs specificâ seu individuâ mentione digni existant, in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, adductae, verificatae, iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali, ac incogitato et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, modificari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris seu statutorum seu stabilimentorum ac consuetudinum, usuum et privilegiorum dictae militiae reduci, aut adversus illas

aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris et facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, nec easdem praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisve contrariis dispositionibus, etiam per nos et Romanos Pontifices successores nostros et Sedem praedictam quovis modo etiam per viam legis et constitutionis generalis seu statuti perpetui quandocumque faciendis, unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanaverint, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriori datâ per vos vestrumve quemlibet eligendâ concessas intelligi, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari et adimpleri, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae militiae, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem militiae, illiusque fratribus et personis quibuslibet, etiam primoribus seu primis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis ac decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, et consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries et quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, iteratis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV octobris MDCXCIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 24 octobris 1699, pontif. anno IX.

---

## CLXXXVIII (*al.* 181).

*Confirmatur decretum provinciae S. Evangelii in Novâ Hispaniâ Ordinis Minorum de Observantiâ Recollectorum de eligendo uno definitore eiusdem provinciae* [1].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Decretum refertur.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae S. Evangelii nuncupatae in Novâ Hispania Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Recollectorum nuncupatorum, quod (cum in constitutionibes generalibus dicti Ordinis disponatur, ut in singulis capitulis provincialibus provinciarum familiae ultramontanae eiusdem Ordinis pro tempore celebrandis unus religiosus ex statu Recollectionis Ordinis huiusmodi assumatur et in definitorem omnino eligatur, haecque dispositio in dictâ provinciâ usu recepta reperiatur, inter fratres vero, qui de Observantiâ dicuntur, in eâdem provinciâ existentes, quaedam vigeant partialitates, quas fratres de Observantiâ praedicti etiam inter ipsos exponentes introducere tentarunt) iidem exponentes, agnoscentes partialitates huiusmodi eorum quieti et religiosis institutis repugnare, non solum eas omnino reiecerunt, verum etiam, quo firmius sua iura tuerentur, curarunt ut die XIII decembris MDCXCVI, totâ provinciâ praedictâ illiusque definitorio consentientibus et subscribentibus, inter alia ederetur decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Item determinatum fuit, quod, quia semper sancta Recollectio istius provinciae definitorem perpetuo teneat, conformiter ad nostras leges eligatur semper unus definitor Recollectionis absque eo quod attendatur ad aliquam partialitatem; et casu, quo vel ex morte vel ex aliâ quacumque causâ definitoris Recollectionis votum vacaret, statutum generale de hoc puncto pertractans servabitur ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, variis artibus et coloribus decretum huiusmodi in maximum Recollectionis inter exponentes praefatos stabilitae praeiudicium eludi, ac saltem indirecte averti tentatum fuerit; ac proinde dicti exponentes illud, quo perpetuam roboris obtineat firmitatem, nec a quoquam, sub quovis praetextu, directe vel indirecte, convelli, aut prave detorqueri unquam possit, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectum etiam filium commissarium generalem Curiae dicti Ordinis super praemissis audiverunt, consilio, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes

1 De electione officialium pro provinciis Hispaniae et Romanâ vide Innocentii XI constit. edit. MDCLXXXV, die 16 aprilis, pontif. IX; et huius Pontificis constit. edit. MDCXCV, die 12 septembris, pontif. V; et de procuratore generali vide Clementis XI constit. edit. MDCCV, die 12 martii, pontif. V.

et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII decembris MDCXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 13 decembris 1699, pontif. anno IX.

---

## CLXXXIX.

*Confirmantur quaedam decreta diaetae generalis Carmelitarum Congregationis Mantuanae, cum additione et reformatione Congregationis super disciplinâ regularium* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

§ 1. Aliàs pro parte dilectorum filiorum fratrum definitorii generalis Congregationis Mantuanae Ordinis fratrum Beatae Mariae de Monte Carmelo nobis exposito, quod in diaetâ generali dictae Congregationis, in hac almâ Urbe anno MDCXCII celebratâ, pro felici prosperoque eiusdem Congregationis regimine et gubernio ac ad instaurandam in eâ regularem observantiam vitaeque communis rationem, edita fuerant octo decreta, in totidem capitula seu articulos distincta, tenoris qui sequitur, videlicet: Diaetae generalis anno MDCXCVII

« Cum maxime dedeceat observantiam religiosi status fundamentum et caput quandoque laesum in nostrâ Congregatione videre, eique sub titulo privilegiorum, quae potius abusus etiam ac regulae nostrae detrimenta comperiuntur, officere, et praecipue quae communitati et religiosae observantiae instaurandae adeo per sacram Congregationem super disciplinâ regulari specialiter nobis impensae [2] potius obesse quam prodesse posse videantur: hinc est quod statuimus, mandamus infrascripta decreta inviolabiliter observari, et observanda praescribi. I. Nemo cuiuscumque gradus a servitio chori censeatur exemptus, nisi in actuali le- Decreta octo referuntur. De exemptione ab exercitationibus.

[1] De sociis huius Congregationis pro capitulo generali, vide Innocentii XI const. ed. MDCLXXXII, die 12 iunii, pontif. VI; in Clementis XI constit. edit. MDCCXI, die 10 novembris, pontif. II, agitur de redactione studiorum et graduum pro provinciis Italiae.

[2] Intelligat qui potest (R. T.).

ctionis ac praedicationis exercitio constitutus; quin etiam publicis interesse functionibus, processionibus, ceterisque consuetis teneatur, nisi legitimis et a superioribus approbatis detentus fuerit impedimentis. Meminerint iuxta sanctissimi domini nostri salutare praescriptum exercitiis spiritualibus saltem semel in anno et eâ qua decet animi devotione ac commercii abdicatione totam operam dare, per quam anima caelesti pabulo recreatur, primaevâ ex voto promissâ Deo renovatione, et religionis zelus studio perfectionis augeatur. II. Caveant priores ne in rebus gravioribus absque libero discretorum consensu, et in rebus gravissimis nonnisi maiori et saniori parte capituli conventualis annuente, procedant; ideoque mandamus, quod semel in hebdomadâ fiat congregatio pro his tractandis, quae nedum regularem observantiam, sed etiam rem conventus utiliter gerendam respiciunt. III. Nullus, cuiuscumque gradus et praeeminentiae quomodocumque privilegiatae etiam vicariatus generalis habiti vel habendi existat, censeatur et sit exemptus ab obedientiâ, subiectione et correctione superioris localis conventus, in qua de familiâ designatus degit, exceptis honorificentiis per nostras constitutiones iuxta exigentias illi concessis. IV. Provideatur a superiore conventus quilibet religiosus, cuiuscumque gradus etiam vicariatus generalis habiti vel habendi, cum omnimodâ uniformitate et aequalitate, ita ut eodem victu et vestiario, ceterisque ad eius usum, servitium, necessitatem assignatis vel assignandis iuxta regulam et constitutiones nostras habeant gaudere, sublatis ceteroquin quibuscumque singularitatibus, quae communitati detrimentum et inobservantiae specimen praebent. V. Laici deputati pro servitio particulari patrum seniorum, graduatorum vel gravissimorum non sint adeo adstricti eisdem, vel pro eorumdem servitio, ut etiam pro publico et ad cetera communitati praestanda ad nutum superioris localis nequeant adhiberi. VI. Memoriae mandamus cuilibet ex nostris religiosis quantum deceat a familiaritate cum saecularibus abstinere, eisque negotia tam conventus quam fratrum, praecipue defectus, abscondere; ideoque statuimus et mandamus nulli priori licere saeculares quoscumque et cuiuscumque conditionis intra claustra, nisi per aliquot dies et non mensuatim retinere, nec inito pacto et pretio, ut vulgo dicitur *dozena*, habere, et, quanto minus fieri poterit, etiam pro negotiis alioquin non necessariis introducere: ab hoc enim quam maxime dependere dignoscitur nostrae bonae famae et religiosae libertatis conservatio. VII. Quia vero nostrae Congregationis profectui et propagationi hoc unum magis contulisse comperitur, nostras scilicet constitutiones in suâ puritate relinquere, in iis praecipue quae eiusdem regimen et gubernium respiciunt, ideo declaramus et statuimus in posterum servandas esse omnino constitutiones *De definitorib.*, cap. XXXIX, n. VIII, in quo tantummodo nominatur seu statuitur locum esse vicario generali electo, unâ cum vicario generali functo, et quinque definitoribus a gremio electis; derogatur propterea quibuscumque privilegiis, consuetudinibus, decretis et statutis, etiam in ordine ad illos qui fuerunt vel erunt vicarii generales, et decernimus quod eligendi in definitores habeant conditiones et requisita quae pro tanto onere et negotio a constitutionibus nostris praescribuntur. Ultimo: lectores et baccalaurei non possint ad ulteriorem gradum respective promoveri, nisi actuali-

De congregationibus.

De exemptione ab obedientiâ.

De vitâ communi.

De servientibus.

De consortio saecularium.

De privilegiis.

De lectoribus.

ter legerint et legisse docuerint vel philosophiam, vel theologiam, vel saltem moralem, modo tamen scholastico, itaut in actuali exercitio legendi semper fuerint; ac propterea, quod in unoquoque conventu etiam modicae familiae fiat lectio moralis bis saltem in hebdomadâ, et semel in eâ proponentur casus conscientiae cui omnes choristae interesse teneantur proprium quisque sensum aperire, et explicationem a lectore vel proponente audire, etc. »:

Additio et reformatio relatorum decretorum a Congregatione super disciplinâ regularium facta.

Et in eâdem expositione subiuncto, quod ipsi exponentes decreta huiusmodi, quo firmius subsisterent et servarentur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderabant: nos supplicem libellum, eorum nomine nobis super praemissis porrectum, ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum super disciplinâ regulari a nobis specialiter deputatam remisimus. Ipsa vero cardinalium et praelatorum Congregatio, re mature discussâ, ac dilectis etiam filiis exvicariis generalibus praefatae Congregationis Mantuanae, patribus gravissimis nuncupatis, pluries auditis, censuit tertio ex praeinsertis decretis addenda esse sequentia, videlicet: « Iniunctâ tamen superioribus localibus speciali attentione et reverentiâ erga patres gravissimos, contra quos in causis gravioribus procedere nequeant, nisi ex speciali commissione vicarii generalis»: quarto autem similiter addenda esse haec, nempe: «Ita tamen ut debitâ charitate consulatur servitio patrum gravissimorum»: septimum vero ita reformandum, ut, ultra vicarium functum, admitti in posterum debeant in definitorium alii duo exvicarii immediati eius antecessores, itaut, ultra vicarium electum, alii tres exvicarii dumtaxat in definitorio esse debeant, eorumque aliquo deficiente, alius immediatus antecessor (quatenus adsit) substituatur: et adversus praemissa praefatos patres gravissimos non esse amplius audiendos. Quare dicti exponentes denuo humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Nos igitur, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum cardinalium et praelatorum consilio, omnia et singula decreta praeinserta, ita tamen, ut tertio et quarto praenarratae additiones fieri, septimum vero reformari, sicut praemittitur, respective debeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, ac, quatenus opus sit, convalidamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis cardinalium et praelatorum.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabili-

ter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Congregationis Mantuanae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX ianuarii MDCC, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 30 ianuarii 1700, pontif. anno IX.

---

## CXC.

*Confirmatur, innovatur, declaratur et extenditur constitutio Alexandri VII super datis et promissis pro iustitiâ vel gratiâ apud Sedem Apostolicam obtinendâ, cum adiectione poenarum et quorumdam mandatorum* [1].

**Innocentius Papa XII,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Sacerdotalem et regiam Urbem nostram, innumeris divinae largitatis muneribus decoratam, quemadmodum inter omnes per universum terrarum orbem ecclesias sollicitudini nostrae divinitus demandatas peculiari affectu diligimus, sic mundam et immaculatam custodire satagimus, ac omni quo possumus studio laboramus; agnoscentes profecto quam deceat, ut, quae per beati Petri Sedem caput orbis effecta est, exempla bonorum operum in corpus omne diffundat; ibique potissimum charitatis, iustitiae, virtutumque omnium splendor effulgeat, ubi divinae fidei dispensantur oracula, et christiani viget [2] sacerdotii principatus.

Constitutio Alexandri VII refertur. § 1. Quoniam vero eiusdem almae Urbis, Romanaeque Curiae decori nihil aeque videtur officere, quam si iustitiae gratiaeque negotia, quae magno numero in dies ex omnibus catholicae Ecclesiae partibus ad Sedem Apostolicam deferuntur, non eâ qua decet integritate, et ab

1 Confer constit. infra laudatas Alexandri VII, Bonifacii VII et Gregorii XIII, item Clementis VIII edit. MDXCII, die 15 augusti, et Pii V edit. 4 decembris, pontif. VI. Ab Innocentio XI const. ed. MDCLXXVIII, die 1 octobris, pontif. II, edita fuit taxa pro foro ecclesiastico; ab hoc Pontifice const. ed. MDCXCV, die 22 septembris, pontif. V, interdictae fuere conventiones in providendis ecclesiis et monasteriis; et const. ed. MDCXCVIII, die XI augusti, pontif. VII, abolita fuit venalitas officii camerariatus S. R. E. In Benedicti vero XIII const. ed. MDCCXXVI, die 3 februarii, pontif. II, agitur de rectâ iustitiae administratione et litigantium praesertim pauperum utilitate.

2 Edit. Main. legit *vigeat* (R. T.).

omni procul avaritiae suspicione expediantur; propterea felicis recordationis Alexander Papa VII praedecessor noster, nonnullorum Romanorum Pontificum, et signanter recolendae memoriae Bonifacii VIII et Gregorii XIII pariter praedecessorum vestigiis inhaerendo, eorumque apostolicas constitutiones hac de re editas innovando et ampliando, quasdam suas in formâ Brevis desuper litteras promulgavit, tenoris qui sequitur, videlicet: *Alexander Papa VII ad perpetuam rei memoriam.* Inter gravissimas, etc. [1]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II maii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Confirmatio et innovatio constitutionis relatae Alexandri VII.

§ 2. Quamvis autem constitutionis praefatae tenorem ab omnibus Romanae Curiae iudicibus et ministris religiose servari publice per se pateat, nobisque maxime compertum sit; et quamplurimis optimis integrisque advocatis, procuratoribus, agentibus, expeditoribus, aliisque negotiorum gestoribus et officialibus eadem Curia, miserante Domino, abundet: nihilominus (ad evitandas fraudes quae quandoque eveniunt, eo quia fortasse aliqui, turpis lucri gratiâ, in Curiâ moram trahentes, non cessant Curiam ipsam apud exteras gentes diffamare cum eorum epistolis, notulis seu listis, quas transmittunt principalibus seu corresponsalibus, in quibus petunt pecuniam pro muneribus dandis, vel affingunt munera dedisse ministris gratiae vel iustitiae, aliisque in dictâ constitutione Alexandri VII contentis), de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum, quibus id rei examinandum commisimus, consilio, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione praeinsertas Alexandri praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis censuris, poenis, aliisque in eis contentis, confirmamus, approbamus et innovamus, ac adversus quemcumque non usum seu contrarium usum, qui quoquo modo praetendi possit, restituimus et plenarie reintegramus. Easdemque litteras et in eis contenta quaecumque, etiam quoad censuras et poenas, omnes et singulos agentes, expeditores, procuratores, ceterosque curiales, negotiorum gestores, aliasque personas, tam saeculares et ecclesiasticas, quam cuiusvis Ordinis et instituti, etiam necessario exprimendi, regulares, ad Urbem missas vel in eâ existentes, et pro quibuscumque exteris et forensibus, cuiuscumque status et conditionis et quacumque dignitate etiam maximâ et maiore fulgentibus, etiamsi speciali et individuâ notâ digni sint, etiam capitulis et religionibus suis, iustitiam aut gratiam procurantes, et principalibus seu corresponsalibus scribentes, aut notulas transmittentes, sive per nuncium aut aliàs quomodolibet etiam per interpositas personas significantes aut insinuantes se pro impetrandâ iustitiâ vel gratiâ, aut post earumdem impetrationem, munera tradidisse, aut ea necessaria esse, sive animo revera munus dandi, sive affingendi et simulandi id egerint, etiam sub praetextu redimendae vexationis omnino iniustae et evidentis, etiam in casibus in quibus principalis rem possideat, aut quod salarium seu honorarium ipsis datum, seu promissum aut consuetum, labori ac diligentiae in negotio adhibitae minus respondeat, quodque gratia aut iustitia publicum religionis vel Ecclesiae bonum respiciat, aut aliis quibuscumque praetextibus in eâdem Alexandri constitutione damnatis atque

1 Reliqua omittimus quia iam leguntur in tom. XVI, pag. 156 (R. T.).

reiectis, vel forsitan in futurum pro excusatione allegandis, comprehendere, et ad casus etiam, in quibus pro gratiâ vel iustitiâ apud quoscumque extra Romanam Curiam ab Apostolicâ Sede, vel ab ordinariis eiusdem Romanae Curiae iudicibus, aut etiam Apostolicae Sedis nuntiis, legatis, etiam de latere, et prolegatis specialiter delegatos obtinendâ munera in Curiâ data vel necessaria esse pro comparandis favoribus apud eosdem delegatos vel litteris commendatiis, etiam antequam post[1] obtentam gratiam sive iustitiam, etiam sub quibuscumque modo licitis praetextibus, quomodolibet dictum, scriptum, assertum et insinuatum fuerit, extendi, et locum habere, harum serie decernimus et declaramus.

Adiectio poenarum in contravenientes, cum impunitate et praemio pro revelantibus.

§ 3. Contravenientes vero (ultra excommunicationis eidem Sedi reservatae, privationis cuiuscumque beneficii et officii ecclesiastici et saecularis, temporalis sive perpetui, ac infamiae poenas in praefatâ Alexandri constitutione contentas) etiam amissionis seu extinctionis omnium et singularum pensionum ecclesiasticarum forsitan obtentarum, necnon falsi, furti et iniuriarum magistratui publico illatarum, tam iure communi quam apostolicis constitutionibus et bannimentis generalibus Status nostri Ecclesiastici contentis poenis teneri, et tamquam veros fures et falsarios ac magistratui iniuriam inferentes puniri; principales vero et corresponsales cuiuscumque dignitatis et conditionis, tam saeculares quam ecclesiasticos, et cuiusvis Ordinis seu instituti regulares, etiam vigore quorumcumque privilegiorum specialiter nominandos, ubilibet existentes, et pecuniam solventes, transmittentes, aut solvi et transmitti mandantes, directe vel indirecte, ad effectum dandi munera vel eorumdem pretium pro ministris gratiae vel iustitiae tam in Curiâ existentibus quam extra Curiam ut[1] supra delegatis, nullo ex superius reiectis vel aliàs forsan sub quocumque quaesito colore in posterum allegandis praetextibus eos excusante (ultra poenas in dictâ Alexandri constitutione contentas), etiam nullitatis ipso iure gratiae, decreti, rescripti vel sententiae, imo et amissionis causae, crediti vel iuris, super quo lis agebatur, ac perpetuae inhabilitatis ad quaecumque beneficia ecclesiastica etiam de iurepatronatus laicorum, et ad alias quascumque gratias a Sede praefatâ in posterum obtinendas, incurrere; imo et in singulis praedictis casibus solum conatum ad earumdem poenarum incursum sufficere, etiamsi pecuniae transmissae non fuerint, sed tantum notulis, epistolis, aut aliàs quomodolibet a principalibus in partibus petitae vel ab iisdem principalibus respective oblatae (omnibus, qui rem adhuc incognitam, complicesque, fautores et socios retexerint, impunitate concessâ) statuimus atque decernimus. Episcopos autem, archiepiscopos, similesque personas poenâ dumtaxat in dictâ Alexandri constitutione specificatâ teneri volumus et mandamus. Revelantibus vero seu denunciantibus, dummodo indicia saltem ad torturam vel ad transmittendam inquisitionem contra contumaces sufficientia subministraverint, ducentorum ducatorum auri de Camerâ praemium ex eâdem Camerâ nostrâ solvendum constituimus et assignamus.

Curiales et gestores tenentur transmittere notulam unam expensarum ad principales et alteram tradere notario vel officiali sub certis poenis.

§ 4. Et ut in posterum facile apparere valeat quinam sint illi qui in talibus notulis et listis excedunt, vel quocumque modo contraveniunt, volumus et mandamus ut quilibet agens, expeditor negotiorum, actor, procurator,

1 Forsan legend. *etiam ante vel post* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

seu quilibet curialis, aut quicumque alius, ut supra, ad gratiam vel iustitiam in Romanâ Curiâ impetrandam utcumque deputatus, etiamsi ecclesiasticus, saecularis, seu cuiusvis instituti etiam necessario exprimendi regularis, notulas seu listas omnium et singularum expensarum, quoties eas principalibus seu corresponsalibus extra Curiam transmittet, teneatur propriâ manu subscribere; et nihilominus post gratiae seu causae per sententiam, vel decretum vim sententiae habens, aut per rescriptum in quibuscumque tribunalibus expeditionem, vel quamcumque, concordiâ, renunciatione, morte principalis, aut aliâ quavis causâ mediante, cessationem, exceptis dumtaxat negotiis, quae in eiusdem S. R. E. cardinalium seu aliis congregationibus extra folium, ut vocant, perfici solent, integram omnium et singularum expensarum per se vel per alios in toto negotii decursu factarum notulam, iis etiam repetitis, quae in aliis notulis forsan ut supra transmissis continebantur, atque etiam summam certam pro honorariis sibi debitis, necnon omnes pecunias a principalibus seu corresponsalibus eo usque habitas, clare et distincte iterum propriâ manu subscribere, et ad dictos principales seu corresponsales transmittere, eiusque copiam integram et uniformem intitulatam *duplicatum* notae similis transmissae in partibus ad talem principalem seu corresponsalem pariter propriâ manu subscriptam, intra tres menses a die expeditionis seu sententiae cessationis negotii computandos, notario causae vel officiali ad hunc effectum in quibuscumque gratiae tribunalibus specialiter deputando reipsâ exhibere et consignare, solutâ eidem congruâ mercede, ratione laboris tantum, per deputatam a nobis Congregationem taxandâ, de pecuniis principalium pro quorum indemnitate id agitur, ultra quam sub poenis infrascriptis nihil amplius accipere liceat; ipsi vero notarii et officiales eamdem copiae seu duplicati expeditionem in peculiari libro adnotare, ac praefatas copias saltem per decennium conservare secreto, itaut nemini, nisi interesse habenti vel denunciare intendenti, de expressâ tamen iudicis seu alterius superioris, apud quem negotium actum fuit, licentiâ, ostendere, sub poenis etiam corporis afflictivis eorumdem iudicum vel superiorum arbitrio infligendis, omnino debeant et teneantur. Quod si praedictae personae, ut supra specificatae, notulam seu listam a praedictâ ab ipsis subscriptâ diversam et difformem transmiserint ad principales vel corresponsales, vel transmiserint listam seu notulam ab ipsis non subscriptam, et in epistolâ separatâ, vel per nuncium, aut indirecte, quocumque modo, alias expensas vel partitas addiderint, tunc, si partitae descriptae in notulâ seu epistolâ separatâ sint confictae, alteratae aut falsae, vel contineant munera data vel danda ministris iustitiae vel gratiae, sive omnibus aliis personis expressis in dictâ constitutione Alexandri VII, ultra omnes alias poenas supra specificatas, plecti debere, tamquam veros fures, falsarios et iniuriâ afficientes magistratum, respective poenis furti, falsi, et similibus, in iure, constitutionibus apostolicis et bannimentis generalibus Status nostri Ecclesiastici stabilitis contra veros fures, falsarios, et iniuriâ afficientes magistratum, iuxta qualitatem partitae vel summae alteratae, falsae vel confictae: si autem partitae sint verae, et non de prohibitis, non tamen descriptae in duplicato in actis exhibito, ut supra, tunc tamquam contravenientes huic constitutioni plecti posse poenâ arbitrariâ etiam corporis afflictivâ, ultra

amissionem crediti, arbitrio iudicis, ut supra, ad quem effectum easdem notulas seu listas, aut etiam epistolas, reorum manu subscriptas, pro plenis probationibus habendas esse, vel in eorum defectum probationes illas, quae pro crimine simoniae evincendo de iure satis essent, sufficere statuimus atque decernimus.

Facultas agendi in reos curiales et gestores principalibus, notario et officiali praedictis concessa.

§ 5. Itaque omnibus et quibuscumque, quos ad Romanam Curiam deinceps pro gratiâ vel iustitiâ consequendâ recurrere ex qualibet mundi parte contigerit, liberum erit in posterum et expeditum, fidelem exactamque omnium pecuniarum a se in praefatis negotiis impensarum et impendendarum rationem mediantibus notulis ut supra praescriptis exigere, ac ubi in iis aliquid pro muneribus in praeinsertâ Alexandri constitutione prohibitis adnotatum repererint, certo se a suis actoribus seu procuratoribus deceptos et fraudatos agnoscere, adeoque a transmittendis pecuniis abstinere; sique se in praefatis notulis quovis modo gravatos praetenderint, apud iudicem seu ministrum causae vel gratiae, seu ad alium, quem maluerint, eiusdem Romanae Curiae iudicem ordinarium (qui etiam ex officio et inquisitione procedent), etiam mediante procuratore nostro fiscali generali, suppressis principalium nominibus, agendi facultatem concedimus, instare pro iustitiâ consequendâ et praedictarum poenarum executione.

Clausulae.

§ 6. Decernentes, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, seu causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, sufficienter adductae, verificatae aut iustificatae non fuerint, vel ex aliâ quantumvis legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis, vel intentionis nostrae defectu notari, impugnari, restringi, limitari, ad viam seu terminos iuris reduci, nec adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu proprio concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus et singulis praedictis, et aliis[1], ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, cuiuscumque qualitatis, dignitatis, ordinis, gradus et conditionis extiterint[2], perpetuo et inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, necnon Curiae et Urbis praefatarum iudices, officiales et ministros, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Mandatur praesentis executio.

§ 7. Quocirca universis et singulis locorum Ordinariis per quaecumque provincias et regna christiani orbis constitutis, et quibusvis nostris et Sedis Apostolicae etiam de latere legatis ac vicelegatis, praecipimus et mandamus, ut in suis quisque civitatibus, dioecesibus, provinciis et locis praesentem nostram constitutionem publicari et inviolate observari curent, et adversus contravenientes, sive clericos, sive laicos, qua-

1 Edit. Main. legit *alios* pro *aliis* (R. T.).
2 Edit. Main. habet *extiterit* (R. T.).

cumque dignitate fulgentes, tamquam iniuriantes et infamantes Curiam ecclesiasticam Romani Pontificis, sive etiam capitulares, servatâ formâ a Concilio Tridentino praescriptâ, immo etiam cuiusvis Ordinis aut instituti etiam necessario exprimendi regulares, aut aliàs quomodolibet exemptos, et contra abbates, sive alios quoscumque praelatos iura quasi episcopalia habentes cum territorio separato, ii qui viciniores fuerint, tamquam nostri et Sedis Apostolicae in hac parte specialiter delegati, per viam accusationis, vel denunciationis, aut inquisitionis, et ex mero officio, prout eis videbitur, procedant, reosque culpabiles repertos condignis poenis ut supra afficiant, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, ac ceteris nostris et Cancellariae regulis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon earumdem Urbis et Curiae, earumque[1] tribunalium, et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis ac litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, et aliis efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, in genere vel in specie, etiam motu simili et consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis et servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 9. Ut autem praesentes litterae omnibus innotescant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus ut illae, seu earum exemplum, ad valvas basilicae Principis Apostolorum, ac Datariae nostrae, Curiae generalis[1] et Cancellariae praedictae, necnon in acie Campiflorae de eâdem Urbe, per aliquem ex cursoribus nostris, prout moris est, publicentur et affigantur; quae sic publicatae et affixae omnes et singulos perinde afficiant, ac si illis personaliter intimatae essent: quodque illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae confirmationis, approbationis, innovationis, restitutionis, reintegrationis, decretorum, declarationis, statutorum, voluntatum, mandatorum, constitutionis, assignationis, praecepti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

1 Edit. Main. legit *eorumque* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *generali* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCC, III kalendas februarii, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 30 ianuarii 1700, pontif. anno IX.

---

## CXCI.

*Confirmantur quaedam decreta capituli generalis Congregationis Reformatae sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Capituli generalis anni MDCXCIX decreta.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii monachi vocales nuperi capituli generalis Congregationis Reformatae sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis, die XI maii anni proxime praeteriti MDCXCIX in monasterio S. Pudentianae de Urbe dictae Congregationis celebrati, quod, cum aliàs multae additiones ad constitutiones eiusdem Congregationis, iuxta facultates et ad praescriptum quarumdam felicis recordationis Clementis Papa VIII praedecessoris nostri litterarum in simili formâ Brevis anno MDXCV expeditarum, per quas dictae constitutiones confirmatae fuerant, a diversis anterioribus Congregationis praefatae capitulis generalibus factae fuerint, novissime in nupero capitulo generali supradicto, pro maiori eiusdem Congregationis bono et utilitate, edita fuerant[2] nonnulla decreta in novem articulos distincta, tenoris qui sequitur, videlicet:

« Decreta confecta in capitulo generali monachorum Reformatorum sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis celebrato in monasterio S. Pudentianae de Urbe, die XI mensis maii MDCXCIX.

1 De facultate capituli generalis vide Clementis VIII const. ed. MDXCV; in Clementis XI const. ed. MDCCX, die 25 septembris, pontif. X, extant quaedam decreta super recitatione officiorum.

2 Aptius lege *fuerunt* (R. T.).

De auctoritate superiorum.

I. Superior localis praecipue in parvis monasteriis possit subditos renuentes obligare sub praecepto sanctae obedientiae ad exercenda officia ab ipso imposita, quando nulla adest in contrarium rationabilis causa, servatâ tamen formâ constitutionum circa hunc praecipiendi modum.

De donatis.

II. Conversi et donati sive solemniter, sive simpliciter professi, diebus dominicis et festis, quibus vacatur, conveniant ad omnes Horas canonicas, etc., ut in constitutionibus, cap. XIII, num. V, pag. 96.

De lectoribus et studentibus.

III. Cum unius triennii spatium nimis breve sit ad omnes theologicos tractatus habendos, indeque fiat ut ad animarum tum nostrarum ac aliorum instructionem utiliores tractatus praetermittantur, in posterum, qui sacrae theologiae scholasticae lectores deputati fuerint, per quadriennium saltem idem munus prosequantur, quo tempore teneantur studentes sibi commissos edocere omnes tractatus distributos, ut infra: anno primo, de Deo uno et trino; anno secundo, de angelis, de beatitudine et de actibus humanis; anno tertio, tractatus de vitiis et peccatis, de divinâ gratiâ, et de virtutibus theologicis; anno quarto, de Incarnatione, de sacramentis in genere, de sacrosanctâ Eucharistiâ, et de Poenitentiâ: lectores autem theologiae moralis unico triennium integrum theologiae moralis cursum conficiant, et praeter huius quotidianam lectionem habeant etiam lectionem Sacrae Scripturae bis vel ter in hebdomadâ, horis tamen stabiliendis a superiore locali; quibus lectoribus sedulo munus suum exequentibus omnia conceduntur privilegia, quibus alii lectores fruuntur. Praecipimus insuper lectoribus, ut animarum potius utilitati consulentes, quam ingenii ostentationi

studentes, eas sententias edoceant, quae communiores et probabiliores sunt. Quod si, quacumque de causâ, qui in studii principio deputatus fuerit lector, munus suum prosecutus non fuerit; tunc lector subrogatus tractatus nondum traditos edoceat, itaut nunquam initium fiat a primo tractatu de Deo, quin omnes supradicti tractatus fuerint expleti. Studentes vero lectoribus suis omni humilitate et charitate obsequantur: si quis vero e studentibus cum lectore suo verbis procacibus, sive in studio, sive foris, altercare, aut in eumdem aliquid moliri, vel eidem detrahere ausus fuerit, is, praeter congruam satisfactionem eidem dandam, pro prima et secunda vice poenâ gravi mulctetur; si vero tertio in idem inciderit, mulctetur poenâ graviori, et a studio removeatur. Iniungimus etiam superioribus monasteriorum studiis deputatorum, ne studentibus aliquod munus mandent quod eisdem vagationis aut distractionis a studio causam praebeat; sed omnino invigilent ut totaliter studio, cui deputati sunt, incumbant. Item quantum fieri poterit conferentiis, quae per hebdomadam fiunt, assistere satagant, et saepe inopinato, dum lectio repetitur, aut argumentum fit, in studium se conferant, praecipue in disputationibus et conferentiis hebdomadariis et mensalibus, quae omnino fieri debent. Sic etiam melius negligentes corrigent et castigabunt, et diligentibus animum adiicient. Studentes tandem quotidianae recreationis tempore omnes in unum conveniant circulum, et de suis lectionibus disserant, disputent et argumententur. Non autem solum superiores locales, sed etiam visitatores provinciales invigilent super his et aliis in rituali contentis legibus observandis, et transgressores omnino corrigant et castigent. Lectores vero philosophiae teneantur triennalis studii tempore etiam ethicam edocere.

IV. Abbas generalis ab officio absolutus, toto tempore quo a superioritate vacabit, titulo abbatis semper gaudebit, subditus nihilominus priori suo, capitulum culparum non adibit, nec publicis correctionibus subiacebit, sed si corrigendus sit, id summâ reverentiâ a superiore privatim fiet; ab officiis regularibus, quae vel per hebdomadam disponantur, vel aliis omnibus per vices imponuntur, immunis sit, et ubique locorum post superiorem localem immediate ceteros omnes etiam superiores praecedat, sigillum peculiare ad firmandas epistolas huiusmodi abbati titulari conceditur localium superiorum sigillo simile, additâ tamen in eius summitate solâ mitrâ, et cum hac inscriptione: *Sigillum abbatis titularis*. Eius porro epistolae non videantur nec aperiantur, nisi ab ipsis ad quos mittantur[1]. Duo abbates hoc modo titulares in eodem monasterio non commorentur, nec eisdem nisi ab ipso abbati generali, aut de eiusdem consensu, monasteria assignentur. Si tamen ipsi ita petierint, concessum sit visitatoribus provincialibus, ut aliò transigendi potestatem esse faciant. De abbate titulari.

V. Reimprimendae sunt regulae officialium, nostrum rituale, et forma visitationis cum correctionibus in hoc capitulo generali approbatis. De quibusdam libris.

VI. Pro celebratione officiorum servetur tabella confecta circa distributionem horarum iuxta constitutiones, cum facultate tamen abbati generali et visitatoribus provincialibus super eâ dispensandi in aliquibus monasteriis iuxta illorum indigentiam. De celebratione officiorum.

VII. Visitatores, tum generales tum provinciales, in suâ visitatione statum De visitatoribus.

1 Aptius lege *mittuntur* (R. T.).

omnium rerum tam[1] spiritualium tam temporalium cuiuscumque monasterii perscrutentur iuxta formam descriptam. Praecipimus tamen ipsis visitatoribus ne monasterium residentiae abbatis generalis sine eiusdem participatione visitent, nec ipso inconsulto quaslibet promulgent ordinationes, aut cellam secretarii praefati abbatis generalis visitent.

De superiorum charitate.

VIII. Superiores locales teneantur singulis mensibus concedere suis monachis prandium seu coenam in aulâ hospitum, ut aliquantisper ab asperitatibus ieiuniorum aliisque regularis vitae oneribus allevientur.

De impressione constitutionum.

IX. Abbas generalis imprimere faciat hoc triennio constitutiones revisas, et a capitulo generali approbatas, et pro expensis committitur eidem abbati generali ut unâ cum consiliariis suis taxam determinet, et si expensae nimiae non fuerint, possit etiam cum suis consiliariis taxam statuere pro rituali et regulis officialium cum formâ visitationis imprimendis ».

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, decreta praefata vim constitutionum habere non possint, nisi illis alterius secuturi memoratae Congregationis capituli generalis confirmatio accedat, et propterea dicti exponentes decreta huiusmodi, quo, eâdem confirmatione minime expectatâ, non secus ac constitutiones ipsae inviolabiliter observentur, praesertim quia illorum postremo disponitur ut constitutiones praefatae novis typis quamprimum mandari debeant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, decreta praeinserta auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; ita tamen ut huiusmodi approbatio neque implicite, neque explicite, extendi valeat ad alia, quam ad ea quae per extensum superius exhibita et inserta leguntur, ac salvâ semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Congregationis Reformatae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel

1 Edit. Main. legit *tum* (R. T.).

quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si foret exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII februarii MDCC, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 17 februarii 1700, pontif. anno IX.

---

## CXCII.

*Conceditur indulgentia plenaria per modum suffragii in die communionis generalis a patribus Iesuitis fieri solitae semel in mense christifidelibus regni Angliae* [1].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Concessa fuit praedicta indulgentia in aliqua mensis dominicâ pro omnibus locis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus provincialis provinciae Angliae Societatis Iesu, quod aliâs omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui aliquam dictae Societatis, vel quamcumque aliam saecularem ecclesiam ubicumque existentem, unâ ex dominicis cuiuslibet mensis qua communio generalis sollicitudine dilectorum filiorum clericorum regularium eiusdem Societatis, et quoad ecclesias saeculares de licentiâ Ordinariorum locorum illarumque rectorum consensu, ibidem ageretur, devote visitassent, et iisdem dominicis in aliquâ ex praedictis ecclesiis sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpsissent, ibique pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia et remissio, quam animabus fidelium defunctorum, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migravissent, per modum suffragii applicare possent, auctoritate apostolicâ concessa reperitur, et aliâs prout in apostolicis desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenorem [1] praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac ad verbum inserto haberi volumus [2], uberius asserit contineri.

Extensio pro regno Angliae.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, plures Societatis huiusmodi presbyteri per diversas catholicorum in regno Angliae degentium domos, ad hoc ut eis [3] consulatur, ministrando illis sacramenta, verbum Dei praedicando, ac in viâ salutis dirigendo, clam tamen, propter severissimas regni praedicti leges id vetantes, mitti consueverint; verum multi ex iisdem christifidelibus inter se habitatione distent, nec ad omnes presbyteri praefati iisdem diebus dominicis accedere valeant; ac

1 Aliae indulgentiae extant in Alexandri VIII const. edit. MDCXC, die 30 martii, pontif. I; et in Benedicti XIII constit. edit. MDCCXXVI, die 23 septembris, pontif. III.

1 Edit. Main. legit *tenore* (R. T.)
2 Verba *haberi volumus* nos addimus (R. T.).
3 Edit. Main. legit *eos* (R. T.).

propterea idem provincialis opportune in praemissis a nobis provideri summopere desideret: nos, piis ipsius provincialis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus utriusque sexus christifidelibus nunc et pro tempore in dicto regno Angliae commorantibus, qui quocumque die, quo eis id commodum fuerit, curâ et operâ presbyterorum dictae Societatis in eodem regno pro tempore missionariorum, semel dumtaxat quolibet mense, in aliquâ ecclesiâ seu oratorio regni praefati, ubi missa licite celebretur, idem sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, ibique sicut praemittitur oraverint, ut supradictam plenariam indulgentiam et remissionem, quam pariter animabus fidelium defunctorum applicare possint, lucrentur in omnibus et per omnia, perinde ac si praemissa in unâ ex dominicis praefatis iuxta dictarum litterarum praescriptum peregissent, servatâ tamen in reliquis earumdem litterarum formâ et dispositione, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae. § 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et[1] Cancellariae Apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI martii MDCC, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 6 martii 1700, pontif. anno IX.

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

## CXCIII.

*Confirmatur decretum Congregationis Rituum circa primatum pro provinciâ S. Didaci fratrum Minorum de Observantiâ Discalceatorum contra fratres Augustinianos in regno Mexicano*[1].

**Innnocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum, ad favorem dilectorum filiorum fratrum provinciae S Didaci Novae Hispaniae in Indiis, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum, decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « *Mexicana. Praecedentiae.* Remissâ ab[1] auditore sanctissimi domini nostri Innocentii Papae XII ad sacram Rituum Congregationem causâ praecedentiae inter patres Discalceatos strictioris observantiae sancti Francisci provinciae S. Didaci, ex unâ, et patres Augustinianos provinciae SS. Nominis Iesu, ex alterâ partibus, in regno Mexicano ultimo loco agitatâ super executione decretorum eiusdem sacrae Congregationis diversis temporibus ad favorem eorumdem patrum Discalceatorum sancti Francisci aliàs editorum, et signanter lati sub die III iunii MDCLXXVI et per litteras in formâ Brevis datas XIX iunii eiusdem anni sanctae memoriae Clementis Papae X approbati et confirmati; propositoque ab eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Petruccio in eâdem sacrâ Rituum Congregatione infrascripto dubio, videlicet: An fratribus Discalceatis strictioris observantiae Ordinis sancti Francisci non solum in

Decretum praedictum circa primatum in actibus tam publicis quam privatis anno MDCC editum.

1 A Clemente X const. edit. MDCLXXVI, die 3 iunii, confirmatum fuit simile decretum. De primatu inter Minores de Observantiâ et Conventuales vide Innocentii XI const. edit. MDCLXXXIV, die 14 aprilis, pontif. VIII; et in Clementis XI const. edit. MDCCII, die 24 novembris, pontif. II, confirmatur praesens constitutio.

1 Edit. Main. legit *ad* pro *ab* (R. T.).

processionibus solitis, et sub propriâ cruce, sed etiam in concionibus, disputationibus, concurrentiâ praelatorum, aliisque actibus tam publicis quam privatis, interveniente vel non interveniente familiâ de Observantiâ, competat praecedentia supra fratres sancti Augustini: Sacra eadem Rituum Congregatio, tam in voce quam in scriptis, partibus acerrime informantibus auditis, respondit: In casu, de quo agitur, praecedentiam competere patribus Discalceatis sancti Francisci, ac amplius dubium proponi vetuit. Et ita decrevit, et servari ac exequi mandavit, die XIII martii MDCC. — A. card. CYBO. — B. INGHIRAMUS secret. ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus pariter filius Iosephus Montoro, praedicti Ordinis fratrum Discalceatorum professor, provinciae S. Didaci custos et procurator, nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum[1] Iosephum custodem et procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis cardinalium.

1 Edit. Main. legit *ipsos* (R. T.).

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, amplissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV aprilis MDCC, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 4 aprilis 1700, pontif. anno IX.

---

## CXCIV.

*Declaratur facultas eligendi confessarium ab Ordinario approbatum in Bullâ Cruciatae concessa, cum damnatione opinionis contrariae*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Declaratio de qua in rubrica.

§ 1. Cum, sicut non sine gravi animi nostri dolore ex nonnullorum venerabilium fratrum episcoporum regni Portugalliae et aliorum timoratae conscientiae virorum delatis ad nos querelis accepimus, in regno praefato revixerit ac in dies magis invalescat opinio, per quasdam felicis recordationis Pauli V, Urbani VIII et Clementis X Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, necnon plura Congregationum tunc

1 Hac de re vide Clementis X constit. edit. MDCLXX, die 11 iunii, pontif. I; item huius Pontificis constit. edit. MDCXCVIII, die 6 septembris, pontif. VIII.

existentium S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum ac respective negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum decreta, dudum damnata ac reprobata, qua innixi plerique illarum partium privilegia et indulta per litteras apostolicas pro cruciatâ sanctâ emanatas, seu, ut vocant, *Bullam Cruciatae*, ita intelligenda esse existimant, ut facultas in litteris seu Bullâ huiusmodi christifidelibus attributa confitendi peccata sua cuilibet confessario per quemcumque Ordinarium ad confessiones audiendas approbato locum habeat et habere censeatur etiamsi is non fuerit Ordinarius loci in quo confessiones praefatas excipi contigerit: hinc est quod nos, ex debito pastoralis officii, quod humilitati nostrae meritis licet et viribus longe impari commisit divina dignatio, animarum periculis in re tanti momenti, qualis est sacramentalis confessio, quantum nobis ex alto conceditur, paternâ charitate occurrere cupientes, necnon constitutionibus et decretis supradictis inhaerentes, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium, primum quidem supradictis negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, subinde vero etiam aliorum in totâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum a Sede Apostolicâ specialiter deputatorum, qui opinionem praefatam ex integro examinarunt remque totam mature discusserunt, consilio, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium decernimus et declaramus, Bullam Cruciatae sanctae nihil novi iuris induxisse, nullumque privilegium continere quoad approbationem confessariorum contra formam eiusdem Concilii Tridentini et praedictarum constitutionum apostolicarum, adeout confessarii tam saeculares quam regulares, quicumque illi sint, in vim dictae Bullae Cruciatae a poenitentibus ad audiendas eorum sacramentales confessiones electi, nullatenus confessiones huiusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii et episcopi dioecesani loci, in quo ipsi poenitentes degunt et confessarios eligunt, vel ad excipiendas confessiones requirunt, nec ad hoc suffragari approbationem semel vel pluries ab aliis Ordinariis aliorum locorum et dioecesum obtentam, etiamsi poenitentes illorum Ordinariorum, qui confessarios electos approbassent, subditi forent; confessiones autem aliter et contra earumdem praesentium aliarumque apostolicarum constitutionum formam deinceps faciendas et excipiendas respective, praeterquam in casu necessitatis in mortis articulo, nullas fore, irritas et invalidas, et confessarios ipso iure suspensos esse, et etiam rigide puniendos ab ipsis Ordinariis locorum. Porro quamcumque contrariam opinionem tamquam falsam, temerariam, scandalosam et in praxi perniciosam, praetenso quovis contrario usu contrariâque consuetudine etiam antiquissimâ minime obstantibus, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, harum serie, damnamus et reprobamus, contrariumque usum ac contrariam consuetudinem huiusmodi penitus et omnino abrogamus et abolemus. Ac proinde omnibus et singulis christifidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis et dignitatis existant, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, ne supradictam opinionem docere, tueri, aut ad praxim deducere quovis modo audeant seu praesumant, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque

aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo a quoquam praeterquam a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente nisi in mortis articulo huiusmodi constitutus absolutionis beneficium obtinere valeat, interdicimus et prohibemus.

Clausulae. § 2. Decernentes etiam, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati, auditi, et causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restititutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac dictae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuncios, ac memoratae Cruciatae sanctae commissarios, aliosve quoslibet, quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis et in universalibus, provincialibusque et synodalibus concilis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum, congregationum, societatum et institutorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus, societatibus et institutis, illorumque superioribus et personis, ac aliis quibusvis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et petestatis plenitudine paribus, seu ad quarumcumque personarum etiam quavis ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgentium instantiam, aut earum comtemplatione, seu aliàs quomodolibet, in genere vel in specie, etiam consistorialiter, concessis, ac pluries et quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus Contrariorum derogatio.

et singulis, etiamsi pro illorum sufficiente derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formà in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Ilarum publicatio. § 4. Caeterum, ut eaedem praesentes litterae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus et apostolicâ auctoritate decernimus, ut illae ad valvas basilicae Principis Apostolorum ac Cancellariae Apostolicae necnon Curiae generalis in Monte Citorio et in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; itaut sic publicatae omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent;

Fides transumptorum. § 5. Utque ipsarum praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX aprilis MDCC, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 19 aprilis 1700, pontif. anno IX.

---

## CXCV.

*Erigitur Congregatio sancti Hippolyti hospitalis pauperum infirmorum in Indiis Occidentalibus, cum confirmatione privilegiorum et indulgentiarum*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Ex debito pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae per universum terrarum orbem diffusae règimini divinâ dispositione praesidemus, congregationes christifidelium, pietatis et christianae charitatis operibus ad pauperum infirmorum et convalescentium subventionem et utilitatem laudabili studio incumbentium, paterno charitatis affectu prosequimur, felicique illarum statui, ac ut personae, quae tam pium vitae institutum susceperunt, in eâ vocatione, in qua vocatae sunt, perseverent usque in finem, opportunis rationibus et favoribus providere studemus, sicut, omnibus mature consideratis, ad omnipotentis Dei gloriam, piorum operum incrementum, et animarum salutem expedire in Domino arbitramur. Exordium.

§ 1. Dudum siquidem (postquam quondam Bernardinus Alvarez Insula, dum viveret, civitatis Mexicanae in Indiis Oc- Ortus et progressus dicti hospitalis postea in Congregationem erecti

1 Confirmata fuit erectio dicti hospitalis cum suis statutis a Gregorio XIII et Sisto V; a Clemente VIII, const. ed. MDXCVI, die 2 aprilis, concessa fuere privilegia et indulgentia hospitali sancti Ioannis Dei; et const. ed. MDCIV, die 1 octobris, pontif. XIII, in congregationem erecta, adiecto voto obedientiae et hospitalitatis. Ab hoc Pontifice const. ed. MDCXCIII, die 14 decembris, pontif. III, concessa fuit indulgentia; et const. ed. MDCC, pontif. IX, confirmantur constitutiones.

*cum suis statutis, adiectione voti obedientiae et hospitalitatis, ac privilegiorum concessione.*

cidentalibus hospitale sub invocatione S. Hippolyti martyris, in cuius festivitate olim dicta civitas ab idololatris gentilibus detenta ad christianorum potestatem devenerat, prope et extra muros eiusdem civitatis pro pauperibus christifidelibus infirmis et convalescentibus curandis, aliisque pietatis operibus exercendis, sub certis statutis et ordinationibus de Ordinarii loci licentiâ erigi et fundari curaverat) felicis recordationis Gregorius PP. VIII praedecessor noster, supplicationibus ipsius Bernardini nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, erectionem et fundationem hospitalis ac statuta et ordinationes huiusmodi approbavit, illisque perpetuae firmitatis robur adiecit, et aliàs, prout in[1] recolendae memoriae Sixti Papae V similiter praedecessoris nostri litteris, cum praedictus Gregorius praedecessor, antequam eius litterae super praemissis conficerentur, rebus humanis fuisset exemptus, sub plumbo in formâ[2] *Rationi congruit* desuper expeditis, uberius continetur. Postmodum vero piae memoriae Clemens PP. VIII, etiam praedecessor noster, fide dignorum relatione accepto, hospitale praedictum, benedicente Domino, adeo excrevisse ut in praedictarum Indiarum Occidentalium partibus alia hospitalia et similia erecta et fundata extitissent, per quasdam suas in simili formâ Brevis die II aprilis MDXCVI emanatas litteras inter alia ordinavit seu concessit, quod omnia et singula hospitalia huiusmodi, tam erecta quam in posterum erigenda, eorumque confratres[3] et pro tempore existentes in eisdem Indiis Occidentalibus, omnibus et singulis gratiis, privilegiis, praerogativis, facultatibus, indultis, indulgentiis, tam spiritualibus quam temporalibus, et favoribus, a similis memoriae Pio V, ac praedictis Gregorio et Sixto praedecessoribus, necnon a quibusvis aliis Romanis Pontificibus, etiam praedecessoribus nostris, hospitalibus Ioannis Dei (eo nimirum in Sanctorum numerum nondum relato, nec Ordine fratrum eiusdem sancti Ioannis Dei adhuc instituto) tunc nuncupatis regnorum Hispaniarum quomodolibet concessis, uti, frui et gaudere libere et licite possent et valerent in omnibus et per omnia, perinde ac si ipsis nominatim et aeque principaliter concessa fuissent. Ac deinde ipsi Clementi praedecessori, pro parte tunc existentium superioris fratris maioris nuncupati dicti hospitalis S. Hippolyti et confratrum tam eiusdem sancti Hippolyti quam aliorum sex hospitalium ab eo dependentium, exposito, quod dicta hospitalia sub praedictorum statutorum et ordinationum observatione spatio plurium annorum prospere et feliciter administrata, ac tam spiritualibus quam temporalibus incrementis aucta, et in unam Congregationem S. Hippolyti nuncupatam redacta fuerant, sed successu temporis familiaris experientia ususque quotidianus docuerat, plerosque ipsorum hospitalium confratres, emissis licet de more castitatis et paupertatis votis, in suscepto tamen per eos vitae hospitaliciae istituto, ex eo praesertim quod ipsi perpetuae hospitalitatis et obedientiae votis in aliquo obstricti non essent, minime perseverare; idem Clemens praedecessor, ad supplicationem eorumdem fratris maioris et confratrum, quod de cetero et in perpetuum omnes et singuli dictorum hospitalium confratres, tunc et pro tempore existentes, duo tantum, videlicet hospitalitatis et obedientiae vota emittere deberent, per alias suas litteras, anno Incarnatio-

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).
2 Forsan leg. *incipientibus* pro *in formâ* (R. T).
3 Deest *tunc* (R. T.).

nis dominicae MDCIV, kalendis octobris, pontificatus sui anno XIII, sub plumbo expeditas, statuit, aliaque sub certis modo et formâ disposuit, ordinavit et indulsit, prout in his posterioribus sub plumbo, et praedictis in formâ Brevis ipsius Clementis praedecessoris litteris etiam uberius respective continetur.

Eadem Congregatio in religionem erigitur.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Ioannes de Cabrera procurator generalis praedictae Congregationis S. Hippolyti nobis nuper exponi fecit, confratres hospitalium et Congregationis huiusmodi, ex quo dictus Clemens praedecessor eos memorata duo tantum hospitalitatis et obedientiae vota emittere debere, sicut praemittitur, statuit, alia duo praedicta castitatis et paupertatis vota emittere omiserint, seque dictorum dumtaxat hospitalitatis et obedientiae votorum ratione ad perseverandum in hospitalibus et Congregatione praedictis minime teneri existiment; inde vero varia inconvenientia dimanare dignoscuntur; praeterea, quia iuxta posteriores eiusdem Clementis praedecessoris litteras praedictas ad electionem fratris maioris dictae Congregationis celebrandam viginti ex antiquioribus eiusdem Congregationis confratribus, consideratâ et computatâ ipsorum antiquitate a tempore emissorum per eos dictorum duorum votorum hospitalitatis et obedientiae, convocari debent, et nonnunquam inter ipsos antiquiores sic convocandos aliqui modicae peritiae reperiuntur, hinc eveniat ut aliquis minus peritus ad officium fratris maioris huiusmodi aliquando eligatur: ac proinde ipse Ioannes procurator generalis dictam Congregationem in perfectam et formalem religionem sub regulâ sancti Augustini, itaut illius fratres obedientiae, castitatis et paupertatis, necnon hospitalitatis vota in actu eorum professionis regularis emittere teneantur, erigi, ac, loco dictorum viginti antiquiorum confratrum alios viginti, peritiores scilicet et magis graduatos, dicti fratris maioris electores constitui et deputari, necnon ut tam binas Clementis quam Sixti praedecessorum litteras praedictas, ac gratias, indulgentias, facultates, antelationes, privilegia et indulta, per eas hospitali et Congregationi praedictis concessa et communicata, ad Congregationis sic erigendae favorem innovari, et apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, ac aliàs in praemissis opportune a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desideret: nos, eiusdem Ioannis procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super hoc negotio a nobis specialiter deputatorum, qui illud mature perpenderunt, et circa memoratam fratris maioris electionem nihil innovandum esse censuerunt, consilio, praefatam Congregationem sancti Hippolyti martyris in formalem regularem religionem sub regulâ sancti Augustini, cum votis solemnibus castitatis, pauperatis et obedientiae, necnon hospitalitatis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus; eamque sic a nobis erectam, illiusque confratres, hospitalia, ecclesias et personas quascumque sub im-

mediatâ nostrâ et huius Sanctae Sedis protectione et subiectione suscipimus. Porro gratias, indulgentias, facultates, antelationes, privilegia et indulta praefata, dummodo sint in usu, ac licita et honesta, nec sint revocata, aut sub aliquâ revocatione comprehensa, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis, aut posterioribus constitutionibus et ordinationibus apostolicis vel regularibus dictae Congregationis sic a nobis erectae institutis non adversentur, auctoritate et tenore praefatis confirmamus et approbamus, illisque[1] inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon Congregationis et hospitalium praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores

1 Edit. Main. legit *illique* (R. T.).

praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habantes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX maii MDCC, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 20 maii 1700, pontif. anno IX.

---

## CXCVI.

*Deputatur cardinalis Pamphilius in protectorem et superintendentem portus Antii, cum erectione Congregationis post eius obitum et assignatione dotis*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Romanus Pontifex, omnium christifidelium pater et pastor a Domino constitutus, non solum spiritualibus dominici gregis sibi divinitus crediti utilitatibus iugi vigilantiâ consulere studet, sed et temporalibus, praesertim suorum et Apostolicae Sedis etiam quoad temporalia subditorum, commodis paterno studio providere satagit, ac aliàs desu-

1 Const. edit. MDCXCVII, die 4 augusti, pontificatus VIII, erecta fuit Congregatio super disciplinâ regulari; et in Clementis XI const. edit. MDCCI, die 14 ianuarii, pontif. I, agitur de Congregatione visitationis apostolicae in Urbe.

per disponit, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, reipublicae conducibile fore in Domino arbitratur.

Causae aedificandi portus.

§ 1. Dudum itaque nos animo revolventes, quantum ubertatis publicae, quantum populorum commerciis, quantum denique honestis negotiacionibus, quibus respublica floret, industria viget, otium eliminatur, omniumque ad vitam necessariarum rerum copia comparatur, infensum ac exitiosum esset in Tyrrheni maris orâ a portu Caietae usque ad Centumcellas nullam pro navibus tutam stationem reperiri; probeque scientes, ac cum maximo animi nostri moerore considerantes, quam frequentia inde ac misera navigantium et mercium naufragia in dies fierent, non sine gravi almae Urbis nostrae, quò merces illae commeassent, detrimento: dignam munere nostro rem aggredi putavimus, si ad eiusmodi mala opportunis rationibus avertenda peculiarem paternae providentiae nostrae sollicitudinem converteremus. Hac proinde de causâ terrae nostrae Neptuni, Albanensis dioecesis, litora, obnitente licet huic rei effoetae nostrae senectutis imbecillitate, invisere non dubitavimus, ibique ex veteris Antii ruderibus, ubi adhuc supersunt, ingentia vestigia celeberrimi portus Neroniani, quem nisi operis sumptuosissimi historici tradidissent, satis superque eadem vestigia demonstrarent, novum portum extruendi consilium inivimus; non[1] quidem tam latum et extensum ut exuberans aliorum tutela in temporalis nostrae ditionis periculum vergeret, sed nec tam angustum ut per ipsum navium illuc adventantium incolumitati usquequaque prospectum non esset. His praescriptis legibus, dilecto filio nostro Benedicto S. R. E. diacono cardinali Pamphilio nuncupato, de cuius eximiâ fide, prudentiâ, integritate, sapientiâ, flagrantissimoque publici boni studio plurimum in Domino confidebamus, operis curam demandavimus. Porro idem Benedictus cardinalis, solerti ac plane indefessâ diligentiâ et sedulitate, nec laboribus, nec incommodis, imo neque etiam sumptibus parcens, expectationi de se nostrae tam plane respondit, remque totam ex animi nostri sententiâ adeo perfecit, ut, eius potissimum operâ, brevi ac feliciter iactis in altum opportunis molibus, apertoque mari obiectis, portum Antio restituisse, propugnaculo, quâ se portus aperit, constructo, securitati prospexisse, ecclesiâ ibidem aedificatâ ac presbytero in eâ constituto, spiritualibus confluentium christifidelium necessitatibus consuluisse, perennibus demum ac saluberrimis aquis e longinquo derivatis, aquationum commoda navigantibus addidisse, summopere laetemur.

Quomodo opus per cardinalem Pamphilium completum fuerat.

Idem cardinalis Pamphilius protector ad vitam designatur.

§ 2. Verum, cum non satis sit tantum ac tam salutare opus summo studio absolvisse, nisi eo iugiter conservando circumspectae vigilantiae nostrae partes propensâ charitate adiungamus: hinc est quod nos, felici perpetuaeque portus, aquaeductus, totiusque operis huiusmodi conservationi et manutentioni, quantum nobis ex alto conceditur, providere, ac memoratum Benedictum cardinalem speciali aliquâ paternae ac gratae nostrae in eum voluntatis significatione prosequi cupientes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eumdem Benedictum cardinalem portus praedicti, quamdiu vixerit, protectorem et superintendentem (cum plenariâ, liberâ et omnimodâ potestate, facultate et auctoritate omnes et quascumque pecuniarum summas, portui, aquaeductui et operi praefatis,

1 Edit. Main. legit *cum* pro *non* (R. T.).

pro illorum dote, a nobis ut infra applicandas et assignandas, in portus, aquaeductus et operis huiusmodi conservationem et manutentionem, prout secundum datam sibi a Domino prudentiam expedire iudicaverit, nostrâ et pro tempore existentis Romani Pontificis S. R. E. camerarii, Camerae nostrae apostolicae thesaurarii generalis, vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ, convertendi et erogandi, absque eo quod ipse Benedictus cardinalis sive eius haeredes et successores quilibet de pecuniis praefatis, etiam ad quamcumque summam ascendentibus, per eum seu de eius mandato praemissorum causâ solvendis et impendendis, ullam unquam rationem reddere, aut expensas in eisdem praemissis per eum seu de eius mandato faciendas iustificare seu comprobare ullo modo teneatur seu respective teneantur; insuper omnia et singula, quae pro conservatione et manutentione praedictis facienda seu vitanda fuerint, decernendi, ac super praemissis etiam statuta condendi et promulgandi ac observari faciendi, illaque, toties quoties opus fuerit, moderandi, corrigendi et emendandi ac mutandi, et alia de novo edendi, et generaliter quaecumque et qualiacumque in praemissis huiusmodi et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, gerendi, mandandi et ordinandi, ac exequendi et executioni mandari curandi, etiamsi talia forent, quae sub generali expressione non venirent, sed specificam et individuam mentionem requirerent) tenore praesentium facimus, creamus ac constituimus et deputamus; dictumque Benedictum cardinalem, ac illius haeredes et successores quoscumque, ex nunc prout ex tunc et e contra, a ratione seu comprobatione praefatis harum serie omnino eximimus et liberamus. Ipso autem Benedicto cardinali rebus humanis exempto, protectionem huiusmodi penitus cessare, nec eam cuiquam alteri concedi volentes, super portu, aquaeductu et opere supradictis, ex nunc prout ex tunc postquam dictus Benedictus cardinalis decesserit, et e contra, Congregationem portus Antii nuncupandam, in qua tunc et pro tempore existentes Camerae praedictae thesaurarius generalis et commissarius etiam generalis, necnon unus, si quis fuerit, ex nobili et antiquâ eiusdem Benedicti cardinalis familiâ Pamphiliâ, Romanae Curiae praelatus, unus itidem ex eiusdem Camerae praesidentibus clericis, qui Romanus sit, seu saltem ex Statu nostro Ecclesiastico, ac demum duo cives etiam Romani, per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes ad ipsorum successorum nostrorum beneplacitum deputandi, esse debeant, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, harum serie, perpetuo erigimus et instituimus.

*Erectio Congregationis super eodem portu Antii deputatae.*

§ 3. Ceterum, ut[1] impensae pro conservatione et manutentione praefatis in dies necessario faciendae solvi possint, eisdem portui, aquaeductui atque operi pro eorum annuâ et perpetuâ dote mille scuta monetae romanae singulis annis, ex proventibus dictae terrae Neptuni illique annexorum ad Cameram nostram praedictam spectantibus, quippe quos ratione constructionis portus supradicti iam notabiliter auctos fuisse compertum est, percipienda, necnon, vigore mandatorum eiusdem Benedicti cardinalis et protectoris, quoad vixerit, ac successive Congregationis a nobis, ut praefertur, institutae, a dilecto filio moderno et pro tempore existente conductore seu administratore proventuum huiusmodi persolvenda, motu, scientiâ, deliberatione

*Assignatio mille scutorum pro dote portus.*

1 Particulam *ut* nos addimus (R. T.).

et potestatis plenitudine praedictis, earumdem tenore praesentium, itidem perpetuo applicamus, assignamus, concedimus, appropriamus et incorporamus.

Clausulae § 4. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea citati, vocati et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, adductae, verificatae vel iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque etiam quantumvis legitimâ, iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu vel capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam maximo ac formali et substantiali, incogitato et inexcogitabili individuamque mentionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos iuris reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ipsi Benedicto cardinali, aliisque, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis inviolabiliter et inconcusse observari et adimpleri, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. camerarium et alios cardinales etiam de latere legatos, necnon dictae Camerae praesidentes clericos, thesaurarium et commissarium generales, ceterosque officiales et ministros, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, ac felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse Camerae praedictae concernentibus in eâdem Camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis, registrandis, itaut praesentes litteras ibidem praesentari et registrari nunquam necesse sit, aliisque apostolicis, et in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae Camerae, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Camerae illiusque officialibus et ministris, ac aliis quibusvis personis et locis, sub quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis, in contrarium praemissorum, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet et quantiscumque vicibus, concessis, confirmatis, iteratis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro Contrariorum derogatio.

illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis et accuratissime specificatis et servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac plenissime et amplisssme derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII maii MDCC, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 8 maii 1700, pontif. anno IX.

---

## CXCVII.

*Confirmantur constitutiones Congregationis Charitatis S. Hippolyti in Indiis Occidentalibus*[1].

**Innocentius Papa XII, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Ex iniuncto nobis divinitus apostolicae servitutis munere, ad ea, per quae christianae charitatis et hospitalitatis opera ubique locorum, ac praesertim in remotissimis ab hac Sanctâ Sede partibus opportune promoventur, favorabiliter intendentes, christifidelium congregationes in idipsum laudabili studio incumbentes apostolico favore prosequimur; ac proinde, ea quae pro felici prosperoque illarum regimine et gubernio provide prudenterque constituta esse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistant, apostolici muniminis praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes de Cabrera, procurator generalis Congregationis Charitatis sub titulo S. Hippolyti martyris in civitate Mexicanâ aliisque partibus Indiarum Occidentalium novissime a nobis in religionem erectae, quod pro felici prosperoque dictae Congregationis regimine et gubernio factae fuerunt nonnullae constitutiones, quae revisae et examinatae, ac in unum collectae sunt, tenoris qui sequitur, videlicet: Referuntur dictae constitutiones.

« I. Cum principalis scopus Congregationis sive Ordinis Charitatis sit attendere operibus corporalibus misericordiae versus pauperes infirmos, convalescentes, mentecaptos, aliosque egenos, non debebunt tunc fratres eiusdem attendere studio litterarum; nonnulli tamen cum licentiâ fratris maioris Congregationis operam navare poterunt medicinae et chirurgiae, tamquam artibus necessariis pro propriis ministeriis, dispensando hac in parte Sede Apostolicâ in sacris canonibus generaliter studium dictorum artium religiosis prohibentibus: similiter illi, qui in conformitatem praesentium constitutionum studuerint, ut ad sacerdotium promoveantur, poterunt et debebunt studiis incumbere, et quidem principaliter grammaticae ut linguam latinam bene intelligant, et casibus conscientiae. De studiis.

II. Totum Ordinis gubernium residere debebit in uno superiore cum titulo fratris maioris generalis, in quatuor eiusdem consiliariis, et in superioribus localibus, cum titulo fratrum maiorum localium, qui electi esse debebunt in formâ sequenti. De gubernio.

[1] Haec Congregatio erecta fuit constit. edit. MDCC, die 20 maii, pontif. IX; et in Clementis XI constit. edit. MDCCI, die 20 iunii, pontif. I, agitur de privilegiis et promovendis extra tempora.

De capitulo generali et electione fratris maioris generalis.

III. In festo sanctorum apostolorum Petri et Pauli singulo triennio celebrabitur capitulum generale, quod semper congregari debebit in domo S. Hippolyti in Mexico: huic intervenire debebunt et suo tempore vocari viginti antiquiores in professione ipsius Congregationis, qui tamen scribere et legere sciant; et casu quo aliquis seu aliqui istorum legitime essent impediti (quod impedimentum constare faciant fratri generali maiori et consiliariis, qui in hoc stare debeant ipsorum attestationi iuratae, approbatae et subscriptae a fratre maiori illius domus in qua morantur), debebunt opportune vocari et subrogari magis antiani dictae domus S. Hippolyti, qui similiter legere et scribere sciant, itaut nunquam deficiat numerus viginti vocalium. In vigiliâ sanctorum apostolorum Petri et Pauli frater maior generalis terminabit suum officium, et in capitularium praesentiâ consignabit sigillum et libros fratri maiori S. Hippolyti, qui semper capituli praesidens esse debebit, non tamen in eo votare, si non sit de numero illorum viginti antianorum, et in officio praesidentis durare debebit usquedum canonice electus fuerit maior generalis, qui statim secutâ illius canonicâ electione pro confirmato habeatur. In festo deinde Ss. Apostolorum audito sacro, communicatisque fratribus, congregandi erunt a praesidente in loco et tempore ad electionem destinatis, ibique per vota secreta recepta in urnâ aliquâ a tribus scrutatoribus, qui semper antianiores in professione esse debebunt, fiet electio fratris maioris generalis, et is legitime electus erit qui maiorem votorum partem habere compertus fuerit; cum hoc tamen, quod si electus est de numero votantium, duo ultra medietatem habere debeat vota, si vero de numero non est, unum habere sufficiet, iuxta particularia statuta et usum ab hac Congregatione usque nunc practicatum. Ad effectum, ut quis in fratrem maiorem generalem eligi possit, ad minus aetatis quadragesimum et professionis decimum annum agere debebit, opusque erit quod frater maior fuerit in aliquo hospitali, aut consiliarii, procuratoris generalis infirmariive maioris officium exercitaverit.

De electione consiliariorum et procuratoris generalis.

IV. Post maioris fratris generalis electionem immediate eligantur quatuor consiliarii aetatis maturae, prudentes et instituti zelantes, et eo ipso modo eligantur, quo fratrem maiorem generalem eligi debere dictum fuit, et inter hos observabitur praecedentia non secundum ordinem electionis, sed secundum professionis antianitatem. Et post hos immediate eâdemque formâ eligetur procurator generalis. In casu discrepantiae inter electores, si per totum diem sancti Petri non sequatur electio fratris maioris generalis ad occasum solis illiusmet diei de facto devoluta erit archiepiscopo Mexicano, et in casu absentiae archiepiscopi aut sedis archiepiscopalis vacantis, illius vicario generali aut capitulari. Similiter per eamdem rationem si in toto die electionis fratris maioris generalis, aut saltem in die sequenti, non fuisset secuta electio consiliariorum et procuratoris generalis, aut alicuius eorum, incontinenti devoluta erit talis electio fratri maiori noviter electo. In die sequenti electionem maioris generalis, consiliariorum et procuratoris generalis, fient provisiones aliorum ministrorum et officialium Congregationis, scilicet fratrum maiorum hospitalium, infirmariorum maiorum, magistri noviitiorum, medici et chirurgi; et hae fieri debeant a solo fratre maiori generali cum suis consiliariis, qui non solum in

istà, verum in omnibus aliis occasionibus, in quibus tractari debeant graviores res Congregationis, habebunt votum tam consultivum quam etiam decisivum, aequale in omnibus voto fratris maioris generalis; ita et taliter ut illud subiectum in dictis electionibus habeatur pro electo, et illa sententia praevaleat, in quo[1] et in qua seu quibus concurrat maior pars; et in casu quo aliquis istorum deficeret, et remanerent solummodo quatuor votantes, et forent divisi in partes aequales, votare debebit procurator generalis. Alia deinde officia minora cuiuscumque hospitalis, ut sunt procuratoris, sacristae, dispensatoris, ianitoris, eleemosynarii, vulgo *cercatore*, provideri debebunt a fratre maiori hospitali. In casu diuturnae infirmitatis aut necessariae absentiae fratris maioris generalis, possit iste subrogare praesidentem, qui, durante dicto impedimento, Congregationem regat et gubernet, et interesse debebit primus consiliarius; et in casu obitus aut depositionis illiusmet fratris maioris generalis, idemmet primus consiliarius succedere debebit in gubernio illius pro toto eo tempore, quod pro triennio finiendo supererit; post quod congregetur capitulum generale pro novà electione, et non prius: et casu quo durante dicto triennio vitam cum morte commutaret consiliarius aliquis aut procurator generalis, aut frater maior cuiusdam domus, frater maior generalis cum consiliariis provideat dicta officia de personâ idoneâ, quae quidem durare seu continuare debebit solummodo usque ad tempus proximi capituli generalis, quia tunc omnes officiales renovari debebunt, aut eligendo novos, aut confirmando antiquos, cum evidens Congregationis utilitas adfuerit; frater autem maior generalis, qui triennium suum compleverit nullo modo reeligi possit ad idem officium, nisi post aliud triennium, et similiter procurator generalis, nisi in casu quo is electus fuisset cum omnium voto; et aliter faciendo, electio nulla et irrita sit.

1 Voces *in quo* nos addimus (R. T.).

*De novis domibus et visitatore.*

v. Fundari non possit nova domus aut hospitale seu xenodochium absque Ordinarii licentiâ, in conformitatem decretorum sacri Concilii Tridentini et constitutionum apostolicarum, et sine consensu capituli generalis, et in casu urgenti, qui fundationem differre non permittat usque[1] ad dictum capitulum, sine fratris maioris generalis eiusque consiliariorum consensu; non acceptetur nova domus, si non possit saltem substentare, ultra fratrem maiorem localem, quatuor fratres et unum sacerdotem, et domus sint simplices et humiles absque curiositate; inter domos fundatas et fundandas primum semper occupet locum illa S. Hippolyti Mexicana, quae ordinaria erit residentia fratris maioris generalis illiusque consiliariorum; debebit autem dictus frater maior generalis visitare saltem singulis annis per se aut alium visitatorem delegatum omnes domus Ordinis distantes a Mexico non plusquam tercentum milliaribus, et remotiores semel saltem durante eius triennio.

*De oneribus domus S. Hippolyti.*

vi. Similiter ad dictam domum sancti Hippolyti spectabit mittere pauperes infirmos et convalescentes ad terram de Huastepet, et providere eis de mulis et omnibus necessariis ad effectum recuperandi salutem; similiter dictae domus erit mittere ad hortum Veraecrucis provisiones et necessarios ministros ad recipiendum, ut dicitur, flottam navium ab Hispaniis advenientem, ad conducendos pauperes et infirmos ad hospitalia, ibique eos sanandos cum applica-

1 Edit. Main. legit *utque* pro *usque* (R. T.).

tione omnium possibilium charitativorum tractamentorum, prout laudabiliter usque nunc practicatum fuit, cum opus hoc sit proprius et principalius huius instituti usque a primaevâ sua fundatione.

De administratione et dispensatione bonorum.

VII. Omnia bona tum mobilia tum stabilia provenientia a legatis piis aut eleemosynis, aliâve aliâ parte, administrentur ab officialibus Congregationis destinatis ab illius superioribus, et adhibeantur seu applicentur ultra necessariam fratrum et sacerdotum necessariorum substentationem pro beneficio infirmorum, convalescentium, aliorumque pauperum attinentium ad hospitalia; et si redditus aut eleemosynae superabundarent in aliquo hospitali, applicentur in beneficium aliorum pauperum verecundorum indigentium, iuxta prudentem directionem fratris maioris generalis, eiusque consiliariorum; nec fratres habere possint, nec praetendant rem aliquam in particulari, sed omnes vivant in perfectâ vitâ communi, eo modo quo praescribitur in decretis Clementis VIII, et praecipitur in Bullâ Pauli V; legata pia cum obligatione celebrationis missarum acceptentur et adimpleantur iuxta formam praescriptam a decretis Urbani VIII *De celebrat. miss.*, et a Bullâ sanctissimi domini nostri.

De alienatione bonorum.

VIII. Nec administratores bonorum hospitalium istorum, aut superiores illorum, aut ullus quilibet Congregationis superior possit ea alienare absque licentiâ saltem Ordinarii, servatâ formâ iuris et sacrorum canonum; qui Ordinarius in dictorum bonorum alienatione interponere poterit suam auctoritatem tamquam delegatus Sedis Apostolicae, stante non facili ad eamdem recursu. Nullus recipiatur in Congregatione, nisi cum licentiâ fratris maioris generalis, et habeat saltem annos decem et octo completos, et non plusquam ad minus quadraginta, nisi foret persona pietatis singularis aut magnae utilitatis; nullum habeat impedimentum canonicum, sit animo et corpore bene dispositus, ut se totum implicare possit in auxilium cuiusvis generis infirmorum. Recipiantur novitii, concurrente maiori parte votorum professorum domus novitiatus, quae esse debeat domus S. Hippolyti. Poterit tamen frater maior generalis cum unanimi assensu et arbitrio eius consiliariorum destinare aliquam aliam domum pro loco novitiatus, si ob maiorem religionis propagationem id necessarium foret. Non possint novitii removeri a domo novitiatus nisi post professionem; nullus admittatur ad professionem, nisi denuo acceptatus fuerit a duobus tertiis votorum fratrum professorum domus illius in qua novitiatum agit, et novitiatum egerit per annum integrum et non interruptum, iuxta sacrum Concilium Tridentinum. Unusquisque emittere debebit professionem in manibus fratris maioris generalis, aut illius, cui ab eodem talis functio expresse commissa fuerit, et professionis forma erit sequens : *In nomine SS. Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Ego N. N. facio professionem, et promitto Deo et gloriosae Virgini et omnibus Sanctis et vestrae charitati, frater N. frater maior generalis, aliisque vestris successoribus, castitatem, paupertatem, hospitalitatem perpetuam, et obedientiam iuxta regulam sancti Augustini et constitutiones Ordinis Charitatis S. Hippolyti, usque ad mortem.*

De habitu.

IX. Vestes exteriores fratrum omnes sint de unâ et eâdem re, ex panno coloris pardi, simplici et vili, et exiguae expensae, in formâ quae[1] gestant de praesenti; tunica tangat calcaneos, caputium sit unitum scapulario, et hoc brevius tunicâ sex digitis, pallium bre-

1 Potius *quâ* vel *quam* (R. T.).

vius scapulario, pileus similis illi quem gestant fratres minores sancti Francisci, calcei grandes et simplices, cinctura seu zona ex corio larga et longa. Faciant resplendere sanctam paupertatem in fabricis, cellis, suppellectilibus, victu, et in omnibus aliis rebus; recordando quod illorum redditus sunt omnes ordinati ad beneficium pauperum.

De mensâ et clausurâ.

x. Omnes tam superiores quam inferiores, cum sani sunt, comedant in communi refectorio, et contenti sint iisdemmet cibis, absque alicuius rei differentiâ. In mensâ perpetuum et indispensabile sit silentium cum lectione librorum spiritualium; nunquam fratres emaneant e domo comedendi causâ, multo minus dormiendi, nisi in aliquo inevitabili casu: et in hoc sit valde cautus superior. In domibus istius Ordinis perpetua sit clausura, nec unquam intrare possint feminae.

De operibus piis.

xi. Ultra mandata statuta[1] ab Ecclesiâ, servanda cum omni puntualitate et rigore, ieiunent fratres omnibus diebus veneris totius anni, et in Adventu etiam diebus lunae et mercurii, si ob infirmitatem aut extraordinarium laborem non fuisset quis a superiore dispensatus. Singulis diebus faciant per duas horas orationem, unâ de mane et aliâ de sero. Et unaquaeque istarum horarum implicata erit partim in oratione vocali, et partim in oratione mentali; et in illâ de sero comprehendatur etiam examen conscientiae. Singulis diebus audiant missam. Frequentent sanctissima sacramenta Poenitentiae et Communionis, itaut saltem duabus vicibus in mense, ultra Paschatis, Pentecostes, Omnium Sanctorum, et Nativitatis Domini solemnitates, confiteantur et communicent. Observent silentium in oratorio, refectorio, dormitorio et cellis; et in aliis locis, minus quo fieri poterit, loquantur.

De fratrum conditione.

xii. Fratres huius Ordinis esse debent laici. Permittimus tamen quod unus ipsorum tantummodo pro quolibet hospitali possit esse promotus ad omnes ordines sacros, servatis omnibus de iure servandis, et cum expressâ fratris maioris generalis licentiâ, dummodo ante promotionem ad sacerdotium habeat saltem sex annos professionis. Fratres illi qui in posterum ita promoti fuerint, incapaces erunt superioritatis et officiorum maiorum religionis, scilicet officii fratris maioris generalis, consiliarii, procuratoris generalis, et fratris maioris localis, sed officium illorum erit celebrare sanctum missae sacrificium et administrare sacramenta. Omnes tamen sacerdotes, tam praesentes quam futuri, ob gradus illorum honorabilitatem, in omnibus actibus communitatis habeant primum locum post fratrem maiorem generalem, consiliarios, procuratorem generalem et fratrem maiorem domus.

De statutorum et ordinum natura.

xiii. Hae sunt constitutiones inviolabiliter observandae, ita et taliter, ut nullo modo a superioribus religionis alterari possint, nec minus a capitulis generalibus. Declaramus nihilominus, pro quiete conscientiarum religiosorum, quod non intendamus eos obligare ad aliquam culpam, nisi in iis rebus contentis in ipsis, quae aliàs sunt statuta et respective prohibita a lege divinâ aut humanâ; et pro conservandâ ceterum eâdemmet quiete conscientiae religiosorum, ordinamus pariter et declaramus quod ordines superiorum aut generales aut locales non obligent subditos sub peccato mortali, nisi sint facti in scriptis, in materiâ gravi, et praemissâ aliquâ monitione, et expressi sint per verba significantia praeceptum in virtute Spiritus Sancti et obedientiae. Demum

1 Forsan *ieiunia statuta* (R. T.).

capitulum generale auctoritatem habeat declarandi dubia quae occurrere possent in intelligentià praesentium constitutionum, facere statuta et ordinationes pro bono religionis gubernio iuxta necessitates quae occurrere poterunt cum tempore, dummodo ista non sint[1] contraria sacris canonibus et constitutionibus apostolicis nec praesentibus constitutionibus, nec habeant vigorem constitutionum, si, post factas ordinationes supradictas in uno capitulo generali, non fuerint successive confirmata[2] a duobus aliis capitulis immediate subsequentibus, et ulterius appobatae ab archiepiscopo Mexicano ».

Confirmatio relatarum constitutionum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes procurator generalis constitutiones huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsius Ioannis procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super hoc negotio specialiter deputatorum, qui rem mature discusserunt, consilio, omnes et singulas constitutiones praeinsertas, auctoritate apostolicà, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiungimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicà, vel quavis firmitate alià roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticà dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

1 Edit. Main. legit *sit* (R. T.).
2 Cohaerentius lege vel *confirmatae* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI iunii MDCC, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 21 iunii 1700, pontif. anno IX.

---

## CXCVIII.

*Confirmatur decretum cardinalis protectoris pro alternativâ in provinciâ S. Ioannis evangelistae insularum Azorum sub regno Portugalliae Ordinis Minorum de Observantiâ* [1].

**Innocentius Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Haec alternativa stabilita fuit in capitulo provinciali MDCXC circa electionem provincialis et celebrationem capituli.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Antonii de Pillar, fratris expresse professi Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, ac commissarii et procuratoris provinciarum S. Ioannis evangelistae insularum Azorum sub regno Portugalliae eiusdem Ordinis, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod in capitulo provinciali dictae provinciae, anno MDCXC celebrato, pro quiete ipsius provinciae decretum et stabilitum fuerat alternativam electionem ministri provincialis eiusdem provinciae (ita scilicet ut pro uno, ex fratribus insularum S. Michaëlis et S. Mariae, pro altero vero triennio, ex fratribus *Terzeras* nuncupatis aliarumque adiacentium insularum provinciae huiusmodi assumendus est[2]) observari debere; successive etiam stabilitum fuerat, capitulum provinciale eiusdem provinciae semel in S. Michaëlis et S. Mariae, et semel in *Terzeras* insulis praedictis celebrandum esse; sed cum, post unius triennii lapsum, definitorium provinciae praefatae congregatum fuisset, in eo statutum extiterat ut memorata alternativa, quoad celebrationem capituli provincialis huiusmodi, visitatoris dictae provinciae et ipsius definitoris arbitrio relinquerentur: et in eâdem expositione subiuncto, quod (cum posterius statutum huiusmodi ad turbandam religiosam dictae provinciae tranquillitatem tenderet, et per illud ea, quae in supradicto capitulo provinciali, sicut praemittitur, decreta et stabilita fuerant, contemnerentur et everterentur; ideoque ipse Antonius et dilectus pariter filius minister provincialis eiusdem provinciae, praevidentes graves et inevitabiles perturbationes suborturas fore si prenarrata dicti capituli provincialis decreta et stabilimenta non observarentur, venerabili fratri Michaëliangelo archiepiscopo Tarsensi, in Portugalliae et Algarbiorum regnis nostro et apostolicae Sedis nuncio, supplicavissent ut illa approbaret et confirmaret, praefatum vero definitoris statutum aboleret et irritaret) ipse Michaëlangelus archiepiscopus et nuncius, cum cognovisset quantum inde religiosae quietis provinciae praefatae proventurum esset, praeviis debitis informationibus per suas litteras die IX decembris anni proxime praeteriri expeditas eadem decreta et stabilimenta confirmaverat, dicta vero statuta specialiter et ex se derogaverat, et aliàs, prout in dictis litteris praefatae cardinalium Congregationi exhibitis uberius dicebatur contineri: ac proinde pro parte Antonii et ministri provincialis praefatorum ipsi Congregationi cardinalium supplicato ut praedictis litteris, pro firmiori illarum subsistentiâ stabilique dictae provinciae

1 In const. ed. MDCXCVIII, pontif. VII, confirmata fuit alternativa pro provinciâ Cantabriae; et in Innocentii XIII const. ed. MDCCXXI, die 16 iunii, pontif I, agitur de alternativâ in provinciâ Lusitaniae Reformatorum.

2 Aptius lege *esset* (R. T.).

pace et quiete, confirmationis robur adiungere dignaretur: eadem Congregatio cardinalium per suum decretum die XVIII iunii proximi praeteriti emanatum, audito super praemissis dilecto etiam filio procuratore generali Ordinis praedicti, et attentâ relatione venerabilis fratris nostri Alderani episcopi Ostiensis eiusdem S. R. E. cardinalis Cybo nuncupati, Ordinis supradicti apud nos et Sanctam Sedem Apostolicam protectoris, desuper ipsis cardinalibus factâ, supplicem libellum sibi super iisdem praemissis porrectum benigne remisit eidem Alderano episcopo cardinali et protectori, ut, veris existentibus narratis, et quatenus expedire censuisset, petitam confirmationem pro suo arbitrio et prudentiâ concederet. Unde ipse Alderanus episcopus cardinalis et protector decretum edidit tenoris qui sequitur, videlicet: « Alderanus, miseratione divinâ episcopus Ostiensis et Veliternensis, S. R. E. cardinalis, Cybo, sacri collegii decanus et totius Ordinis sancti Francisci apud Sanctam Sedem protector. Utentes arbitrio per antescriptum decretum nobis a sacrâ Congregatione remisso, verisque compertis narratis, oratorum precibus benigne inclinati, tenore praesentium, auctoritate eiusdem sacrae Congregationis, petitam confirmationem concedimus et impartimur. Datum Romae XIX iunii MDCC. — A. cardinalis CYBO. — I. M. DE GAIS secretarius ».

*Decretum sacrae Congregationis.*

*Confirmatio relati decreti.*

§ 2. Cum autem, sicut dictus Antonius nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Antonii votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum a memorato Alderano episcopo cardinali et protectore editum, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

*Clausulae.*

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

*Derogatio contrariorum.*

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedictorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum in-

sertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x iulii MDCC, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 10 iulii 1700, pontif. anno IX.

## CXCIX.

*Confirmatur decretum Congregationis Visitationis contra regulares aromatariam exercentes pro collegio aromatariorum de Urbe*[1].

**Innocentius Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Decretum dictae Congregationis.

§ 1. Aliàs emanavit a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum super negotiis visitationis apostolicae ecclesiarum et locorum piorum almae Urbis nostrae a nobis deputatorum decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Sacra Congregatio visitationis apostolicae habita die XV martii MDCXCV, in causâ romanâ pro collegio aromatariorum contra religiosos aromatariam exercentes, proponente eminentissimo ac reverendissimo domino cardinali Acciaiolo, rescripsit ut infra, videlicet: Servetur decretum sacrae visitationis anni MDCLXII, nempe licere regularibus utriusque sexus retinere aromatariam intra claustra monasterii pro religiosis pauperibus et benefactoribus dumtaxat, quibus gratis medicamenta[2] suppeditari debeant, iuxta Barchinonensem coram Caccia; secus vero illa vendere saecularibus et aliis personis ecclesiasticis, exceptis theriacâ et iacinto, et aliis vulgo nuncupatis *chimici*, dummodo tamen non sint preparata, non composita, neque admixta cum aliis speciebus medicaminum ad usum potionis vel alterius medicamenti confecti cum receptis medicorum. Datum dictâ die XV maii MDCXCV. — I. CARACCIOLUS secretarius ».

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii collegium et consules aromatariorum dictae Urbis nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sic-

[1] De confessariis regularibus vide constit. edit. MDCXCVIII, die 6 septembris, pontif. VIII, et de eorum privilegiorum revocatione Clementis XI constit. edit. MDCCXIX, die 7 septembris, pontif. XIX.

[2] Edit. Main. legit *medicamento* (R. T.).

que in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX iulii MDCC, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 29 iulii 1700, pontif. anno X.

FINIS PONTIFICATUS INNOCENTII XII.

# INDEX ALPHABETICUS PONTIFICUM


Alexander VIII hoc in tomo habet constitutiones . . . . . . . XXXI.

Innocentius XII hoc in tomo habet constitutiones . . . . . . CXLIX.


# IDEM CHRONOLOGICE DISPOSITUS


Alexander VIII anno 1689 . . . . . . . . . . . . *pag.* 1

Innocentius XII » 1691 . . . . . . . . . . . . » 168

# INDEX

## NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM.

---

NUMERUS PAGINAM INDICAT; *a* PRIMAM COLUMNAM; *b* SECUNDAM DESIGNAT.

### A


Abbas, *vide* Monachi Ordinis Cisiterciensis *et reliquorum Ordinum.*

Alesiensis ecclesia cathedralis erigitur, 624 *a* et *seq.*

Alexander VIII, Petrus Vitus antea dictus, 1 *a*; providet necessitatibus Terraesanctae, 1 *b* et *seq.*; iubilaeum universale indicit, 8 *a* et *seq.*; Revocat immunitates et exemptiones a vectigalibus aliisque oneribus pubblicis, 13 *b* et *seq.*; praecipit continuationem visitationis apostolicae ecclesiarum de Urbe, 36 *b* et *seq.*; plures facultates impartitur presbyteris Societatis Iesu in Indiis, 46 *a* et *seq.*; erigit episcopatum de Nankim in regno Sinarum, 53 *b* et *seq.*; item episcopatum de Pechim, 57 *a* et *seq.*; irritat acta conventus cleri Gallicani anni MDCLXXXII, 67 *b* et *seq.*; confirmat, innovat et declarat et ampliat constitutiones Pii V circa delationem armorum, 72 *b* et *seq.*; confirmat constitutiones monachorum Silvestrinorum, 87 *b* et *seq.*; providet tutiori custodiae librorum capellae pontificiae, 154 *a* et *seq.*; confirmat, innovat, declarat et ampliat constitutiones Innocentii XI contra surripientes vel aliò deferentes Hostiam consecratam, 160 *b* et *seq.*

Annus sanctus, *vide* Iubilaeum.

Archiconfraternitatis S. Hieronymi Charitatis de Urbe constitutiones nonnullas, a congregatione particulari praelatorum iussu Pontificis editas, recenset Innocentius XII, 650 *a*; easque confirmat, 660 *b*.

Archihospitale S. Spiritus in Saxia, 648 *b*; illius aegrotis indulgentiam plenariam perpetuam in articulo mortis concessit Innocentius XII, 649 *a*.

Arma gestantes brevioris mensurae duorum vel trium palmorum, 72 *b*; adversus illos constitutionem Pii V, qua extensa fuerat alia Pii IV eâdem de re constitutio, confirmat, innovat, declarat et ampliat Alexander VIII, *ibid.* et *seq.*; armorum praedictorum delationem et retentionem omnibus, et in toto Statu Ecclesiastico, sub poenis laesae maiestatis et rebellionis interdicit, 74 *b*; item ecclesiasticis sub maximâ poenâ, 75 *a*.

Aromatariae publicae, seu medicamentorum officinae pro pauperibus, nonnulla ex emolumentis quibusdam a camerariatus officio dismembratis pro dote assignavit Innocentius XII, 837 *a* et *b*.

Aromatariorum collegium, 946 *a*; decretum in illius favorem confirmatur contra regulares aromatariam exercentes, 946 *b*.

Augustinienses, *vide* Eremitae S. Augustini *et* Canonici regulares.

## B

Benedictini, *vide* Monachi Ordinis S. Benedicti.

Benedictus card. Pamphilius, *vide* Pamphilius.

Beneficiatis Urbis indulta olim concessa reformavit congregatio particularis ad id deputata per decretum confirmatum ab Innocentio XII, 517 *b*.

Blesensis ecclesia episcopalis erigitur, 791 *b* et *seq.*

Breviarium Seraphicum ne quis imprimat vel vendat sine facultate ministri generalis Minorum de Observantiâ prohibuit Innocentius XII, 771 *b* et *seq.*

Bullâ Cruciatae facultas eligendi confessarium ab Ordinario approbatum conceditur, quam tamen facultatem de confessario ab Ordinario loci approbato, non vero de approbato a quocumque Ordinario, declaravit Innocentius XII, 928 *b* et *seq.*

Bullionius card. Emmanuel Theodosius episcopus Albanensis, monasterii Cluniacensis perpetuus commendatarius, totius Ordinis reformationem promovet, 683 *b* et *seq.*

## C

Caelestinorum Congregatio, *vide* Monachi Ordinis S. Benedicti Congregationis Caelestinorum.

Caietani (S) Thienaei Clericorum Regularium institutoris canonizationem celebrasse Clementem X docet Innocentius XII, 175 *b*; vitam nunquam antea descriptam, apostolico roboratam testimonio, narrat, 176 *a* et *seq.*; praedicti miracula, quibus examinatis, ab Urbano VIII declaratus fuit Beatus, refert, 180 *a* et *seq.*; eiusdem cononizationem a Clemente X, ut innuimus, celebratam promulgat, 184 *a* et *seq.*; in eiusdem festo indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum, a Clemente X concessam, approbat, 185 *a*.

Camera apostolica, *vide* Camerariatus *et* Officiorum vacabilium.

Camerariatus S. R. E. officii venalitatem motu proprio abolevit Innocentius XII, 830 *b*; ex eiusdem officio emolumenta omnia, reservatis nonnullis, ad camera-

rium pro tempore existentem pertinentia, dismembravit, *ibid.*; camerario S. R. E. privilegia omnia et emolumenta ex sigillo confirmavit idem, 831 *a*; nonnulla ex aliis praedicti emolumentis pro dote publicae aromatariae pro pauperibus assignavit, 831 *a* et *b*; reliqua camerariatus praefati emolumenta quaedam Camerae restituit, 832 *a*.

Cancellariae regulae ab Alexandro VIII editae omittuntur, quia eaedem fere sunt cum illis praedecessorum, 1; regulae ab Innocentio XII editae pariter omittuntur, quia sunt fere similes illis aliorum pontificum, 168 *a*.

Canonici regulares S. Salvatoris Ordinis S. Augustini. Ipsis, ut exequutioni mandent constitutiones de regularibus professis ad eorum habitum non recipiendis, praecipit Innocentius XII, 671 *b* et *seq*.

Canonici regulares Ordinis Praemonstratensis Congregationis Hispaniae. Ipsis, ut tam in habitu quam in ceteris cum aliis uniformes sint, statuit Pontifex, 865 *b* et *seq*.

Canonici regulares Congregationis S. Patritii in Regno Hiberniae. Ipsorum aggregationem ad Congregationem canonicorum regularium Lateranensium, cum earumdem constitutionum receptione, confirmat Innocentius XII, 113 et *seq*.

Canonicis Urbis indulta olim concessa reformavit congregatio particularis, ad id deputata, per decretum confirmatum ab Innocentio XII, 517 *b*.

Canonizatio S. Caietani Thienaei clericorum regularium institutoris, 175 *a* et *seq*.; item S. Ioannis de Deo, ab Alexandro VIII inter sanctos iam antea relati, promulgatur, 186 *b* et *seq*.; item S. Ioannis a S. Facundo Ordinis Eremitarum S. Augustini, 196 *b* et *seq*.; item S. Paschalis Baylon, 206 *a* et *seq*.

Cantores capellae pontificiae, *vide* Collegium cantorum.

Capellae Pontificiae ex archivio libros musicales extrahere prohibuit Innocentius XI, ut innuit Alexander VIII, 154 *a*; pro eiusdem librorum custodiâ tutiori ordinationes quasdam edidit idem, 155 *a*; eiusdem capellae pontificiae cantores, *vide* Collegium cantorum.

Capellanis communibus Sanctitatis Suae privilegia concessit Alexander VIII, 66 *a*; necnon Innocentius XII, 576 *a*.

Cardinales exempti a vectigalium solutione, 16 *a*, 223 *b*; cardinalibus iuranda praescribitur constitutio Innocentii XII praescribens Romano Pontifici moderationem servandam in concedendis bonis ecclesiasticis suis nepotibus et consanguineis, 444 *a*; testandi indulta quaedam, quibusdam cardinalibus concessa, ad formam ordinariam revocantur, 558 *a* et *seq*.

Cardinalis Pamphilius protector Portus Antii, 935 *b*; plurimae ipsius laudes enarrantur, *ibid.*; *vide* Portus Antii.

Carmelitis decreta quaedam a priore generali ipsorum Ordinis condita, pro promovendis studiis praesertim in Italiae provinciis, confirmavit Innocentius XII, 467 *a* et *seq*.; eisdem provinciae Castellae decretum quoddam capituli generalis ipsorum Ordinis, pro alternativâ in dictâ provinciâ Castellae, confirmavit idem, 493 *b* et *seq*.; item nonnulla decreta commissarii generalis pro alternativâ servandâ in provinciâ Aquitaniae, 675 *a* et *seq*.; pro provinciâ Portugalliae decreta quaedam prioris generalis ipsorum Ordinis refert, 738 *b* et *seq*.; et confirmat, 742 *b*; eisdem provinciae Montissancti decretum Congregationis episcoporum et

regularium super assignatione familiarum in conventu Montissancti, et de tabellâ munerum versiculatorum, confirmavit, 744 *a* et *seq.*; praefatis electionem et restitutionem quatuor assistentium generalium confirmavit, 846 *a* et *seq.*; super Carmelitarum institutionis a prophetis Elia et Eliseo quaestione silentium perpetuum sub excommunicationis poenâ imposuit, ac libros scriptaque super dictâ quaestione, relictâ utrâque parte in suâ probabilitate, prohibuit, 863 *b* et *seq.*; eorumdem Congregationis Mantuanae decreta quaedam in dietâ generali edita recenset, 914 *b*; relata decreta cum additione et reformatione Congregationis super disciplinâ regulari confirmavit, 916 *b*.

Carmelitis Discalceatis utriusque congregationis Hispaniae et Italiae, decreta quaedam definitoriorum et capitulorum generalium, pro pace utriusque Congregationis confecta, confirmat Innocentius XII, 477 *b* et *seq.*; eisdem aliud decretum capituli generalis congregationis Hispaniae super electione prioris confirmatur, 723 *b* et *seq.*

Chirographum super restitutione fructuum vice-cancellario et summatori ab Innocentio XI ablatorum refert et confirmat Alexander VIII, 40 *a* et *seq.*

Cistercienses, *vide* Monachi Ordinis Cisterciensis.

Cleri Gallicani in comitiis et extra comitia anni MDCLXXXII peracta omnia, nempe assensum extensioni regaliae praestitum, declarationem quamdam continentem quatuor propositiones de potestate ecclesiasticâ, aliaque nonnulla, improbavit et annullavit Alexander VIII, 67 *b*.

Clerici Camerae praesidentes exempti a vectigalibus, *vide* Vectigalia; de ipsorum emolumentis, *vide* Officia vacabilia.

Clerici regulares Congregationis Scholarum Piarum iuxta constitutiones incedere debebant denudatis pedibus: quod confirmatum fuit ab Alexandro VII et Clemente IX, ut est apud Alexandrum VIII, 38 *b* et *seq.*; clericis vero eisdem, ut deinceps uterentur calceis et tibialibus, motu proprio ordinavit idem Alexander VIII, *ibid.*; eisdem a constitutionibus ipsorum Congregationis biennium novitiatus assignatum fuit, 166 *a*; facultatem emittendi professionem, uno dumtaxat novitiatus anno peracto, concessit Alexander VIII, 166 *b*.

Clerici regulares Theatini, *vide* Theatini.

Clerici regulares Ministrantes Infirmis, 519 *b*; ipsis erectionem provinciae Hispaniarum, unà cum reintegratione provinciae Bononiensis, et nonnullis ordinationibus, confirmavit Innocentius XII, 520 *a* et *seq.*; clericorum eorumdem laicis, ne amplius gauderent voce activâ et passivâ, prohibuit, 801 *a* et *seq.*

Clerici saeculares Congregationis Doctrinae Christianae in Galliâ. Ipsis, ut exequutioni mandarent vitam communem, praecepit Innocentius XII, 748 *a* et *seq.*; eisdem constitutionem Gregorii XV, qua statutum fuit ut solus Pontifex dispensaret vel commutaret votum et iuramentum eorumdem clericorum in Congregatione perpetuo manendi, unà cum illius declaratione, confirmavit, 881 *b* et *seq.*; eisdem ordines ad titulum Congregationis suscipiendi indulsit, 882 *a* et *b*; *vide etiam* Congregatio Doctrinae Christianae.

Clerici saeculares *vel* regulares aliarum Congregationum, *vide* Congregatio *vel* Presbyteri.

Cluniacenses, *vide* Monachi Ordinis Cluniacensis.

Collegium aromatariorum, 946 *a*; in illius favorem decretum Congregationis visitationis contra regulares aromatariam exercentes confirmavit Innocentius XII, 946 *b*.
Collegium cantorum capellae pontificiae 887 *b*; ipsi a Sixto V concessam fuisse facultatem condendi decreta, innuit Innocentius XII, 887 *b* et *seq.*; collegii eiusdem decreta quamplurima, partim antiqua, partim nova, recenset, 888 *b* et *seq.*; relata decreta confirmat, 903 *b*.
Collegium Germanicum et Hungaricum de Urbe, 750 *a*; pro illius bono regimine constitutionem Alexandri VIII confirmavit et reformavit Innocentius XII, 750 *b*.
Collegium S. Antonii civitatis Cuscan in Indiis Occidentalibus, 409 *b*; ut collegialibus, seu aliis scholaribus, ab episcopo eiusdem civitatis gradus scholastici possint conferri, indulsit Innocentius XII, 410 *b*, *vide* Presbyteri Societatis Iesu.
Collegium Scotorum Parisiense, 746 *a*; ipsius alumnis privilegia omnia a Paulo V et Urbano VIII concessa, cum novâ concessione facultatis suscipiendi ordines non servatis interstitiis, confirmat Innocentius XII, 746 *b* et *seq.*
Collegium S. Nicolai civitatis S. Fidei, *vid.* Eremitae S. Augustini.
Comitia cleri Gallicani Parisiis anno MDCLXXXII congregati, 67 *b*; peracta omnia in et extra comitia, tum assensum extensioni regaliae praestitum, tum declarationem quamdam continentem quatuor propositiones de potestate ecclesiasticâ, aliaque nonnulla, improbavit et annullavit Alexander VIII, *ibid.*
Communionis generalis in die a patribus Iesuitis designando fieri solitae semel in mense, christifidelibus regni Angliae indulgentiam plenariam per modum suffragii concessit Innocentius XII, 926 *b*.
Comnenus Ioannes Andreas, ultimus familiae Comnenae, officium magni magistri militiae auratae Constantinianae Francisco Farnesio eiusque familiae successoribus resignavit, 909 *a* et *b*; *vide* Magister.
Conceptionis B. M. V. officium et missam cum octavâ recitari omnibus ubique terrarum mandavit Innocentius XII, 522 *a* et *b*.
Conclavistis gratias quasdam et privilegia motu proprio de more concedit Alexandri VIII, 2 *b*; item conclavistis postremi conclavis privilegia nonnulla et gratias, aliorum Pontificum vestigiis inhaerens, ipsorumque conclavistarum nominibus, quibus dictae gratiae et privilegia concessa sunt, insertis, concessit Innocentius XII, 171 *b*.
Confessarii regulares, ab aliis approbati, possunt suspendi ab Ordinario loci ubi actualiter degunt, 849 *b*.
Confessarium eligendi facultatem in Bullâ Cruciatae concessam intelligendam esse de confessario ab Ordinario loci approbato, cum damnatione opinionis contrariae, declaravit Innocentius XII, 928 *b* et *seq.*
Confraternitates Decem Virtutum B. M. Virginis, 759 *a*; ad ipsarum confratres indulgentias omnes et gratias spirituales confraternitatibus SS. Sacramenti concessas extendit Innocentius XII, 759 *b*.
Confraternitates redemptionis captivorum B. M. de Mercede, 61 *a*; ipsis indulgentiam stationum Urbis, ad Innocentio XI eis ad decennium concessam, in perpetuum extendit Alexander VIII, 61 *b*.
Congregatio Doctrinae Christianae in Galliâ 725 *a*; constitutio Innocentii XI, qua

ei concessa fuit facultas erigendi confraternitates sub eâdem denominatione Doctrinae Christianae in ipsis locis ubi Congregatio praedicta domos haberet, extenditur ad loca ubi Congregatio missiones exercet, 725 *b* et *seq.*; decretum Congregationis episcoporum et regularium, circa abrogationem discretorum eiusdem Congregationis, confirmatur, 780 *b* et *seq.*; item decretum aliud, de interventu generalis, provincialium et rectorum cum discretis in capitulis provincialibus eiusdem, confirmatur, 828 *a* et *seq.*; *vide etiam* Clerici saeculares.

Congregatio presbyterorum saecularium B. M. Virginis Assumptae, *vide* Presbyteri saeculares B. M. Virginis Assumptae.

Congregatio presbyterorum saecularium Missionis, *vide* Presbyteri Congregationis Missionis.

Congregatio presbyterorum saecularium in collegio S. Luciae Bononiensi Societatis Iesu. Illam erexit Iacobus Boncompagni archiepiscopus Bononiensis, ut legere est apud Innocentium XII, 438 *a*; Congregationis eiusdem constitutiones nonnullas, ab eodem archiepiscopo praescriptas, recenset et confirmat Pontifex, 438 *b* et *seq.*

Congregatio presbyterorum saecularium SS. Trinitatis peregrinorum et convalescentium de Urbe, 427 *b*; constitutiones quasdam, pro felici eiusdem Congregationis directione formatas, recenset Innocentius XII, 428 *a* et *seq.*; et confirmat ac approbat, 436 *a*.

Congregatio S. Hyppoliti hospitalis pauperum infirmorum in Indiis Occidentalibus, 931 *b*; in formalem regularem religionem sub regulâ S. Augustini, cum quatuor votis et subiectione S. Sedi, erexit Innocentius XII, 932 *a* et *seq.*; Congregationi praefatae privilegia et indulgentias omnes confirmavit, *ibid.*; Congregationis *charitatis* praedictae in Indiis Occidentalibus constitutiones nonnullas recenset idem, 938 *b*; Congregationi praedictae charitatis S. Hyppoliti in Indiis Occidentalibus constitutiones relatas confirmavit idem Innocentius XII, 943 *a*.

Congregatio S. Patritii in regno Hiberniae, *vide* Canonici Regulares.

Congregatio S. R. E. cardinalium *Lauretana* nuncupata, nuper erecta, 836 *b*; ipsi iurisdictionem omnimodam in S. Domum et civitatem Lauretanam concessit Innocentius XII, et eiusdem facultates recenset, *ibid.*; ut Congregatio praedicta uti deberet ministerio episcopi et gubernatoris, quibus propterea conceditur superintendentia, decrevit 837 *a*; praefatae ius declarandi hanc constitutionem tribuit, 837 *b*.

Congregatio S. R. E. cardinalium sacrae visitationis ab Alexandro VII instituta fuit, et ab eo facultatibus, praeeminentiis et indultis decorata, 36 *b*; Congregationis praedictae officium est ecclesias et pia loca Urbis visitare, *ibid.*; visitationis praedictae ab eâdem Congregatione peragendae continuationem motu proprio praecepit Alexander VIII, 37 *a*; iterum indicitur ab Innocentio XII, 494 *a* et *seq.*; Congregationis eiusdem facultates et privilegia confirmavit et innovavit idem, 497 *b*, 501 *a*, 502 *b*, 503 *b*, 508 *a* et *seq.*

Congregatio S. R. E. cardinalium super disciplina regulari, cum concessione facultatum intra fines Italiae et extra, confirmatur ab Innocentio XII, 824 *b*.

Congregatio S. R. E. cardinalium super statu regularium ab Innocentio X instituta,

et a Clemente IX confirmata, supprimitur, 824 *b*; eius facultates quaedam Congregationi episcoporum et regularium tribuuntur, *ibid.*

Congregatio S. R. E. cardinalium Portus Antii erigitur, 934 *b seq.*

Congregationibus *charitatis* erectis, et erigendis indulgentias nonnullas perpetuas concessit Innocentius XII, 587 *b* et *seq.*

Congregationum S. R. E. cardinalium decreta, *vide* Decretum.

Conservatorii Divinae Providentiae de Urbe puellis decem subsidia dotalia ex quibusdam archiconfraternitatibus et confraternitatibus assignavit Innocentius XII, 603 *b* et *seq.*

Constantiniana militia aurata, *vide* Magister magnus militiae auratae.

Constitutiones monachorum Congregationis Silvestrinorum confirmantur ab Alexandro VIII, 87 *b* et *seq.*; item constitutionum Minorum Conventualium particulam quamdam circa conventum XII Apostolorum de Urbe confirmat idem Alexander VIII, 157 *b*; constitutiones fratrum Redemptionis Captivorum Ordinis B. Mariae de Mercede referuntur per extensum, 232 *b* et *seq.*; et confirmantur ab Innocentio XII, 404 *a*; constitutionum fratrum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Discalceatorum Congregationis Hispaniae particulam quamdam, de nonnullis ad habitum non recipiendis, moderari permisit Innocentius XII, 408 *a* et *b*; constitutiones Congregationis presbyterorum saecularium SS. Trinitatis referuntur, 428 *a* et *seq.*; et confirmantur ab eodem Innocentio XII, 436 *a*; constitutiones Congregationis presbyterorum saecularium in collegio S. Luciae Bononiensi Societatis Iesu pariter confirmavit, 439 *b*; constitutiones archiconfraternitatis S. Hieronymi Charitatis de Urbe refert, 650 *a* et *seq.*; atque confirmat, 660 *a* et *seq.*; constitutiones Congregationis Charitatis S. Hippolyti in Indiis Occidentalibus, in religionem erectae recenset, 938 *b*; et confirmat, 943 *a*.

Conventiones quascumque in providendis ecclesiis, beneficiis, seu monasteriis, cum innovatione quarumdam Constitutionum simili de re ac adiectione novarum poenarum, interdixit Innocentius XII, 716 *a* et *seq.*

Conventus XII Apostolorum de Urbe, 157 *a*; circa illius familiam, particulam quamdam constitutionum Minorum Conventualium confirmavit Alexander VIII, 157 *b*.

Curiales et negotiorum gestores, qui a suis principalibus petunt aliquid pro gratiâ vel iustitiâ, 917 *b*; contra ipsos constitutionem Alexandri VII super datis et promissis extendit et declarat Innocentius XII, 917 *b* et *seq.*; curiales praedicti et gestores tenentur transmittere notulam unam expensarum ad principales, et alteram tradere notario vel officiali, sub certis poenis, 919 *b*; contra ipsos curiales et negotiorum gestores reos facultatem agendi principalibus, notario et officiali praedictis concessit, 921 *a*.

Crucigeris cum rubeâ stellâ, per Bohemiam, Silesiam, Moraviam et Poloniam existentibus, sub regulâ S. Augustini, privilegia a nonnullis Pontificibus concessa recenset Innocentius XII, 609 *a* et *seq.*; crucigeris eisdem relatas Pontificum Constitutiones, quibus privilegia concedebantur cum onere census unius floreni S. Sedi persolvendi, timentibus ne ob censum non solutum dictas gratias amiserint, confirmavit idem, 702 *b* et *seq.*

Cultus immemorabilis, *vide* Decreta Congregationis Rituum.

## D

Dapiferis privilegia, exemptiones et indulta nonnulla, praedecessorum Pontificum vestigiis inhaerens, concedit Alexander VIII, 5 *b*; item dapiferis ultimi conclavis, ipsorum Pontificum exempla sequutus, eorum nominibus unâ cum cardinalium, quibus inserviebant, relatis, privilegia et indulta concessit Innocentius XII, 168 *b*.

Datis (super) et promissis pro iustitiâ vel gratiâ apud Sedem Apostolicam obtinendâ constitutionem Alexandri VII, cum adiectione poenarum et quorumdam mandatorum, confirmavit, innovavit et extendit Innocentius XII, 917 *b* et *seq.*; *vide* Curiales.

Declaratio cleri Gallicani anni MDCLXXXII supra potestate ecclesiasticâ, *vide* Cleri Gallicani.

Decretum Congregationis Concilii, quo conceditur vicariis generalibus Ordinis Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum in Indiis facultas eiiciendi inquietos et incorrigibiles, 570 *a* et *b*; decreta nonnulla eiusdem Congregationis tum antiqua, tum moderna super celebratione missarum, unâ cum illorum declaratione, approbatione et innovatione eiusdem Congregationis, recenset, confirmat et innovat Innocentius XII, 806 *b* et *seq.*; decretum aliud Congregationis praedictae, super obligatione parochorum applicandi sacrificium pro populo in diebus festivis, affertur et confirmatur ab eodem, 873 *a* et *b*.

Decretum Congregationis episcoporum et regularium, approbans aliud decretum capituli generalis fratrum Discalceatorum S. Augustini Congregationis Italiae pro celebratione capituli provincialis fratrum eiusdem Congregationis provinciae Germaniae, habetur confirmatum apud Innocentium XII, 447 *a* et *b*; Congregationis eiusdem approbans quaedam statuta pro tribus coenobiis Recollectionis provinciae S. Michaëlis in Baeticâ Tertii Ordinis S. Francisci refert et confirmat idem, 543 *a* et *b*; Congregationis praedictae de lectoribus monachorum eremitarum S. Hieronymi Lombardiae post duodecim annos ad prioratus titulares promovendis extat confirmatum apud eumdem, 613 *a* et *seq.*; Congregationis praefatae super assignatione familiae in coenobio Montissancti Carmelitarum de Urbe et de tabellâ versiculatorum refert et confirmat, 744 *a* et *seq.*; Congregationis eiusdem decretum, circa abrogationem discretorum Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia, habetur confirmatum apud eumdem, 780 *b* et *seq.*; aliud Congregationis praedictae, quo declaratur in constitutione Alexandri VII, de privilegiis provinciarum Minorum reformatorum in Hispaniâ et Indiis Occidentalibus, comprehendi provinciam Arrabidae in Lusitaniâ, extat confirmatum apud eumdem, 784 *a* et *seq.*; Congregationis praefatae de interventu generalis provincialium et rectorum cum discretis in capitulis provincialibus Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia, refert et confirmat, 828 *b* *seq.*; decretum aliud eiusdem Congregationis pro exequutione alterius decreti et constitutionis Clementis X, circa alternativam officiorum in provinciâ Cantabriae Ordinis Minorum de Observantiâ, habetur confirmatum apud eumdem, 847 *a* et *seq.*; eiusdem pariter Congregationis in causâ Lusitanâ pro exequutione Constitutionis

Clementis X pro Ordinariis contra confessarios regulares ab aliis ordinatos, legere est confirmatum apud eumdem, 849 *b* et *seq.*; aliud Congregationis praefatae, circa electionem abbatis generalis monachorum S. Hieronymi in Hispaniâ, refert et confirmat idem, 855 *b* et *seq.*; eiusdem Congregationis, pro independentiâ coenobii Albarii Minorum Conventualium, affertur et confirmatur ab eodem, 868 *b*; Congregationis praedictae, circa primatum inter definitores perpetuos seu patres provinciae Ordinis Minorum Conventualium, extat confirmatum apud eumdem, 874 *a* et *seq.*

Decretum Congregationis de Propaganda Fide die XX ianuarii MDCLXXVII habitae coram Innocentio X, quo prohibebatur Graecis quibuscumque pecunias quaestuare, refertur, 145 *a*; confirmatur ab Alexandro VIII, 146 *b*.

Decretum Congregationis Rituum approbans sententiam Ordinarii de cultu immemorabili beatae Ioannae, vocatae principissae, Ordinis sancti Dominici, refert et confirmat Innocentius XII, 516 *a* et *b*; aliud Congregationis eiusdem de cultu immemorabili beatae Mariae de Socos Ordinis Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum, confirmatum extat apud eumdem, 754 *a* et *seq.*; aliud Congregationis praedictae de officio et missâ B. Mariae de Socos praefatae pro religiosis utriusque sexus eiusdem Ordinis, refert et confirmat, 755 *b*; Congregationis praefatae circa officium et missam B. Petri Paschasii martyris et episcopi Giennensis Ordinis redemptionis captivorum, habetur confirmatum apud eumdem, 756 *b*; eiusdem de cultu immemorabili B. Mariae de Capite, 799 *b* et *seq.*; aliud eiusdem Congregationis circa primatum pro provinciâ S. Didaci Minorum de Observantiâ Discalceatorum contra Augustinianos in regno Mexicano refert et confirmat, 927 *b*.

Decretum Congregationis Visitationis Apostolicae contra regulares aromatariam exercentes pro collegio aromatariorum de Urbe extat confirmatum apud Innocentium XII, 946 *a*.

Decretum Congregationis Inquisitionis habitae feria V die XXIV augusti MDCXC coram Sanctissimo, quo condemnantur duae theses seu propositiones, una tamquam haeretica, altera tamquam scandalosa, temeraria et piarum aurium offensiva, extat apud Alexandrum VIII, 77 *a* et *b*; aliud in eâdem Congregatione coram eodem sanctissimo emanatum, quo triginta et una propositiones, tamquam temerariae, scandalosae, malesonantes, iniuriosae, haeresi proximae, haeresim sapientes, erroneae, schismaticae, haereticae respective, damnantur et prohibentur, easque vel docere vel defendere, tam publice quam privatim, sub poenâ excommunicationis interdicitur, legere est apud eumdem, 158 *b*; Congregationis praedictae decretum de vicariis foraneis, aut aliis ab Ordinariis Americae in locis, a curiâ episcopali ultra duas dietas distantibus, pro statu libero contrahentium eligendis, refert et confirmat Innocentius XII, 821 *a* et *seq.*

Delatio armorum, *vide* Arma gestantes.

Dioecesis terminos ecclesiae oppidi de Nankim, nuper in cathedralem erectae, designavit Alexander VIII, 55 *b*; item ecclesiae oppidi de Pekim nuper pariter in cathedralem erectae terminos circumscripsit, 59 *a*; a dioecesibus praedictis Pekinensi et Nankinensi regni Sinarum provincias plures dismembravit, easque vicariis apostolicis commisit, 764 *a* et *seq.*; a dioecesi Machaonensi regnum

Tunkini separatum esse et independens pro vicariis apostolicis dicti regni declaravit, 770 *a* et *b*; dioecesim ecclesiae oppidi Alesiensis in cathedralem erectae de more descripsit Innocentius XII, 626 *a*; dioecesim episcopatui Blesensi nuper erecto de more assignavit, 792 *b*.

Doctrina christiana, *vide* Clerici regulares Doctrinae christianae.

Domus (S.) Lauretanae protectori castrum Lauretanum a Clemente VIII subiectum fuerat, uti narrat Innocentius XII, 834 *b*; Domus eiusdem dicto protectori iurisdictionem quasi episcopalem in S. Domum, eiusque bona et personas, a Paulo V concessam fuisse refert, 835 *a*; super Domus praefatae regimine dictorum Pontificum Clementis VIII et Pauli V constitutiones reformavit idem, 835 *b* et *seq*.

Dotes, *vide* Hospitium pauperum invalidorum *et* Conservatorium.

E

Ecclesiae cathedralis de Nankim nuper erectae iuspatronatus et praesentandi ad episcopatum ac alias dignitates et beneficia regibus Portugalliae reservatur et conceditur, 56 *a*; item cathedralis de Pekim nuper pariter in cathedralem erectae, 59 *b*; item ecclesiae Alesiensis cathedralis nuper erectae ius nominandi vel praesentandi regi christianissimo reservatur, 629 *b*; item pro ecclesia cathedrali Blesensi nuper pariter erecta, 798 *a* et *b*.

Ecclesiam cathedralem Machaonensem, in parte australi regni Sinarum sitam, esse de iurepatronatus regis Portugalliae ex fundatione vel dotatione, seu privilegio apostolico, cui non est hactenus derogatum, docet Alexander VIII, 53 *b*; 57 *b*.

Ecclesiam parochialem oppidi de Nankim, Machaonensis dioecesis, a iurisdictione episcopi Machaonensis segregatam, in cathedralem, cum subiectione archiepiscopo Goanensi iure metropolitico, erexit Alexander VIII, 53 *b* et *seq.*; item parochialem oppidi de Pekim eiusdem dioecesis eodem pacto in cathedralem pariter erexit idem, 57 *a* et *seq.*; item oppidi Alesiensis, Nemausensis dioecesis, in cathedralem cum omnibus episcopalibus iuribus erexit Innocentius XII, 624 *a* et *seq.*; item parochialem S. Solemnis oppidi Blesensis Carnotensis dioecesis in cathedralem cum subiectione archiepiscopo Parisiensi erexit idem, 791 *b* et *seq.*

Edicta praetoris Cremonensis, de celebratione festi S. Dominici, nulla declaravit Innocentius XII, 551 *b* et *seq*.

Erectio oppidorum in civitates, *vide* Oppidum.

Equites hierosolymitani, *vide* Hospitale.

Eremitis S. Augustini provinciae Baeticae senarium numerum magistrorum ad duodenarium extendit Alexander VIII, 35 *a* et *b*; praedictis provinciae Quitensis, ut senarius dictae provinciae magistrorum numerus ad duodenarium augeretur, indulsit, 65 *a* et *seq.*; supradictis provinciae Baeticae decreta ipsorum quaedam circa institutionem novorum magistrorum relata confirmat Innocentius XII, 405 *b* et *seq*; eisdem provinciae Mexicanae senarium numerum magistrorum ad duodenarium extendit, 465 *b* et *seq.*; eisdem provinciae Castellae decreta duo super collatione lecturarum dictae provinciae, alterum nempe definitorii, alterum prio-

ris generalis, confirmavit, 565 *a* et *seq.;* S. Augustini alumnis provinciae novi regni Granatensis in Indiis Occidentalibus facultatem suscipiendi gradus scholasticos in ipsorum collegio S. Nicolai civitatis S. Fidei ab eius rectore concessit, 622 *a* et *seq.*; eisdem provinciae Narbonae et Burgundiae concordiam initam ab iisdem, circa divisionem coenobiorum et alternativam officiorum inter ipsos, confirmavit, 839 *a* et *seq.*

Eremitis Discalceatis S. Augustini Congregationis Italiae decreta duo, alterum capituli generalis dictae Congregationis, alterum Congregationis episcoporum et regularium pro celebratione capituli provincialis eorumdem eremitarum provinciae Germaniae, confirmavit Innocentius XII, 447 *a* et *b*; praedictis provinciae Franciae facultatem canendi cum notis in expositione SS. Sacramenti et missis defunctorum concessit, 819 *b*; eisdem decretum ut cedant Minoribus de Observantia Discalceatis, 929 *b*.

Eremitarum S. Augustini ecclesias visitantibus indulgentiam plenariam perpetuam in Festo S. Ioannis a S. Facundo Ordinis praedicti concessit, 156 *b*.

Exemptio a vectigalibus, *vide* Vectigalia.

F

Fabrica S. Petri ut nihil donaret ac remitteret post applicationem seu rem iudicatam, ad favorem dictae fabricae decrevit cardinalis Cybo congregationis eiusdem fabricae praefectus, eiusque decretum motu proprio confirmavit Innocentius XII, 217 *a* et *b*.

Familiaribus Pontificis exemptiones a vectigalibus in generali revocatione praeservavit Alexander VIII, 16 *b*; praedictis privilegia quaedam concessit, 23 *b* et *seq.*; eisdem privilegia de more pariter concessit Innocentius XII, 231 *b*.

Farnesius, *vide* Franciscus Farnesius.

Festa Sanctorum. In festo S. Ioannis a Facundo Ordinis Eremitarum sancti Augustini indulgentiam plenariam perpetuam visitantibus ecclesias dicti Ordinis concessit Alexander VIII, 156 *b*; in festo S. Caietani Thienaei Ordinis clericorum regularium institutoris indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum, a Clemente X concessam, approbavit Innocentius XII, 184 *b*; item pro festo S. Ioannis de Deo, 194 *a*; item pro festo S. Paschalis Baylon 213 *b*; in festo S. Ioannis de Deo, paulo ante memorati indulgentiam plenariam perpetuam die VIII martii ecclesiis fratrum eiusdem S. Ioannis de Deo concessit, 220 *a*; S. Francisci Salesii indulgentiam plenariam perpetuam ecclesias monialium Visitationis visitantibus concessam confirmavit, 427 *a*.

Festi S. Dominici celebratio, 551 *b*; edicta quaedam circa hanc rem praetoris Cremonensis nulla declaravit Innocentius XII, 551 *b* et *seq.*

Festum Conceptionis B. M. V., *vide* Conceptio B. M. V.

Franciscus (S.) Salesius, *vide* Festa Sanctorum.

Fratres Ordinis sancti Augustini, *vide* Eremitae S. Augustini.

Fratres Carmelitae, seu de Monte Carmelo, *vide* Carmelitae.

Fratres Ordinis Minorum sancti Francisci, *vide* Minores.

Fratres Ordinis Praedicatorum, seu S. Dominici, *vide* Praedicatores.

Fratres redemptionis captivorum Ordinis SS. Trinitatis. Fratribus redemptionis captivorum Ordinis SS. Trinitatis Discalceatis Congregationis Hispaniae particulae cuiusdam constitutionum ipsorum (de nonnullis, scilicet, ad habitum non recipiendis) moderationem permisit Innocentius XII, 405 *b*; praedictis privilegia omnia et indulgentias aliorum Ordinum et religionum concessit idem, 539 *b* et *seq.*; eisdem redemptionis captivorum Ordinis SS. Trinitatis, Congregationis Discalceatorum Hispaniae facultatem sibi eligendi iudices conservatores, toti Ordini olim concessam, peculiariter indulsit, 678 *a* et *seq.*

Fratres B. Ioannis Dei Congregationis Hispaniae. Decretum quoddam cardinalis protectoris, quo diremptae sunt controversiae nonnullae exortae inter ipsos et superiorem generalem, de loco scilicet eiusdem generalis et celebrationis capitulorum, rebusque aliis in processu causae deductis, allatum confirmavit Alexander VIII, 82 *b* et *seq.*; fratrum eorumdem S. Ioannis de Deo ecclesiis die VIII martii, festo eiusdem sancti, indulgentiam plenariam perpetuam concessit Innocentius XII, 219 *b*; praedictis privilegia clericorum Ministrantium Infirmis ab Urbano VIII concessa fuisse docet, 523 *a*; iisdem exemptionem ab omnibus processionibus concessit, 523 *b*.

Fratres redemptionis captivorum Ordinis B. M. de Mercede. Ipsis privilegia et indulgentias ceterorum regularium communicavit Alexander VIII, 62 *b*; eorumdem Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum constitutiones nonnullas, ad Pontificem praedecessorem transmissas et a quibusdam cardinalibus ad examen revocatas, constitutioni insertas, atque octo distinctionibus contentas, refert Innocentius XII, 232 *b* et *seq.*; praedictis Redemptionis Captivorum relatas constitutiones confirmavit dictus Innocentius XII, 404 *b*; eisdem decretum Congregationis Concilii, quo conceditur vicariis generalibus in Indiis facultas eiiciendi inquietos et incorrigibiles, confirmavit, 570 *a* et *b*; praefatis diem benedictionis et absolutionis generalis, a Clemente X confirmatam, pro eorumdem Ordine commutavit, 672 *b*; praedictis decretum Congregationis Rituum de cultu immemorabili B. Mariae de Socos Ordinis Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum confirmavit, 754 *a* et *seq.*; et monialibus eiusdem Ordinis decretum Congregationis Rituum pro officio et missâ eiusdem B. M. de Socos confirmatur ab eodem, 755 *b*; eisdem decretum aliud dictae Congregationis circa officium et missam B. Petri Paschasii martyris et episcopi Giennensis ipsorum Ordinis confirmavit, 756 *b*.

G

Gratia per concessum. In gratiis *per concessum* aegrotante Pontifice signandis, modum servandum praescribit Innocentius XII, 443 *b* et *seq.*

Graeci. Graecis quibuscumque pecunias quaestuare ex decreto Innocentii XI in Congregatione de Propaganda fide emanato et ab Alexandro VIII confirmato prohibitum est, 145 *a* et *seq.*

Gubernium terrarum Civitatisvetulae et Tulphae motu proprio erexit Innocentius XII, 571 *b* et *seq.*; eidem superintendentiam in civitatem Corneti concedit, 573 *a*.

H

Homicidae. Homicidas bannitos revocandi facultatem omnibus fuisse a Pio II ademptam docet Innocentius XII, 420 *a*; praedictos etiam quoad distantiam quinquaginta milliarium, confirmatâ praedicti Pii II constitutione, revocare prohibuit Sixtus IV, 420 *b*; praefatos ad omnem adeo distantiam revocare omnibus inhibuit Clemens VII, confirmatis ac innovatis Pii II et Sixti IV constitutionibus, ut legere est 421 *a* et *b*; de eisdem non concedendâ facultate redeundi constitutiones praefatorum Pontificum Pii II, Sixti IV et Clementis VII fuisse a Pio IV ac deinde a Pio V confirmatas, innovatas et declaratas, refertur, 422 *b* et *seq.*; praedictis salvum conductum concedendi facultatem in uno dumtaxat casu ministris reddidit Pius V, 424 *b*; praefatos revocandi facultatem, a praedictis Pontificibus pariformiter omnibus prohibitam, cardinalibus de latere legatis, extra tamen casum praemeditati homicidii, concessit, 424 *b* et *seq.*

Hospitale S. Ioannis Hierosolymitani. Illius aerario onera solvi solita ne augeantur vel diminuantur sine Sanctae Sedis licentiâ prohibuit Alexander VIII, 70 *a* et *b*; pro eodem hospitali S. Ioannis Hierosolymitani decreta quaedam circa modum concedendi habitum magnae crucis, ut vocant, ad honores in dicto hospitali edidit, 786 *b* et *seq.*

Hospitale SS. Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Urbe. Illius aegrotis indulgentiam plenariam perpetuam in articulo mortis concessit Innocentius XII, 589 *b*.

Hospitale oppidi de S. Cloud Parisiensis dioecesis, 648 *b*; illius aegrotis indulgentia plenaria in articulo mortis conceditur, *ibid.*

Hospitale S. Spiritus in Saxia de Urbe, *vide* Archihospitale.

Hospitiis pauperum erectis et erigendis indulgentias nonnullas perpetuas concessit Innocentius XII, 587 *b* et *seq.*

Hospitium apostolicum pauperum invalidorum de Urbe, 524 *b*; quomodo inchoatum fuerit a Sixto V, Pio IV et Gregorio XIII enarrat Innocentius XII, 525 *a* et *b*; praedicto palatium Lateranense, variis usibus ante destinatum, perpetuo donavit, 526 *b*; necnon quemdam hortum et domunculam S.Ioannis in Laterano concessit, 527 *a* et *b*; praedicto aedificium S. Michaelis ad ripam magnam Tyberis pro puerorum habitatione assignavit, 527 *b* et *seq.*; ad hospitium idem invalidorum hospitium puerorum Litteratorum transtulit, 528 *a* et *seq.*; praefato hospitale mendicorum univit, 529 *a* et *b*; ut hospitium unum invalidorum constitueretur ex palatio Lateranensi, aedificio S. Michaelis et hospitali mendicorum mandavit, 530 *b*; hospitali invalidorum praedicto dotem superabundantem assignavit idem Innocentius, videlicet ex hospitio puerorum litteratorum, ex hospitali mendicorum, ex fructibus Camerae, ex oppido Civitatisvetulae, ex Poenitentiariâ, ex dispensationibus matrimoniorum, ex clericis praesidentibus Camerae, ex archihospitali S. Spiritus in Saxiâ, et ex variis officiis, 530 *b* et *seq.*; pro praefato relatam dotem confirmavit et innovavit, 532 *b*; pro eiusdem prospero regimine et rectâ disciplinâ ordinationes nonnullas condidit idem Innocentius, scilicet de pauperum occupationibus, de inobsequentibus et incorrigibilibus, de vagabundis, et de pauperibus ob aliorum avaritiam, 533 *a* et *seq.*;

praedicti hospitii pauperibus invalidis necnon ministris et officialibus quibuscumque indulgentiam plenariam perpetuam per modum suffragii in quibusdam festivitatibus et articulo mortis concessit, 534 *b*; eiusdem pauperibus cibos prohibitos edere posse, necnon in articulo mortis ab omnibus peccatis et censuris posse absolvi, concessit, 535 *b*; pro tandem praefati hospitii utilitate nonnullas alias praescripsit ordinationes idem Innocentius, ut videre est apud eumdem, 536 *a* et *seq.*; ad praedictum pauperum invalidorum hospitium, Gregorii XV indultum hospitali S. Sixti concessum extendit, 546 *b*; eiusdem puellis viginti subsidia dotalia ex archiconfraternitate Annunciationis B. M. V. assignavit, 606 *b* et *seq.*

Hostia consecrata. Contra hostiae consecratae surreptores et retentores constitutiones Innocentii XI aliorumque confirmavit, innovavit, declaravit et ampliavit Alexander VIII, 160 *b* et *seq.*; Hostiam consecratam surripientes et retinentes, omnes ad unum, nullâ prorsus exceptâ personâ, constitutionibus praedictis includi decrevit, 161 *a*; item Hostiam consecratam vel per se vel etiam de mandato retinentes, vel aliò transferentes, constitutionibus eisdem comprehendi declaravit, 161 *b*.

## I

Immunitas a vectigalibus, *vide* Vectigalia.

Indiae. Indulgentias nonnullas concessit Alexander VIII christifidelibus in Indiis existentibus, 46 *a* et *seq.*; et facultates plurimas presbyteris Societatis Iesu ibi commorantibus, 48 *a* et *seq.*

Indulgentiae. Indulgentiam plenariam perpetuam, ecclesiis Minorum Conventualium die 2 augusti concessam, applicari posse animabus defunctorum indulsit Alexander VIII, 34 *a* et *b*; nonnullas christifidelibus in Indiis existentibus concessit, 46 *a* et *seq.*; stationum Urbis, ab Innocentio XI confraternitatibus Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum ad decennium concessam, in perpetuum extendit idem, 61 *a* et *b*; ceterorum regularium Ordini Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum communicavit, 62 *a* et *seq.*; nonnullas Congregationi presbyterorum saecularium Beatae Mariae Virginis Assumptae civitatis Bracharensis concessit, 78 *a* et *seq.*; indulgentiam plenariam perpetuam in festo sancti Ioannis a S. Facundo Ordinis eremitarum sancti Augustini visitantibus ecclesias dicti Ordinis concessit idem, 156 *b*; septem annorum et totidem quadragenas in festo S. Caietani Thienaei, concessam a Clemente X, approbavit Innocentius XII, 184 *b*; pariter septem annorum et totidem quadragenarum in festo S. Ioannis de Deo ab Alexandro VIII concessam promulgavit, 156 *a*; similiter septem annorum et totidem quadragenarum in festo S. Paschalis Baylon ab eodem Alexandro concessam pariter promulgavit, 213 *b*; plenariam perpetuam ecclesiis fratrum S. Ioannis de Deo die VIII martii, festo eiusdem Sancti, concessit, 220 *a*; plenariam perpetuam ecclesias monialium Visitationis Beatae Mariae Virginis in die festo S. Francisci Salesii visitantibus concessam confirmavit, 427 *a*; perpetuas nonnullas utriusque sexus personis Ordinis sancti

Francisci de Observantià, necnon christifidelibus societatum in illorum ecclesiis erectarum, concessit, 491 *b* et *seq.*; item plenariam tempore Visitationis Apostolicae de Urbe, 495 *b*; nonnullas item plenarias perpetuas pauperibus invalidis hospitii apostolici, 534 *b*, et hospitiis pauperum et congregationibus *Charitatis* erectis et erigendis concessit praedictus Innocentius XII, 587 *b* et *seq.*; plenariam perpetuam in articulo mortis aegrotis in hospitali SS. Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Urbe concessit, 589 *b*; eamdem aegrotis hospitalis oppidi de S. Cloud Parisiensis dioecesis et archihospitali S. Spiritus in Saxia aegrotis concessit, 648 *a* et *seq.*; comitantibus SS. Sacramentum pro Viatico delatum, 668 *b*; plenariam perpetuam, in festo S. Ignatii olim concessam, ad dominicam infra octavam dicti Sancti, si festum Sancti in diem feriatum cadat, pro ecclesiis tantum missionariorum Societatis Iesu in insulà Martinica transtulit, 704 *a*; plenariam perpetuam visitantibus ecclesiam S. Francisci Minorum Conventualium civitatis Assisiensis concessit, 707 *b*; item visitantibus ecclesiam S. Mariae Angelorum Minorum de Observantià eiusdem civitatis, 708 *b*; indulgentias Congregationi *Antiqui Rigoris* Ordinis Praemonstratensis concessas confirmat, 782 *a*; plenariam per modum suffragii in die communionis generalis a patribus Iesuitis fieri solitae semel in mense, christifidelibus regni Angliae concessit, 926 *b*.

